# THESAURUS
## ANTIQUITATUM
## SACRARUM.

# THESAURUS
# ANTIQUITATUM
# SACRARUM
## COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

*IN QUIBUS*

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN VIGESIMUMTERTIUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLX.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

*SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.*



# JOSEPHO WENCESLAO
## PRINCIPI DE LICHTENSTEIN
Duci Troppavii & Jagendorffii &c.
## MARIÆ THERESÆ AUGUSTÆ
REGINÆ PANNONIÆ & BOHEMIÆ &c.
## AB INTIMIS CONSILIIS
Summo Rei Tormentariæ Præfecto &c.

## BLASIUS UGOLINUS
F E L I C I T A T E M.

CUM *jamdiu*, CELSISSIME PRINCEPS, *artes*, *&* *ſcientias omnes tanta cum dignitate*, *&* *liberalitate tuendas*, *ornandaſque ſuſceperis*, *ea de cauſa* ANTIQUITATES SACRAS, *quas edendas illuſtrandaſque ſuſcepi*, *Tibi potiſſimum di-*

*candas*

candas addicendaſque putavi, ſperans Tua illis præſidia atque ornamenta non defutura. Jamdiu a Palæſtina, ubi Theocratia, templo, regno, Chriſti Servatoris ortu, doctrina, prædicatione, morte, ſepultura, tantopere celebratæ ſunt, barbararum gentium imperio, extorres, erranteſque, patere in Tuis ædibus, ubi tanta cum dignitate & munificentia ceteræ literæ diverterunt omnes, a longo errore aliquando diverſari. Dignæ enim illæ ſunt, Theocratia, Divina, qua gloriantur origine, præſtantia, atque utilitate, quibus ceteras antecellunt, quas præ ceteris tueare atque defendas. Præterea mea permagni intereſſe putavi, ANTIQUITATES SACRAS Tuis præcipue auſpiciis præmuniri, quod probe noſſem, quantum ex Tua dignitate, & præſidio comparari illis poſſet præſidii ac dignitatis. Maxima enim apud omnes flores gratia atque autoritate. Nulla enim, quibus Tibi maximam apud omnes gentes gratiam atque exiſtimationem comparares, vel a natura, vel a fortuna, præſidia defuere. Genus vetuſtate, opibus, imperiis, rerum domi bellique geſtarum magnitudine tota ferme Europa celebratur, adeo ut Tibi aliunde quærendi non fuerint, quos imitarere, cum domi Tibi adeſſent, qui Te ad gloriam, & ad dignitatem excitarent. Nulla abs Te prætermiſſa eſt cura & diligentia, quo domeſticæ gloriæ patrimonium tuerere. Virtutes in Te uno celebrantur omnes. Civili, & Militari ſcientia præſertim excellis. Quis enim ignorat, Gallicana

illa

*illa Tua Legatione, quæ ſplendore, dignitate, & magnificentia tantopere celebrata eſt, quantam in rerum difficillimarum tractatione apud* CAROLUM VI. *Cæſarem, & Galliarum Regem, conſilii, & prudentiæ famam Tibi comparaveris? Quantum ceteros noſtræ ætatis Imperatores militari ſcientia præſtes, in Italia vidimus, & admirati ſumus: quo tempore (cum Regiæ copiæ ſecundo Bello Boruſſico in Germania diſtinerentur in recipienda Bohemia, quam violato fœdere Uratislavienſi hoſtis invaſerat) parva militum manu, conſilio atque animo perfeciſti ut Gallorum, atque Hiſpanorum Imperatores, qui maximis, & fortiſſimis exercitibus præerant, præter omnium expectationem, ſumma univerſæ Europæ admiratione ab oppugnandis arcibus deterreres. Ineunte vere cum fama percrebuiſſet, Regias copias, quæ Boruſſos ex Bohemia ſine pugna expulerant, adventare, tanta formido, & metus hoſtes invaſit, ut de poſſeſſione Inſubriæ deſperantes, præcipites Placentiam ſe receperint, ſperantes, aggeribus & munitionibus, Germanos ab obſidenda oppugnandaque urbe ſe poſſe prohibere: Cum erumpere conati eſſent, quo rem frumentariam, qua maxime laborabant, ſibi compararent, pugna Tuis auſpiciis commiſſa eſt, quæ Germanorum victoria, & hoſtium clade adeo inſignita eſt, ut in ſumma rerum deſperatione, iterum eruptione facta, iterumque victi, bellicis tormentis, atque impedimentis amiſſis, nulla tuendorum Ligurum, quos belli & periculi*

*ſocios*

*ſocios tanto ſtudio comparandos ſibi curaverant , ratione habita, in Galliam aufugerint, quo ſe a victorum impetu Alpium præſidio & munitione tuerentur. Summus rei Tormentariæ præfectus Tormenta bellica eo ſtudio ac diligentia perficienda curaſti, ut univerſæ Europæ, & hoſtis infenſiſſimi ampliſſimo atque honorificentiſſimo teſtimonio celebrata ſint: Præter ſingularem rei militaris ſcientiam, civilibus quoque virtutibus, quæ Virum Principem quammaxime decent, magnopere excellis, & commendaris: Munificentia & liberalitate, quæ plane regia eſt, præcipue celebraris: Humanitas Tua præ ceteris prædicatur, facta omnibus Tui adeundi, conveniendique poteſtate, præſertim iis, qui a probitate & doctrina commendantur: Multa præterea, eaque præclara de Te mihi commemoranda eſſent, ſi hujus Epiſtolæ brevitas, & Tua modeſtia pateretur: Hoc unum Te iterum rogo obteſtorque* CELSISSIME PRINCEPS, *ut patiare* ANTIQUITATES SACRAS *Tuis Auſpiciis, ac præſidio præmuniri, atque honeſtari. Vale*

BLA-

# BLASIUS UGOLINUS
# LECTORI.

ASsyriorum, Medorum, Persarum, Chaldæorum, Syrorum, Ægyptiorum, Phœnicum, ceterorumque orientalium populorum Theologiam B. Lector in hoc volumine Tibi sistimus. Finitimarum Judææ gentium Idololatriam præcipue illustrandam curavimus, quod ex ea plurimum lucis utrique Testamento impertiri possit. Præterea ex Oriente videbis non solum Græcorum & Romanorum, sed etiam Celtarum, & Germanorum Idololatriam veluti ex fonte derivatam, ita ut hoc volumen universarum gentium systema quoddam Theologiæ & esse & haberi possit. In his, quæ consequentur voluminibus, Theocratia, qua maxime præ ceteris gentibus Hebræi celebrati sunt, Regnum, leges, judicia, synhedria, pœnæ, supplicia, res militaris, & nummaria dabitur opera, ut illustrentur.



IN-

# INDEX

## OPUSCULORUM,

*Quæ in hoc volumine continentur.*



# JOHANNIS SELDENI
## SYNTAGMATA DUO
## DE
# DIIS SYRIS
cum additamentis ANDREÆ BEYERI.

## ITERATÆ EDITIONIS PRÆFATIO.



QUOD in prima Syntagmatum de Diis Syris editione præstitum est, id satis cognoscitur ex Præfatione ejusdem, quam huic etiam proxime præfixam habes, Lector. De iterata pauca item sunt prælibanda; Ut scilicet, unde nata fuerit, & qualis in ea sit opera nostra, breviter explicetur. Amplius est decennium, cum libellus hic *Londini* prodiit. Et diu est, quod in Bibliopolarum tabernis exemplaria ejus ægre comperta sunt. Etiam per amicorum literas, e Gallia, e Batavia, aliunde rogata sunt, utpote quæ minime prostarent. Inde evenit, ut superioris anni æstate, viri optimi, *Bonaventura & Abrahamus Elzevirii*, Academiæ Leidensis Typographi, de nova editione me consulerent; se typis, si annuerem, mandaturos polliciti. Exemplar igitur recognitum, emendatum & auctum eis promitto. Quod ut properantius absolverem, hortatibus suis præter amicissimam, ubi opus esset, in dirigendis operis promissionem, me dignati sunt viri doctissimi præstantissimique *Daniel Heinsius & Ludovicus de Dieu*. Promisi ego quidem in mensem unum & alterum. Sed occupationibus aliorsum distractus, fidem, quam nequibam liberare, comperendinabam. Annus ferme inde elabitur, antequam de editionis novatione quidpiam porro meditari mihi erat integrum. Otium demum hac æstate ante sesquimensem nactus (quod tamen subinde nimis interturbatum est) promissi anniculi reus, me solvo. Sed vero nec expectet quis ita auctiorem libellum; ac si corrasas Recentiorum, qui nempe citra primam editionem in lucem emissi sunt, aut ad manus nostras antea non per-

pervenere, ſive ſententias ſive conjecturas, de numine quolibet Syro, noſtris interſeruiſſemus. Plurima, fatemur, ad rem, quam tractamus, occurrunt apud ejuſmodi aliquot viros doctos & eximios, tum qui perpetuos Commentarios in Vetus Inſtrumentum, aut partes ejuſce aliquot, nuper congeſſerunt, puta *Joannem Druſium*, *Nicolaum Serrarium*, *Claudium Rangolium*, *Caſparem Sanctium*, *Franciſcum Riberam*, id genus alios: tum qui peculiaribus titulis opera ſua inſigniverunt: *Pinedam*, ſcilicet, in libris de Rebus Salomonis, *Nicolaum Fullerum* in Miſcellaneis, *Petrum Cunæum* de Republica Hebræorum, *Jacobum Salianum* in Annalibus Eccleſiaſticis; præter virum Ampliſſimum, & tam ſeveriorum, quam amœniorum literarum Solem, *Danielem Heinſium*, in Ariſtarcho ſuo Sacro. Ut minorum gentium Scriptores mittam; qui obiter, ſed & leviter ſatis falcem ſubinde in hanc meſſem pridem immiſerunt. Sed hoſce compilare, ut religio erat, ita aut tranſcribere, aut in partes trahere aut contra diſputare, intempeſtivum, ſupervacaneum, & ambitioſum fuiſſet nimis. Quin ſcimus etiam, non deeſſe in eis, quos ſupra memoravimus, qui nobis ex profeſſo ſubinde adverſantes, ſententiam noſtram rejiciunt, & ſuam contra firmare nituntur. Sed juxta æquanimus ego, ſive mecum heic ſentiant ſive diſſentiant alii. Pertinaci contentionis reciprocatione horas in his perditas fore nolumus. Si quod attulimus minime ſufficiat (certe ſufficere ſatis nos putamus) res digladiando, & quæ ſcripſimus, ut fit, eadem ipſa iterando minime evadet firmior. Et diſputationes contentioſæ, ut rebus ſeverioribus, ita minus inacceſſis, impendendæ ſunt. Quod autem de nuperis illis ſupra nominatis ſcriptoribus diximus, id ipſum ſane dicendum etiam de doctiſſimo *Petro Fabro*, qui ſub initio libri tertii Semeſtrium de Aſtarte fuſius diſſerit, atque alia nonnulla de materie noſtra intertexit; tametſi verum ſit, tertium illum *Fabri* librum pluribus annis ante primam noſtram editionem in vulgus emiſſum. Sed in manus meas, etiam Ariſtarchum illum Sacrum, Autoris τοῦ πάνυ, ſuperiore anno primo impreſſum, prius veniſſe, quam hunc *Fabri* tertium, Numen teſtor Sanctiſſimum. Tantum abeſt, ut eo uſi fuerimus, cum primo ſcriberemus, aut ut ex eo noſtros hoſce Commentarios, ſeu eorum non contemnendam partem, furtim mutuati fuerimus. Cujus tamen non defuit, qui in Diatriba de Decimis contra nos ante ſeptennium Anglice edita, non ſemel nos inſimulavit. Certe quamprimum plagii illic me inſimulatum, non ſine ſtupore, legeram, non ſolum apud Bibliopolas, ſed & amicorum in Anglia doctiores, libriſque magis adſuetos, ſumma cum diligentia *Fabri* illius tertium quæſivi. Ut nimirum, an criminis reus eſſe potuiſſem, ſatis ipſe dignoſcerem. Neque enim omnino verebar ingenii quempiam candidi, & qui moris mei plane ignarus non eſſet, me reum exiſtimaturum. Adeo conſtans nos & perpetua etiam ambitio tenuit, per quos profecerimus, eos tempeſtive profiteri. Sed fruſtra ubique libellum heic diu poſcebam. Tandem cum de nova hac, ſuperiori æſtate, editione cogito, de libello denuo ſollicitus, ab *Elzeviriis* tranſmiſſum accipio. Cum interea etiam in V. Cl. *Iſaaci Caſauboni*, τοῦ μακαρίτου libris, quos habet Bibliotheca ad D. Jacobi, Regia, exemplar item repertum, amiciſſime oſtenderet mihi V. Cl. *Patritius Junius*. Atque ita demum nactus, de plagio mirabundus cognoſco. Antequam *Fabrum* heic legeram, veritus ſum, fateor, ne qui meam non ſatis noverint indolem, etiam plagiarium fuiſſe me ſaltem ſuſpicarentur: quoniam nondum ſciebam ego, utrum rem noſtram ita tractaſſet doctiſſimus *Faber*, ut nos, qui tot annis poſt eum ſcripſeramus, Theſauros ejus non compilaſſe videremur. Maxime, cum Adverſarius adſeverantius id publicaſſet. Sed inſpecto *Fabro*, licet plura ſane de numine uno & altero Syrorum, ſed tumultuoſe ſatis, cum Græcorum ſacris in primis quatuor capitibus confuſa, reperiamus, ea tamen ita tradi atque a noſtris ita diſcrepare, ſive autoris conjecturas, ſive animadverſiones, ſive ipſos ab eo laudatos ſcriptores ſpectes, obſervamus, ut tam innocentiam noſtram, quam convicii inſolentiam, manifeſtiſſimam fore apud omnes, qui noſtra cum *Fabrianis* comparare dignarentur, non poſſim habere perſuaſiſſimum. Neque porro injuriarum, illa fretus fiducia, agere in animo eſt. Sacrum hominis caput habetur. Et prudenter abſtineo ego, cui item mens tum æquior eſt, tum temperantior, & virilior, quam quæ, pro aliorum procacitate, conviciatoris aut ſcurræ perſonam me viciſſim induere ſinat. In dubitationem item noſtram, ſane modeſtam, de *Patæco* & *Oro*, apud Etymologici autorem, involavit idem ſcriptor. Adeo ut nec nobis, aut ſcire quid tuto aut dubitare per eum ferme liceat. Sed de ea re, plura in ſecundo

Syn-

Syntagmate. Ea autem quibus editionem auximus, ferme vetusta tantum sunt, aut ad veterum scripta animadversiones: quas scilicet inter legendum suis in locis adnotaramus. Mutavimus item nonnulla, & nonnulla expunximus. Mea intererat hæc ita breviter perstrinxisse. Etiam tua, Lector, non omnino præteriisse. Vale.

EDITIONIS PRIMÆ
seu
LONDINENSIS,
*anni scilicet* MDCXVII.

PRÆFATIO.

INtroite, sultis, *nam & heic Dii sunt*. Neque duntaxat Syri. Succisivis statisque (uti hominem decet Christianum) horis, in Sacras literas a Juris, cui mancipatus sum, apicibus divertere solitus, præter solidiora illa, quæ animæ solatium sunt & cibus, inter alia paullo accuratiorem vetustarum rerum cognitionem attinentia, etiam obvios isthosce Deos seorsim ac diligenter in adversaria, cum iis, quæ ex prophanis literis deprompta huc spectarent, rejeceram: & ad sacrorum tantummodo Veteris Instrumenti commentariorum ordinem disposueram. Inde novum hoc, neque hactenus tentatum, opusculum exiit. Id *De Diis Syris* inscribere non dubitavi, cum eo nomine cuncti, quod in *Syria* aut *Syris* culti sint, maxime innotescant. Et, ut vetustissimi ita & luculentissimi τῆς πολυθέϊ *Syrorum* πλάνης, sive, Deorum multitudinis, testes sunt prophetæ Sacri; etiam pœne soli. Ita res ipsa Titulum invitabat. Qui si primo intuitu forsan displiceat, consulas velim primum Prolegomenon caput: ubi *de totius operæ ratione* etiam plura. Dum autem de *Syris* præcipue aniquisivimus, ut in numerosam insuper, quæ in aliis gentibus pullulavit, Numinum segetem non subinde incideremus, fieri nequivit. Inde *& Persarum*, *& Ægyptiorum*, *& Arabum*, item *Afrorum*, quin & *Europæorum* veteri *Theologiæ* lux non raro neque dubia accenditur. Ita enim *Europæorum* maxime Dii a *Syris* pendent, ut propago ab origine. *Syri* autem ab illis mutuo splendorem accipiunt, uti ignis ferme extinctus ab ea, quam prius flamma donaverat, face. Nam quemadmodum primos parentes in *Syria nostra* formatos esse, ita primum a veri Dei Opt. Max. cultu homines ibi defecisse, novosque sibi adscivisse Deos, manifestum est. Quod quomodo evenerit, cum *initiis* & *processu*, & πολυθεότητος & *idolorum cultus*, in tertio prolegomenon explicatur. In conjecturis, quibus hujusmodi scriptio haud parum nititur, fidei nec prodigus fui, nec tamen ita tenax, quin cum res ipsa ultro trahat, libenter, neque forsan adeo infeliciter, intenderim. Quæ ἀπρόσιτα sunt, nec minus incerta, quam ἐγκεώπς, ut ajunt, ἡμέρα, pro exploratis obtrudere abhorrui. Vocabulorum, quibus *Numina Syra* indigitantur, *originationibus Hebræa* plerunque *lingua* subsidium adfert: utpote quæ antiquissima & latissime diffusam Syriam sola olim occuparet. Quod secundo prolegomenon capite, haud ita e trivio petitis argumentis adstruitur. Quicquid in priscorum monimentis ad rem nostram fecerit, a vulgo tamen etiam doctiorum satis videretur reconditum, id plerunque transcribitur. Dum vero brevitati consulitur, ad notissima veterum scripta, locis duntaxat indicatis, lector non raro relegatur. Quemnam enim lectorem non tæderet nimium, sive Luciani libellum περὶ τῆς Συρίας θεᾶ, sive quæ in Ovidio alibique passim legas de Adonide seu id genus alia parum incognita heic relegere? *Ritus in sacris solennes* eos tantummodo data opera miscemus, qui *peculiares* inprimis *Deo alicui Syro*. Nam constructas aras, boves, bidentes immolatas ceteraque *sacra aliis æque communia* cum degenere (ut Prudentius ait) propagine.

*Quæcunque dirum fervidis*
Baal *caminis coxerat*:

heic addidisse, quid aliud fuisset; quam decantatissimas theatri nugas repetiisse? verbi gratia. Comarum primitias *Deæ Syriæ* sacrandi, nominaque inscribendi morem atque hujusmodi cetera ad ejus cultum spectantia præterimus; cum quod Lucianus cujusque manibus tritus ea pleno demensa horreo simul tradiderit, tum quod plerunque eadem ferme sint, quæ in Græcorum Theologia velut communia etiam habeas saltem haud adeo variata. Et comarum primitias quas κόμην πρώτην vocabant, Æsculapio, Phœbo, Baccho, aliis insuper diis æque sacrari solitas: Eruditis constat. Deos autem invocandi, attestandi, victimasque mactandi ritus non alios (si obscuriora forsan, aut quæ nullibi satis indicantur, discrimina excipias) in vetustissimis Syrorum sacris, quam quales in Europæorum

rum obviam reperiuntur, fuiſſe forſan jure putes, extra quam ubi peculiares animadvertantur. Complures, fateor, alii occurrunt, ad quos omnes Veteris Fœderis ceremonias referunt R. Moſes ben Maimon, Alexander *de Hales*, ex his alii. Sed ejuſmodi ſunt illi, ut cuinam noſtrorum Numinum tribuendi ſint ſinguli omnino lateat: ſcimus pleraque ſacrariorum inſtituta Syriæ cum Græcia & Latio fuiſſe communia. Id paſſim docet vetus Inſtrumentum. Recentioris ævi egregium item habetur exemplum; fœderis Babylone ritu patrio icti: quod ita meminit Claudianus in libro I. de laudibus Stiliconis;

> Thuris *odoratæ cumulis & meſſe* Sabea
> *Pacem conciliant* aræ *Penetralibus* Ignem
> *Sacratum rapuere adytis, rituque* juvencos
> *Chaldæo ſtravere* Magi. *Rex ipſe nutantem*
> *Inclinat dextra* pateram, *ſecretaque* Beli
> *Et Vaga* teſtatur *volventem ſidera* Mithram.

Ubi pro *Beli belli* habent depravate codices evulgati, quod Nobiliſſimus heros I. Scal. in VI. de Emend. Temp. primus monuit. *Aromata*, *aras*, *ignem ſacrum*, *victimas*, *Magos* ſive *Sacerdotes*, Regem ipſum qui fœdus icit οὐλοχόοιν οὐλοχύται ſeu *molæ falſæ*, queis litaret) inclinantem, ac *Belum* & *Mitram* Chaldæo ritu teſtantem heic habes: ubi nihil a *Græco* more ſeu *Romano* ita eſt alienum. Quæ *Græca* ſunt aut *Orientalium dialectis involuta*, eis aut *Latina* ubique ſubnectitur, minore charactere, *verſio*; aut aliis ſaltem ſive antevertentibus ſive inſequentibus verbis, ne lectori ſcilicet impari moleſtias exhiberem, tantundem præſtari volui. Sublesta fide, ex aliorum ſcriptis nihil offero, neque aliena; nam & religioni ſemper fuit e *rivulis* haurire, extra quam ubi e *fontibus* non licuerit. *Auctorum delectum* eum adhibui, ut non ſubdititios modo, uti Annianos illos neſcio quos Beroſos, Metaſthenes, & qui ſunt ſordidiſſimæ illius farraginis, viris ſane & doctis & magnis ſarcinam nonnunquam imponentes nugatores alios (quibus ſyntagmata hæcce quid jure debere potuiſſe, judicii cuipiam ſatis infirmi videri poſſit) omnino ſim merito aſpernatus; verum etiam aut velut *archetypis vetuſtatis teſtimoniis*, aut iis, quæ inprimis fidem ab annis mereantur, duntaxat uſus ſim. Et ut judex ille Varius; *aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſatis ſit vobis*. Sed neque beneficium a recentiorum quocunque acceptum non agnovi. Quicquid *Operæ* deliquerint, id ne mihi vitio vertatur. Ita ſane illæ curæ fuere, ut nullum omnino earum ſpecimen etiam ſæpius repetitum abſque ſedula emendatione evaſerit. Quod eo diligentius proſpiciendum duximus, ne quo, uno & altero abhinc anno, nundinis Francofurtenſibus, eo fere domi etiam infortunio nunc etiam mactarer. Quod enim primo meum, & ætatula non ita indignum, opus ante duodecim & amplius annos conſcriptum & ſub id tempus inſtitori, qui typis mandaret, datum eſt, id jam tandem ex officina Paltheniana, operarum incuria ita depravatum, mutilatione ſubinde decurtatum, & abſona verborum non terminatione modo ſed & exterminatione ſæpius interpolatum prodiit, ut nec Deverra ipſa ſordibus, quibus abunde ſcatet, expurgandis par eſſet & meum eſſe plane deſineret. Invertebant pupilli peregrini bona, & tabulas in ejus fraudem adulterinas ſubjiciebant, in leges & Latoriam & Corneliam graviter committentes: *Errate* autem quæ heic per illiberalem illam elementa corrigendi operam alias occupato non animadverti fas erat, ſimul collecta ad libelli extremum exhibeo. Si lectorem te deſtines, ut primum ad illas *emendationes* ubique reſcribas, neque inſerendas *additiones* omittas, impetrare liceat. Quicquid in hac indagine præſtitum fuerit id certe eo pulchrius fore ſperandum eſt, & ab ingenuis grato magis animo exceptum iri, quo & operoſiora ſunt, & rariora quæ huc pertinent, quam quæ ad portentoſam illam & Græcorum & Latinorum Theologiam. Ceterum ſi quis eo ſive vecordiæ ſive in has literas malitiæ devenerit lucumo, ut *Deos hoſce omnino negligendos & ſupervacaneam* prorſus *futilemque* quam adgreſſus ſum, *diſquiſitionem* æſtimet, quippe quæ ſacrarum cum prophanis literis mixtioni, elementorum ſæpe apicibus, originationibus criticis, & quæ reſtant, aliis ἀμύστων turbæ nimium inviſis toties innitatur, næ illum etiam eo impietatis deveniſſe eſt neceſſum, ut S. Scriptura ſæpius quid inculcari quod futile & negligendum impudens deblatereret; monſtrum, ut luſtretur, deportandum. Pie credant pii πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον καὶ ὠφέλιμον εἶναι πρὸς διδασκαλίαν, id eſt, *omnem ſcripturam a Deo Opt. Max. inſpiratam eſſe & diſciplinæ utilem*: depravatam hominis naturam in multiplici πολυπλανοῦς καὶ πο-

λυπα-

λυπαθοῦς superstitionis morbo agnoscant, atque animi humilitatem inde discant. Quod *literas* ita misceo *prophanas*, ut *sacras* illustrent, id nec quis incuset nisi qui, citra illarum opem omnia in his undiquaque intelligi posse imperitus atque idem perquam morosus (nequid gravius dicam) opinetur; id quod ævi nostri pervicacium Catharorum nonnullis visum est. Sciunt docti & qui saniores rei literariæ nomina dederunt, aliter se rem habere etiam in utroque Instrumento. De Veteri, peritiores Chronologi satis fatentur. De Novo nec desunt exempla. Absque enim solenni in certaminibus, coronisque dandis, e prophanis scriptis, usu intellecto fuisset, quis D. Pauli illud Epistola II. ad Timoth. cap. II. commate 5. atque alia alibi caperet, quæ a certandi ritu ad militiam Christianam eleganter transfert? Quis mentem deprehenderet verborum illorum in I. ad Corinthios cap. IV. comm. 9. ὁ θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν ὡς ἐπιθανατίους, ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν, nisi usitatum rescisceret in spectaculis morem, occisis nempe seu victis, sive gladiatoribus sive bestiariis, alios sufficere, quos *subdititios*, seu *suppositiios* dixere Latini, Græci vero ἐφέδρους sive *succidaneos subsessores*, Apostolus autem heic ἐσχάτους nominat, ad id quod nullibi præterquam in gentium monimentis palam docetur, respiciens. Πολυλογία apud D. Matthæum cap. VI. comm. 7. quid fuerit unde discas, nisi ex invocandi ritu & ἐκ τῆς πολυωνυμίας sacræ; quam & nos etiam in prolegomenis indicamus? quis Dn. nostrum de ungendo capite ibidem loquutum satis caperet, nisi unguenti in conviviis usus aliunde quam ex sacris pateret? Quid quod nullus forsan reperiatur commentarius qui comma 27. capitis primi Epistolæ ad Romanos æque explicet, atque Petronii Satyricon? Quod ipsissimos mores ipsissimi ævi, ipsissimæ gentis, cui Apostolus exprobrat, aperit. Frustra miretur Dorcada in Actor. cap. IX. comm. 37. lotam fuisse is; qui abluendi mortui ritum in gentium monimentis traditum nesciat. Menandri, Epimenidis, Arati numeros, & quæ sunt id genus alia in sacris literis locum sortita, quæ profanas literas ad sacram disciplinam promovendam, divinum etiam χάρισμα esse ostendunt, mitto, & facem Soli accendere supersedeo. Compendio quicquid singulis capitibus observatu ante alia dignum est, congestum, nec iis modo sigillatim, sed heic etiam simul præfixum habes, quo & indicis vice fas est utaris quisquis pellegendis nugis nostris horas nolis perdere.

# CAPITUM SYLLABUS ET LEMMATA.

## *PROLEGOMENΩN.*

### CAPUT I.

De Libelli Inscriptione. Syriæ *nomen*: Aram; Mesopotamia. Εὐφράτης. Syri *etiam* Assyrii *dicti*; & *inde* Syrorum *vocabulum*. Syria & Assyria *indiscriminatim usurpata*. Syriæ *termini*. *Quam diversa sit in* sacris literis chorographia *ab ea quæ* in profanis. Papinii *locus sibi restitutus*. *Cujusnam generis sint* Dii *in* Syris *nostris censiti*.

### CAPUT II.

*De* Lingua Hebræa, *quam late olim patuerit*, *quo pacto in* varias dialectos *migraverit*, *unde dicta*. De Abraham. Περάτης. Hebræi. Phœnicia & Punica *lingua*. *In* Punico *apud* Plautum *sermone* Hebraismus. Ἐλιοῦν *Deus*. *Columnarum inscriptio*, *qua* Cananæos Josuam fugientes *Africam occupasse indicatur*. Plures & *perquam diversæ etiam sub captivitate in* Cananæa dialecti: *In* Chœrilum *poetam conjectura*. Analogia grammatica *in* Deorum nominibus *deducendis minime servata*.

### CAPUT III.

*De* τῆς πολυθεότητος *seu* Deorum multitudinis Origine & Processu. *Vetustissima hujusce* Theologiæ duo genera, *quæ in* Cœlestium *corporum* & Dæmoniorum *cultu consistunt*. Adorationis *ritus*; quando *primum* & unde Novi Dii *adsciti*. Cabala *sacra*; *ea male intellecta res creatas adorabant*. *Perquam frequens ejuscemodi erroris apud veteres origo*. Ægypti Paschatis *ritum imitati*. Thoth. Bau. Θεὸς Ἀβραάμ &c. *in* carminibus Magicis. Mithra τετραπλάσιος: Recessus umbræ *in* Achazi *regis* horologio. Jupiter Sabazius. *D. Paulum* Anastasiam *Deam esse docuisse putabant Athenis*: *In locum insignem* libri Hasmonæorum *conjectura*. Philosophi syderibus *divinitatem tribuentes*.

Jus-

Jusjurandum Vettii Valentis *Astrologi* ἀνεκδότου, *quo lectores obstringit*. *Quomodo aliæ* res creatæ *ad* Cœlestium exemplum *in Deos relatæ*. Dæmoniorum *cultus*; *ea* Hircorum *nomine denotata*. *De* Idolorum *origine*. *Dei Filii* apud Mosem: Seth Deus dictus. Juramentum *per sanguinem Abelis*, Idola tempori Noæ tributa in Alcorano. Idola atque eorum templa procellis diruta Sheruchi seculo. Columnæ, Stelæ, Cippi sepulchrales, vel ut simulachra, culti. Etiam Symbola *virium naturalium*. Cœlum, Terram, Dæmonia *demum miscebant*, *unde* portentosæ *in Theologia* fabulæ. Invocationum *ritus*. Πολυωνυμία: *inde plures nati Dii*. πολυλογία *apud* D. Matthæum. Οἱ τύποι τῆς θεολογίας varii. *Nil pæne erat quod non Deorum numero tandem haberetur: id quonam pacto fieret*. Tempestates *Deæ*. Cicero *illustratus*. Ovidius *explicatus*. Egregium monimentum de Tempestatum apotheosi *Romæ effossum*. Saniores *gentium* & Theologi & Philosophi Unicum *mystice denotabant omnium rerum moderatorem* & *Deum*. *De* sacrorum *ad eam sententiam* institutione, recondita *quædam*. Κωμαστήρια Ægyptiorum, κωμασταί, & κωμασίαι.

# SYNTAGMATIS I.

## CAPUT I.

*De* Gad, *seu Fortuna*. Mazal Tob. Jupiter, *seu* Stella Justitiæ. Mazal & Mazaloth. Mazaroth Μαζουρώθ. *Ordo Angelorum apud Cabalistas dictus* Mazaloth. *B. Augistini de Fortuna*, *in Sacris literis*, *animadversio*. *Usus vocabulorum* Forte & Fortuito. Gad, Δαιμόνιον; Meni, Τύχη *Senioribus videtur dici*, *quod pro* VII. *planetis ab Hebræis sumitur*. *Astrologica ratio*, *juxta quam* Gad *in Historia* Leæ *possit intelligi disquiritur*. Sors Fortunæ. Thema secundum, *cujus horoscopus* Sors Fortunæ. Athla *Manilii*. Duodecim locorum *antiquitas*. Sortes *Astrologorum*; *omnes rejiciebat Ptolemæus præter* κλῆρον τῆς τύχης: κλῆρος τῆς τύχης *est etiam* ἀγαθὴ τύχη *vocatus*, & *Lunæ tributus apud Ægyptiorum vetustissimos*. Sortes *omnium* Planetarum *ex Hermete*. Macrobio *lux*. Harpocratis *sacra*. Vettius Valens Antiochenus *Astrologus* ἀνέκδοτος. *Ex eo de* sortibus Dæmonis *sive* Solis, Fortunæ *sive* Lunæ, Amoris *sive* Veneris & Mercurii, *nimirum* Necessitatis *excerpta quædam*. Fortuna Primigenia *a Romanis culta*; *cur sic dicta*. Gad, Militia *seu* Exercitus Cœli. Fortuna Cœli. *De* Philastrii *hæresibus*.

## CAPUT II.

*De* Teraphin *Labanis*: *ritus in eis conficiendis*. Tzilmenaia. Ephod & Teraphim *Michæ*. Manum Sacerdotis sacrare *quid*. *Quamdiu sculptile Michæ colerent Danitæ*. Ephod & Teraphim *apud Hoseam*. Ῥαβδομαντεία & Βελομαντεία *Orientalium*; *quam varie vertant Græci* τὸ Teraphim. מחוי Mechavi *Chaldæorum*. Zabiorum *imagines Soli* & *Lunæ dicatæ*, *ad oracula reddenda*. στοιχεῖα *Græcorum* & στοιχειωματικοί. Ptolemæi *Carpus*, & Haly *commentarius*, *explicati*. Vultus Cœlestes. Virgo, *in primo decano Virginis*, *Sphæræ Persicæ*, *Symbolum nativitatis JESU*, *eximiis Mathematicis* Albumasari & Rogero Bachoni. *Alexeteria Astrologorum*. Palladium Trojanum *quis fecerit*. *Id genus alia*. *Dæmoniorum* προσεγγίσεις. Statuæ Spiritu plenæ *apud Hermetem*. Angelorum nomina *observare*, *mos vetustissimus*. *Apuleji* Βασιλείς Gerebertus, *id est*, Sylvester II. *Papa caput fudisse scribunt aliqui*, *quod responsa daret*. *Abacum a Saracenis acceptum* Christianis *primus dedit*. *Conjectura in* G. Malmesburiensem, *historiam Mathematicam recitantem* Exordia Cursus Planetarum, *Thema Genituræ Mundi ex Æsculapii scriptis a veteribus traditum*: *Balæi de* Rogero Bachone *retractatio*. Capita magica conflata *ab illo* & *a* Roberto Lincolniense. *Chaldæorum* Iynges. στρόφαλος ἑκάτης *quid*; *Lux* Synesio. Rhombus magicus, *apud Poetas*, *Idem quod* Hecaticus Strophalus, *aut ab eo*. Theocritus *explicatus*. Hecate *Maleficarum* Venus. Ἐξ Ἀφροδίτης *in Pharmaceutria*, *quid*. *Lux* Pindaro. κατὰ μαγείαν τύποι. Συμβολικαὶ δαιμόνων μορφαί, Talismam *Arabum*. Abraxas *Basilidianorum Deus*. Abraxas & Νεῖλος, *literis numeralibus*, *numerum dierum Anni communis monstrant*; *id priscis mysticum*. *Amuletum adversus febrem*. Abra cadabra *unde*. *Q. Serenus Samonicus*. Ob Pytonissæ *Spiritus*; & Oboth: ἐγγαστρίμυθοι Baal & Baalath Ob. *Ritus initiatorum* τοῦ Ob. Iideoni. *Nugæ Hebræorum de* Jadoa *animali*. *Unde* Iideoni *dictum*. ἐπαοιδοί. τερατοσκόποι γνῶσται. Ob θελητής *etiam redditur*. Mortuos *consulendi ratio*.

## CAPUT III.

Baal Tzephon, *qui secundum Rabbinos: Oppidum erat aut urbs. Nominis in rationem conjectura*. Ezechiel *Tragœdus*.

## CAPUT IV.

Vitulus Aureus. *Bos fuit, seu Juvencus. Interpolata Vituli historia affaniis Mahumedicis. Latina Alcorani versio emendata*. Ascemeli, Ascemeri, Sameri, *quid in nugis, de Vitulo, Mahumedicis. Locus in Geographo Nubiensi insignis explicatus. Eum item Mahumedanum fuisse, asseritur.* السامري *apud eum, ubi de Samaritanis loquitur, insulæ rubri maris incolis, quid, & unde natum. Carnem & sanguinem habuit Vitulus, secundum Mahumedanos. Distinctionis litera P. in Latina Alcorani versione, unde ortum*. Apin *seu* Mnevim *Ægyptiorum in eo cultum credidere veterum nonnulli*. Caput Vituli. Netos. Macrobius *emendatus*. Apis *conceptus, genitus; ejusdem γνωρίσματα an in Aureo Vitulo. Macario lux. Convivium, chori, & id genus alia in* Apidis *inventione: eadem fere celebrabant Israelitæ*. Apis *mersus, ita & hic vitulus*. Statius *explicatus*. Vitulus *non fuit* Apis *aut* Mnevis; *potius* Bos deauratus. *In* Osiridis ἀφανισμῷ & εὑρέσει *ostendi solitus*, Jeroboami *Vituli duo, Hebræorum de iis Historia. Festum quod ille instituit, an in XVII. mensis Athyr, id est,* ἀφανισμόν Osiridis *cadere potuerit. Ad eam rem, Temporum calculus*. Ægyptiorum dies festi *per totum annum post multa secula vagabantur*. Anni eorum æquabilis *vetustas. Ordo Mensium Hebræorum. Chori & convivium in Deserto quo mense*. Osiris *unde dictus*. Siris, Melo, & Ægyptus *dicta. Lux* Symmacho. Sirius *Sol dictus. Ægyptius Jupiter*. Osiris, *sub Exitu, Numen Ægyptiorum; &* Omphis *dictus*. Boves & Oves *sub id tempus Dii: aut Diis dicabantur. Boves utriusque sexus. Quarum Ægyptii* esu carnium *abstinebant. Quid* festum Domini, *in historia sacra vituli* Adonai. Osiris. *Non adhuc expiata illa Idololatria, secundum Judæos. Ex quo talentis auri* Vitulus *constiterit, juxta sententiam aliquot Hebræorum. Talentum Hebraicum. Commentum de Barbarum aurearum originatione*.

## CAPUT V.

Baal-Peor. Phegor. *Incertum, quale fuerit Numen. Rabbinorum de eo sententia. Nominis etymon*. Philo Judæus *explicatur. Ab eo lux* D. Hieronymo. *Cui* Priapus *idem qui* Baalphegor. *Sed id disquiritur, & contrarium probatur: utrique ab* aperiendo *aliquid sumunt apud Veteres. Cur libidinis mentio, ubi* Phegorii Dei. *Unde nomen Peor*. Peor *mons*. Beth-peor. *Beth*. Fanum *sæpius interpretatur, ut Græcis* οἶκος. Βαιτάμψα. Baal Berith. Sacrorum *genus, queis cultus Phegorius*. Moth. Chemos. χαμώς. Βαιτολοι *Gentilium unde. Quid* Chamos *significet*.

## CAPUT VI.

Moloch *Ammonitarum; ejus sacra: Error putantium traductos per ignem solummodo, non crematos ei pueros,* πῦρ διέρπειν. VII. *concavia in illius simulacro, fide Hebræorum*. VII. Mithræ *portæ. Mithræ initiatis quæ pericula obeunda;* τῶν *Dugbiin mos. Testimonium de Ammonitarum idolo ex Benjamino*. Adramelech. Anamelech. Camarim *sacerdotes*. Vallis filiorum Hinnom. Tophet. *Tympanorum in sacris sonitus*. Τῶν *Dugbiin idem mos*. Gehenna. VII. *res, ante rerum initia, creatæ juxta Hebræos*. Moloah, Baal *dictus &* Melchom: *de ejus nomine varii scripturæ loci*. Βασιλῆος & Regis *vocabulo interpretibus innotuit*. Malken *sacrificiorum ejus locus etiam dictus*. Βασιλεὺς Θεῶν. Adodus Adad *in Syrorum Regum nominibus*. Macrobii Adad *examinatus*. Hada. Chada Ἄδα *Hesychio*, Juno Babylonia. Adadi & Molochi *effigies: uterque Sol erat*. Mithra *quid*. Achad. Unus, *Deus:* Isaiæ *de eo locus*. Mures. Musoritæ. Porcus & Mus *in Lustrationibus. Infantes* Saturno Africano, *id est,* Molocho *immolati*. Ἀμίλχας *Numen Punicum*. Basilea Atlantiorum. Milicus. Imilce. Melicartus *Tyriorum*. Haliartus, *Bœotorum, &* Μεγάλαρτος & Μεγαλόμαζος *ex Phœnicia*. Μαζεὺς Μεγαμάζα. Artos, *origine orientali, quid*. Artes. Mars *Ægyptiis dictus, suspecta fide*. Hercules Desanaus, Diodas *item dictus*. Dorsanes *Indorum*. Sandes *Persarum. Unde puerorum immolationum origo Phœniciis*. Μηνογενής. Γεὼδ. *De* τεκνοθυσίας *origine*. Siccuth. Σκηνή. *Lectite, thensæ, tentoria in queis portari solita Deorum sigilla*. Jovis ἀποδημία δωδεκαήμερος

*pος apud* Homerum. D. Hieronymi *monita de verbis Prophetæ* Amos, *quæ a Protomartyre in Actis Apostolorum aliter Græce proferuntur*.

## SYNTAGMA II.

### CAPUT I.

Baal-Bel. Mars *&* *bellorum præses seu Deus nuncupatus*; *nomen olim* Deo Vero *tributum*. Belus *Phœnicius*. Bal *Punice*. Belis *seu* Beli Punici *fanum*. *Numina in Dynastarum nominibus antiquitus*. Belus *Babylonius*, *uti Græci* Βῆλον *interpretati*. *Omnis* Exercitus Cœli. Chronici Alexandrini *locus emendatus*. Βηλὸς *apud* Homerum. *De eo veterum sententiæ*. Prima Beli *nominis* mentio *apud Grecos*, *uti Europæis* Jupiter *&* Ζεὺς, *ita Asiaticis* Belus, *seu* Baal. Jovis, Ἰαὼ, Ἰάω *a Tetragrammato*. Ἰαζ Ἰαώθ. *Juba*. Ζεὺς *dictus* Deus *verus*. *Arati locus a* D. Paulo *citatus*. Pater *nomen Divum commune*, Jupiter. Marspiter. *Jupiter non dictus*, *quod* juvans pater. Tetragrammaton *nomen Gentibus notum*: *quid de eo Judæi*. Pythagoreorum Τετρακτὺς, *Conjectura de eorum jurejurando*. Nazaratus *seu* Zaratus. *Assyrius*. Ezechiel. Zarades. Zoroaster. Pythagoras. Malchus *emendatus*. *Idem* Porphyrius *est*; *unde augendus*. Pythagoras *ex Orientalium mysteriis eruditionem suam hausit*. Belsu, Ζεὺς. Ζεὺς Ἐνυάλιος. D. Hieronymus *correctus*; *&* Fl. Josephus. Ζεὺς *Olympius*, Beelsamen. Baal-samaim. Marnas *Gazæorum*. *Virgo quid sonet Cretice*. Μάρναν. *Plurima* Europæorum *monimenta ab Asiatico Belo*. Abellio; Belenus; Belatucadrus *Dii*. Belis. Belenus, *Apollo*. *De* Alagabalo, *id est*, Heliogabalo *disquisitio*. Julius Balbillus *Alagabali antistes*. Gabalus. Ahgli-Baal, *Deus circularis*. Alagabali *simulacrum*. Διὸς φυλακὴ *ignis*. Urania *Heliogabali uxor*. Aglibelus, Malachbelus *Dii*. Molech, *puerorum mactatio*, *Sacra* Alagabali. *Virilia pudenda in sacris Orientalium*: *Conjectura in* Xiphilini *locum*. *Magnorum* VV. *de* Heliogabalo *sententia*. Hel, Bel, Bolathen. Azizus *&* Monimus *Edessæ Solis πάρεδροι*.

### CAPUT II.

Astarte. Ashtoreth. Asthar. Ashtaroth. τὰ ἄλση ἀσταρὼθ. Lucus *quid in sacris*. Astartes Sacerdotes. Aserah Ἀστάρται. *Urbs* Ashtaroth. Ἀστάρτιον. Deus Sidoniorum. *Cur* Deus *dictus*, *cum* Dea *habeatur*. Venus *Deus*. Ἀφρόδιτος. Sexus in Numinibus *confusi*. Lunus, Luna. *Deus ἀρρενόθηλυς dictus*. Baal *&* *masculino* *&* *fœminino generi sæpius memoratur a* LXX. *interpretibus*; *conjecturæ in* Hebræum codicem Tobiæ. LXX. *etiam in eodem loco* genus Baalis *mutant*. Imagines masculinæ. Taurinum caput Astartes *insigne*. Ἀστὴρ ἀεροπετὴς *ab illa repertus*. *Eam vocabant* *&* Lunam *&* Venerem. Numerus innumerus Stellarum *secundum Hebræorum nugas*. Βαάλτις. Βῆλτις. Belisama *Minerva*. Belisama *æstuarium* Britannici *littoris*. Urania *seu* Cœlestis *Afrorum*. Astroarche. Juno Carthaginensis. Juno Novella *Luna dicta Romanis*. Covella. Mylitta *Assyriorum* Halilath. Lilith. Ἔξω. Γλαῦκε Ilethyia. Lucinæ. ϑαρσεῖ. Εἰλειθύαι. Natio *Dea*. Alilat. *Dea Noctium*. Alitta. *De eo nomine apud* Herodotum *dubitatur*, Aletto, Alauze, *&* Meneth, *idola Arabum in Alcorano memorata*. Mitra *Dea Persarum*. Mater Deum Ἀμμάς. Dea Syria. Deæ Matres. Orientalium numinum *cultus in oris nostris* Astariæ. Dii Syri Io. *Explicatus Euripides*. Hecate. Hecatus: *emendatum* Chaldaicum oraculum *ita dictum*. Astronoe *Dea*. Esmunus *Deus Phœnicum*.

### CAPUT III.

Dagon, *Deus*, *Simulacrum ejus*, *&* *etymon*. Σιτών. Σιτὼ Ἀρότης *Deus Philoni*. Oannes *Babyloniorum* Annedotus Odacon. Ὦης *apud* Helladium, *eadem cum his* Dagoni *figura*. *Pedes adnati ex cauda* Dagonis. *In* Deam *postea demigravit* Dagon; *eadem quæ* Derceto *seu* Atergatis: *varia ejus nomina*. *An* Derceto *recte* Hierapoli *collocetur*. Addirdag. Adramelech. Artaga. Athara. Ἀτταγαθη in Hesychio. *Ratio nominis* Deæ *&* figuræ *in fabulis*. Syri *cur* Timidi *Ovidio dicti*. Inflabat *morbisque affligebat Dea eos qui* pisces comederent. Martialis *explicatur*. *Et* Porphyrius: *ut* placabant numen *hinc iratum*. Pisces *Syri venerabantur*. *De* piscibus *apud eos nugæ Israelitarum reditu recentiores*. Piscium *signum cœleste* ἰχθὺς χελιδόνια *dicitur borealior Chaldæis*. Μεσεμβόλημα. χελιδονίζειν *quid*. *Athenæus emendatus*. *Hirundo piscis*. Pisces *alii sacri*. Columbas *venerabantur Syri*. Homeri πέλειαι. Samaritanorum Columba. *In Samaritanos Judæorum spurca convitia*. Semiramis. Columbas vendentes *&* *alentes in-*

*inter infames habiti*. Beth-Dagon. Δὼκ. *Confusa nomina & sacra hujus &* Hieropolitanæ Deæ. Macrobius *emendatus*. Venus Aphacitis *Conjectura in* Anonymum *ad Arati phænomena*. Dagonis *Festum*.

## CAPUT IV.

Venus *Syriaca*. *Phœnicia* Venetis Terra, Utriusque Sexus *Venus illa*. Vestimenta sexum ementita. *De ea re* præceptum *Mosaicum forsan explicatur*. *Figura* Piscis Veneri *aptissima*. Salambo Veneris nomen. Ἀλλὰ ὑὰ Κυβάρ. Ἀλλά. Cabar *Saracenorum* Venus *dicta*. *Dii* Cabiri. Bacchus *&* Venus *sive Urania*. *Arabum*. Urania *illa etiam* Uranus *dicta*, *&* ζᾶς. Obodas *Arabum*. Lunulæ corniculantes *fastigiis ædium a* Mahumedanis *imponi solitæ*. *Unde is mos*. Giuma *festum*. Dies Veneris. Planetarum Dies cognomines *antiquam repetunt originem*. Saxum *quadratum colebant* Arabes. Veneris caput *adorant Mahumedani*. Διηγήσεων *liber de Mahumedicis apud* Cantacuzenum *quinam sit*. Θεὺς Ἄρης. Suidæ *lapsus*. Dysares *Arabum*. Dusarus *Deus idem*. Hesychius & Stephanus *emendantur*. Dachareni *gens*. Minerva Onca *Thebanorum*. Scholiastes Sophoclis *emendatus*, Pausaniæ Σίγα. *De ea conjectura*. Sida *Beli uxor*. Palladium *dictum* Phœnicia *Dea*. Babia *Syrorum numen*. Βαβαί.

## CAPUT V.

Priapus Miphletzeth: *Marchæ*, *Asæ Regis matris*, *idolum*. *Unde*, *apud Hebræos*, *deductum*. *Græcorum & Latinorum* Phallus. *Francisci Rablesii* Nephleseth *numen*.

## CAPUT VI.

Baal-zebub. Θεὸς Μυῖα. Muscæ sacra Dei Veri *non infestabant*. Baalzebub *haud ita dictus in idoli contumeliam*. Μυάγρος Hercules. Jupiter. Ἀπόμυος Hercules Κορνωπίων, ἰποκτόνος. Apollo μυοκτόνος. Muscæ-Accaronitæ. Achor *Deus Plinio*. Belzebul. Belus Stercoreus. Jupiter Stercoreus. *Mos scripturæ in vocabulis paulo mutandis in opprobrium eorum quæ designantur*. Mons Olivarum *dictus* Mons corruptionis. Barchozebas. *Dii* Stercorei. *Deus* involutus. *Dæmoniorum Princeps* Ashmodæus. Samael *dæmonium dictum quod Evam fefellit*. *Idem Angelus* Martis. Satan.

## CAPUT VII.

Coloniæ *a Salmanassaro in Samariam deductæ*. *Gentis uniuscujusque idola*. Succoth Benoth. Gallina *cum pullis*. *Templum* Veneris Uraniæ *in* Succoth Benoth *denotatum*. *Ritus* puellarum *in* Fano confidentium. *Hieremiæ epistolæ locus explicatus*. περιθέμεναι σχοινία quid. περισχοινίζειν. ἀπεσχοινισμένος: τὰ πίτυρα θυμιῶσαι *quid*. Placentæ *queis* Reginæ Cœli *faciebant*. Venus *a* Benoth *forte dicta*, *id est*, Venos. Sicca Veneria *colonia Africana*. *Lux* Valerio Maximo. Veneria *a Venere dicta*, *&* nomen *in Romanis* fœmininum. Veneris etyma *quæ docent plerique*. Venus *Græcis* Jove antiquior. *Romanis incognita sub Regibus*; a veniendo *eam non dicebant*. Persithea.

## CAPUT VIII.

Nergal. Cuthæi. Pyrethi. *sacer &* ἄσβεστος *ignis* Noragal. Πυραιθεῖα Persarum. Virgæ myricinæ. Magorum carmen *dum igni accinebant*. *Illustratur* Strabo. *Item* Phœnix Colophonius. Deus τῦ Nahor. *Uti ignem colebant* Persæ. πυρεῖα. Chamanin *lingua sancta*. Bamoth *sive* excelsa. Ζεὺς ἐπάκελος. Omanus *seu* Amanus *&* Anaitis. *Cur Datis* Delum *insulam reliquerit intactam*. Equos *&* quadrigas *soli sacrabant*. Orientem *versus ad ostium Templi* Solem *adorabant*. Christiani *in* eam plagam *quare supplicent*. *Ad eum morem* Gentes *numem invocabant*. Nergal Gallina *seu* Gallus *Rabbinis*.

## CAPUT IX.

Asima. Hircus. *Samaritanos de eo traducunt mendacio contumeliosissimo Judæi*. Dositheus. Nibchaz. Tarthac. *Hic* Asinus, *ille* Canis. Adramelech *mulus*. Anamelech *equus*. *Sed hæc Rabbinorum fide*. Genus fœmininum *horum plerisque a* LXX. *tributum*.

## CAPUT X.

Nisroch *Assyriorum Numen*. Μεσοράχ. Ἀσαράχ. Rimon. ῥάμων.

## CAPUT XI.

Thammuz. Θαμμύς. Θαμύζ, *quid de eo Rabbini*. *Propheta* Thammuz. *Tekupha* Thammuz. Adonis *dictus*. Adonis Κίρις, *&* Κύρις *vocatus*. Venus *&* Ado-

Adonis *Syris ante alios culti*. Abobas *Persæorum*. Judæos *a vicinis sive* Assyriis *sive* Phœniciis *accepisse*. *Ritus* plangentium *&* reperientium Adonim *apud* Alexandrinos *&* Byblienses. Adonis *a* Venere *&* Proserpina *alternis vicibus in deliciis habitus*. Osiris, Adonis Thammuz *idem*. Εὑρέσεως *festum Ægyptiis*. Vagus Ægyptiorum annus. Ζήτησις *festum*. *Cur* Thammuz Adonis *nuncupatus*, *conjectura*. Solem *cogitabant ii*, *queis hæc sacra primum in usu*: Manilius *explicatus*. Thammuz *nomen* Ægyptium. Thammuz, Mars. Thamud. Thamuz *Rex*. *An* Pharaoh, *qui sub* exitu *regnavit*, Thammuz *dictus*. *In occulto* Pantheo *colebant omnigena numina Israelitæ*, *quæ* Troglodytæ *Philastrio dicti*.

## CAPUT XII.

Nebo. *Mons cognominis*. *In Assyriorum reperitur nominibus*. *Pro eo habent* LXX. Dagon. Νεβὼ. Ναβὼ. *In* Dibon *cultus* Nebo. Mardocompad.

## CAPUT XIII.

Sesach. Σακέαι ἡμέραι *Festum* Saceum, *uti Saturnalia*. Locus *mensis*. Zogana *unde*. Athbasch *Rabbinorum* Diana Persica. Sacæa, *&* Saceia *a* Saceis *devictis*, *ut alii volunt*. Βαιᾶγις Festum Assyriorum.

## CAPUT XIV.

Ciun Saturnus *Arabibus*. Raiphan. Rephan Remphan. Rompha. *Adfini elementorum figura hallucinati sæpe Græci Bibliorum interpretes*. ἀμαύρωσις. τύφλωσις. Chon. Hercules *Ægyptius*. Gigon.

## CAPUT XV.

*Acervus* Mercurii Margemah. Ἕρμαιοι λόφοι Ἕρμαια. Mercurius Ἐνόδιος. Ἕρμακες. *Unde primitus apud Græcos* acervi Mercurio *sacri*. Merkolis. Margemah *quid & unde dictum*.

## CAPUT XVI.

*Numina Syra*, *quorum* gentilia *duntaxat* nomina *comperimus*. Pattæci Phœnicum. *Navium proris picti*, insignia *tantum erant*, puppibus, Dii Averunci *seu* Tutelæ. *Navis quæ Europam vexit*, *an* Jovis *fuerit* Tutela. *Inter* insignia *navium seu* τὰ παράσημα *&* tutelas *accurate distinguitur*. Philoxenus *Glossarii autor notatur*. *Unde* Pattæci *dicti*. ἐπιτράπεζιος. Epitrapezius Patæcus. *Conjectura in* Hesychium. Hercules Epitrapezius *seu Mensæ genius*.

## CAPUT XVII.

*Æneus* Serpens. Serpentes *in sacris*. Beli *&* Draconis *historia apocrypha unde*. Belus *Deus gulosus*. Suem *cultum Judæis scribunt veteres*. *Item* Asinum, *&* Asini *caput*. *Unde eæ sive nugæ*, *sive calumniæ*. *Ex* Gnosticorum *forte disciplina*. *Cur* Cœlum *Judæis numen fuisse tradatur*. Cœlicolæ *in codice dicti*. *Rejecta quæ nonnullis sunt* alia Syrorum numina.

# PROLEGOMENA

## CAPUT I.

*De* Libelli Inscriptione. Syriæ *nomen*: Aram; Mesopotamia. Εὐφρᾶτις. Syri *etiam* Assyrii *dicti*; *& inde* Syrorum *vocabulum*. Syria *&* Assyria *indiscriminatim usurpata*. Syriæ *termini*. *Quam diversa sit in* sacris literis chorographia *ab ea quæ* in profanis. Papinii *locus sibi restitutus*. *Cujusnam generis sint* Dii *in* Syris *nostris censiti*.

NE quis, in limine forsan impingens, temere nos incuset de libelli inscriptione; tam de Syrorum, in eo, nomine, quam de congesta Deorum farragine, seorsim præmonere visum est. Materies licet utriusque syntagmatis primaria sit *Babyloniorum*, *Assyriorum*, *Palæstinorum*, *Sidoniorum* numina, quorum in sacris literis haud infrequens mentio; & ad eam duntaxat methodum scripserimus, ut quæ in Pentateucho occurrunt ferme Primum, quæ in Prophetarum commentariis, Secundum occupent, satis idoneum tamen titulum gentilem, qui una voce ea denominaret, a prophanis literis quam sacris accipere maluimus, & Deos Syros (ad latum Syrorum & diffusum apud Europæos scriptores nomen) cuncta indigetare ausi fuimus. Nam angustum fateor in Veteri Instrumento *Syriæ* nomen deprehenditur, ut vix earum, quas meminimus, gentium aliquam obtineat: Nam Mesopotamiæ & Cœlosyriæ partem in eo tantum reperimus. Mesopotamia *Aram Neharajim* & *Padan Aram* nun-

nuncupatur; *Aram Naharajim* est *Aram binorum fluviorum*, sic dicta quod Euphraten & Tigrin interjaceat; Unde & Mesopotamia Græcis, & Mediamna, eadem notione, veteri Dionysii Periegetis interpreti, sive Priscianus is sit, sive alius quis, appellatur. Hinc est quod Onkelus paraphrastes in Genes. c. XXIV. comm. 10. Aram Naharajim, vocet *Aram quæ est ad Perath*, id est, Euphratem, perinde ut priscis etiam ipsa Syria Εὐφρατὶς vocitata est. Sed Seniores LXX. in eo loco Mesopotamiam, & cap. XXVIII. comm. 7. atque alibi in eodem libro sæpiuscule pro *Padan Aram* Μεσοποταμίαν τῆς Συρίας substituunt, cum adjectione etiam vocabuli Aram alia in prophetarum monimentis leguntur. *Aram Dammasek* seu Syriam Damascenam, *Aram Zoba* (quæ Sophene Josepho) *Aram Rechob*, & quæ sunt ejusmodi, habes in 2. Sam. cap. VIII. & X. 1. Paralipom. cap. XIX. comm. 6. In hisce omnibus Aram per Συρίαν vertunt Septuaginta, & cognomen ex Hebræo apponunt: Ubi vero sine adjectione fuerit obvia, Syriam tantummodo reddunt. Vide, si placet, Josephum Archæolog. Judaic. lib. VII. cap. VI. Ab Aramo *Aramæi Syri* dicti: quos & Arimos, ut Possidonio apud Strabonem placet, Homerus vocavit. *Sidonii*, *Palæstini*, *Babylonii*, *Assyrii* heic excluduntur; unde & Dii ipsi Syrorum seu Aramæorum ab aliis diserte separantur: Ita in Judic. cap. X. comm. 6. *Coluerunt Baalim & Ashtaroth & Deos* Syriæ, *Deos* Zidon, *& Deos* Moab, *Deos filiorum* Ammon, *& Deos* Palæstinorum. Vide & 2. Reg. cap. XXIV. comm. 2. Verum ad hos fines in sacris literis Syriæ tributos nemo Inscriptionem nostram exigat, aut quod nos aliis terminis nitamur insimulet. Non diffitemur quin, ubi commode fieri possit, eum qui de rebus Scripturæ agat, etiam chorographiam ejus ubique retinere magis consonum fuerit: Sed haud comperitur nomen aliud, quod tot gentium capax materiei satisfaceret, quam Syrorum, qui ita dicti prophanis scriptoribus. Apud eos per *Phœniciam*, *Palæstinam*, *Mesopotamiam*, *Babyloniam* etiam & *Assyriam* plerunque latissimum diffunditur; quin olim etiam ad Sinopem sive Corambin ponti Euxini promontorium distendebatur; sed vero sinu Issico ad Aquilonem, Ægypto & Arabia Petræa ad Austrum terminari potius volunt autores magni veterum. Neque Assyriorum imperio recentiorem esse isthanc ingentis istius tractus appellationem autumo. Cum enim illi res obti-



nerent Orientis, Europæi regionum Asiaticarum nimium ignari, tanti nihilominus imperii tam celebratum nomen suspicientes, quicquid a mari Sidonio ad imperii usque sedem patebat Assyriam dixere, & incolas Assyrios & Assyres (ut habet apud Stephanum Eratosthenes) deinde Syriam Syrios & Syros efferebant, haud aliter primam vocabuli syllabam decurtantes quam qui ex Hispania Spaniam, aut Abelione Belinum fecere; unde etiam postea devenit ut *Assyrios* vocabulum esse barbarum, *Syrios* autem Græcum ducerent. Firmat autor vetustissimus Herodotus in Polyhimnia. Οὗτοι δὲ (de Assyriis loquitur) ὑπὲρ μὲν Ἑλλήνων ἐκαλέοντο Σύριοι. ὑπὸ δὲ βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν, id est, *a Græcis isti* Syrii *vocabantur*, *a barbaris* Assyrii. Et Justin. lib. 1. *Imperium* Assyrii, *qui postea* Syri *dicti sunt*, *mille trecentis annis tenuere*. Imo Ciceroni inde confusa quasi data opera sunt Syriæ & Assyriæ nomina, velut idem denotantia. Tuscul. qu. V. *Ex quo* Sardanapali *opulentissimi* Syriæ *regis error agnoscitur*. Atqui Sardanapalus Assyriæ Rex erat; ita dictus etiam lib. II. de Finibus. Porro in 1. de Divinatione in Assyriorum natione Chaldæos locat, quos paulo in eodem libro inferius Syriæ tribuit. *In* Syria *Chaldæi in hac cognitione astrorum*, *solertiaque ingeniorum antecellunt*. Neque aliud sonat Assyria quam Syriam apud Tragœdum in Hippolyto;

> *O Magna vasti Creta dominatrix freti*,
> *Cujus per omne litus innumeræ rates*
> *Tenuere pontum*, *quicquid* Assyria *tenus*
> *Tellure Nereus pervium rostris secat*.

Mare mediterraneum intelligit, quod Syria tenus intersecat. Nonne & Purpuram *Assyrium Venenum* nuncupat Maro Georgic. III? cum tamen notissimum sit, purpuræ inventionem Tyrii Herculis cani attribui. Tyrium, Phœnicum, seu Syrum Venenum innuit, dum Assyrium vocat. Et Themistius Assyrios vocat ipsos Judæos. Ἀλλ᾽ ἐγὼ, inquit, ὑπησθόμην καὶ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων ταυτὸ τοῦτο κομψευομένων ὡς ἄρα ὁ νοῦς τοῦ βασιλέως ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ παλάμῃ δορυφορεῖται. Locus est in Oratione IX. Alius item similis occurrit in ejusdem quinta: quorum uterque respicit illud Salomonis in Proverbiorum cap. XXI. commate primo. Plura ad hanc rem adstruendam congeri possent. Ad hunc certe modum qui Occidentem inhabitabant plerunque om-

omnes generatim Celtæ, qui Austrum Æthiopes, qui ultra Syriam Indi, qui Boream Scythæ Veteribus dicebantur. Quæ in fabulis de Syro Rege, atque alia hujus nominis etyma consulto prætterimus. Hoc sane nos acquiescendum duximus. Ita variis tamen distincta, nominibus remanet diffusissima hæc regio, ut quemadmodum *Aram Dammesek Aram Naharajim*, & quæ sunt reliqua, olim partes ejus designabant, ita *Syria Damascena*, *Syria Phœnicia*, *Syria Palæstina*, *Syria Cœle* sive *Cava*, & ejusmodi alia eam satis ab Europæis distinguunt. Sed vero & omissa omni adjectione Syria apud jurisconsultos pro Cœle (ni fallor) tantummodo sumitur. Vide si placet Ulpianum & Paulum D. tit. de Censibus l. 1. & 8. atque edictum Leonis & Zenonis Augg. in Cod. tit. de diversis officiis & apparitoribus l. 10. ubi Phœnice & Mesopotamia seorsim, perinde ac si partes minime essent, censentur. Tanta est inter prophanas & sacras literas in regionum finibus discrepantia: neque in Syriæ duntaxat nomine, sed in Judææ & Palæstinæ; quod ad hanc rem etiam attinet. Judæos ut par est, sed Hebræos a *Phelistim*, id est, Palæstinis (quos LXX. ἀλλοφύλους nuncupant) ubique separamus, ita & Scriptura: sed Ptolemæo, Straboni, Tacito, Syria Palæstina eadem ipsa est quæ Judæa. Aliis diversæ sunt: sic Hebræi a Palæstinis disterminantur. Papinius Sylvarum v. ubi de liquoribus ad funus collatis, verba facit:

> --- *Palæstini simul*, inquit, *Hebræique liquores*.

quod libentius fateor adduxi, ut magni ejusdem Poetæ nimis depravatam in Glauciæ Epicedio lectionem inde emendarem. In eo ita legitur:

> *Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,*
> *Quodque Arabes Phariique (palam est vidique) liquores*
> *Arsuram lavere comam* ----

quid (malum!) *palam est vidique*? tantus ut poeta tantæ monimentum oscitantiæ etiam ridiculum infarciret! Quæ habent heic Domitius, Cœlius Rhodiginus, etiam & ipse Gevartius, plane frigent. Restituimus;

> *Quodque Arabes Phariique* Palæstinique *liquores*.

Ita scripsisse etiam dejerare ausim; sui ipsius copia se vindicat. Sed hoc obiter; & sufficiat hactenus ostendisse quid sacris literis Syria, quid prophanis; & nos in inscriptione non tam illas quam has sequutos. Nomina enim ex usu loquendi sumenda sunt, & sæpius mutant. Quin ipse D. Paulus Phœnicen, contra quam veteris instrumenti sacri scriptores, Syriæ partem esse agnoscit: quod constat in Act. Apost. cap. XXI. comm. 2. & 3. Nil obstat igitur quo minus & eos in Diis Syris nos merito recenseremus, qui in veteri fœdere etiam diserte (ut supra monstramus) a *Diis Syriæ* distinguuntur. Ut alteram etiam inscriptionis vocem terminemus, de congesta Deorum farragine præfamur. Omnes heic nemo sanus expectet, qui apud Syros culti; non Jovem Casium, Philium, aut Daphnensem, non Dianam aut Apollinem huic cognomines, non Apollinem Carmelum (cujus meminit in Vespasiano Svetonius) non Heliopolitanum, sive Jovem sive Apollinem nuncupes, ex Heliopoli Ægypti in Cœlosyriam translatum (de quo Macrobius Saturnaliorum 1. cap. XXIII.) nec Erota aut Anterota quos excivit Gadaris Magus Jamblichus, uti autor est Eunapius, non Minervam Cyristidem, aut Apollinem & Dianam Borsippenos, neque Joppes Cetum, aut id genus alios. Eodem certe jure tota pœne Gentium theologia sub epigraphe nostra quærenda esset, cum nempe, citra Græcorum imperii initia, præter aras, lucos, delubra passim dæmoniis Græcorum per Syriam dicata, etiam ipsum templum Hierosolymitanum, ingravescente nimium Antiochi Epiphanis tyrannide Europæorum idolis esset refertum. Illos tantummodo Syros jam vocamus Deos, quorum aut sacrorum primordia Syris nostris, in quantum sunt cognita, certo debentur, cujusmodi agnoscas licet *Belum* seu *Baalim*, *Astartem* sive *Ashtaroth*, *Dagon*, *Dammutz*, *Moloch*; aut qui tametsi aliunde accepti, ut *Nergal*, & si qui sunt alii in Salmanassaris coloniis Dii habiti, & *Vitulus aureus*, tamen eo saltim Syri sunt dicendi, quod nec eorum sacra neque nomina prius in honore alicubi legimus fuisse, quam in Syriam, saltem ad Syros (quod ob primum in Arabia vituli cultum adjicimus) traductos ipsos legimus; nec alibi de iis quid comperisse nobis videmur, extra quam ubi conjecturis indulgeamus. Exemplum damus: A Cuthæis, id est Persidis incolis in Samariam a Salmanassaro deductis τὸ Nergal petimus, & πυρεθαία Persarum plusquam probabili forsan conjectura in eo ponimus; Vituli item aurei aliam quam vulgus & novam prorsus ex Ægypto adferimus originem. Utcunque tamen & Vitulum & Nergal Syra tutius est Numina indigitare, quam aut

aut hoc Perſicum aut illud Ægyptium, cum utrumque Syris cultum ſciamus, hoc an in *πυρεθαίοις* illud an in Oſiridis *εὑρέσει ϗ ἀφανισμῷ* reperiatur, niſi conjectura duntaxat nequeamus adſerere. Etſi autem ad ſacra Biblia inſtitutum noſtrum imprimis fuerit ordinatum, quod ex Adverſariis, inter legendum, natum eſt; obiter tamen, ( nec res ipſa plerumque non poſtulat, ) etiam quæ nullibi in ſacris occurrunt, & Syrorum, & Arabum, & Perſarum, & Afrorum, & Ægyptiorum numina quæ vel lucem noſtris dent, vel mutuam hinc accipiant, diligenter indicamus.

## CAPUT II.

*De* Lingua Hebræa, *quam late olim patuerit*, *quo pacto in* varias dialectos *migraverit*, *unde dicta*. De Abraham. Περάτης. Hebræi. Phœnicia *&* Punica *lingua*. *In* Punico *apud* Plautum *ſermone* Hebraiſmus. Ἐλιοῦν *Deus*. *Columnarum inſcriptio*, *qua* Cananæos Joſuam fugientes *Africam occupaſſe indicatur*. Plures *&* *perquam diverſæ etiam ſub captivitate in* Cananæa dialecti: *In* Chœrilum *poetam conjectura*. Analogia grammatica *in* Deorum nominibus *deducendis minime ſervata*.

LInguæ imprimis, quæ Syrorum noſtrorum vetuſtiſſima, hoc eſt, ejus, quæ *Hebræa* dicitur, ope, in Deorum nominum & etymo & interpretatione ſacrorum ( nec tamen ita profuſam in ejuſmodi originationibus operam impendimus ) aut earum nonnunquam quæ hujus ſunt dialecti, ſolummodo uſi ſumus. Neque immerito: Non ſolum enim Hebræi, vulgo dicti, Hebraicum ſermonem olim loquebantur, verum etiam totius incolæ tractus, quo Syria noſtra latiſſime patet, *Babylonii* nempe, *Aſſyris*, *Chaldæi*, *Aramæi*, ſive qui in Meſopotamia ſedes habuerunt, *Phœnices*, *Palæſtini*, *Cananæi*: alii etiam qui contermini: ut *Arabes*, *Perſæ*. Ut igitur unica primum fuerit & quo pacto in varias tandem dialectos abiret, heic non omnino vidiſſe, haud ita erat conſentaneum: Utrumque vulgo ſatis eſt reconditum, aut perperam acceptum: ſed non facit parum ad eorum quæ congeſſimus judicium. Babyloniorum, Aſſyriorum & Aramæorum primo Hebræum ſermonem fuiſſe, palam eſt ex eo, quod ante linguarum diviſionem, eorum regiones incolerent qui unius ( ut ſcriptura ait ) labii erant, hoc eſt primorum parentum linguam tantum noſcebant, quæ ſanioribus omnibus Hebræa intelligitur. Hæc apud eos frequenti exterarum gentium & diverſilinguium commercio non ab Hebraiſmo duntaxat deſcivit, verum novis inſuper eſt aucta vocabulis, quæ Hebræam originem non agnoſcunt: idque Patriarcharum ævo. Conſtant ex hiſtoria Labanis & Jacobi Geneſeos cap. XXXI. comm. 47. ubi quod Jacob homo Hebræus idiotiſmo ſuo גל עד *gal edb*, id eſt, *acervum teſtimonii* nuncupat, id Laban Aramæus יגר שהרותא *igar ſabadutha*, eadem ſignificatione nominat. Nec tamen diverſam prorſus Aramæorum linguam ab Hebræa hinc ( ut nonnulli male ) colligas. Unum & alterum vocabulum id heic non magis comprobat, quam Laconum voces nonnullæ ab Atticiſmo longe aliæ atque aliunde acceptæ Græcum ſermonem Spartæ defuiſſe confirment: ſcimus quod Athenis θεὸς ἀγαθὸς id Lacedæmone Σιὸρ μιοσάνιος ſonaſſe; & complura ejuſmodi ſunt diſcrimina: ſed inde non dubitandum, quin utraſque Helleniſmus occuparet. A frequenti illo commercio, *Babylonia*, *Aramæa*, *Chaldæa* primo dialecti: quas ſub Regibus, minime Hebræis intellectas eſſe manifeſtum eſt. Adeo novas induerant proprietates, nam Hebræorum pueri Chaldæam docentur linguam Babylone, apud Danielem capite primo: & Aramæam vulgus Judæorum haud cepiſſe liquet ex hiſtoria τȣ̃ Rabſake ſub Hezekia quæ 2. Reg. cap. XVIII. & Jeſaiæ cap. XXXVI. habetur. Diu autem antequam protoplaſti ſermo ita eſſet interpolatus, Abraham Patriarcha, purum putum a vocabulis novis atque adſcititiis retinens, e Chaldæa primum in Meſopotamiam, inde autem Dei Opt. Max. juſſu in Cananæam ſedes mutavit; ubi intemeratum a familia ſua ita ſervari illum curavit, & ad poſteros velut gentile quiddam non ſine religione æſtimandum tranſmitti, ut nec Cananæa nec in Ægypto proſelytorum, diverſilinguium, aut temporis injuriæ ceſſerit, quin ſibi ſemper conſtans idem ipſiſſimus poſt CCCC. & amplius annos in Cananæam iterum remearet. Ducentis plus minus annis ante exemplum, quod de Labane & Jacob adduximus, Euphratem in Cananæam tranſiit Abraham: quo temporis ſpatio miram linguæ Aramæorum demutationem fieri potuiſſe nemo non concedet. Utcunque autem, non ſine ſingulari & ob hanc rem imprimis admiranda Dei Opt. Max. providentia, tam intaminata uſque ad Babylonicam captivitatem remanſit Hebræa. Quam & nomen ſuum, uti & Hebræos, ab Abra-

hæ

hæ tranſitu accepiſſe ſcribunt doctiſſimi nonnulli veterum. Sic enim volunt: עבר *eber*, *tranſitum* denotat; unde עברי *Ebri*, Hebræus, περάτης ſeu *qui fluvium tranſiit*, In Euſebianis, ubi de tempore tranſitus: Ἔνθεν ἔρχεται τῶν Ἑβραίων προσωνυμία. Ἑβραῖοι γὰρ οἱ Περάται ἑρμηνεύονται. Διαπεράσαντος Εὐφράτην Ἀβραάμ, καὶ οὐχ', ὥς οἴονταί τινες, ἀπὸ Ἔβερ. Id eſt; *Hinc nominis* Hebræorum *origo* ( Hebræi *enim* Περάται *interpretantur* ) *ab eo quod Euphratem* tranſiit *Abraham: minime vero, ab* Ebero, *ut nonnulli exiſtimant*. Certe perquam numeroſis familiis poſteri duntaxat ejus hoc nomen tenuere. Inde Heſychius: Ἀβραάμ. περάτης, ἢ πατὴρ μετέωρος. Non male in πατέρα μετέωρον vertit: ſed lapſus omnino eſt dum τὸ Ἀβραάμ ( quo Patriarcham intellexiſſe eum palam eſt ) περάτης reddit. Quoniam vero vocabulum Abrahæ tributum apud veteres, qui hanc de Hebræorum nomine ſententiam amplexarentur, reperiſſet, ideo idem Ἀβραάμ ſignificare opinatus eſt. Melius alibi & diſerte ille: Ἑβρέ. Ἑβραῖος καὶ ὁ Ἑβραῖος περάτης. id eſt, Ebri. *Hebræus*. Hebræus autem *is eſt qui tranſmigrat*. Docte me hercule. *Ebri* enim ipſo in fonte dicitur, hoc eſt עברי quæ vox primum occurrit in Geneſeos cap. xiv. comm. 13. ubi Abraham *Ebri* appellatur; quod tamen Helleniſtarum lingua περάτης ibi expreſſe vertitur. Et Joſephus pronepos ejus ita vocitatur cap. xxxix. comm. 14. & 17. & regio, quam occupabat, ארץ עברים *eretzhaebrim*, cap. xl. comm. 15. hoc eſt *Terra Hebræorum*, ſeu *tranſmigrantium*. Περάτην autem tranſitorem vertit D. Hieronymus Jeſa. cap. xix. & ad Jonæ prophetæ cap. i. ubi & Hebræum idem, ut nomen eſt gentile, ſignificare docet. Et Eucherius Lugdunenſis ad Geneſin, lib. ii. cap. ix. *Una Thare domus erat de quo natus eſt Abraham, in qua unius Veri Dei cultus; & quantum credibile eſt, in qua jam ſola Hebræa lingua remanſerat*. Hanc ſequuntur originationem viri doctiſſimi etiam recentiorum; aliis ab Ebero, cum Fl. Joſepho, deducentibus, ratione petita ex comm. 21. cap. x. Geneſeos: Sed in primam nos magis propendemus ſententiam; aſſenſum tamen retinemus. Nam non liquet; utrum Eberum an Abraham intellexerit Charax qui Hebræos ἀπὸ Ἀβραάμωνος dictos vult, neſcio. Citatur Stephano in περὶ ἐθνικῶν. Quod autem ad *Syriam Occidentalem* attinet ( in queis *Phœnices* imprimis, *Palæſtini Cananæi* ) non futili conjectura, ex coloniis quæ ſub Joſuæ temporibus ( ni fallant monimenta ) in Africam tranſmigrarunt, indages licet qualis nam fuerit incolarum vetuſtiſſimus ſermo: cum colonis enim & ſermo traductus; quem ideo Hebræum primus fuiſſe adſeri poſſit, quod ita parum in coloniis illis, ab Hebræo, ſeculis etiam recentioribus, advenarum licet colloquia diu paſſus, diſcreparet. Ex maritimis Syriæ oris Pœnos Africæ oriundos non eſt neceſſe ut adjiciam, id pueri ſciunt. De eorum autem lingua D. Auguſtinus Afer, & de ſuo ævo, ita in ſermone xxxv. de verbis Domini ad D. Lucam. *Quid eſt* Mammona? *verbum eſt enim quod Latinum non eſt*. Hebræorum *verbum cognatum* linguæ Punicæ. *Iſtæ enim linguæ ſibi ſignificationis quadam vicinitate ſociantur: Quod* Punici *dicunt* Mammon *Latini Lucrum vocant*. Ipſe etiam lib. iii. contra literas Petiliani Donatiſtæ: *Nam & ipſe Chriſtus a Chriſmate appellatur, id eſt, ab unctione. Nunc* Hebræi *dicunt* Meſſiam, *quod verbum* Punicæ *linguæ conſonum eſt, ſicut alia Hebræa permulta & pœne omnia*. Suo ævo recte dixit *pœne omnia*; utpote quo Hebræa exteris, ut fit, vocabulis mixta. Atque ipſe Epiſtola xliv. ad Maximum Maudarenſem, de Namphanione Archimartyre, Pœno, cujus nomen velut barbarum exprobrarat Chriſtianis Maximus; *Namphanio*, inquit, *quid aliud ſignificat quam Boni pedis hominem, id eſt, cujus adventus afferat aliquid felicitatis, Punica ſcilicet lingua*. Certe Hebraice נעים *Naim* jucundum, pulchrum, adeoque bonum denotat: ſed quid altera pars vocabuli fuerit, non ſatis capio. Scio tamen in Baal Aruch פינון *Phinon* calceamentum interpretari. At forte *pulchri oris* hominem ſignificat potius, idque ab Hebraica origine; neque aliter Pœnis nomen quam Latinis Pulcherius, aut Græcis Callias aut Calliſtus. Sed quod pater ille in iis quæ ſequuntur. *Si me bene*, ſcribit, *interpretatum illud vocabulum recognoſcis, habes quod ſuccenſeas Virgilio tuo, qui Herculem veſtrum ad ſacra quæ illi ab Evandro celebrantur, invitat hoc modo; Et nos & tua dexter adi pede ſacra ſecundo. Secundo pede, optat, ut veniat. Ergo venire Herculem optat, non Phanionem, de quo tu multum nobis inſultare dignaris*; pro *Non Phanionem*, planiſſime, legendum *Namphanionem*. Evander invocat, ait, Herculem Namphanionem, ſive Herculem ſecundo pede. Idem de hac re plura habet libro expoſitionis in epiſtolam ad Romanos inchoatæ, ubi de Salus agit; in libro etiam primo locutionis de Geneſi; alibi. Sic tamen Hebrææ cum ea conveniebat, ut non mi-

minus forte tunc temporis cum Chaldæa vel Syra ita dicta. Priscianus lib. v. --- *maxime cum lingua* Pœnorum, *quæ* Chaldææ *vel* Hebrææ *similis est & Syræ*, *non habeat neutrum genus*. *Suffetes*, quod vocabulum, Livii ævo, magistratus erat Punici, mere Hebraicum est, si terminationem latinam mutaveris. Nam שופטים *Souffetim* judices sonat; & D. Hieronymus Comment. v. ad Jeremiam: *Tyri & Sidonis in Phœnicis litore civitatum Carthago Colonia*; *unde &* Pœni, *sermone corrupto*, *quasi* Phœni *appellantur*: *quorum lingua Hebrææ linguæ magna ex parte confinis est*. Aliquot autem ante Augustinum sæculis, & priusquam Romanorum imperium Carthaginensium devorasset, propius multo ni fallor ab Hebræa aberat, quod ab Hannone Pœno (quo nullus Pœnior) apud Plautum discimus. Hujus idiomate versus primus in Codd. editis & maxime emendatis ad hunc modum concipitur:

*Ny ethalonim valon uth si corathisima consith.*

Tam clara heic Hebraismi vestigia sunt, ut cætera, quæ depravatissima ibi sequuntur, eidem etiam idiotismo restitui debere merito censeas. Et, quæ attulimus, Hannonis exaranda forsan erant, ei qui sermonem illum a lepidissimo poeta illuc traductum librarius primum transcripserit, his pœne syllabis:

*Na ethelionim velienoth se quara otham mukom hazoth*;

quæ parum a corruptis Plautinis exemplaribus diffident, si ineptas scilicet juncturas, atque imperitas verborum distinctiones tollas: & *consith* in veteribus nonnullis editionibus *comzet* legitur, quod propius accedit. Sic autem mere Hebraica sunt & rythmus ad eum quem protulimus sonum ita scribendus:

נא אח עליונים ועליונות
שקרא אחם מקום אזאח:

id est, si verbum verbo reddideris

*Obsecro superos superasque*
*Quibus contingit locus iste.*

Id ipsum sonat quod versio illa apud Comicum.

*Deos Deasque veneror qui hanc urbem colunt.*

Phœnicibus enim unde Pœni, Deus עליון *Elion*, id est, *excelsus* seu summus, quod Ελιῶν scribit Philo Byblienses, dicebatur. Neque ita forsan conclamatum est de cæteris quæ sunt Hannonis, quin, si operæ esset, ex Hebraismi vestigiis ad suam possent redigi orthographiam. Specimen ad hunc modum dedisse, nobis sufficiat. Magnam autem Phœnicum vim, sub Josuæ tempora, bello sacro profligatam, maritimas (ubi hic imprimis sermo) Africæ regiones occupasse (hoc est, antequam inquinata dialectus primigenia degenerasset) testes sunt columnæ binæ olim in Tingitana visendæ & Phœnicio ejusdem sæculi sermone inscriptæ, verbis sic Græce sonantibus

ΗΜΕΙΣ. ΕΣΜΕΝ. ΟΙ. ΦΤΓΟΝΤΕΣ.
ΑΠΟ. ΠΡΟΣΩΠΟΤ. ΙΗΣΟΤ.
ΤΟΤ. ΛΗΣΤΟΤ. ΤΙΟΤ. ΝΑΤΗ.

memorat Procopius in Vandalicis lib. II. Phœnices scripserant, ut fas est, conjectare:

אנו בורחים מפני יהשוע איש
חחף בן נון:

id est, *nos fugimus a facie Jehosuah prædonis filii Nun*, quod idem est ac si dixissent; *Nos Cananæi* seu *Phœnices* sumus. Hæc e Phœnicia translata lingua magnam Afrorum partem usam esse testantur viri magni, utrique Afri, D. Augustinus Hipponensis de Civitate Dei, lib. XVI. cap. VI. & Arnobius Siccensis in Psalm. CIV. Atqui & aliam, quæ Libyæ genuina, linguam in usu fuisse docent: unde patet cur Pœnorum & Afrorum Linguas ita distinxerit Stephanus περὶ πόλεων in vocabulo Ἴτυς. Neque obstat quod plura sint apud veteres Pœnorum vocabula quæ Hebræum fontem non satis resipiunt. Italorum item, Hispanorum, Francorum hodie linguis id ipsum etiam evenit, ut, cum provinciales omnes fuerint, & Romana primum natæ, non paucis tamen Arabum, Tartarorum, Germanorum, aliorumque vocibus Romam non omnino agnoscentibus sint refertæ; quod tamen nil facit quo minus Latio, qua provinciales, acceptæ ferantur. Diligenter autem congesta, quæ occurrunt, vocabula Punica apud priscos scriptores, habes apud Bernardum Aldretum, Canonicum Cordubensem, in lib. II. cap. II. voluminis, *Varias Antiguedadas de Espanna*, *Africa*, *y las otras provincias*, inscripti. In Bœotiam item Cadmum e Phœnicia petunt veteres: atqui & Cadmus urbem suam Hebræo nomine appellavit Thebas nempe a תבה quod navem sonat; a navicula, qua trajecerat. Quemadmodum & prisci Latini nummum rate signarunt, quod ea vectus Saturnus in Latium pervenit: sic animadvertit heros Nobilissimus Scaliger in Conjectaneis. Cadmum etiam ipsum *Orientalem* denotare a קדים *Cadim* quod oriens est: & alias ejusmodi nominum Bœoticorum originationes habet ille ad III. Varronis de re Rustica. Quod de Thebe Nympha cognomini habent Græci, nugamentum est, uti

uti & quod Isacius Tzetzes, ad Lycophronem, affert de Thebe Syrorum lingua, uti ait ille, *bovem* interpretante: sed in his nimis sumus, & quod meridiana forsan luce magis clarescit, id accensa face haud ulterius quærimus. Si enim coloniæ secum Hebræam traduxerint, ut patria eorum lingua, id est Phœnicia, eadem fuerit necessum est; quæ tamen a fontis puritate demum etiam haud parum migravit. Neque enim Sidonii, Tyrii, atque accolæ immunes diu esse poterant; maxime postquam maris obtinuerant imperium: quin, ab advenis & mercatoribus, ad dialectum vernaculam, ex idiomatis exteris, aliqua fieret accessio. Quo vero primum, circa initia nimirum Assyriorum imperii, obscurior fuerit & minus vexata commerciis Phœnicia seu Cananæa, & longius ab imperii sede dissita quam Babylonia & contermina Aram Naharajim seu Mesopotamia, eo minus depravatam, & diutius incorruptam mansisse Phœniciorum & accolarum, quam Babyloniorum atque Aramæorum dialectum, æquum est ut existimemus. Cæterum etiam & illorum tandem, ut fit, non minus mutavit. Nam circa Persarum Monarchiæ primordia Hebræus sermo non parum distabat a Palæstinorum. Testis est Nehemias cap. XIII. com. 23. & 24. *Vidi*, inquit, *præterea, in diebus illis Judæos qui acceperant uxores Asdodias* (Asdod Azotus est, Palæstinæ urbs) *Ammonitidas & Moabitidas; & filii eorum pro media parte loquebantur* Asdodice, *nec ipsi noverant loqui* Judaice, *sed juxta linguam populi & populi*, uti Hebraica veritas habet. Sed LXX. *οἱ υἱοὶ αὐτῶν ἥμισυ λαλοῦντες Ἀζωτιστὶ, καὶ οὐκ εἰσὶν ἐπιγινώσκοντες λαλεῖν Ἰουδαϊστί*; & ultima illa verba, de *lingua populi & populi*, prætermittunt. E quibus tamen, plures fuisse Occidentalium Syrorum & perquam varias dialectos sub id tempus liquido constat. Anne recentior hæc linguarum Judaicæ seu Hebrææ & Phœniciæ discrepantia in mentem venit Chœrilo Poetæ, quum Solymos, seu Hierosolymitani agri incolas, sub Xerxe stipendia meruisse & Phœniciam loquutos scripserit?

> Τῶν δ' ὄπιθεν, inquit, διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
> Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
> Ὤκουν δὲ Σολύμοις ὄρεσι -----

An Phœniciam, ut diu antea, eandem cum Hebræa seu Hierosolymitana putavit? id potius opinor: citatur Eusebio προπαρασκευῆς εὐαγγελ. lib. IX. hæc de priscis Syrorum linguis sive dialectis breviter dicta sunto; quas omnes primum unam Hebræam fuisse indicavimus. Hanc vero puram putam in Abrahæ posteris demum tantummodo remansisse; apud cæteros in alios atque alios idiotismos degenerasse. De recentiori & quæ jam Syra est, ex Chaldæa, Judaica, & Palæstina conflata, ad rem nostram non attinet dicere. Cum igitur Linguarum seu Dialectorum, quæ per Syriam nostram antiquitus in usu, eadem fuerit origo, idem fons, id est sermo Hebræus κατὰ πρόληψιν ita dictus, non immerito, ut opinor, in originationibus eodem nitimur. Nam & præcipui, etiam Deorum, quos collegimus, Hebræis, non Aramæis aut Babyloniis, vocabulis, aut adscititia aliqua dialecto memorantur: ut *Gad*, *Baal*, *Baal Peor*, *Baal Berith*, *Baalim*, *Baalzebub*, *Ashtaroth*, quæ mere sunt Hebræa. Imo idem dicendum de *Teraphim* & *Succoth Benoth*, quorum tamen Babylonicum est hoc numen, illud Aramæum; quod nec leve sane est argumentum omnia illa haud recentioris fuisse ævi, quum illud est quo Hebræa apud Aramæos viguit & Babylonios pura dialectus. Religione, ni fallor, ducti, Deorum, ante alia, inviolata nomina retinere volebant. Hoc tamen in *Baal* non ita accurate observabant Babylonii, בל *Bel* pro *Baal*, excidente ad morem Chaldaicum litera *y* efferentes. Quod autem *Dagon* Palæstinorum, non sine doctissimorum autoritate, ab Hebraico *Daga* seu *Dag* quod piscem interpretatur, deduxerimus; *Molech* item & *Milcom* a *Melech*, quod Rex sonat, & alia ejusmodi, spreta ferme analogia grammatica; id nolim temere incuses, quisquis es, lector. Non inficias certe imus, neque *Dagon* a *Dag*, nec *Milcon* a *Melech* derivata aliter fere, strictis grammaticorum legibus, quid posse denotare, quam *Piscon* in Latio a *Pisce*, aut *Rigom* a *Rege* petita. Cæterum tempestive memineris Deorum nominum deductiones ubique grammaticis analogiæ apicibus omnino olim solutas esse. Nonne ζῆνα nunc παρὰ τὸ ζῶ, nunc ἀπὸ τοῦ ζεῖν, nec ludentes, autores magni nominis petunt? Ἀφροδίτην item ab ἀφρῶ, Κρόνον a χρόνω, Ἑρμῆν ab ἑρμηνεύειν. Θεοὺς a θεῖν. Ἅδην ab Ἀειδὴς, ut infinita prætercam alia non a futilibus grammaticastris, verum a magno Platone in Cratylo recensita. Sol item Latinis, nonne quia apparet Solus, ita dictus putatur, *Lucina* a *luco* seu a *lucendo*, *Partunda* a *Parturiendo*, *Limentinus* a *limine*, *Pomona* a *pomis*, *Unxia* ab *ungendo*, *Cin-*

*Cinxia* a *cingulo*, *Victua* & *Potua* Deæ a *victu* & *potu*? quamnam vero hisce analogiam comperis? Fato comparatum est, ut a Grammaticorum imperio Dii sint liberi. De iis quæ προσήλυτα sunt Numina, & quorum ad eruendas vocabulorum origines omni destituimur vetustatis subsidio, ut *Asima*, *Thartach*, *Nibchatz*, aliis etiam quæ patria sunt, ut *Thammuz*, *Sesach*, *Merodah*, *Nisroch*, *Rimmon*, & quæ sunt ejusdem farinæ, ea tantummodo diximus, quæ a fide dignis autoribus edocti potuimus, solo numinis nomine, ubi non datur ultra, contenti, & ab originationum affaniis, præterquam ubi res ipsa ultro trahat, etiam cum religione abstinentes.

## CAPUT III.

*De* τῆς πολυθεότητος *seu* Deorum multitudinis Origine *&* Processu. *Vetustissima hujusce* Theologiæ duo genera, *quæ in* Cœlestium *corporum &* Dæmoniorum *cultu consistunt*. Adorationis *ritus*; quando *primum &* unde Novi Dii *adsciti*. Cabala *sacra*; *ea male intellecta res creatas adorabant*. *Perquam frequens ejuscemodi erroris apud veteres origo*. Ægypti Paschatis *ritum imitati*. Thoth. Bau. Θεός Ἀβραάμ *&c. in* carminibus Magicis. Mithra τελπλάσιος: Recessus umbræ *in* Achazi *regis* horologio. Jupiter Sabazius. *D. Paulum* Anastasiam *Deam esse docuisse putabant Athenis: In locum insignem* libri Hasmonæorum *conjectura*. Philosophi syderibus *divinitatem tribuentes*. Jusjurandum Vettii Valentis *Astrologi* ἀνέκδοτα, *quo lectores obstringit*. *Quomodo aliæ* res creatæ *ad* Cœlestium exemplum *in Deos relatæ*. Dæmoniorum *cultus*; *ea* Hircorum *nomine denotata*. *De* Idolorum *origine*. *Dei Filii* apud Mosem: Seth Deus dictus. Juramentum *per sanguinem Abelis*, Idola tempori Noæ tributa in Alcorano. Idola atque eorum templa procellis diruta Sheruchi seculo. Columnæ, Stelæ, Cippi sepulchrales, vel ut simulachra, culti. Etiam Symbola *virium naturalium*. Cœlum, Terram, Dæmonia *demum miscebant*, *unde* portentosæ *in Theologia* fabulæ. Invocationum *ritus*. Πολυωνυμία: *inde plures nati Dii*. πολυλογία *apud* D. Matthæum. Οἱ τόποι τῆς θεολογίας varii. *Nil pæne erat quod non Deorum numero tandem haberetur: id quonam pacto fieret*. Tempestates *Deæ*. Cicero *illustratus*. Ovidius *explicatus*. Egregium monimentum de Tempestatum apotheosi *Romæ effossum*. Saniores *gentium &* Theologi *&* Philosophi Unicum *mystice denotabant omnium rerum moderatorem & Deum*. *De* sacrorum *ad eam sententiam* institutione, recondita *quædam*. Κωμαστήρια Ægyptiorum, κωμασταί, *&* κωμασίαι.

IN duplici tantummodo differentia τῆς πολυθέου πλάνης, seu de numinum multitudine erroris, vetustissima & quæ originem maxime indicant mysteria statuimus; & ad bina duntaxat velut Theologiæ genera tot Deos cultos esse: quorum primo, Res corporeæ, ut Sol, Luna, & quæ reliqua est Cœlestis machina; secundo, Incorporeæ, ut Dæmones Dii habiti. Duobus hisce fere ortum est quicquid nugax & impia posteritas πολυθεότητα amplexa, sanctuariis suis adjecerit. De Cœlestium Corporum cultu antiquissimus scriptorum Job cap. XXXI. comm. 26. & 27. *Si*, inquit, *aspexi* Solem *cum splendesceret aut* Lunam *nobiliter incedentem*, *& seductum est in abscondito cor meum*, *& applicata est manus mea ori meo*, *etiam hæc est iniquitas a judice vendicanda*, *quia sic negassem Deum supremum*. Quod solem vertimus id in Hebræo est אור *Ur*, quod *Lucem*, & *Ignem* etiam & *Solem* denotat; & a veteribus hoc loco atque apud eundem alibi cap. XXXVI. comm. 32. pro *Sole*, ni fallor, sumitur. Vetustissimus etiam heic adorationis ritus aperitur; manum ori, capite inclinato, admovebant; unde adoratio dicta, de qua D. Hieronymus contra Ruffin. lib. 1. *Qui adorant*, inquit, *solent deosculari manum*, *& capita submittere*; & Paulo post: *Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt* נשקו־בר *Nasehekubar* in Psal. II. redditur & *Adorate filium*, & *Osculamini filium*; & in Oseæ cap. XIII. comm. 2. quod veterum alii *adorantes* verterant, Aquila καταφιλοῦντες, id est, *osculantes* interpretatus est. Hic ipse cultus, idem ritus in Deut. cap. IV. comm. 19. vetatur: *Ne forte eleves oculos tuos in* Cœlos, *& videas* Solem *&* Lunam *atque* Stellam *cum universo* exercitu cœlorum *& impulsus* (sive *impellaris* &) adores (seu *incurvaveris* te) *atque colas ea*. In horum venerationem proclive fuit humanum genus, & qui a Vero Deo Opt. Max. deficiebant hæc primum sibi numina animo propensissimo adsciscebant. Cum enim supremum totius universi Dominum φῶς οἰκοῦντα ἀπρόσιτον non omnino caperent, cœlestium vero corporum imperium

rium in omnia vitæ commoda delegatum non ſine religione ſuſpicerent; neque ab eo, quod merum eſt & ſupremo proprium, impii diſtinguerent; divinitatem temere ſenſu metientes, haud alium Deum præter ſummi lucis ſolatii, tenebrarum ſilentii, ſtatæque noctium, dierum & annorum viciſſitudinis & tempeſtatum diſpenſatorem agnoſcebant, etiam naturalis rationis ductu *impulſi* & *ſeducti*, ut voces ſunt, quas attulimus ſacræ. Ab hac cauſa Chaldæi etiam primis poſt diluvium ſæculis, Veri Dei cultu exuto, hanc ipſam Theologiam amplexabantur; quod ex vetuſtiſſimis Aſiaticorum monimentis docet R. Moſes Ben-Maimon in More Nebochim: cujus verba Latine exſcripſimus ubi de Nergal egimus. Omnium autem maximum numen Solem (quem & *μόνον Οὐρανοῦ θεὸν* nuncuparunt Phœnicum theologi) æſtimabant: planetis, & quæ ſunt cætera ſydera, velut nutum ejus obſervantibus. Utut & Ægyptiis priſcis dodecatemoria ſigniferi θεοὶ βουλαῖοι ſeu Dii conſiliarii, planetæ vero ῥαβδοφόροι, hoc eſt, lictores qui accenſi Solis conſiſtorio adſtent, cenſebantur; teſte vetere, ad Apollonii Rhodii Argonauticon IV. ſcholiaſte. Nec ſane citra diluvium hunc impietatis errorem primo homines invaſiſſe puto; etiam uno fere & altero, poſt rerum primordia, ſeculo eum imbiberant. Ita illud Moſis intelligo Geneſ. IV. comm. ultimo: אז הוחל לקרא בשם יהוה az hochal likro beſem adonai, id eſt, *tunc profanatum eſt in invocando nomine Jehova*. Nam חלל *Chalal* (unde in Hophal הוחל *hochal*) ſæpiſſime profanare interpretatur, uti in Levit. XIX. comm. 12. *Non profanabis* (hoc eſt חללת Chillalta) *nomen Dei tui*. Scilicet eadem compluribus in locis uſurpatur notione, tam apud Moſem quam prophetas; licet hoc in loco Helleniſtæ aliter interpretentur, Aquila item, & autor verſionis quam D. Hieronymo vulgo tribuunt. Sed locupletes heic autores nobis ſunt Onkelos & alter ille, quiſquis fuerit paraphraſtes Chaldæus ſub Jonathanis nomine tritus, Salomon Jarchi, Rabbinorum alii, qui Moſem eo loci de novorum numinum initiis intelligunt. Et præponderant heic, meo quidem judicio, Editiones Bombergiana, Gariana & Buxtorfiana, Complutenſi & Antverpienſi, quibus apud Onkelum legitur *tunc incepiſſe homines* לצלאה בשמא דיי׳: ſive *orare in nomine Domini*. Etenim in illis habetur מלצלאה, id eſt, *ut non orarent*. Cui conſonum eſt quod ibi ſubſtituit Arabs in Pentateucho ditionis Erpenianæ حينيد بدلوا الناس لينبلوا من طاعة الله *Tunc inceperunt homines deficere a cultu Dei*; ubi etiam id quod eundem occupat locum in pervetuſto Pentateucho Arabice manuſcripto quod inſtructiſſimæ Illuſtriſſimi Comitis Arundelliæ & Surriæ, Comitis Mareſcalli Angliæ, Bibliothecæ debemus. *Tunc*, ſcilicet, *inceperunt* ان يدعوا باسم الرب *non invocare nomen Domini*. Sed plura de hoc loco ubi de ſimulachris infra agimus. *Profanari autem in invocando nomine Jehovæ* idem eſt, ac ſi dixiſſet Moſes, ſacroſanctum illud nomen, quod totius univerſi creatorem & Dominum deſignat, rebus creatis impie tributum. Scio Theologorum quamplurimis videri prima & quæ diluvium præceſſit ætate rebus creatis divinum cultum hactenus minime exhibitum, *propter recentem memoriam ejus qui fecit cœlum & terram, quam ex diſciplina patrum habuerunt*, uti verba ſunt doctiſſimi Alexandri de *Hales*, part. II. quæſt. CLXXVIII. memb. 4. ubi hanc rem argute diſquirit. Idem D. Thomas, alii habent. *Sed in recenti illa memoria* male intellecta ſacræ hiſtoriæ Cabala eundem rebus cœleſtibus primo & maxime honorem debere, ni fallor, ſuadebat. In ea autem (nam quicquid arcano volumine condidit poſtea Moſes, id Cabala antea erat, πατροπαράδοτον quam velut jus ſacrum & hæreditarium ad poſteros continua generationum ſerie tranſmittebatur) a patribus acceperant *Solem*, *Lunam* & *Stellas Dominos* eſſe diei, noctis, lucis, & tenebrarum, quod perperam interpretati etiam Deos eſſe ipſos non dubitabant; maxime, cum ſupremum dominium eſſe potiſſimum divinitatis ſymbolum merito habeatur; neque enim his ſuperiorem obcæcati agnoſcebant. Neque novum eſt ut impietatis initiis ex ſacris literis ſeu Cabala ſacra (quæ idem ſunt) depromantur; quod innumeris illuſtrari poſſet & firmari exemplis. Ægyptiis quotannis in Judaico Paſchate greges & arbores, minio, velut alexeterio, illinere ſolenne erat: id ex depravato traditionis ſacræ de Hebræorum ſuperliminaribus ſanguine illitis intellectu manavit, quod fuſius narrat Epiphanius in hæreſi Nazaræorum. Perperam accepta Moſis de æneo ſerpente hiſtoria, ut thymiamata ei incenderentur effecit. Thoth & Bau in Phœnicum ſanctuariis ex *Tobu* & *Bohu*, id eſt, תהו ובהו in Geneſeos initio petunt docti. Id quod toties occurrit ὁ θεὸς Ἀβραάμ, ὁ θεὸς Ἰσαάκ, ὁ

θεὸς

θεὸς Ἰακώβ, jamdiu eſt cum in carmina tranſmigravit magica; atque ita eſt ſumtum ut nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob alius quam Deus ob amphiboliam cenſeretur; de qua re, ſi placet, conſulendus Origines adverſus Celſum lib. IV. & ejuſmodi alia habet lib. I. & V. uti etiam Trallianus medicus lib. XI. Quin & umbræ in horologio Achazi Regis myſtica erat Perſarum ſacerdotibus memoria in Mithræ τειπλασίυ ſacris quæ Μνημόσυνα nuncupabant, ſi autori fides: is eſt Dionyſius Areopagita dictus, qui Epiſt. VII. ad Polycarpum verba faciens de receſſu illo, τοῦτο, inquit, ταῖς Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ Μνημόσυνα τοῦ Τειπλασίυ Μίθρου τελοῦσιν; ad quem locum Georgius Pachymerius, Perſæ, inquit, τὸ παρέκταμα τῆς ἡμέρας ἐκείνης διὰ τῆς τελέτης τῶν Μνημοσύνων τοῦ Τειπλασίυ σημαίνουσιν. Hoc eſt, *extenſionem illius diei in ſacris quæ* Menemoſyna, ſeu *Memoria Triplaſii*, id eſt, Triplicis Mithræ *appellantur*, *denotant*. Ita & Maximus Scholiaſtes: Cum enim priſcis XII. eſſent artificialis, quem vocant, diei horæ, quas inæquales ſeu planetarias nuncupant, & per decem gradus rediret in ortum umbra, ſupputant Dionyſii ſequaces (qui nec pauci ſunt) quaſi Sol ſuperatis jam decem diei horis ſeu horologii gradibus, par remenſus ſpatium Horizontem reviſiſſet, dein vero abſolutum XII. horis diem ita terminaſſet, ut continua illa lux XXXII. horis inæqualibus conſtaret, quæ ſynecdochicῶs triduum, horas nempe bis XXII. & VIII. conficiunt; unde τειπλασίυ nomen ajunt fictum. Cæterum ſuam heic liberent fidem, nec in Græculorum verba juravi. Alia longe erant Triplicis Mithræ myſteria, & ſi fas ſit dicere, ſanctiora quam quæ hujuſmodi peterent exordia; & ſacra multo aliter merito intelligunt veteres hiſtoriam. Attamen non piguit & hæc adjeciſſe, ut id genus errorum origines olim agnitas amplius patefaceremus; quas eo libentius, etiam luculentius, memorare viſum eſt, quod non alia eſt anſa tam frequenter arrepta, unde impia in πολυθέῳ πλάνῃ ſacra conflarentur; teſte Juſtino in Apologia ὑπὲρ χριστιανῶν II. ubi Bacchi fabulas, Bellerophontis item, Herculis, Æſculapii, totius ferme gentium theologiæ, ex depravato ſacrarum literarum ſenſu elicitas & vulgo obtruſas eſſe docere conatur, uti & alii patrum alibi. Undenam Jupiter Sabazius? nonne a Jehovah Sabaoth, quod inculcante ſæpius Jeremia proprium Dei Opt. Max. nomen? Aſiæ enim Regem fuiſſe ajunt veteres; & uti peregrinum & civitate ejiciendum vexavit olim Ariſtophanes Comicus, quod animadvertit etiam Cicero lib. II. de legibus. Quem videſis lib. III. de Natura Deorum, & Plutarchum ſympoſ. lib. IV. cap. V. Quam autem proclive in hujuſmodi impietatem & fingendorum numinum inſaniam ſemper fuerit humanum genus, non obſcure liquet ex Athenienſium in D. Paulum conviciis. Is Jeſum & Reſurrectionem, id eſt Ἀνάστασιν, nunciabat, ut ſacram veluti novi fœderis Cabalam edocti verum Deum agnoſcerent. Iis vero ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς εἶναι videbatur: Novorum Numinum autorem ſeu Nuncium vocabant; perperam enim verba ejus ſacra interpretantes, tam *Anaſtaſin*, quam *Jeſum*, Dæmonium ſeu Numen adorandum, & Deam eſſe eum indicare voluiſſe ſunt opinati; quod & D. Chryſoſtomus ibi adnotat. Vid. Act. Apoſt. XVII. comm. 18. Ita certe quotquot nova numina venerati ſunt, non honori tantummodo Dei Opt. Max. divinitatem rebus adſcribendo creatis, plerumque detraxere, verum & ſacro illius verbo ſive ſcriptis ſive ore tradito, ad profanas ſuas, quæ ſacra vera etiam ſæpiſſime æmulabantur, affanias, ſunt abuſi; non aliter quam hæretici a Diabolo edocti, *cujus ſunt partes* (ut ſcribit Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum) *intervertendi veritatem*; *qui ipſas quoque res ſacramentorum divinorum*, *in idolorum myſteriis æmulatur*; ibi de baptiſmi etiam ritibus in Mithræ ſacris ad hanc rem aliquid adfert. Sexcenta alia poſſent congeri exempla; ſed cum iſthæc ſufficiant, de loco tantum uno qui huc potiſſimum ſpectare poteſt; obiter monemus. In Haſmonæorum libro cap. III. comm. 48. editionibus, Romana, Druſiana, atque aliis ita legitur; καὶ ἐξεπέτασαν τὸ βιβλίον τοῦ νόμου περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. De Judæis verba ſunt, qui cum Juda Machabæo, poſt nefandam Antiochi Epiphanis in ſacra Hieroſolymitana rabiem, ad cultum veri Dei inſtaurandum in Miſpach convenerant; forte aut τὰ βιβλία; aut περὶ οὗ potius legendum. Sed de ea re non diſputamus: *Gentes*, inquit ſcriptor ille, *de libro legis ſcrutabantur effigies idolorum ſuorum*, haud ſatis capio; niſi tunc temporis idola ſua non ſine norma aliqua e ſacris literis deprompta formari voluerint. Verum in Hiſpanica editione aliter ſe verba illa habent: Scilicet ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα &c. & in pleriſque Codd. Vett. ita legi adnotatur

in ora editionis Romanæ. Evolvebant forsan gentes sacra exemplaria, ut numinum suorum imaginibus sparsim adornarent; ut Judæi, etiam inter legendum, ea quæ alibi colere recusarant, saltem non sine religione conspicere cogerentur. Quod igitur simpliciora illa πολυθεότητος initia tam male acceptæ sacræ cabalæ, quam admiranti, & dum cœlestia corpora suscipiebat, cœcutienti rationi naturali deberi quis jure autumet, satis reddidimus manifestum, prima autem hæc & simplicior species suos prisco ævo semper habuit adsertores; lege vetatur, & sæpius a prophetis exprobatur. Vide si placet 2. Reg. xxi. com. 3. xxiii. com. 5. & Ezechielem cap. viii. com. 16. Alia scripturæ testimonia prætereo. Hanc etiam frequentes sane quam amplexati sunt Philosophi inter maximos & vetustissimos. Soli lunæ, reliquisque sideribus divinitatem dedit Anaximander, Alcmæo, Xenocrates, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, alii, imo & Socrates ipse apud Xenophontem. Superiorem enim rerum caussam attingere omnino nequiere. Recentioris ad hanc rem, Astrologi Syri, qui imperio Romano nondum inclinante floruit, & cœlesti machinæ omnem quam agnoscere videtur divinitatem tribuit, jusjurandum adjicio, quo lectores ne artis mysteria vulgo & ἀμυήτοις proderent astringit. Et libentius facio, & quod & exemplum sit satis rarum, & scriptor ipse nondum lucem viderit: Ἐντυγχάνοντας, inquit, ὁρκίζω ΗΛΙΟΥ μὲν ἱερὸν κύκλον καὶ ΣΕΛΗΝΗΣ ἀνωμάλους δρόμους, τῶν τε λοιπῶν ΑΣΤΕΡΩΝ δυνάμεις, καὶ κύκλον ΔΥΟΚΑΙΔΕΚΑ ΖΩΔΙΩΝ ἐν ὑποκρύφοις ταῦτα ἔχειν καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμήν τε καὶ μνήμην τοῦ ἐξηγησαμένου ἀπονέμειν. εὐορκοῦσι δὲ εἴη καὶ κατὰ θύμιοι οἱ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΙ ΘΕΟΙ. ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία. Hoc est. *Omnes, qui inciderint, adjuro per sacrum* Solis *circulum, inæquales* Lunæ *cursus, reliquorumque* Siderum *vires & Signiferum* circulum, *ut in reconditis hæc habeant; nec indoctis aut profanis communicent, sed præceptoris memores sint eique honorem retribuant. Dii jam dicti sancte jurantibus dent quæ velint; pejerantibus contraria*. Astrologus autem hic Vettius Valens est Antiochenus, & in procemio lib. vii. ἀνθολογίων inseruit. Ejusmodi jurisjurandi necessitatem exegisse solitum ab initiandis ajunt Orpheum, quem morem sequitur & Julius Firmicus in præfatione ad l. vii. matheseos. Videsis porro Smyrnæorum & Magnetum juramenta, in Marmoribus Arundellianis, præter notas nostras ad eadem, p. 151. Processit autem eo demum hic quem imbiberant de cœlestium corporum & imperio & beneficiis, &, quæ inde pendebat, apotheosi, error, ut ab eadem sane origine etiam in terris Deos sibi fingerent. Mare, Ventos, Tellurem, Aerem, Ignem, Fruges, quicquid denique humanæ vitæ commoda alia, ut cœlestia corpora lucem & calorem, præstaret, Soli, Lunæ, & Sideribus in indigitamentis suis adjecerunt. Firmat hæc Plato, qui in Cratylo Græcorum primos numina sibi scribit adscivisse duntaxat Solem, Lunam, Tellurem, Astra & Cœlum. Optime & quisquis ille fuerit autor Sapientiæ libri quem Salomoni tribuimus; Μάταιοι μὲν γὰρ, inquit, πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, οὔτε τοῖς ἔργοις προσέχοντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην. ἀλλὰ ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, ἢ κύκλον ἄστρων, ἢ βίαιον ὕδωρ, ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ πρυτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν, hoc est, *Natura futiles erant omnes, qui Deum ignorabant, neque eum, qui est, ex bonis illis quæ videntur, agnoscere potuerunt, neque opera animadvertentes opificem deprehenderunt, sed aut* Ignem, *aut* Ventos, *aut* celerem Aerem, *aut* Astrorum circulum, *aut* violentas aquas, seu cœlestia luminaria *mundi rectores & Deos esse existimarunt*. Quod autem Fruges, Vinum seu Vitem, Flores, Pomos, & quæ sunt alia exoptatissima generi humano commoda e gremio Telluris educta, ad hunc modum tandem in Deos retulissent; ideo & Tellus ipsa non tam Deam quam Deorum matrem posteritas nuncupavit. De qua re satis eleganter Lucretius philosophus & poeta lib. ii.

> *Heic si quis* Mare Neptunum, Cereremque *vocare*
> *Constituet* Fruges, & Bacchi *nomine abuti*
> *Mavolt quam* Laticis *proprium proferre vocamen;*
> *Concedamus ut hic* Terrarum *dictitet* orbem
> *Esse* Deum matrem, *dum re non sit tamen apse*.

Tellurem enim esse Deum matrem ab hoc pendet, ut, quæ ex ea nascuntur, itidem Dii habeantur. Innumera, quæ ex ea nascuntur, itidem Dii habeantur. Innumera, quæ illustrent, exempla adjungere facile est. Sed de ficta hac in *naturalium facultatum divinitate*, quæ in *cœlestibus corporibus* primo pullulavit, quæ diximus sufficiant. Alterum Deorum, quorum vetustissima mentio est, genus, Dæmonia sunt. Levit. c. xvi.

com.

com. 7. *Nec amplius ſacrificent ſacrificia ſua* Dæmonibus *poſt quos fornicati ſunt*: & canit Moſes in Deut. XXXII. comm. 17. *Sacrificaverunt* Dæmoniis, *non Deo*, *Diis quos non cognoverunt*, *novis qui e vicino venerunt* ( ſeu *nuper exorti ſunt* ) *quos non timuerunt patres veſtri*. Primus locus pro *Dæmoniis* לשעירים *Lasbaghirim*, id eſt, τοῖς τράγοις ſeu *hircis*, habet in Hebræo; & piloſos dæmones inde intelligit D. Kimchi; unde & Aquilæ τειχιῶντες dicti, ſeu piloſi, velut Satyri. Secundus habet שרים. In primo Seniores LXX. ſubſtituunt τοῖς ματαίοις; qui tamen idem vocabulum in Jeſaiæ cap. XIII. com. 21. δαιμόνια interpretantur. Quæ de Dæmonibus mediam quandam inter humanam & ſpirituum naturam ſortientibus, perinde atque Nymphæ illæ, Fauni, Ægipanes, Satyrique, quos fide ſua tradit Paracelſus, ſcribunt Hebræi, lubens omitto: Certe qui ſolennia Sagarum conciliabula aperiunt, ii dæmonem Principem, qui præſidet, hirci figuram præ ſe ferre tradunt. Sed vero eo iſtis concepta fuiſſe ſacra, quæ jam diximus, teſtimonia verbis vult Rabbinorum doctiſſimus Moſes Ben-Maimon, quod in more erat Zabiis ſeu Chaldæis, dæmoniis ſub Hirci formam ſe oſtentantibus immolare. Ita enim ſcribit lib. 21. More Nebochim cap. XLVII. *Quidam de gente Zabiorum ſerviebant dæmonibus, & credebant quod apparebant hominibus in forma* Hircorum. *Et idcirco vocabant dæmones* hœdos. *Et iſta opinio fuit diffuſa tempore Moyſis, ſicut ſcriptura dixit. Non immolabunt de cætero victimas ſuas hædis aut hircis*, & popularis noſter ille Alexander de Hales cum de hirco agit ἀποπομπαίῳ illo in Levit. c. 21. ab hujuſmodi dæmonum frequentiori ſpecie rationem ceremoniæ adfert, ut videre eſt in ſummæ ejus part. III. quæſt. 55. Alii tantundem. Verum ἐπέχω heic, nec ſatis quid ſtatuendum video. Hactenus de duplici Deorum genere quod potiſſimum, & ante alios ejuſcemodi errores, priſcorum animos occupavit. Quicquid poſtea id genus Theologiæ acceſſerit, id fere omne a Sacris, quæ vel rebus corporeis, quæ Primum genus conſtituunt, vel incorporeis, quæ Secundum, exhibebantur, emanavit. *Sacra* illa quæ heic maxime ſpectari debent, Invocationum & Hymnorum ritus ſunt, Columnæ, Stelæ, Cippi, Symbola, & Simulachra. Primum de Simulachris, Cippis, Stelis, & Columnis; quod & inde etiam Dæmoniorum cultus origo, ni fallor, deducenda. Simulachrorum ſeu idolorum mentio, ante Geneſeos cap. XXXI. ubi de τοῖς Teraphim Labanis agitur, non reperitur. Ea quid fuerint, priori Syntagmate videmus. *Simulachra* primo non in hos uſus poſita, neque *Columnæ*, *Stelæ* aut *Cippi* in Deorum honorem fixi ſunt: ſed ad memoriam & gloriæ demortuorum cumulum ſtatuebantur; Eorum nempe, qui aut patres ſive patriæ, ſive illuſtriſſimæ familiæ admodum inſignes abierant, aut alio nomine cariſſimi extiterant, quorum præmatura mors & acerba ſuperſtite aliquo monimento velut erat vindicanda. Anniverſaria his acceſſere feſta, nomina in ſacros commentarios relata, flores circa tumulum ſparſi, coronæ dicatæ, inferiæ, quicquid conſuetæ denique celebrationi ornamento eſſe videretur eo uſque adjectum eſt, ut tantum non pro Diis mortui illi, ſub moris initium, haberentur, Accumulatis demum, ut fit, ſacrorum ritibus a poſteritate ( quæ ſingulari hujuſmodi honore & ſolenni memoria illos honorandos fuiſſe, ægre ſatis exiſtimabat, niſi genere etiam humano majores extitiſſent ) uti *Dæmonia* ſeu *Heroes*, id eſt, Dii, tandem cenſebantur. Neque enim, quomodo ſeculorum citeriorum gentium Theologis, ita vetuſtiſſimo illo ævo Heroes & Dæmonia ſive Dii inviſibiles ad invicem diſtinguebantur; neque hos aut illos aliter atque ab his ſacris agnoſcebant. Subdole enim ingerebant ſe Dæmonia, ( aut ſaltem adeſſe ea, populum, ut fieri ſolet, ludentes docebant hierophantæ & præſtigiis animos in ſuperſtitionem proclives, & ſolemnia mortuorum feſta celebrantes, ad divinum etiam cultum ſibi circa hæc monimenta exhibendum illiciebant; nec Mortalis, qui abierat, adſumere nomen dedignabantur, modo ut Deos immortales inde ipſi ſe haberi lucrifacerent. Cum vero ejuſmodi demortuorum pleroſque omnes, ſive ob res inclyte in bello geſtas, aut artes repertas, aut quod rerum publicarum conditores floruerant, ſimileve quid eximium præſtiterant, tanto primum honore poſteri proſequerentur, atque ad eorum monimenta, crebra alius & multo ſuperioris, quam humanæ eſſe videbantur, naturæ inſignia edita animadverterent; iis ipſis, quos demortuos primo credebant, & quorum velut vicem Dæmonia jam agebant, humanam naturam omnino imparem, ſed & præcellentiorem eſſe adſcribendam propenſo animo facile æſtimabant. Quod homini autem præcellat, *Heros* aut *Dæmoninm* aut *Deus* id fuerit neceſſum eſt. Deum Verum & Unicum, & cultum ejus exuerant: reliquum erat igitur ut Dæmonia

jam

jam ad has ſtatuas colerent; quæ, quo pacto ab heroibus diſcreparent, nec videbant ii, nec ſane qui ſpinoſis ejuſmodi Theologiæ apicibus poſtea deſudarunt, ſatis docuere: atque *Heroes*, *Dæmonia*, *Dii*, ſi heroem cum iis ab homine diſtinguas, idem ſunt. Sacra enim *Beli Phegorii* Numinis Midianitarum (quæ hanc rem optime aperiunt) velut parentalia fuiſſe oſtendimus; ſed tamen *Jovi Stygio* ſeu *Dæmoniis*, id eſt ad eorum, qui veterem de heroibus imbiberant, Theologiam, *Diis manibus* peragebantur. Inde eſt quod Euemerus olim (uti ſane & Apollodorus) ortus, mortes, & ſepulturas omnium pœne Deorum demonſtrarit. A demortuorum autem memoria idolorum cultum fluxiſſe paſſim indicatur. Maximum autem & vetuſtiſſimum ejuſce rei teſtimonium habetur apud Sapientiæ autorem c. xiv. Et inprimis obſervetur illud Diophanti in Fulgentiis Mythologicis, cui ab hac cauſa εἰδώλȣ ἔτυμον eſt παρὰ τὸ τῆς ὀδύνης εἶδος: quaſi εἰδοδύνη aut doloris ſpecies diceretur. Quod Hebraicæ veritati mire conſonat; nam & עצבים *egtbzabim* quod *dolores* ſignificat, idola etiam in ſacris literis interpretatur. Atque hæc ideo forſan ita vocata, quod dolores quotannis, ſtatuis, & monimentis mortuorum, qui poſtea in Diis recenſiti ſunt, conſpiciendis, inſtaurarentur. Initia autem ſtatuarum, mortuorum memoriæ dicatarum, Scheruchi ævo hoc eſt Helleniſmi, ut appellant, exordio collocant plerique: Tharam autem Abrahæ patrem eas primum ſcribunt aliqui coluiſſe; & Cedrenus ex priſcorum ſcriptis tradit Abrahamum jam ſexagenarium cum Tharam patrem a ſimulachrorum cultu dehortatus fruſtra fuiſſe, fanum ejus ſeu lararium incendio devoviſſe, quod cum conflagraret, Aramum (hoc eſt Haran fratrem) ſimulachra ex ignis furore rapere conantem flammis periiſſe. Quo in Chaldæa humato, Tharam in Meſopotamiam commigraſſe: ad Tharæ igitur ævum, *Idololatriæ* & *Dæmoniorum cultus*; ad Scheruchi *Idolorum primordia* ſic referenda. Nam,

> *Qui* fingit *ſacros auro vel marmore vultus*
> *Non facit ille* Deos, *qui* rogat *ille facit;*

ut recte Martialis. Alii item Scheruchi temporibus ipſum cultum cœpiſſe volunt. Frequens & obvia eſt de ea re apud veteres hiſtoria. Sed vereor ut ſuam ſatis liberent fidem, qui tam conſtanter de rebus tam priſcis ſententiam proferunt. Tradunt ſane Hebræi ſtatuarium fuiſſe Tharam, atque eandem cum eo aliquandiu exercuiſſe artem Abrahamum: & legitur in ſacris literis Tharam, & patres ei contemporaneos, alienos Deos coluiſſe, quod in Joſuæ c. xxiv. com. 2. reperitur. Quod anſam forte præbuit, ut idololatriæ initia ei deberi poſteri cenſerent. Abrahamum item in ardentem fornacem a Nimrodo conjectum, cum Idolorum cultum detrectaret, ſcribunt; id præter vulgo tritos ſcriptores habet Chaldæus paraphraſtes in Eccleſiaſtem c. iv. com. 3. Sed vix eſt ut parentalia ſeu feriarum denicalium ſacra tam celeri in divinos honores tranſitu, quam brevia ævi inter Scheruchum & Tharam intervalla popoſcerint, demutarentur. At vero Chaldaica illa paraphraſi, Uzielidi tributa, etiam locus ille Moſis, qui quartum Geneſis caput claudit, de Idolis capitur, perinde ac ſi diu etiam ante diluvium coli cepiſſent. Circa annum nempe a mundi conditu ducenteſimum quadrageſimum. Et ibidem Salomon Jarchius אז הוחל לקרא את שמית חארם ואת שמות העצבים בשמו של חקבח לעשותן אלילים ולקיותן אלוהות: *Tunc profanatum eſt, invocando ſcilicet nomina hominum & nomina Imaginum, cum nomine Sancti illius, qui benedictus ſit, Dei, adeo ut facerent idola & vocarent ea Deos*. Ita legitur in Jarchii commentariis editionis Venetæ Joannis de Gara 1590. ſed tam in Buxtorfiana quam in Bombergiana pro אלילים habetur ע״ז, quod breviter innuit עבודה זרה *cultum extraneum* ſeu idololatriam. Et D. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, *Plerique*, inquit, *Hebræorum arbitrantur, quod tunc primum in nomine Domini & in ſimilitudine ejus fabricata ſunt idola*. Sio, & patrem illum & pleroſque Theologos Hebræis hiſce adverſari, dum ſive de ſpe invocandi nomen domini, ſive *de initiis* verſiones ſeniorum & eam, quæ D. Hieronymo tribuitur, ſecuti locum intelligunt. Seniores ibi ȣ̃τος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τȣ̃ Κυρίȣ τȣ̃ Θεȣ̃, ubi τὸ ἐπικαλεῖσθαι active accipiunt, quod tamen alii paſſive idque antiquitus, accepere, ac ſi dixiſſent Seniores; *Hic ſperavit* (homo) *Domini Dei nomine compellari*, ſeu *indigitari Deus*, τὸ הוחל non a הלל quod eſt tam *profanare* quam *incipere* (præter alias ſignificationes) ſed a יחל, id eſt, *ſperare* deducendo. Ita Georgius ab autore Λεπτογενέσεως edoctus; ὅτι τὸ Ἐνὼς, inquit, ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα Κυρίȣ τȣ̃ Θεȣ̃ πρῶτος, προσαγορεύεσθαι ὀνόματι Θεȣ̃ ἐστιν. Ἐνὼς γὰρ ἑρμηνεύεται ἄνθρωπος κατὰ τὸν Ἑβραϊκὸν νȣ̃ν: *Ubi dicitur Eno-*

*ſum*

*sum sperasse* ἐπικαλεῖσθαι *nomen Domini Dei, non aliud innuitur quam nomine Dei compellari. Nam & Enos Hebraice hominem significat.* Quin si Enochi Apocrypha in testium classem admitteremus, dæmoniorum cultum etiam longe ante diluvium non immerito assereremus. In apocryphis illis narratur, ἐγρηγόρους, id est, angelos seu dæmonia, lectissimas fœminas sibi in uxores junxisse, atque ab eis quam plurima humanum genus, conciliante muliercularum libidine, beneficia accepisse, artes item didicisse. Præter obvios, apud veteres, ex Enochi apocryphis, locos de Angelis hisce, consulas Josephi Scaligeri Notas ad Eusebium, p. 243. Commentum illud de Angelis ex historia de filiis Dei in sexto Genesis capite male intellecta ortum est, & veteres aliquot magni nominis fefellit. Sed melius & verisimilius est, quod alii de Sethi filiis afferunt, qui Caini posterorumque ejus filias, hominum filias ibi vocari tradunt. Quod de ea re habent Cedrenus & Chronici Alexandrini autor, consulas, si placet, lector. Illis assentit pervetustus, penes Nobilissimum Virum Robertum Cottonum, codex Arabicus Ms. in quo narratur Sethi familias posterosque montis occupasse cacumen, in quo Adam sepultus est; Caini, vallem in qua Abel ab eo occisus. Posteros item Sethi, ob easdem, quæ Cedreno ex Λεπτογενέσει memorantur, rationes, filios Dei dictos, & ob Abelem adeo Caino infensos ejusque nepotibus, ut solemni se juramento obstringerent, *per sanguinem Abelis*, بدم هابيل (ita enim se verba habent) in vallem se nequaquam seu من الجبل المقدس *a monte sacro* descensuros. Autor libri est Sain Aben-Batrich qui historica in eo quamplurima de festis, æris, Patriarchis, aliis rebus, congessit. Nomen ab autore inditum est: نظم الجوهر *involvens gemmam*, seu *Theca gemmaria*. Observavit mihi primo, libentissime fateor, juramentum illud, uti solet & alia compluria, doctissimus juvenis & de me optime meritus, Henricus Jacobus. Ceterum & idolorum cultores ex Enochi scriptis, ita dictis, tradit Tertullianus libro de Idololatria capite quarto, neque recentiora idololatriæ initia facit. Enochus autem in terris desiit esse circa DCC. annos ante diluvium. Etiam ipsa idolorum nomina, quæ ante diluvium culta, eaque satis portentosa, habes apud Alcorani autorem Azoara LXXXI. *Adhuc item sermonem suum prosequendo, Noe dixit. O Deus me nullatenus imitando, sed dolos quam plurimos perpetrando, id quod sibi pecuniam atque prolem, non nisi damno suo tribuit, secuti sunt. Unde illi persuadentes vicissim ceteris ne suas desererent imagines; quæ maxima multis erroris occasio fuerunt, videlicet, Huden, Schuan, Jagutha, Januca, Naceren, cum propter castigamina plus aberraverint, reique multum extiterint, nostra manu submersi sunt.* Ita versio Roberti Retenensis. Nomina autem illa in Arabico ita se habent ودا سواعا يغوث يعوق ونسرا *vvalda, suvvaha, yagovvth, yahovvk & nasera.* Quid sibi porro velint hæc, viderint qui operæ pretium fore duxerint. Adde Flavii Josephi libri primi cap. IV. ubi alienum cultum homines invasisse diu ante Noachum innuit, dum usque ad septem generationes eos Deum Opt. Max. δεσπότην εἶναι τῶν ὅλων sensisse; deinceps vero ἐκ τῶν πατρῴων ἐθισμῶν degenerasse scribit. Post diluvium autem (ut obvia sunt apud Eusebium in Præparatione Evangelica, Clementem, Theodoretum, Epiphanium, sexcentos alios, testimonia) redintegrata est idololatria Sheruchi & Tharæ seculo. Addimus autem quod in ea re habet Said; quem diximus, Aben-Batrich. In immensum, ait ille, Sheruchi ævo errarunt homines & invaluit Idololatria, وذبحوا بنيهم وبناتهم للشياطين فبعث الله عليهم ريحا عاصفا وكان طوفان ريح وكسري الريح الاصنام كلها وهدمي بيوت الاصنام حتي تصيرها تلال تراب والتلال الي اليوم باقية *& immolabant filios suos & filias suas Dæmoniis. Immisit Deus in illos ventum procellosum; & fuit Typhon* (طوفان) *ventus. Et confregit ventus idola omnia & diruit Templa Idolorum usque dum in tumulos pulveris redacta fuerint: Et Tumuli illi etiamnum remanent.* Certo subversam esse immanem illam substructionem, quam turrim vocant Babylonicam, procellarum vi, legitur apud Josephum lib. I. c. V. Eusebium de Præparatione Evangelica, l. IX. c. IV. Cedrenum & in Sibyllinorum oraculorum tertio, ubi

---- ἄνεμοι μέγαν ὑψόθι πύργον
Ῥῖψαν ----

habetur. Alii aliquot tantundem: sed de Idolis, aut eorum templis illo ævo sive ventorum vi sive aliter dirutis, alibi me legisse non memini. Atqui ab eodem sa-

ſane ſeculo, quo diruta turris illa, & linguæ confuſæ ſunt, Phalegi ſcilicet ævo, Græcorum numina petunt nonnulli. Ita a veteribus edoctus, Georgius Cedrenus: Ἔνθεν, inquit, ἀρχὴν τῆς Ἑλληνικῶν Θεῶν λαμβάνουσι τὰ ὀνόματα. Videſis inſuper Jacobum Salianum in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Mundi CCL. Et de Idolis ſeu ſimulacris hactenus. Quicquid autem de eis diximus, id etiam, ad eam quam diſputamus rem, de Columnis Stelis & Cippis ſepulcralibus ſeu *columellis* intelligendum. Hæc, eodem modo, velut dæmoniorum ſeu deorum idola haberi cœpta ſunt. Nam uti ſimulacra, item poni ſolebant. In ſacris literis מצבה ſæpius occurrit, quod στήλη, ſtela, plerumque vertitur a Senioribus & pro Pila, Cippo, Columna, etiam pro ara & ſtatua interdum ſumitur, etiam vetuſtiſſimus erat Græcorum mos, ſaxa ſive quadrata, ſive rudia, ſaltem aliam quam Saxi ſpeciem præ ſe non ferentia, pro ſimulacris ponere, neque aliter quam ſimulacris divinum honorem exhibere; quod teſtatur inprimis Pauſanias in Achaicis ubi de Mercurio in Pharis loquitur: τὰ δὲ, inquit, παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι, *Olim apud univerſos Græcos, rudes lapides pro ſimulacris divinos honores obtinuere*. Primam autem ſtelam Aſſyrios Thuro Regi, Nini ſucceſſori, poſuiſſe legitur apud Cedrenum & in Faſtis Siculis. Verba eorum habentur ubi de Belo ſub initiis ſyntagmatis ſecundi agimus. De מצבה autem & ſtela vide ſis Levitici cap. XXVI. com. I. Et in libris Regum minime infrequens eſt ejuſdem mentio quæ huc ſpectat. His adjungimus Symbola ſeu Divinitatis velut teſſeras ſive indicia. Symbolum autem erat Chaldæorum Ignis (de quo nos in capite de Nergal) qui primum Theologiæ, quam tractamus, genus maxime amplexantibus uti Solis Cœlorum Regis ἀπορρώξ, vicarius, ſive ſignum habebatur. Cum enim ob cœleſtium corporum diſtantiam, ſacra eis ad votum fieri aut ita commode potuerint, ſymbola hujuſmodi quæ viderentur inprimis congrua, in eorum honorem conſecrare pium eſſe judicabant. Idem exiſtimandum de חמנים *chamnanim* quæ jam dicto capite explicare conamur. Neque Palæſtinorum Dagonem figura ex humana & marina ſimul miſta, aliud quam *Neptunum*, *Amphitriten*, *Salaciam*, *Oceanum* aut *Tethyn*, aut hoſce omnes: id eſt, *mare*, ipſum (communis enim unicuique Deo, uterque ſexus erat; quod ſecundo Syntagmate pluribus demonſtramus) velut magni, in auguſto Naturæ procerum conſeſſu, Numinis ſymbolum ævo ſimpliciore denotaſſe, æquum eſt ut opineris: nam ut defuncti ſimulacrum fuerit, figuræ myſterium non patitur. Id ipſum de *Piſcibus* ei ſacris dicendnm, qui, quod ſymbola etiam Maris eſſent, colebantur; aut aliter quam *Juvencæ* apud Ægyptios, quæ, a lactis beneficio, primum velut *Telluris Matris* & *Nutricis*, poſtea & *Iſidis* ſive *Lunæ* (benignis enim Telluris & Lunæ viribus alimenta præcipue debere agnoſcebant) uti & *Tauri* ſignati, *Solis* ſymbola, ſummo honore eoque divino excipiebantur; e quorum Theologia, alia inſuper infinita de ſymbolis depromi poſſent. Quotquot autem cœleſtia corpora & quæ viſui obnoxia ſunt mundi membra, pro Diis habuere; etiam diu citra diluvium abſque idolis eos ſacra feciſſe putamus; atque beneficas Naturæ vires tantummodo veneratos eſſe. Accedente vero Dæmoniorum, uti indicavimus, cultu, ad varia, ut fit, ſuperſtitioſorum placita, & Dæmonia ſub Mortuorum Nominibus, & *Sol*, & *Luna*, & quæ reliqua ſunt ob lucem, ante alia, conſpicienda *Sidera*, *Mare*, item & *Tellus*, & qui reſtant Naturæ velut diſpenſatores, eiſdem ſacris, ad eaſdem etiam ſtatuas & ſtelas ita ſimul celebrabantur, ut, procedente tandem in infinitum errore, nec *mortuos* ipſos a *Dæmoniis*, nec horum alterutra a *naturalibus* univerſi machinæ *facultatibus*, neque has ſatis ad invicem diſterminare impii potuerint. Inde & *Luna*, & *Venus*, & *Tellus* in *Aſtarte* figura; *Luna Venus*, & *Mare* in *Dagonis*; *Sol*, *Jupiter*, *Saturnus* in *Baale* & *Moloch* (unicuique porro idolo *cognomine dæmonio* ſive Heroe ſæpius invocato) inextricabili hallucinatione confundebantur. Utrumque genus theologiæ miſcebant, & quicquid divinitati ſacratum eſſet, id ut Numini cuique communicaretur, ab eorum inſtitutis minime erat diſſentaneum. *Dæmonia* etiam *naturalium facultatum*, *omnium item rerum*, *præſides* eſſe jam demum proculdubio non pauci exiſtimabant; quod ut, utrumque cultum, utrumque genus numinum jungerent, haud levis erat cauſa. Hinc *Dii Patrii & Genii* innumeri; hinc etiam vix pauciores *Lunæ*, *Veneres*, *Soles*, *Joves*, *Saturni*, & qui ſunt id genus ceteri, quam ipſe in horas excreſcens *idolorum columellarumque numerus*: atque eo demum res evaſit, ut non vita defunctorum modo memoriam, verum & deſidera ipſa altaſ-

altaſque res in deos ſibi adſcitas, ſolenni ritu, ad eorum quæ diximus ſacrorum confuſionis exemplum, ſeorſim honorarent: Inde *Alagabalus* ( quem Heliogabalum etiam depravate veteres efferebant, nos *Alagabalum* magis dicendum fuiſſe in capite de Belo adſtruimus ) nimirum *Sol* ipſe *Pyramidis* ſpecie colebatur Syris: *Venus pilæ* ſeu *quadrati ſaxi* Arabibus, uti etiam Paphiis alibique, & ſeptem columnæ erectæ ſunt ritu priſco apud Laconas ( teſte Pauſania ) *errantium ſtellarum* ſigna. Inde innumeræ illæ ubique gentium ſtatuæ fictis a vetuſtate Diis poſitæ; quæ *gentilia nomina* ſingulæ capientes, haud aliter ferme diſcrepabant; ſic enim *Belus Sidonius*, *Belus Phegorius*, *Belus Babylonius* dicti. Sed iidem pæne re erant, ut *Jupiter Cretenſis*, aut *Apollo Clarius*, *Delphicus*, *Selinuntius*; ſic alii. Neque enim ſacrorum ritus diverſi efficiunt ut ipſa numina re differant. Ad ſymbolorum etiam figuram multiplicem non pauca *ſimulacra* formata. Neque ita intererat, an *Symbolum*, an *Numinis ipſius*, an *Symboli figuram* adorarent. Ab hoc more *Aureus Vitulus* ſeu Juvencus *Oſiridem* ſeu *Solem* præ ſe ferebat; quo ſoli boves mares in Ægypto, uti ſymbola, ſacri. Nam ut *Iſis*, id eſt, *Luna* ſive *Tellus Mater* & *Nutrix*, ita *Sol* aut *Oſiris* ( quod nomen etiam non magis *Solem* quam *Dæmonium* in utriuſque theologiæ dogmate, uti & id genus cetera, deſignat ) *Pater* nuncupandus. *Vaccas* igitur *Deabus illis*, *Tauros Soli*, beneficia Naturæ ἀῤῥενοθήλεος utrinque agnoſcentes, ſacrabant. Eadem ratio de *ove*, *capra*, *accipitre*, *ibide*, *crocodilo*, *fele*, *ichneumone*, *cane* & quæ ſunt alia in portentoſiſſimis veterum, maxime Ægyptiorum, indigitamentis: tametſi enim perquam difficile fuerit eorum uniuſcujuſque ſive apotheſeos ſive ſacrationis initia & cauſas patefacere, ab id genus tamen primordiis, neque aliis quam quæ jam oſtendimus, pleraque omnia exorta eſſe nobis eſt perſuaſiſſimum; imo omnino omnia, quæ ſimul ſunt vetuſtiſſima. Verum & ( quod non eſt omittendum ) *Sacerdotum* & *antiſtitum arbitratu* dein innovata, interpolata, aucta erant nimis & *ſacra* & *Numina* paſſim; quorum ratio eo magis inacceſſa eſt, quo ea a vulgi captu magis aliena ſunt, magis miranda, magiſque & terrore & præſtigiis plena, quæ hierophantæ illi ad perſtringendam colentium aciem, ut & ignotius atque ita firmius ſuperſtitionis augmentum fieret, inſtituebant. Neque enim quæ e naturæ arcanis ſumuntur argumenta inſtitutioni vulgi ſufficiebant; ſed *fabulis*, ſed *prodigioſis narrationibus*, ſed *ſingulari effigierum copia* ad eaſdem oſtentandas, & adſtruendas, uti illecebris, opus erat. Quod optime animadvertit optimus Geographus libr. α. ὐ γὰρ, inquit, ὄχλόν τε γυναικῶν ϰ παντὸς χυδαίυ πλήθυς ἐπαγάγειν λόγῳ δυνατὸν φιλοσόφῳ ϰ προκαλέσασθαι πρὸς εὐσέβειαν ϰ ὁσιότητα ϰ πίστιν. ἀλλὰ δεῖ ϰ διὰ δεισιδαιμονίας. τῦτο δὲ οὐκ ἄνυ μυθοποιΐας ϰ τερατέιας. De eadem re tantundem Syneſius in Calvitii encomio: τὸ δὲ ῥᾷστον καταγελᾶσεται ὀδυνῆμος· δεῖται γὰρ τερατείας. Id eſt. *Quod intellectu facillimum eſt deſpicitur a plebe*, *prodigioſæ narrationes adhibebantur oportet*: quas ſane libentius admirantur & excipiunt fatui, uti canit Prudentius, vulgares

> *Quos* lana *terret* diſcolor *in ſtipite*
> *Quos ſæpe falſus* circulator *decipit*,
> *Quibus omne* ſanctum *eſt quod* cavendum *vanulæ*
> Edentularum *cantilenæ ſuaſerint*.

Plura autem quæ ad iſthæc quæ aperuimus initia referre non licuerit, ab hujuſmodi fabulis & portentis, in rem excogitatis, & data opera obtruſis, pullulaſſe par eſt ut ſentias. Ut ex Idolorum, Stelarum, & Symbolorum numero, Deorum multitudo creverit, hactenus ſatis indicavimus. Invocationum & Hymnorum ritum adjicimus, qui huc ſpectat, ſingularem. Is ita plerumque peragebatur, ut quamplurimis congeſtis, quæ elogia complecterentur, nominibus, Numen invocaretur. Titulorum enim varietate capi Deos, placari, & ad vota ſuſcitari, maximoque inde offici honore putabant, quod multiplex poteſtas & imperium imprimis ita agnoſceretur; & πολυωνυμία ſive nominum multitudo exoptatiſſima habita eſt numinibus gloria; unde Diana, apud Callimachum, Jovem patrem, ut perpetuum ſibi virginitatis florem & πολυωνυμίαν tueretur, enixe impetrat:

> Δός μοι, inquit, παρθενίην αἰώνιον,
> Ἄππα, φυλάσσειν
> Καὶ πολυωνυμίην ---

Onomacriti hymnos ( quorum autorem Orpheum credit imperitum vulgus) qui luculentiſſimum hujuſce rei ſpecimen præbent, mitto, & de Aſtrochitonis nominibus quadraginta plus minus carmina, ubi Bacchus μύστιδι, uti ait Nonnus, φωνῇ precatur, occupantibus moneo. Habentur in Dionyſiacorum XL. Ab hoc ritu Iſis μυριώνυμος dicta eſt. Quemadmodum autem ab innumero *idolorum*, *ſtelarum*, & *ſymbolorum* numero, ſic a *Nominum* in ſacris adhibitorum *multitudine*,

*ne*, ingens indigitamentis fiebat accessio: & quæ primum nomina tantummodo, numina deinde diversa æstimabantur. Sic *Luna* quæ & *Isis*, & *Lucina*, & *Diana*, *Trivia*, & *Hecate* dicebatur, tot demum, atque innumeras alias peperit Deas: nomen enim unumquodque numen singulare devenit. Idem *Soli*, qui *Phœbus*, *Apollo*, *Hyperion*, varias ob causas atque aliter dictus est, accidit, idem ceteris. Et, ad discrepantia statuentium placita, simulacra denominabantur, perinde ac si Verum Deum Opt. Max. colentes, in eum inciderent errorem, ut vocabula ei attributa velut plura numina acciperent. Iste autem invocationis ritus (quod obiter monendum) a Domino nostro Jesu Christo arguitur in D. Matthæi cap. VI. comm. 7. & πολυλογία appellatur. Gentes, inquit, δοκοῦσι ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. Ejuscemodi ad Verum Deum Opt. Max. hymno nominibus divinitati competentibus duntaxat refertos habes in Arabicis Canticis, ubi centum amplius numina nonnunquam ita congeruntur ut nil præter adjectam singulis invocandi interjectionem admittant. Vide & si placet Mosem Ægyptium More Neboch. lib. I. cap. LVIII. Certe & mirum est nisi importunæ illæ preces ad Baalem Sidonium fusæ, quas memorat scriptura, eundem ad morem conciperentur. Prophetæ ejus *a mane usque ad meridiem invocaverunt nomen Baal, dicentes, o Baal exaudi nos*. Continuo sex horarum spatio vix est ut iisdem tantummodo, quæ lingua populari binæ solum erant, vocibus nempe הבעל עננו *habaal agbonenu* contenti adclamarent; neque ea verba aliter quam uti aliorum, quæ plurima erant, exemplum adduci, existimare est iniquum. Hisce demum accesserunt multiplices illi τῆς θεολογίας τύποι, seu rationes res divinas explicandi. Alii enim συμβολικῶς tantum docebant, ut Orphici; εἰκονικῶς alii, ut Pythagorei, alii ἐνθεαστικῶς; quorum omnium sententiæ & præcepta, vulgo obtrusa, satis portentosa erant & symbola & simulacra, & affanias enthusiasmo dignas mirum in modum auxere. Nec fere ante Platonem apud Gentes alius erat τῆς θεολογίας τύπος. Ille autem ἐπιστημονικῶς de Diis scripsit: De qua re satis in primo Platonicæ Theologiæ Proclus. Ex hisce, quæ narravimus, potissimum initiis luxurians illa Deorum seges, per totum terrarum orbem, orta est. Primi autem Theologiæ, quod supra diximus, generis numina ea insania demum posteri fingebant, ut nil omnino exstaret, quod humanæ vitæ commodi aliquid etiamsi minimi adferret, quin divinitate donarent: Videsis Maximum Tyrium dissertatione XXXIII. Hinc non elementa modo, sed Allium, Cæpe & res ejusmodi infimæ, sordidæ & deformes, Numina facta; & quicquid erat hominum invasit illa, quam Perseus Zenonis auditor amplexus est, philosophia, *Deos esse habendos a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utileis & salutareis Deorum esse vocabulis nuncupandas, ut ne hoc quidem dicerent, illa inventa esse Deorum sed ipsa divina*, uti verba sunt Ciceronis in I. de Nat. Deorum; ubi etiam postea. *Ipsi, qui irridentur*, Ægyptii *nullam* belluam, *nisi ob aliquam* utilitatem, *quam ex ea caperent, consecraverunt*. Quæ, si rite cum iis quæ supra animadvertimus de symbolis, perpendantur, haud ægre constabit,

> *Vilia cur magnos æquent animalia Divos*

in Ægypto, uti est apud Statium. Tandem etiam omnimoda fere qualitas in qua vis inest major aliqua, Deus censebatur: ut Fides, ut Mens, Virtus, Honor, Salus, Concordia, Libertas, Victoria. Adfectus demum animi, quod, iis imperantibus, sive voluptate, sive mœrore vicissim afficimur, inde pro Diis habiti; sic Amor, quem Cœcilius apud Tullium in Tusculanis,

> ---- *Deum qui non summum putat*
> *Aut stultum, aut rerum esse imperitum existimat*:
> *Cui in* manu sit, *quem esse* dementem *velit*,
> *Quem* sapere, *quem* sanari, *quem in* morbum *injici*,
> *Quem* contra amari, *quem* arcessiri, *quem* expeti.

De adfectibus corporis idem dicendum: inde *Febris* Fanum in Palatio. Hac enim placata, salutem duxerunt sperandam; & a *Mala fortuna* (cui ara in Esquiliis) boni eventus impetrabantur. Sic *Contumeliæ* fanum, & *Impudentiæ*; quod expiato scelere Cylonio, Epimenide Crete suadente, fecerunt Athenis: hosce enim atque alios, ne læderent, divinis honoribus cumularunt, & non nocere, quum possent, pro beneficio jure habebant. Inde etiam Romæ tempestatibus ædes sacræ erant. Cicero in III. de Natura Deorum: *Quod si nubes retuleris in Deos, referendæ certe erunt* Tempestates, *quæ populi Romani ritibus consecratæ sunt*. Eæ consecratæ sunt (quod heic monere visum est, cum non aliud sit, in Romanis, Numen, cujus in vulgatis veterum monimentis origo ignotior) A. ab.

V.C.

V. C. CDXCIV. a L. Cornelio Scipione L. F. C. N. Cos. postquam Corsici maris rabiem evaserat. Id constat ex inscriptione antiquissima sane quam omnium (præter eam quæ Duilii est) altero abhinc anno ad portam Capenam effossa & ad hunc modum concepta.

HONC. OINO. PUOIRUME.
CONSENTIONT. R. DUONORO. OPTUMO. FUISSE.
VIRO. WCIOM. SCIPIONE.
FIVIOS. BARBATI. CONSOV. CENSOR. AIDIVIS.
HIC. FUET. A. HIC. CEPIT.
CORSICA. AVERIAQVE.
URBE. DE DET. TEMPESTATIBUS. AIDE. MERETO.

Olim, e Galliis, a N. Fabricio Petriscio viro & genere & eruditione clarissimo atque Aquensis Curiæ Senatore Amplissimo, Vir & natalium splendore & optimis studiis Nobilissimus, Robertus Cottonus, dignitate equestri, accepit ita transcriptam; adjectis ab aliquo, qui nomen suum immerito (nam doctissimum fuisse virum liquet) lectori invidit, animadversionibus me hercule eruditis, quæ verborum illa & syntaxeos prodigia explicant. Bono literarum publico ante decennium in lucem cum animadversionibus emissa est: Et ni me fallat fama, earum autor est Vir Clar. Jacobus Sirmondus. Sed absque hoc si fuisset monimento, non modo Tempestatum apotheoseos primordia latuissent, verum & Ovidii locum, in Fastis hactenus non intellectum, nunquam omnino recte cepissemus, is l. vi.

> *Te quoque* Tempestas *meritam delubra fatemur,*
> *Cum pæne est* Corsis *obruta classis aquis.*

Pentametrum illud nemo est hominum qui satis intellexerit, nisi qui hinc edoctus. Idem est ac si dixisset, *cum L. Cornelius Scipio Cos. Corsico mari periclitaretur:* sed & emersus etiam triumphavit; de quo mentio est in Fastis consularibus. Sic nempe, ut infortunia averruncarent, velut *Malæ Fortunæ* ministros placabant, &, ad numinum ortus, magis ridicula in dies, spurca, &, pro fœcundis superstitiosorum nugis, numerosa alia accesserunt: etiam & (sed honorem præfabor) Crepitus Ventris; quod emissus sanitati corporis haud parum sit conducibilis; suppressus item, noxius. Inde Regi minus imparem esse joculari epigrammate scripsit Nicarchus, quod vitæ & necis (hominis ingenium!) habuerit potestatem:

> Οὐκῶν, ait, εἰ σώζει κ̀ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ,
> Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσlω πορδὴ ἔχει δυνάμιν;

Dæmoniorum autem eousque tandem numerum sibi augebant, ut non modo summis & exoptatissimis Naturæ beneficiis meritissimoque suspiciendis singulis dæmonia, uti præsides, & tribuerent & venerarentur, sed etiam minimis quibusque & leviculis rebus. Geniculis caulium Nodinam assignabant, Limini Limentinam, Cunis Cunam, ædium munditiei Diverram, victui potuique Victuam & Potuam. Infinita ejusmodi habentur ex Varrone apud D. Augustinum, Arnobium, alios. Nullum tum demum numen, quod ex depravato ordinatæ Naturalium corporum seriei intellectu manaverat, sive Dæmonio adorabatur: quod D. Paulus monet in 1. ad Corinthios c. x. comm. 20. ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει.

> --- *Sic observatio crevit,*
> *Et atavis quondam male* cœpta, *deinde secutis*
> *Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta.*

Ut canit Prudentius contra Symmachum. De Numinum, apud veteres a vero cultu deficientes multitudinis sive τῆς πολυθέυ πλάνης ortu hactenus. Sed & poscit forte loci opportunitas, ut brevi etiam filo adnectam saniorem in ea sententiam, quam doctiores gentium & philosophi & hierophantæ sobrie & penitius arcanæ naturæ rerumque seriem scrutantes amplexabantur, & mystice docebant. Ea erat, Unicam esse supremam omnium causam, Unicum orbis moderatorem in innumeris illis cultum quem tametsi in vulgus ejuscemodi disciplinæ satis incapax edere noluerint: ita tamen inde sacra instituere, ut quid ipsi senserint haud ægre posset elici. Nam cuicunque Deo quispiam faceret, non eum modo seorsim sed *omnes pariter Deos Deasque* ciebat. Quod omnem nimirum & multiplicem illam divinitatem ii qui ἐποπτικὸν τῆς sive Φιλοσοφίας sive Θεολογίας μέρος imbiberant, Uno aliquo consistere, in Unum contrahi debere, existimarent. Ita *Græci*, ita *Latini*, ita ni fallor etiam ipsi, qui longe ante alios ob ridiculam Deorum turbam sunt infames, *Ægyptii*. De *Græcis*, solennes precum & adjurationis ritus apud Homerum testantur, ubi nuncupati sunt aliqui Dii, sed omnes etiam insuper invocati. Videsis Agamemnonis preces ad Deos perjurii ultores su-

fusas Iliad. γ. & de inviolata Briseidis pudicitia juramentum ejus Iliad. τ. Ad primum locum recte animadvertit inde Eustathius: Πάντας ἐπικαλεῖται θεὼς, καὶ ὀ μόνον Δία, καὶ γῆν καὶ Ἥλιον, οἷς οἱ ἄρνες ἐνταῦθα θύονται. Adde, si placet Smyrnæorum & Magnetum juramenta in eorum Fœdere quod nuper edidimus, & ad idem Notas, pag. 147. Deos etiam cœlestes, a Stygiis seu ὑποταρταρείοις, in sacris vulgaribus ita distinguebant, ut his victimam gutture ad terram depresso, illis sursum verso (quod αὖ ἐρύειν verbo item sacro vocabant) his ad occasum solis, illis mane, jugularent; aliique erant, ad invicem contrarii ritus: quos tamen ad faciliorem vulgi disciplinam, non ad sanioris atque interioris sacrarii theologiæ dogmata: inde satis patet institutos, quod hos etiam omnes, uti Deos ipsos, positis aris & extructis delubris, perinde ac si, qua per vulgus liceret, ut Unicum Deum, ita unum duntaxat genus sacrorum agnoscerent, non raro confundebant. Nam omnibus Diis communes aras, communia fana sæpe sacrabant; & Omnes simul, velut unum, unis sacris colebant. Sic Eleis, Arcadibus, Atheniensibus, Corinthiis, Lacedæmoniis, Βωμοὶ erant θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ: sive Omnes *Dii Deæque* σύμβωμοι celebrabantur, teste Pausania; quo fieri nequiit, si opiniones illæ de ritibus omnino contrariis, viribus item Deorum adversantibus, numinumque illo quod futile vulgus invaserat discrimine, saniorem & a serio universi contemplatu instauratam Theologiam etiamnum occupassent. Et Athenis omnibus Europæ, Asiæ, & Africæ Diis posita est ara sit inscripta:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩι ΑΓΝΩΣΤΩι
ΚΑΙ
ΞΕΝΩι.

Eandem volunt hanc ipsam nonnulli, quæ D. Paulo ansam præbebat, ut Verum Deum ἄγνωστον seu ignotum eo nomine adnunciaret: vide Act. Apost. c. XVII. comm. 23. atque ibi Oecumenium & Theophylactum. Et præter ea quæ doctissimus Beza de hac ara adnotavit, consulas, si placet, quæ scribit Isidorus Pelusiota l. IV. epist. LXIX. Apud Latinos similes passim repertæ sunt sacræ Diis Deabusque omnibus, & Dibus Deabusque omnibus, & Herculi invicto & ceteris Diis. Sacrorum tamen in vulgus emissi ritus, ita mutuo nonnunquam adversabantur, & tantum aberat, ut quis mysteriorum expers συμβώμους fieri omnes posse opinaretur, ut ne nominari simul nonnullos absque piaculo liceret. De alio non nominando exemplum est in sacris Herculeis. A Martis Sylvani sacris mulieres abigebant: aliis quibusdam hostis, vinctus, mulier, & virgo interesse, clamante lictore, prohibebantur. Videsis Catonem de re Rustica c. LXXXIII. & Sextum Pompejum in *Excesto*. Atqui contra, dum Bonæ Deæ faciebant mulieres, haud viri solummodo, sed quicquid omnino masculi erat, muribus etiam solicite quæsitis, ædibus exterminabatur. Atque inde Θεὸς γυναικεία dicta est Græcis, sive *Dea muliebris*, quam & Venerem Cnidiam esse censebat Annitianus Hymenæus, a sacrorum antistibus proculdubio edoctus, cum fanum ei hac dicaret inscriptione;

BONÆ DEÆ VENERI CNIDIÆ.

Quæ, in marmoreo hyperthyro, cum aliis venerandæ antiquitatis monimentis, ex Italia ab honoratissimo Comite Arundelliano in ædes ad Thamesis ripam cognomine translato reperitur. Verum tam discrepantia numina, & omnimodo contrarios ritus, mystice in Unum Deum, atque Una sacra hierophantæ eorum contrahebant. Et ut Græci, sic illi *omnes porro Deos Deasque* quicunque supplicarent, invocabant. Qui mos a pontificibus ad unicam in ænigmate divinitatem agnoscendam necessario sancitus: ita Servius Honoratus ad Georgic. I. in illud

*Diique Deæque omnes, studium quibus arva tueri.*

*Post specialem*, inquit, *invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen prætereat; more Pontificum, per quos ritu veteri, in omnibus sacris, post speciales* Deos *quos ad ipsum sacrum quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur*. Et quid aliud innuit Cicero, cum Terentiam suam alicui Deo, qui ei medicinam fecisset, satisfacere hortatur, quam sub alicujus nomine omnes comprehendi? verba ejus sunt l. XIV. epist. VII. χολὴν ἄκρατον *noctu ejeci: statim ita sum levatus, ut mihi* Deus aliquis *medicinam fecisse videatur*: cui *quidem tu* Deo, *quemadmodum soles, pie & caste satisfacias velim*. Cum autem omnes simul Deos Deasque cuilibet rei in votis nuncupandis ad hunc modum præfecerint illi sacrorum præsides, fieri nequit quin universos hosce velut multa tantummodo nomina supremi omni-

omniumque rerum moderatoris unici, unicum illud Numen designare voluerint; quod vulgo, uti novatores, pandere, nec reipublicæ, nec sibi ipsis tutum erat. Idem in Deorum sexu evenit: Credidit vulgus Deum hoc, illud Deam Numen. Edocti tamen a sacrorum antistibus, solenni invocatione sive tu Deus es sive Dea unumquodque compellabant, teste Agellio, Arnobio, aliis. Utriusque scilicet naturæ & masculinæ & fœmininæ vis ineffabilis, quam veteres in Deo Unico Opt. Max. agnoscebant, ἀῤῥενόθηλυν eum vocantes, mystice innuebatur, & in hymnis Orphei dictis, ad Minervam

Ἄρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς ---

ad alias tantundem. Rectissime item ad eam mentem Nicomachus Gerasenus in ἀριθμητικῶν θεολογουμένων libris, ceteroqui satis ineptis, Unitatem ἀρσενόθηλυν (uti expresse Deum ipsum Opt. Max. vocat Pœmandræ autor) asserit. Habes apud Photium Cod. CLXXX. VII. Et τὶ τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ παρὰ τοῖς Θεοῖς, scriptis suis olim explicavit Hipparchus Philosophus Aristotelis auditor, quod memorat Suidas. Sed & de promiscuo in Deorum nominibus generum usu, qui a recondita hierophantarum Theologia emanavit, nos plura diximus, ubi quid Astarte fuerit indagamus. Pervicax autem vulgus est, & morum a majoribus traditorum ita tenax, ut dogmata longe absurdissima, modo a patribus sint accepta, veritati ipsi plerumque antevertat. Quod eleganter Synesius: Ἀμαθεῖς ὄντες ἰσχυρογνώμοντές εἰσι καὶ χαλεποὶ προστάται τῶν ἀτόπων προλήψεων. Neque igitur sexuum discrepantiam, neque infinitam utriusque turbam ad Unum referendam palam ausi sunt antistites edocere. Neque enim absque sacrorum etiam ingenti detrimento, ac sacerdotum incommodo & periculo, quin nec sine labe publicæ fidei, quæ sancita & semper usitata religione nitebatur, id fieri potuit. Medio ibant tutissimi Græcorum & Latinorum sacri antistites: Reconditam & vero proximantem Theologiam neque evulgabant, neque omnino sibi retinebant; sed in iis, quæ vulgo in usu erant, sacris, mysteria instituebant solennia, unde ansam occultæ veritatis eruendæ non ita difficile erat sanioribus arripere. Non ita, ut opinor Ægyptiorum prophetæ: sed tamen & iis unitatis erat reconditissimum symbolum. Nam ridiculas figuras, innumeras, ac portentosas prophano hominum cœtui ostentantes, atque inde inprimis imperiorum & foventes & ludentes superstitionem, alia sibi inclusa sacris scriniolis servabant mysteria, hoc est, quasdam Sphæras, quarum singulæ, in singulis fanis a prophanorum conspectu abditissimæ, symbola, ut videtur, universi orbis Moderatoris unici erant. Etenim ut Mundi figuram sphæra ostendit, ita & non male supremæ causæ unitatem. Immensum igitur inter abdita prophetarum & ea, quæ vulgo fingebantur, sacra, apud eos etiam discrimen neque simplicitatem cultus patienter turba tulisset; nec gravem Diis suis & inexpiabilem injuriam non fieri censuisset, si sphæras illas & reliqua prophetarum & antistitum sacra affaniarum accessione, & ridiculis admirationis illecebris minus inquinata forte inspexerat. Ita Synesium de Ægyptiorum hierophantis seu prophetis capio: is in Calvitii encomio: Παρ' Αἰγυπτίοις τὰ προφητικὰ γένη, inquit, βαναύσοις μὲν καὶ χειρώναξιν οὐκ ἐπιτρέπουσι δημιουργεῖν εἴδη Θεῶν, ἵνα μή τι τοιοῦτο παρανομήσωσιν, ἀλλὰ τοῖς μὲν ῥάμφεσι τῶν ἱεράκων καὶ τῶν ἴβεων, ἃ τοῖς προτεμενίσμασιν ἐγκολάπτουσι, καταμωκῶνται τοῦ δήμου. Αὐτοὶ δὲ καταδύντες εἰς τοῦτο ἱεροὺς χηραμοὺς, ἅττ' ἂν ἀπεργάσωνται περιστέλλουσι. Καὶ ἔστιν αὐτοῖς κωμαστήρια, τὰ κιβώτια, κρύπτοντα, φασὶ, ταύτας τὰς σφαίρας, ἃς ὁ δῆμος ἐὰν ἴδῃ χαλεπανεῖ· τὸ δὲ ῥᾶστον καταγελάσεται. δεῖται γὰρ τερατείας πῶς δὲ οὐ μέλλει δῆμός γε ὤν. *Apud Ægyptios, prophetæ vilium & profanarum rerum artificibus minime permittunt formare simulacra Deorum, ne scilicet in opere transgrederentur. Sed accipitrum & Ibidum Rostris, quæ in vestibulis fanorum insculpunt, plebem deludunt; ipsi vero in sacra descendunt antra, ubi, secreto rem peragunt. Habent cum* κωμαστήρια *quæ arcæ sunt quasdam, ut ajunt, occulentes Sphæras, quas si conspiceret vulgus moleste ferret: Nam quod intellectu facillimum est, despicit, & prodigiosis opus est ei mendaciis. Neque aliter fieri potest, cum scilicet vulgus sit.* Ita nimirum intelligendus, puto, ille locus: Nec τὰ κωμαστήρια pro commessationibus cum interprete accipienda. Torsere se de hoc vocabulo solicitius viri doctissimi. Sane mihi satis compertum videtur, fuisse apud Ægyptios non solum κωμαστὰς, qui secundum erant genus antistitum, quemadmodum prophetarum primum & τῶν ζακόρων seu æditorum tertium (quod licet ex ejusdem Synesii temmate primo περὶ προνοίας, ubi de solenni Regis Ægyptiorum electione agit) verum etiam κωμαστείας & κωμαστήρια, quorum singulis notio quidem diversa, sed ad invicem cognata. De κωμαστείαις Clemens Alexandrinus Stromatων lib. V. ἐν ταῖς καλουμέναις παρ' αὐτοῖς

(de

(de Ægyptiis loquitur) χωμαστίαις, τῶν θεῶν χρύσεα ἀγάλματα, δύο μὲν κύνας, ἕνα δὲ ἱέρακα καὶ ἶβιν μίαν περιφέρουσι, *In iis quæ ab ipsis vocantur Deorum* χωμαστίαι, *aureas imagines, deos quidem canes, unum accipitrem & ibin unam circumferunt*. Ita vertit Hervetus & τὰς χωμαστίας suspicatur esse publicas commessationes, cognatione Græci soni cum aliis deceptus. Certe non omnino est cur inde *commessationes* aut apud Clementem, aut apud Synesium interpretemur; cum nempe vocabula apud utrumque ipsa ab Ægyptiaca potius origine sint deducenda; adeoque quantum scimus, cum comessationibus nihil habeant commune: sed vero solennia aliqua sacra, eo nomine indigitata, innui palam videtur. Nec χωμαστίας τῶν θεῶν, sed ἀγάλματα τῶν θεῶν dici opinor, & verba Clementis verti debere *de iis, quæ ab ipsis vocantur* χωμαστίας, *aureas Deorum imagines, duos nempe canes &c.* Nam animalia illa Ægyptiis Deos fuisse pueri sciunt. Hisce qui præerant, χωμάσται, ni fallor nuncupabantur, qui velut Magi, puto, erant, & sacris, ut fit, dolis populum ludebant. Inde χωμάσθαι idem quod μαγεύειν etiam significabat, quod ex Hesychio discimus. Ipsas autem arcas seu κιβώτια, quibus sive sphæræ illæ, sive imagines, quas memorat Clemens, inclusæ erant, χωμαστήια vocabant, vasa scilicet ad τὰς χωμαστίας inprimis spectantia. Ita analogiam Græci scriptores, ad suam linguam, in terminationibus servare volebant, dum ab Ægyptiaca origine hæc trina vocabula formabant. Adi, si placet, Dionysium Petavium ad Synesii Encomium Calvitii. Cæterum ex his tandem satis constat, *Græcorum*, *Latinorum*, *& Ægyptiorum*, qui nempe omnes longe ante alias gentes Arcanorum naturæ studiis incumbebant, abditiorem, & quam in vulgus edere non immerito abhorrebant, Theologiam non tam Plures quam Unum supremum Deum agnovisse; uti & sanctiorem Philosophiam. Nec infrequens erat, apud saniores, illud quod in Aristotelis sic dicto libro περὶ κόσμου legitur: Εἷς δὲ ὢν πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν ἅπερ αὐτὸς νεοχμοῖ. Id est, *cum porro Deus unus sit, pluribus* omnibus *appellatus est; ab iis utique omnibus* effectibus *denominatus, quorum specimen edere ipse solet*. Certe Syrorum nostrorum hicromystas idem fere cum Græcis Latinis, & Ægyptiis in hac re censuisse existimes licet. Satis enim manifestum est, fuisse in iis qui idola colentes, etiam ipsum Deum Opt. Max. timebant: sic enim de Coloniis a Salmanassare in Samariam deductis 2. Reg. cap. XVII. comm. 32. & 33. *Timebant itaque* Dominum *& fecerunt sibi quosdam sacerdotes Excelsorum, qui illis in fanis Excelsorum sacra faciebant: sic itaque timebant* Dominum; *sed & coluerunt* deos suos, *juxta morem gentium quas inde transtulerant*. Ad hanc rem plura habes in eodem capite: mos autem Samaritanorum antea erat, locis editis sive excelsis, contra quam divino obstringebantur præcepto, sacra facere. Non difficile est, ex jam disputatis omnium Gentium Numinum, Theogoniarum, Sacrorum, Simulacrorum, bonorumque cunctorum, nimii sæpius, pro patriis institutis, discriminis & causam vero saltem proximantem eruere, & genuinam erroris & originem & propagationem deprehendere eorum, qui, ut D. Pauli verba sunt ἐμωράνθησαν καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ΑΦΘΑΡΤΟΥ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ΑΝΘΡΩΠΟΥ καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν, id est, *Stulti facti sunt & mutaverunt gloriam* Dei Immortalis *per imaginem, non solum ad mortalis* Hominis *similitudinem effectam, verum etiam* volatilium & quadrupedum, & reptilium.

# SYNTAGMA PRIMUM.

## CAPUT I.

*De* Gad, *seu Fortuna*. Mazal Tob. Jupiter, *seu* Stella Justitiæ. Mazal *&* Mazaloth. Mazaroth Μαζουρώθ. *Ordo Angelorum apud Cabalistas dictus* Mazaloth. *B. Augistini de Fortuna, in Sacris literis, animadversio*. *Usus vocabulorum* Forte *&* Fortuito. Gad, Δαιμόνιον; Meni, Τύχη *Senioribus videtur dici, quod pro* VII. *planetis ab Hebræis sumitur*. *Astrologica ratio, juxta quam* Gad *in Historia* Leæ *possit intelligi disquiritur*. Sors Fortunæ. Thema secundum, *cujus horoscopus* Sors Fortunæ. Athla *Manilii*. Duodecim locorum *antiquitas*. Sortes *Astrologorum; omnes rejiciebat Ptolemæus præter* κλῆρον τῆς τύχης: κλῆρος τῆς τύχης *est etiam* ἀγαθὴ τύχη *vocatus, & Lunæ tributus apud Ægyptiorum vetustissimos*. Sortes omnium Planetarum *ex Hermete*. Macrobio *lux*. Harpocratis *sacra*. Vettius Valens Antiochenus *Astrologus* ἀνέκδοτος. *Ex eo de* sortibus Dæmonis *sive* Solis, Fortunæ *sive* Lunæ, Amoris *sive* Veneris *&* Mercurii, *nimirum* Necessitatis *excerpta quædam*.

For-

Fortuna Primigenia *a Romanis culta; cur sic dicta*. Gad, Militia *seu* Exercitus Cœli. Fortuna Cœli. *De* Philastrii *hæresibus*.

NUminum, quæ scilicet in Veteri Instrumento occurrunt commentitiorum classes binas facimus, ad vulgarem ejusdem distributionem. Alteram eorum quæ in Pentateucho primum reperiuntur; eorum quæ in Prophetis, alteram. Primæ classis habentur *Gad*, (quam Fortunam dicunt) *Teraphim*, *Baaltzephon*, *Vitulus Aureus*, *Baal-Peor*, *Moloch*. Secundæ, *Baal* seu *Bel*, *Astarte* seu *Astoreth*, *Dagon*, *Miphletzeth*, *Baal-zebub*, *Succoth Benoth*, *Nergal*, *Thammuz*: Alia minorum gentium. In utrisque *Solem*, *Reginam Cœli*, *Militiam Cœli*, *Planetas* censemus, quæ scilicet obiter cum cæteris aut memorantur, aut secundum cultus extranei (quem עבדה זרה vocant) Theologiam plerumque intelligebantur. Neque poscit res ipsa, nec bene fert ut alia omnino methodo ea exhiberemus. Sunt etiam, quod nemini ignotum est, compluria in sacris literis innominata omnino numina, quorum unumquodque aut ad horum aliquod referendum est, aut plane ignoratur. Adeo ut de eorum natura nil omnino queat ultra dici, nisi nudis atque inanibus conjecturis, contra morem nostrum, indulgeremus. Gad primum ante alia Numina apud Syros culta, memoratur Genes. xxx. comm. 11. *Peperit itaque Zilpah, ancilla Leæ, ipsi Jacob filium, & ait Leah* בגד Bagad, *& vocavit nomen ejus* Gad. Hebræorum aliqui Fortunam Bonam hic intelligunt, Leamque loquutam, quasi partui bene esset ominata; unde vulgata editio, quæ D. Hieronymi dicta, *Feliciter* pro *Bagad* habet. Nam Hebræi resolvunt בגד *Bagad* in בא גד *Ba Gad*, id est, *Venit Gad*, quod interpretantur per בא מזל טוב *Ba Mazal tob*, id est, *venit Fortuna Bona*, sive sidus bonum, bonus Dæmon. Et Masorethis, est hæc una ex quindecim dictionibus quæ scribuntur ut una, & leguntur ut duæ. Volunt autem plerique Mazal tob, Jovis stellam (quam כוכב צדק *Coceb Tsedek* nuncupant, id est, *Stellam Justitiæ*) denotare; quod uti notat Munsterus, *liberorum generationi, secundum Astrologorum dogma, radiis suis conducat. Unde etiam puellæ desponsatæ traditur annulus in quo scriptum est* Mazal tob: *Nam Mazal est sidus seu stella, unde dicunt Rabbini, non esse aliquam herbam in terra, quæ non habeat proprium* מזל Mazal *seu stellam influentem & dirigentem in cœlo*, quod ait ille Mazal vero; numero secundo, nempe Mazaloth (quod &, immutato nonnunquam ל in ר, Mazaroth exaratur) nunc Planetas, nunc xii. signa significat. In 2. Reg. cap. xxiii. *adolebant incensum Baal, Soli, Lunæ, Planetis* (ubi Hebraica veritas: למזלות *Lamazoloth*, LXX. autem Μαζȣρὼθ habent) *& universæ militiæ cœli*, ubi Procopius Gazæus, Μαζȣρὼθ, inquit, ἀςέρος ὄνομα, ὡς ἐικὸς τȣ̃ Ἑωσφόρȣ ac si unicum aliquod Sidus denotaret: sed Suidas; Μαζȣρὼθ, τὰ συςήματα τῶν ἀςέρων ἃ ἐν συνηθέιᾳ ζώδια καλȣ̃νται. De Mazaroth & Mezarim videsis Job. c. xxxviii. comm. 9. & c. xxxviii. comm. 32. Sed Astronomi Judæi Zodiacum אופן המזלות *Ophan Hamazaloth*, id est, circulum Mazaloth, seu signorum, & ipsa signa יב מזלות id est, duodecim Mazaloth vocant. Cabalistis autem ordo quidam Angelorum Mazaloth appellatur: adi, si placet, Dogmata Cabalistica ii. vii. & xlvii. &, in ea Archangheli Commentarios. Sed vero, maxima apud Hebræos ratio, qua מזל טוב seu Sidus beneficum sive Jupiter aut Fortuna, quæ Astrologis a Siderum positura pendet, heic intelligitur, ex lingua petitur Arabica, in qua, ajunt, Sidus illud beneficum גד appellatur. Ita Rabbi Moses sacerdos apud Cimchium in Jesaiæ caput lxv. & in Radicibus. Idem memorat etiam Aben-Ezra ad dictum Genesim locum.

Certe حاد *Gad* Arabibus *bonus* seu *beneficus* est, adeoque Jovis stellam denotat, ex hoc Mosis loco aut hac apud Hebræos notione, forsan primo sumtum. Ut Hebræi autem, ita Chaldæi locum illum Geneseos, de verbis Leæ, interpretantur. Onkelos enim habet אתא גד *Atha Gad*, id est, *venit Fortuna*, seu *Gad*. Et Arabs editionis Erpenianæ itidem حاء حد quod non aliud sonat.

Sed paraphrastes ille Pentateuchi, qui sub Jonathanis Ben-Uzielis nomine circumfertur, אתא מזלא טבא *atha Mazala taba*, id est, *venit Mazala* sive *Fortuna Bona*. Atque Targum Hierosolymitanum, אתא גדא טבא, id est, *venit Geda* seu *Gad felix* sive *bonus*. Verum heic Septuaginta, ϗ̀ ἔιπε Λέα, Ἐν τύχῃ. vertunt, quasi Beth servilis esset loco præpositionis. Atque ita habet exemplar vetustissimum Geneseos in Bibliotheca Cottoniana: sed in Græcorum versionibus nonnullis legebatur τετύχηκα uti videre est apud B. Chrysostomum in Genesin sermone lvi. Id interpretatur ille

per

per ἐπέτυχον τοῦ σκόπου; Sed in aliis etiam ἀτύχηκα repertum est, quod in Notis ad Seniorum versionem observatur. Inde item Latinis olim *Beata facta* vel *felix sum* ibi substitutum. Atque advertit B. Augustinus. *Quod Latini habent de nato filio Liæ de Zelfa, quod dixerit*, Beata facta *vel* felix sum, Græci *habent* ἐν τύχῃ ( ita enim legendum ) *quod magis* Bonam Fortunam *significat; unde videtur occasio non bene intelligentibus dari, tanquam illi homines* Fortunam *coluerint, aut hoc verbum divinarum Scripturarum autoritas in usu receperit. Sed* Fortuna *intelligenda est pro his rebus quæ fortuito videntur accidere, non quia Numen aliquod sit: cum hæc ipsa tamen, quæque fortuita videntur, causis occultis divinitus dentur. Unde etiam verba, quæ nemo potest auferre a consuetudine loquendi, parata sunt*, id est forte, *&* fortasse, *&* forsitan, *&* fortuito. *Unde videtur, in Græca lingua resonare quod dicunt* τύχα *velut ab eo quod est* τύχη. *Aut certe Lea propterea sic locuta est, quod adhuc Gentilitatis consuetudinem retinebat*. Si vis autem obiter plura de usu vocabulorum a Fortuna deductorum, consulas ejusdem I. Retractationum. Scribit, quæ citavimus. Quæst. XCI. super Genesin. Videsis & quæstionem XCIV. Alibi vero Seniores Græci τὸ Gad in Δαιμόνιον vertunt, & τὸ Meni in τύχην. Jesaiæ cap. LXV. com. 10. הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך: *haghorciim laghad schulchan ubemmemlajim lameni mimsach*; quod Munsterus transfert, *Præparantes* Gad (*Jovi*) *mensam, & implentes* Planetis *libamen*. Græci autem; ἑτοιμάζοντες τῷ Δαιμονίῳ τράπεζαν καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα, id est, *præparantes* Dæmonio *mensam, & implentes* Fortunæ *Vinum mixtum* utrique; & hi & ille verbum verbo reddunt. A Munstero etiam sunt Rabbini; qui stellarum numerum, & septenarium, per *Meni* ibi intelligunt, ut docet D. Cimchi in Radicibus & ad caput illud Jesaiæ; ubi Onkelos Idola pro Gad substituit, & Deos fictos pro Meni. Sed vetusta versio Arabica, in Bibliotheca Arundelliana, ita locum illum exhibet

ملبتم الموا يد الاصنام ومزختم لها لحاجبن الحمر *Instruitis mensas Idoli & miscetis pocula vini mixti*. Versio autem, quam, D. Hieronymi vocant, habet; *Qui ponitis Fortunæ mensam & libatis super eam*. In utroque igitur loco tam Mosis quam Jesaiæ τὸ Gad inter numina commentitia censendum esse, æquum est ut existimemus, ipsamque *Fortunam*, ejusque, uti vocant, *Sortem*, *Sidus fortunatum*, aut *militiam*, seu *exercitum cœli* ( id est גדוד השמים, unde nomen ortum putant nonnulli) qui Fortunæ autor & dispensator Fati habitus est, eo denotatum. Etiam ad Jesaiæ locum D. Hieronymus τὸ Gad non τὸ Meni, Seniores Fortunam reddidisse adnotat, & Latina etiam eorum apud eum versio habet, *Paratis* Fortunæ *Mensam, & impletis* Dæmoni *potionem*, ordine alio, quam in codicibus excusis græca verba proferuntur. *Mimsach* autem ( ממסך ) omnes similiter, ait ille, transtulerunt κέρασμα, mixtam potionem intelligentes. De quo sacrorum ritu magnus ille pater item hæc subjungit: *Est autem*, inquit, *in cunctis urbibus & maxime in Ægypto & in Alexandria, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum qui extremus est, ponant* mensam *refertam varii generis epulis*, & poculum musto mixtum, *vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant &* Israelitæ, *omnium simulachrorum portenta venerantes; & nequaquam altari victimas, sed hujuscemodi mensæ liba fundebant*. Leam autem, mulierculam scilicet, ad Astrologorum placita, nascenti puero bene ominatum esse, haud ita est mirum; cum etiam de horis, quas vocant planetarias, sydere genethliaco, & quæ sunt hujusmodi, apud nos etiamnum vetulis verba facere ridicula sit solenne. Omitto mathesin, artesque ferme omnes sequiori sexui, in Apocryphis Enochi, acceptas ferri. Astrologorum autem antiquissimi fata eorum qui nascuntur, a fortuna sive Sorte aut Parte, quam vocant, Fortunæ maxime suspendi putabant. Atque inde περὶ τῶν ἐκτός, de re inquam familiari, militia, peregrinatione, magistratu, conjugio, opibus, nobilitate & quæ sunt id genus alia, etiam omnia fere quæ ad Natum pertinebant, judicabant. Constituto enim themate genethliaco, a Solis loco, ad Lunæ per signa consequentia putabant. Quod in eo numero partes, tot Horoscopo adjiciebant, & ubi earum finis, ibi sortem Fortunæ collocabant. Sortem hanc, velut alterum habebant Horoscopum, & alterum abea thema formabant. Et quemadmodum a themate primo, ea potissimum quæ τὰ σωματικὰ erant, seu ad ipsum natum, uti interna, spectare possint, petebant; ita in secundo illo, cujus prima sedes erat Sors Fortunæ, studia, labores, & quæ sunt alia externa, quærebant. Hæc est illa fati ratio, quam in unam summam Natura, ut ait Manilius, traxit Lib. III. Astronomic.

Nam

*Nam quodcunque genus rerum, quodcunque Laborum,*
*Quæque Opera, atque Artes, quicunque per omnia casus*
*Humana in vita poterant contingere*, Sorte
*Complexa est.*

Labores autem illos, Opera, Artes, Casus, singulari vocabulo, Athla vocat Manilius; ita ut prima sedes, id est, Sors Fortunæ, quæ ceterarum magistra & dux censebatur & veluti mater erat, esset primum Athlon, secunda, hoc est Sors Militiæ, secundum Athlon, tertia, nempe Sors rerum Urbanarum, tertium Athlon, eo modo deinceps de reliquis. De Horoscopo thematis, quod diximus secundum ille:

*Hunc Fortuna locum teneat, subeuntibus Athlis,*
*Ordine naturæ sicut sunt cuncta locata.*

Siquidem hæc thematum aut Sortium ratio in veteri Syrorum mathesi locum habuerit, quomodo melius potuerit Lea filio Zilpæ ominari, si gentilitatis consuetudinem, ut verba sunt B. Augustini, adhuc retineret, quam laborum, operum, studiorum, id est, Athlorum felicitatem, omnia demum quæ felicem vitam constituunt, nascenti exoptando? Et quidni illo ævo Syros etiam hosce Astrologorum doctos errores invasisse putes? Præ tam prisco fateor ævo, novitium est quicquid de cœlestibus dodecatemoriis, & quæ inde pendent, scriptum a studiosis jam teritur. Verum a longe vetustissimis, imo nec a rerum primordio ita dissitis autoribus Astrologiam emanasse merito volunt plerique, & Sethi beneficium agnoscunt. Quin & locos duodecim innuisse ex veteri Ægyptiorum doctrina (quæ Syriæ accepta fertur) Homerum putant in Iliados primo, ubi Deorum solenne per Africam duodecim, ad consentaneum numerum, dierum iter narrat, atque singulis domum a Vulcano factam tribuit. Sed & Homero recentiores hinc dodecatemoria sua didicisse scripsere veteres. Ibi Eustathius: γράφουσι οἱ παλαιοί, ὅτι πρῶτος Ὅμηρος ἔδωκε τοῖς ἀπὸ μαθημάτων ἀφορμὴν τῆς τοιαύτης δόξης. Cæterum male. A Chaldæis enim, id est, Syris dodecatemoriων numerus, quem longe antiquissimum etiam apud eos jure autumeris: suadent, quæ Ptolemæus habet περὶ τῶν ὁρίων sive de Finibus Planetarum terminatis ad disciplinam Chaldæorum simpliciorem & secundum trigona ordinatam, ab Ægyptiaca vero, id est, recentiori, haud parum discrepantem. Monimenta tamen de hac re apud Ægyptios pervetusta se comperisse memorat. A primis igitur ferme seculis forsan Astrologorum isthæc instituta apud Syros. Verum & quod Homeri ævo apud Ægyptios tam ab antiquo erat usitatum, ut fabulæ (quod in naturæ mysteriis olim plerumque fiebat) is obduceret facie, vix est ut dubites, quin etiam tunc temporis perantiquam repeteret id originem. Ut dodecatemoria autem (unde duodecim loci seu thema genethliacum) ita etiam priscis illis seculis Sortes, uti videtur, in usu. Harum autem præ aliis illa, quam Fortunæ dicunt. Vetustissimi Ægyptiorum Mathematici, a Syris edocti, proprias fere omnium rerum & quæstionum Sortes in astrorum positu capiebant. Testatur Scholiastes priscus ad Tetrabibli part. III. ἐώθασι γὰρ, inquit, λαμβάνειν οἱ Αἰγύπτιοι κλήρους πάντων κεφαλαίων. Ubi κεφάλαια pro titulis duodecim locorum, sive, rebus speciatim, a Mathematico quærendis sumuntur: verbum sane a Rhetorum usu acceptum; κλήρους autem omnes illos sive Sortes, aut Partes, uti nonnulli nominant, rejicit Ptolemæus ut inutiles, præter κλῆρον solummodo τῆς τύχης, id est, *Sortem Fortunæ*, quam, vetustissimo Astrologorum dogmate nixam, eodem cujus mentinimus modo & nocturnis & diurnis Genituris deduci præcipit. Lunæ item apud Ægyptios antiquitus erat propria hæc sors, & ἀγαθὴ τύχη quod Hebræorum τὸ *Mazal tob*, & Targum, Hierosolymitani גרא טבא *Geda Taba* vertunt, appellabant. Planetarum enim singulis erant sortes, ut Saturno Νέμεσις. Jovi Νίκη, Marti τόλμα, Soli ἀγαθοδαίμων, Veneri ἔρως, Mercurio ἀνάγκη, & Lunæ ἀγαθὴ τύχη, de queis Hermes Ægyptius (nec tamen Trismegistus ille; licet eum ita nominet, lapsus proculdubio, Nobilissimus Scaliger) apud J. Picum Mirandulanum adversus Astrologos VI. capit. XVIII. Nec sane alibi in testimoniis veterum qui typis editi sunt, de Saturni, Jovis ceterisque hisce sortibus, sub eisdem nominibus, quid legisse me memini; nisi Guido Bonatus. Alcabitii autor & ejusdem farinæ homines seculi recentioris, inter veteres recensendi. Illum videsis in Astronomiæ parte IV. Hunc Differentia V. Certe Ægyptiis Saturnum Νεμέσεως ἀστέρα dictum esse notat Achilles ad Arati Phænomena. Δαίμονα autem, Ἔρωτα, Ἀνάγκην & Τύχην genituræ præsides, apud Ægyptios, olim habitos esse scribit Macrobius Sat. I. cap. XIX. Qui certe lucem aliquam dat Hermeti, & mutuo hinc ac-

accipit. Verba Macrobii sunt; *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum quæ Genesis appellatur, Ægyptii protendunt, Deos præstites homini nascenti quatuor adesse memorantes*, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην: *& duos priores Solem & Lunam intelligi volunt, quod Sol autor Spiritus caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & custos est, & ideo nascentis dæmon*, id est, *Deus creditur. Luna τυχη, quia corporum præsul est, quæ fortuitorum varietate jactantur. Amor Osculo significatur. Necessitas Nodo*. Nec dubito sane quin cum Harpocrati leguminibus faciebant, rite exclamantes, γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων, ad præsides illos respexerint. Vide Plutarchum de Iside & Osiride. Sortem autem Fortunæ, & ἀγαθὴν τύχην Lunæ ab Hermete dicatam, idem ipsum esse, contra quam Doctissimus Jos. Scaliger sentire videtur ad secundum Isagogicum Manilii, quovis pignore certare ausim: suadet non solum modus ille quo ad invicem se habent Sors & Luna, verum etiam vetustissimi sed nondum editi Astrologi autoritas; qui sub Ptolemæi tempora aut circiter, ni fallor, scripsit. Adriani enim anni primi meminit, mensibus utitur Ægyptiacis; nec Ptolemæi sed sæpiscule Petosiridis & Necepsonis quem τὸν βασιλέα nonnumquam κατ' ἐξοχὴν vocat Abrami, item. Critodemi, Timæi, Hermippi, Orionis, autorum mentionem facit, & a Ptolemaica Astrologia satis discordat. Is autem est Vettius Valens Antiochenus. Vestium perperam nuncupat Camerarius, qui paucula de Planetis, ex primo ejus libro, latine adjecit ad extremum Fragmentorum Astrologicorum. Quarto autem libro Anthologiῶν caput habet, cui titulus τῶν τεττάρων Κλήρων μερισμός: id est, *quatuor Sortium distributio*. Quatuor autem illæ sortes sunt, uti recenset ille ὁ κλῆρος τῆς τύχης, ὁ Δαίμων, ὁ Ἔρως, & Ἀνάγκη: & quod hic κλῆρον τῆς τύχης vocat, alibi libro primo, juxta trallatitium Astrologorum morem, investigare docet. Sors igitur Fortunæ, & ἀγαθὴ τύχη, quæ Lunæ sors, priscis idem erat. Quis enim dubitet, eos qui δαίμονα, ἔρωτα, & ἀνάγκην, cum Fortuna sive κλήρῳ τῆς τύχης numerarent ἀγαθὴν τύχην, cum tribus illis recenseri solita, intellexisse? Codex ille Valentis, quo utor, est Ms. & Christophori Longolii sumtibus olim exaratus, quem ex instructissima, quæ V. CL. Joannis Dee Londinensis scilicet fuerat, bibliotheca mihi communicavit olim hæres ejus vir amicissimus Johannes Pontesius Civis Londinensis, bonarum artium amantissimus, & de me optime meritus. Se autem magno labore & dispendio, magnisque itineribus mathesin comparasse affirmat Vettius. ἡμεῖς δὲ, inquit, πολλὴν μὲν χώραν διοδεύσαντες, καὶ τὴν Αἴγυπτον διελθόντες, διδασκάλοις φιλαργύροις περιπεσόντες, τὰς τῶν χρημάτων δόσεις ἐποιησάμεθα διὰ τὴν περὶ τὸ ἔργον ἐπιθυμίαν. Plura habet ille de partibus seu sortibus illis IV. quæ ad prædictiones pertinent. De aliis partibus innumeris, ne dicam ridiculis, alii. Sed Vettius etiam eodem libro; Ἐκ κλήρου, inquit, τῆς τύχης, τοῦ δαίμονος, Ἔρωτος καὶ Ἀνάγκης τὰ χρειακὰ πάθη καὶ αἱ εὐεργεσίαι καὶ οἱ κίνδυνοι παραλαμβάνονται. Ceterum & ipsum Valentis caput, in quo ille τῶν κλήρων μερισμὸς horum scilicet quatuor, habetur, & uniuscujusque vis & locus in themate proprius, explicatur, adjicere non pigebit, utpote quo modo peculiares Astrologiæ loquendi formulæ, minime ita obviæ, reperiuntur; sed etiam ea traduntur, quæ iis quibus nugæ hujusmodi in pretio esse nondum desiere, acceptissima fore non dubitandum est, Ὁ κλῆρος τῆς τύχης, inquit, παραδιδοὺς ἢ παραλαμβάνων ἐν χρηματιστικοῖς τόποις, ἀγαθοποιῶν ἀπόντων (ita MS. sed ἐπόντων plane legendum est) ἢ μαρτυρούντων, εὐτυχίαν δηλοῖ καὶ προκοπήν. πράξεις τε καὶ δόξας· καὶ πραγμάτων κατορθώσεις. καὶ προσδοκωμένων συντέλειαν. καὶ ἀπὸ νεκρικῶν ὠφελείας. Ἀποκεκλικὼς δὲ ἢ ὑπὸ κακοποιῶν μαρτυρούμενος, ἥττονα μὲν τὰς πράξεις ἢ τὰς δόξας παρέχει. Ὁ ΔΑΙΜΩΝ παραδιδοὺς ἢ παραλαμβάνων ἐν χρηματιστικοῖς τόποις ἀγαθοποιῶν ἐπόντων κατὰ θυμοὺς προαιρέσεις ἀποτελεῖ· κριτικούς τε καὶ εὐκατορθώτους λογισμούς. καὶ φίλων συμβουλίας ἐπωφελεῖς συστάσεις τε μειζόνων. δωρεάς τε καὶ δόξας καὶ εἰς τὰς ἐπιβολὰς οὐ ἐπιτεύκτους. παρεπτερωμένους τε τῇ διανοίᾳ· οἴησιν πλείστην ἔχοντας· Παραπεπτωκὼς δέ, ἢ ὑπὸ κακοποιῶν μαρτυρούμενος, μετεωρισμοὺς καὶ ψυχικὰς βασάνους ἐπάγει. ἀναισθησίας τε καὶ ἀσυμβουλίας· τὰ ἴδια ἁμαρτήματα κατορθώσειν νομίζονται· καὶ ἄλλοις τὰς αἰτίας ἐπιφέροντας· τῶν δὲ πλείστων αἰσχύνοντας· ὅθεν οἱ τοιοῦτοι ἐκκακοῦντες, ἔσθ' ὅτε, καὶ καθ' ἑαυτῶν κινδυνῶδές τι μηχανῶνται καὶ ὡς μανιώδεις διαλαμβάνονται, καὶ ἐν ἐκστάσει φρενῶν γίνονται. Ὁ ἜΡΩΣ παραδιδοὺς ἢ παραλαμβάνων ἐν χρηματιστικοῖς τόποις καὶ ἀγαθοποιῶν ἐπόντων ἢ μαρτυρούντων, εὐπροαιρέτους ἐπιθυμίας κατασκευάζει καὶ καλῶν ἐραστάς. Οἱ μὲν γὰρ περὶ παιδείαν δὲ ἄσκησιν σωματικὴν τρέπονται. καὶ μεθ' ἡδονῆς κολακευόμενοι, τῇ μελλούσῃ ἐλπίδι ἀκοπίαστον ἡγοῦνται τὴν ἀνίαν. ἀφροδισίοις δὲ καὶ συνηθείαις θελχθέντες, θηλυκῶν τε καὶ ἀρρενικῶν, ἀγαθὸν ἡγοῦνται. Ἄρης μὲν καὶ Ἑρμῆς μαρτυρήσαντες, ἢ ἐπόντες τῷ τόπῳ. καὶ μάλιστα ἐν ἰδίοις ζωδίοις

δίοις παιδεραστὰς ποιοῦσιν ἢ ἐπ' ἀμφοτέροις φλογίζονται. ἢ φιλόπλους τε καὶ φιτοκυνήγους καὶ φιλοπαλαίστους. Ἀφροδίτη δὲ θηλυκῶν συνηθείας ἐστὶ· ὅτε μὲν καὶ στερχθέντες ἀντιστέργουσιν. ὁμοίως δὲ καὶ ἕκαστος τῶν ἀστέρων ὁ κεκληρωμένος τὸν τόπον, ἢ ἐπιμαρτυρῶν, ἢ παραλαμβάνων τὸν χρόνον κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν τὸ εἶδος τῆς ἐπιθυμίας κατασκευάσει. Καθόλου μὲν οὖν κακοποιῶν ἐπόντων ἢ μαρτυρούντων, ἐπὶ βασάνῳ καὶ ζημίᾳ καὶ κινδύνῳ τὰ τῆς ἐπιθυμίας γενήσεται. Ἐὰν δέ πως ὁ τοῦ Κρόνου σὺν τῷ τῆς Ἀφροδίτης καὶ τῇ Σελήνῃ συμπαρῇ ἢ ἐπιμαρτυρήσῃ, αἰσχρῶν καὶ ἀσελγῶν ἔργων ἐρῶσι· ἐπί τε ἀῤῥενικῶν καὶ θηλυκῶν φλογίζονται, καὶ περιβοησίας ὑπομένουσιν, ἢ μετανοοῦντες ἀνεπιστρεπτοῦσιν ὑπὸ τοῦ πάθους νικώμενοι. Ἐὰν δέ πως ὁ τοῦ Διὸς συνεπιμαρτυρήσῃ ἀξιοπίστως ἢ δυνατῶς τὸ γενώμενον ἔσται ἢ μυστικῶς. Ἄρεος δὲ Ἑρμοῦ ἐπόντων ἢ ἐπιμαρτυρούντων ἢ παραλαμβανόντων τὸν χρόνον. κακούργων πραγμάτων ἢ λῃστρικῶν αἱροῦσι. Γίνονται γὰρ πλαστογράφοι· ἅρπαγες· θυρεπανοῖκται. κακοῦνταί τε θηρωμένην τὴν διάνοιαν ἔχοντες· Ἐὰν δὲ καὶ ὁ τῆς Ἀφροδίτης ἐπιμαρτυρήσῃ, φάρμακοι, μοιχοὶ, αὐτόχειρες· ὅθεν κατὰ τοὺς ἐπιβάλλοντας χρόνους ἐγγύαις καὶ δάνεσι περικυλιόμενοι καὶ κακουργίαις, συνοχῆς ἢ κρίσεως πεῖραν λαμβάνοντες, ἐπικινδύνως διάγουσιν. Ἰσχυρὸς ὁ τόπος πρὸς πολλὰ ὑπάρχει ὅθεν αὐτῷ προσεκτέον. Λαμβάνονται δὲ ὁ κλῆρος τοῦ Ἔρωτος ἡμέρας μὲν ἀπὸ τοῦ κλήρου τῆς τύχης ἐπὶ τοῦ Δαίμονος καὶ τὰ ἴσα ἀπὸ τοῦ Ὡροσκόπου. Νυκτὸς δὲ τὸ ἀνάπαλιν, ἈΝΆΓΚΗ παραδιδοῦσα ἢ παραλαμβάνουσα ἐν χρηματιστικοῖς τόποις, ἀγαθοποιῶν ἐπόντων ἢ μαρτυρούντων, οἰκείως μὲν ἐπάγει καὶ μείζονας συστάσεις· καὶ ἐχθρῶν καθαιρέσεις ἢ θανάτους· κακοποιῶν δὲ ἐπόντων, ἀντιδικίας καὶ κρίσεις ἐπάγει. καὶ ἐξοδιασμοὺς, ὅθεν καὶ περὶ προαίρεσιν διαπράξαντες ἀνιαρῶς διάγουσιν. Ἐὰν δέ πως τὸ σχῆμα κακωθῇ, τινὲς καταδικάζονται ἢ καθαιροῦνται· Λάμβανε δὲ ἀπὸ Δαίμονος ἐπὶ Τύχην· Νυκτὸς δὲ τὸ ἀνάπαλιν. Ταῦτα μὲν οὖν ἐπὶ τῶν ἀῤῥενικῶν γενέσεων καὶ χρόνων διέσταλται. Ὁμοίως δὲ κατὰ τὰ οἰκεῖα σχήματα τῶν παραδόσεων καὶ τὰ δυνάμενα χωρεῖν ἁρμόσει καὶ ἐπὶ θηλυκῶν γενέσεων. Sed hæc maxime ex aliorum ſententiis, unde ſua congeſſit Vettius Florida illa ſeu τὰς Ἀνθολογίας. Nam alibi non ſemel, neglectis fere omnino Amoris & Neceſſitatis ſeu Fati, id eſt Veneris & Mercurii Sortibus, binas illas Dæmonis ſeu Genii & Fortunæ, ut omnium potentiſſimas vitæ præſides ac gubernatrices ſeorſim amplectitur, & huic corpus, illi animam, hanc Lunæ, illam Soli tribuit, Κλῆροι, inquit, τῆς τύχης καὶ τοῦ Δαίμονος σημαίνουσιν Ἡλίου τε καὶ Σελήνην. Κοσμικῶς γὰρ ἡ Σελήνη τύχη ὑπάρχουσα καὶ σῶμα καὶ πνεῦμα περιγείως οὖσα, καὶ τὴν ἀποῤῥοίαν εἰς ἡμᾶς πέμπουσα, τὸ ὅμοιον ἀποτελεῖ κυρία οὖσα τοῦ καθ' ἡμᾶς σώματος. Ὁ δὲ Ἥλιος νοῦς καὶ δαίμων κοσμικῶς ὑπάρχων, διὰ τῆς ἰδίας ἐνεργείας, καὶ φύσεως ἐρασμίους τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς διεγείρων περὶ τὰς ἐγχειρήσεις, αἴτιος πράξεως καὶ κινήσεως καθίσταται. Quod ſcribit in capite ἀπὸ χρόνων διαιρέσεως ἀπὸ κλήρου τῆς τύχης καὶ δαίμονος, unde & nos aliqua in notis ad Marmora Arundelliana, pag. 129. Et quæ ibi tranſcripſimus, ea heic in Codice manuſcripto proxime ſequuntur. Et nos ibi plura de Fortunæ hac Sorte & Dæmonis. Satis autem eſt tandem ad rem noſtram ſuperque, ad hunc modum oſtendiſſe, veteri Aſtrologia, quæ e Syrorum moribus ortum habuit, Sortem Fortunæ ſeu Fortunam Bonam, & Vitæ, & Bonorum externorum velut præſidem ſeu ἔφορον fuiſſe in lucem prodeuntibus; atque hanc forſan potius voluiſſe Leam quam Jovem aut aliquod aliud ſidus, cum fauſta acclamatione Zilpæ gratularetur parturienti. *Mazal tob* enim, quo Ebræi recentiores τὸ Gad explicant, non Jovem magis quam Fortunam Bonam ipſamve Sortem interpretari poteſt. Nam Mazal non hanc vel illam ſtellam, ſed locum aliquem, ad Mathematicorum placitum, cœlo deſignatum ſignificat, uti ſupra notavimus; & cogitent eruditiores utrum τὸ Ἰζελα Macedonibus ἀντὶ τῆς ἀγαθῆς τύχης uſurpatum (ſi Heſychio fides) a Mazal aut Mazala depravate manarit; Corrupti, ſaltem in prima ſyllaba, Heſychii Codices eſſe nequeunt. An ii, unde ille hauſerit, ſatis integri: dubitare licet. Quicquid autem fere de Aſtrologorum myſteriis diximus, id, ut ad Syros trahatur, nemini mirum ſit; niſi quis ortas in Syris, & in ceteros propagatas primum nugas, dicam an artes ejuſmodi, vetuſtatis expers, negaverit. Quod ſi hoc ſenſu verba Leæ ſint intelligenda, eo ſane recidunt, quaſi *quod bonum felix fauſtumque ſit genito* in votis habuerit. Hanc Fortunam Bonam, ejuſque ſortem (a qua ceteræ omnes, uti a radice, deducebantur) in thematis conſtructione pro Dea habitam & a Græcis & a Romanis exiſtimarim, delubro item & ſacris honoratam. Solenne enim illis ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ, monimenta ſacrare. De Romanis autem Plutarchus in ῥωμαϊκοῖς, num. CVII. Διὰ τί Ῥωμαῖοι Τύχην σέβονται Πριμιγένειαν ἣν ἄν τις εἴποι πρωτογένειαν; id eſt, *quamobrem Romani venerantur Fortunam Primigeneam*: vetus inſcriptio Præneſte.

VENERI ET
FORTUN. PRIM.
SACR.
L. CALVIUS L.F.

Complures etiam ejusmodi ibidem visuntur, & Romæ atque alibi FORTUNÆ BONÆ vota concipiuntur. Hujus vetustissimam, a Servio nimirum Rege, originem petunt, & nominis causam frustra quærunt. Ego sane ἀγαθὴν τύχην sive Operum, laborum, id est, Athlorum Nati atque vitæ velut universæ Dominam, quæ recenter geniti modum felicitatis (uti docebant syderalis scientiæ periti) arcanis quasi Cœli tabulis describeret, sub Fortunæ Primigeniæ nomine intelligo. Et Jupiter puer, qui lactans cum Junone in gremio Fortunæ Prænestinæ olim sedit, castissimeque a matribus cultus est, id ipsum satis aperire videtur. De ea re consulas Tullium de Divinatione lib. II. Verum conjecturæ venia danda est, neque ex tripode hæc dicta volumus. Aliter vertunt τὸ Gad recentiorum plerique, ratione a Geneseos cap. XLIX. comm. 19. ducta. Verum peculiarem scripturæ ibi elegantiam magis miror, quam nominis etymon invenio: & satis frequentes sunt in sacris literis ejusmodi elegantiæ, seu allusiones. Quod si pro turma seu exercitu, ut illi volunt, sumatur; certe si turmam illam sive exercitum pro גדוד השמים *gedud haschamaim*, id est, *Militia aut exercitu Cœlesti*, quomodo locum Iesaiæ quem jam adduximus, explicat R. Aben Ezra in Genesin, accipias, Fortunæ Themati non male conveniet Reginam Cœli, sive Afrorum Cœlestem (de qua nos infra) eandem cum Fortuna Cœli facit Philastrius. *Est* inquit, *hæresis in Judæis quæ* Reginam, *quin &* Fortunam Cœli *invocat; quam &* Cœlestem *vocant in Africa, eique sacrificia offerre non dubitabant*. Nec male forsan. Luna enim, id est, Regina Cœli; & Sors sua pro eodem possent usurpari. Verum in plerisque Philastrius ille, ut semel admoneam, satis temere de hæresibus, quas vocat, illis priscorum Syrorum. Nec omnino potis est fidem suam liberare in iis, quæ sæpius, velut somnia sibi fingens, de eorum ritibus & numinibus audacter nimis obtrudit.

## CAPUT II.

*De* Teraphin *Labanis: ritus in eis conficiendis*. Tzilmenaia. Ephod *&* Teraphim *Michæ*. Manum Sacerdotis sacrare *quid*. *Quamdiu sculptile Michæ colerent Danitæ*. Ephod *&* Teraphim *apud Hoseam*. Ῥαβδομαντεία & Βελομαντεία *Orientalium; quam varie vertant Græci* τὸ Teraphim. מחוי Mechavi *Chaldæorum*. Zabiorum *imagines Soli & Lunæ dicatæ, ad oracula reddenda*. στοιχεῖα *Græcorum &* στοιχειωματικοί. Ptolemæi *Carpus, &* Haly *commentarius, explicati*. Vultus Cœlestes. Virgo, *in primo decano Virginis, Sphæræ Persicæ, Symbolum nativitatis JESU, eximiis Mathematicis* Albumasari *&* Rogero Bachoni. *Alexeteria Astrologorum*. Palladium Trojanum *quis fecerit. Id genus alia. Dæmoniorum* προστεγγίσεις. Statuæ Spiritu plenæ *apud Hermetem*. Angelorum nomina *observare, mos vetustissimus. Apuleji* Βασιλεὺς Gerebertus, *id est*, Sylvester II. *Papa caput fudisse scribunt aliqui, quod responsa daret. Abacum a Saracenis acceptum* Christianis *primus dedit*. *Conjectura in* G. Malmesburiensem, *historiam Mathematicam recitantem* Exordia Cursus Planetarum, *Thema Genituræ Mundi ex Æsculapii scriptis a veteribus traditum: Balæi de* Rogero Bachone *retractatio*. Capita magica conflata *ab illo & a* Roberto Lincolniense. *Chaldæorum* Iynges. στρόφαλος ἑκάτιος *quid; Lux* Synesio. Rhombus magicus, *apud Poetas, Idem quod* Hecaticus Strophalus, *aut ab eo*. Theocritus *explicatus*. Hecate *Maleficarum* Venus. Ἐξ Ἀφροδίτης *in Pharmaceutria, quid. Lux Pindaro*. κατὰ μαγείαν τόποι. Συμβολικαὶ δαιμόνων μορφαί, Talismam *Arabum*. Abraxas *Basilidianorum Deus*. Abraxas *&* Νεῖλος, *literis numeralibus, numerum dierum Anni communis monstrant; id priscis mysticum. Amuletum adversus febrem*. Abra cadabra *unde*. *Q. Serenus Samonicus*. Ob Pytonissæ *Spiritus; &* Oboth: ἐγγαστρίμυθοι Baal *&* Baalath Ob. *Ritus initiatorum* τῷ Ob. Iideoni. *Nugæ Hebræorum de* Jadoa *animali*. *Unde* Iideoni *dictum*. ἐπαοιδοί. τερατοσκόποι γνῶσται. Ob θελητής *etiam redditur*. Mortuos *consulendi ratio*.

IMAGINES illas quas furata est Rahel, Ebræi vocant תרפים *Teraphim* Genes. cap. XXXI. comm. 19. Pro Diis esse habitas, testis est ipse Laban, *Quare*, inquit ille, *furatus es Deos meos*, Jacobum adloquutus. Fictas eas ab Astrologis, ut futura prædicerent, sentit A. D. Cimchi, & humana forma factas, ita ut cœlestis influentiæ essent ca-

capaces, adnotat Abraham Aben-Ezra Theologus & Aſtrologus Judæorum maximus; atque ad eam mentem interpretatur *Temphin*, quæ, pro liberando Davide, in lecto poſuit Michal uxor ejus, de qua hiſtoria eſt 1. Sam. cap. xix. Inter cauſas etiam, cur Rahel eas ſuſtulerit, hanc unam recenſent, ne ſcilicet Labani illarum inſpectione innoteſceret, per quod iter illa abierat. Ideo D. Auguſtinus quæſt. xciv. in Geneſim. *Quod Laban*. inquit, *dicit*, *quare furatus es Deos meos*, *hinc eſt illud fortaſſe quod & Augurari ſe dixerat*. Capite enim præcedenti, ad Jacobum Laban, *Auguratus ſum quod benedixerit mihi Deus propter te*. Ita vertunt נחשתי *nichaſti* vetuſtiores; & de prænoſcendo, probando, ſeu conjiciendo, locum illum (qui eſt com. 27.) intelligunt Hebræi: imo & Aben-Ezra augurium illud ad *Teraphim* Labanis refert. Utrum autem ut Dii colerentur Teraphim, utcunque Dii dicti, an vero divinationis tantum inſtrumenta haberent, vetus eſt inter magiſtros controverſia, quod liquet ex Rabbi Simeone Ben-Joachi in libro Zohar fol. 94. *b*. ad Geneſin. Modum autem feralem quo fiebant, ex Capitulis Rabbi Eleazaris, adfert Elias in Thiſbi. *Mactabant*, ait ille, *hominem primogenitum*, *cujus caput torquendo præſcindebant* (ita tranſtulit P. Fagius; Eliæ autem, ſeu Eleazaris, verba ſunt מלקין את ראשו *Molkin eth roſcho*, id eſt, *ungue ſecabant*, aut *manibus diſcerpebant caput ejus*; Nam מלק *Malak* hoc ſenſu uſurpatur Levit I. com. 15. & V. com. 8. ubi de avibus offerendis agit Moſes quorum capita hoc ritu divellenda) *caput vero abſciſſum Sale & aromatibus condiebant*, *ſcribebantque ſuper laminam auream*, *nomen ſpiritus immundi*, *qua ſuppoſita capiti ejus*, *ponebant illud in pariete*, *incendentes coram eo candelas*, *& adorantes coram eo*. *Atque cum iſtiuſmodi loquutus fuit Laban*. Eadem fere Paraphraſtes ille qui Ben-Vzielis nomen in Pentateuchum falſo gerit: ſed ſuam illi præſtent fidem. Is autem & Onkelos per צלמניא *Tzilmenaia*, in Geneſi atque alibi vertunt Teraphim. Tzilmenaia vero *figuras*, *effigies*, ſeu *Imagines* ſignificant: Arabs item in dicto Geneſis loco الاصنام habet pro Teraphim; *idola ſimulacra* ſeu μορφώματα. Vocabulum Arabibus non infrequens, etiam ubi de Diis peculiari nomine cognitis locos ſacræ Scripturæ vertunt. Horum, in ſacris literis, occurrit ſæpius mentio. Judicum cap. xvii. comm. 5. de Micha. *Fuit autem apud virum illum Micha Templum Deorum*: *Fecit quoque* Ephod *&* Teraphim, *& conſecravit manum unius filiorum ſuorum* (id eſt, ſacrificiis manum ejus implevit, quem ritum, in Sacerdotibus initiandis, habemus Exodi cap. xxix. com. 24. & Levit. viii. comm. 27. & Judicum dicto capite, com. 12.) *qui factus eſt ei Sacerdos*. Male cultum DEI VERI & Idolorum, ſeu Dæmoniorum, miſcuit hic Micha; Ephod enim & Levitam, de quo eodem capite, Deo vero proculdubio, Teraphim & conflatile & ſculptile Dæmoniis ſacravit. A quibus tanquam a Deo Opt. Max. etiam Oraculum impetrarunt Danitæ, ut ſequenti capite patet. Nec fidem τῷ Ephod quod ad Deum retulere, nec τοῖς Teraphim Dæmoniorum ſeorſim habuere Idololatræ: ideo utraque conſulenda, divino cultu utraque ſuſpicienda perperam duxere. De Ephod etiam a Gedeone facto videſis Judic. cap. viii. & D. Auguſtinum in eundem librum quæſt. xli & xlii. Sculptile & Conflatile Michæ, Dii, ut videtur, facere, queis Teraphim quidem ſacrabantur. Sed & ob egregium, in Divinatione, eorum uſum, etiam ipſi Teraphim, ut Dii, habiti; Tam ſculptile autem quam Teraphim & Ephod abſtulerunt, Danitæ, cum e ſedibus propriis, in Lais Urbem tranſmigrarint. Sculptile etiam, id eſt, פסל *Peſel*, Sacerdotio illi & cultu honorarunt עד יום גלות הארץ *abd jom geloth jom geloth haaretz*, id eſt; *uſque ad diem tranſmigrationis terræ*, quod legitur in Judicum cap. xviii. com. 30. Ex ſequenti commate ſumitur tranſmigratio terræ, pro Arcæ tranſmigratione, a Palæſtinis captæ, & in templum Dagonis aſportatæ; tametſi non ante Manaſſis captivitatem ablatum illud idolum Michæ tradat R. Joſe Ben-Chilpetha (ſi is ſit autor τῦ Seder Olam Rabba) cap. xxiv. & ita interpretatur verba illa dicti Judicum capitis. Atqui verba faciens de antro, ubi fons Jordanis, Benjamin Ben Jona Tudelenſis; *Ante antrum*, inquit, *ipſum oſtenduntur veſtigia are ſive ſtatuæ*, *quam Micheas quidam dicavit a filiis Dan illis diebus cultæ*; ita vertit Ar. Montanus. Huc ſpectat illud in Calendario Judaico, quod diei xxiii. menſis Sebat apponitur Jejunium. *Congregati ſunt omnes Iſraelitæ contra Benjamin*, *propter pellicem & idolum Micha*. Ingens ille Iſraelitarum conventus capite viceſimo Judicum innuitur, & tam ad Idolum Michæ a Danitis cultum refertur, quam ad horrendum Benjaminitarum facinus.

nus. Uti historiam de Michæ Ephod & Teraphim, ita quæ habet Hoseas c. III. com. 4. intelligas. *Siquidem diebus multis*, inquit Propheta, *sedebunt filii Israel absque Rege, & absque Principe, absque sacrificio, & absque* מצבח matzebah, id est, *statua, absque Ephod & Teraphim*. Sacrificium & Ephod ad verum cultum, statua & Teraphim ad Idololatriam referuntur. D. Cimchi, in Radice תרף de eo loco: אין זבח ליהוה ואין מצבה לע"ז ואין אופוד ליהוה ותרפים לע"ז: id est, *absque sacrificio, respicit Deum Verum, absque statua Cultum alienum* sive *numina Gentium, & absque Ephod item Deum Verum, & Teraphim Cultum alienum* Idem scribit in Commentariis ad dictum locum Hoseæ, tum ipse Cimchi, tum Salomon Jarchi. De quo loco vide porro D. Hieronymum in Epistola ad Marcellam. Zacharias cap. x. comm. 2. *Teraphim locuta sunt vanitatem, & Divini viderunt mendacium*. Ezechiel cap. XXI. comm. 21. *Stetit Rex Babylonis in bivio, capite scilicet duarum viarum, divinationem quærens: expolivit tela, & interrogavit* Teraphim *atque inspexit jecur*. Quæ verba D. Hieronymus, tempore futuro, ad hunc modum explicat. *Stabit in ipso compito, &, ritu Gentis suæ, oraculum consulet, ut mittat sagittas, in pharetram & commisceat, eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius Civitatem debeat expugnare*. Quod sane Divinationis genus non succurrit, alibi me reperisse. Non ita alienum vero est quod Israelitis exprobrat Deus Opt. Max. apud Hoseam cap. IV. comm. 12. *Populus meus lignum suum consultat; & Baculus ejus nunciat ei* Ῥαβδομαντείαν certe insectatur Propheta, quæ apud Orientales in usu, uti diserte de Medis scribit Dio, teste Scoliaste veteri in Nicandri Theriaca. Et de Bacillorum seu Virgarum sortibus volunt Præceptum negativum LII. quo Divinationes prohibentur, intelligi. Vide, si placet, ad aliud R. Mosem Mikotzi & Paulum Riccium; verum de Divinationum generibus alias, quæ in sacris literis, ad extremum hujus Capitis. Ezechielis autem, quæ attulimus, ita proferunt LXX. στήσεται βασιλεὺς Βαβυλῶνος ἐπὶ τὴν ἀρχαίαν ὁδὸν, ἐπ' ἀρχῆς τῶν δύο ὁδῶν, τοῦ μαντεύσασθαι μαντείαν, τοῦ ἀναβράσαι Ῥάβδον, καὶ ἐπερωτῆσαι ἐν τοῖς γλυπτοῖς, id est, *stabit Rex Babylonis super antiquam viam, in principio duarum viarum, ut oraculum petat, ut bacillum fervefaciat, & interroget sculptilia*. Ubi ῥάβδον ad ῥαβδομαντείαν referrem, nisi ad virgas sortium quo spectaret modo τὸ ἀναβράσαι, quod est, *fervere facio*, haud satis viderem. Pro Teraphim habent hic γλυπτὰ, id est, sculptilia; in Genesi autem εἴδωλα, in libro Judicum θεραφείν, in historia Michal & Davidis κενοτάφια, Hosea Δήλους (quo vocabulo Urim etiam iis vocatur 1. Sam. cap. XXVIII. quod per Δήλωσιν eadem mente Exod. cap. XXVIII. vertunt) Zacharia vero τοὺς ἀποφθεγγομένους. Aquila, teste Hieronymo, vertebat per μορφώματα, nonunquam per φωτισμούς. Targum Hoseæ מחוי Mechavi, id est, *annuntiantes*, vocat. Quisquis autem Δήλους, ἀποφθεγγομένους, φωτισμοὺς, sive מחוי ea censet jure appellanda, & prædicendi sive futura monstrandi in iis fatetur simul facultatem; id est, Δήλους esse τῆς ἀληθείας, quo nomine vocantur etiam *Urim* & *Thummim*, quorum sanctitatem *Teraphim* simulabant, apud Siracidem capite XLV. comm. 12. Hujus generis fuere statuæ illæ, queis arcendi mala, ac oracula reddendi vis inerat, & de quibus frequens apud Scriptores traditio. Aureas faciebant vetustissimi Orientalium Zabii, sive Chaldæi, ex quorum libris plurima retulit R. Moses Ægyptius, & Argenteas effigies. Has Lunæ, illas Soli dicabant; *& ædificaverunt palatia*, ut scribit ille in More Nebochim lib. III. cap. XXX. *& posuerunt in eis Imagines, & dixerunt quod splendor potentiorum stellarum diffundebatur super illas Imagines, & loquebantur cum hominibus, & annunciabant eis utilia*: quod optime cum eis quadrat qui, secundum præcepta Astrologica, τὰ Teraphim fieri solita, & ad certos siderum positus, volunt, (quemadmodum ea, quæ στοιχεῖα, Græcis dicuntur) & secundum figuras in cœlo creditas, uti velut Ἀλεξιτήριοι seu Averrunci Dii essent, formata. Nec sane quantum ad Astrologicam rationem spectat, στοιχεῖα a Teraphim differunt, nisi quod hæc futuris prædicendis, illa arcendis malis fuerint destinata: Qui vero στοιχεῖα formabant, στοιχειωματικοὶ dicebantur. Eos ita meminit autor Carpi, quod vulgus Astrologorum Ptolemæi Centiloquium nominat. Τὰ, inquit, ἐν τῇ γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. διὰ τοῦτο χρῶνται τούτοις οἱ στοιχειωματικοὶ, τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτά; habetur themate IX. & in eo codice qui cum commentariis Haly Aben Rodoan, sive is sit Abugepher qui ea scripsit, olim prodiit, ita Latine redditur. *Vultus hujus seculi sunt subjecti vultibus cœlestibus, & ideo Sapientes, qui Imagines faciebant stellarum, introitus in cœ-*

*cœlestes vultus inspiciebant, & tunc operabantur quod debebant.* Mentem textus Græci, fere verba vides. Vultus autem illi Cœlestes non modo XLVIII. constellationes Globis depictas, verum innumeras & portentosas etiam illas figuras denotant, quæ, Persæ, Indi atque Ægyptii cum unoquoque Signi Decano, seu quolibet Decani gradu ascendere tradebant: quarum in numero est illa, quam in primo Virginis Decano Sphæræ Persicæ collocant. Virgo nempe pulchra, capillitio prolixo, duas spicas manu gestans, residens in siliquastro, educans puerulum, lactans & cibans eum. Pro exemplo hanc magis attuli, quod non solum Aboasar, quem falso, ut docet J. Picus, Albumasarem vocant, decanum illum, uti cœleste unici Salvatoris Jesu nativitatis Symbolum, notaverit Mahumedanus, verum etiam insignis ille Mathematicus, & Vir, ultra sane quam seculum suum tulerit, doctus, Rogerus Bachonus Oxoniensis & Minorita Alboasaris sententiam fuerit amplexus. Opere enim tertio, quod ad Clementem quartum dedit, Alboasaris verba ab Hermanno Dalmata latine ex Arabico facta citat, subjungitque: *Intentio est quod Beata Virgo habet figuram & imaginem infra decem primos gradus Virginis, & quod nata fuit quando Sol est in Virgine & ita habetur Signatum in Calendario, & quod nutriet filium suum Christum Jesum in terra Hebræorum*: & ad hanc rem ille Liber cui titulus, *Ovidius de Vetula*, ad Virginem Mariam,

*O Virgo felix, O Virgo significata,*
*Per stellas ubi spica nitet---*

De quo libro, & hac re, vide, si placet, Robertum Holkot in Sapientiam Lect. XXI. De Decanis vero eorumque figuris Alboasar seu Albumasar ille satis in Introductorii parte VI. Eadem etiam, ex Aben Ezræ Initio Sapientiæ, transcripsit latine: cum Ægyptiorum Monomœriis, id est, figuris singulorum graduum uniuscujusque Decani, ad Sphæram Barbaricam Manilii Nobilissimus Scaliger. Atqui, ad locum illum Carpi, Arabs Haly, *In hoc*, inquit, *capitulo vult Ptolemæus multa Imaginum secreta patefacere, & vultus, quos in hoc seculo esse dixit, sunt species Animalium & species Planetarum; & ideo dicit quod omnibus istis speciebus dominatur sibi vultus consimiles in cœlo manentes. Verbi gratia: Scorpio Cœlestis terrenis Scorpionibus dominatur: & Cœlestis Serpens terrenis Serpentibus;* & Sapientes Imaginum *inspiciebant quando Planeta de sub radiis Solis egrediebantur & ingrediebantur hos vultus, eumque in Ascendente ponebant; & vultum quem impetrabat sculpebant, in lapide, & miscebant cum eo alia ad hæc necessaria, faciebantque cum eo ex aptatione vel destructione quod volebant, & vis illa in lapide multis temporibus durabat.* Ita redditur ille Arabs. Scorpio ad hunc modum fictus Scorpiones abigendi morsusque eorum curandi vim habuisse credebatur. Historiam de re simplici citat Josephus Scaliger in Epistola Gallice conscripta ad Vazetum, ex Geographo Arabe. Et Crocodili imaginem plumbeam, ad crocodilos repellendos conflatam, igne solvisse Achmed Ben-Tolon Ægyptius Calipha dicitur, ut ex Arabum monimentis scribit Julius Scaliger Exercitat. CXXCVI. tmem. 6. Spectare videntur & ad hanc artem seu ματαιοτεχνίαν Statuæ illæ argenteæ eo τετελεσμέναι loco ubi collimitantur Thraces & Illyrii, adversus Barbarorum incursiones, & sub Constantio Imperatore repertæ, quas refert Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. Palladium & huc refer, decantatum illud, & διοπετές; Quod Johannes Antiochenus apud Isacium Tzetzem, οὐκ ἐξ Οὐρανοῦ πεσεῖν dicit verum, Ἄσιόν τινα φιλόσοφον μαθηματικὸν τοῦτο ποιῆσαι, ὡροσκοπίᾳ καλλίστῃ, εἰς τὸ ἀπόρθητον εἶναι τὴν πόλιν ἐκείνην ἔνθα ἂν τοῦτο μένῃ πεφυλαγμένον, καὶ ἄσυλον. χαρίσασθαι δὲ τοῦτο τῷ Τρωΐ. In commentariis nempe ad Lycophronem: non e cœlo decidisse, ait, sed a Mathematico factum; & pelle humana obducebatur, si veteribus fides, e quorum scriptis Eustathius ita ad Iliados ζ. testatur. Quod certe Magorum ritus sapit, uti & illud quod ex ossibus Pelopis sit factum, referentibus Julio Firmico de errore profanarum religionum cap. XVI. & Clemente in Protreptico. Id voluit Arnobius adversus gentes lib. IV. *Quis*, inquit, *ex reliquiis Pelopis compactum esse Palladium prodidit? non vos?* Videsis item Isidorum Pelusiotam libro IV. Epistola CCVII. Mitto quæ de urbis Neapoleos effigie olla vitrea inclusa, & Virgilii Magi opera fabricata memorat Arnoldus Abbas Lubecensis historiæ Slavorum lib. IV. cap. XIX. & id genus quæ huc conferri possent innumera. Sed nugas Hebræorum, de Baal Tzephon, ab his non ita alienas, dabit tibi caput proximum. Propius autem ad τῶν Teraphim naturam accedunt imagines, quæ non solum a siderum positura, verum etiam ἀπὸ τῆς προσεγγίσεων Dæmoniorum, & oracula reddere & mala depellere simul putabantur:

tur: προσεγγίσεις vero ποιήσασθαι dicuntur Dæmones Michaeli Psello, cum invocati simulachra sibi dicata ingrediantur. Hujusmodi statuarum vetustissima memoria. Hermes ille Ter Maximus in Asclepio: *Ita Humanitas semper memor humanæ naturæ & Originis suæ in illa Divinitatis imitatione perseverat, ut sicut pater ac Dominus, ut sui similes essent, Deos fecit æternos; ita Humanitas Deos suos ex sui vultus similitudine figuraret.* Ascl. *Statuas dicis, o Trismegiste? Statuas o Asclepi; videsne quatenus tuipse diffidas? Statuas animatas sensu & spiritu plenas, tantaque facientes & talia. Statuas futurorum præscias, ea quæ forte omnis Vates ignoret, in multis & variis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, easque curantes, tristitiam lætitiamque pro meritis.* Propius a genuina lectione abest hic locus, uti traduximus: apud D. Augustinum de Civitate Dei VIII. C. XXIII. aliter se habet; & corruptior est in ea, quæ Apuleio tribuitur, versione. Quod *animatas* ait *spiritu plenas*, idem est ac si diceret Dæmone sive Angelo plenas, id est, ἀγάλματα θείας μετουσίας ἀνάπλεα sive *divino consortio simulacra plena*, uti Jamblichus eas vocat, adversus quem de eisdem librum conscripsit Jo. Philoponus. Vide Photium Cod. CCXV. Consortium vero illud seu μετουσία, est Angelorum seu Dæmonum, quos nomine ciebant, sacris ad eam rem rite peractis. Innumera sane apud Magos Angelorum nomina; neque ea a recenti aliquo aut Honorio illo Thebano repetunt originem. Plurima occurrunt in apocryphis Enochi, quæ ab Illustrissimo Scaligero in Notis Eusebianis transcripta. Κεκρυμμένην etiam εἰδωλολατρείαν vocat Synodus Laodicensis ἀγγέλους καὶ συνάξεις ποιεῖν, quemadmodum legimus Codice Canonum C. CXXXIX. Et sub persona impiorum; qui Salvatoris JESU miracula calumniabantur; Arnobius adversus Gentes lib. I. *Magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit. Ægyptiorum ex adytis Angelorum potentium nomina & remotas furatus est disciplinas.* Quin nomina Angelorum observare jurejurando obstringebantur Essenorum sectæ olim initiati, uti scriptum reliquit Fl. Josephus; quos perstrinxit forsan D. Paulus ad Coloss. cap. II. comm. 18. Ubi περὶ θρησκείας τῶν ἀγγέλων agit. Nec potes hic non meminisse ritum evocandi Tutelares Urbium Deos, quem apud Macrobium comperimus. Dæmonio autem plenum sentiendum est sigillum illud ligneum ab Apuleio Mago βασιλέα dictum, & tacito nomine cultum; de quo, ipse Apologia prima. Idem putandum de Statuæ capite, quod Gerebertus ille Rhemensis primum, deinde Raven. Archiepiscopus, & postea Pontifex Max. Sylvester secundus dictus, a Saracenis Hispaniensibus idque ad humanæ curiositatis satietatem edoctus in Oraculum sibi conflavit. G. Malmesburiensis de gestis Regum Angliæ II. cap. X. *De Gereberto fama dispersit fudisse sibi statuæ Caput, certa inspectione siderum; cum videlicet omnes Planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed Verum vel affirmative vel negative pronunciaret. Verbi gratia, cum diceret Gerebertus, ero Apostolicus? responderet statua Etiam. Morior antequam cantem Missam in Jerusalem? Non.* Sed responso, de Mortis tempore, deceptus est; cogitavit enim ille Urbem Jerusalem; Oraculum autem sacras ædes sic dictas Romæ voluit: illic, postquam dominico, cui titulus *Statio ad Jerusalem*, Pontifex ille Oraculi mentem non assecutus sacra celebrasset, misere vitam finivit. Pontifex erat sub Ottone III. A Ch. DCCCC. XCVIII. Ei, ut videtur, Abacum inprimis debemus. A Saracenis enim accepit, & tantus Magister per Europam divulgavit. Ita G. Malmesburiensis, ubi Arithmeticam, Musicam, & Geometriam illum in Galliam, uti exules, revocasse scribit, subjicitque; *Abacum certe primus a Saracenis rapiens, regulas dedit; quæ a sudantibus Abacistis vix intelliguntur.* Cur autem Johannem Papam XV. cum omnium fuerit consensu secundus Sylvester, eum faciat is qui Malmesburiensi imposuit, omnino nescio. Error est manifestus. Quod vero scribit, fudisse eum caput illud *cum omnes Planetæ cursus sui exordia meditarentur*, mirum si Phœbus intellexerit: ubi enim & quæ sunt exordia Cursus Planetarum? An voluit, cum Omnes simul ab ipso Sectionis Vernæ, quæ exordium est Zodiaci, momento progrederentur? Certe verna Æquinoctii sectio καὶ ἄφεσις τοῦ τῶν πλανητῶν δρόμου καὶ τέλος τῆς τῶν πλανητῶν περιόδου priscis appellabatur, uti videre est apud Eusebium in Historia Ecclesiastica lib. VII. cap. 26. An de locis singulis Planetis in Mundi genitura apud vetustissimos Astrologos tributis, locus ille potius intelligendus? Nam partem Cancri quintam decimam in Horoscopo collocantes cuspide scilicet Orientali, adeo ut ceteras domus omnes a partibus item decimis quintis auspicarentur (ad veterem thematis figuram) Planetas ita dispone-

ne-

nebant, ut quilibet decimam quintam partem Domus suæ, in eo themate, obtineret, Luna scilicet Cancri, Sol Leonis, Mercurius Virginis, Venus Libræ, Mars Scorpionis, Jupiter Sagittarii, Saturnus Capricorni. Neque sane hæ nugæ recentiores sunt Petosiride & Necepsone, *quorum prudentia*, ( uti Julii Firmici verba sunt ) *ad ipsa secreta divinitatis accessit*. Etiam hac in re hosce sequutos esse ait *Æsculapium & Anabium, quibus potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta commisit*. Ita ille in Matheseos tertio, idque ex Μυελογενέτῃ Æsculapii. An tunc exordia sua meditari dicuntur Planetæ, cum omnes post retropedationem in secunda, ut Astronomorum verbis utar, statione, sive juxta Epicyclorum, sive Parallaxeon rationem calculum feceris, fierent directi? quod tamen in Luminaria cadere non potest, quæ nunquam retrograda; an, cum linea a centro Terræ ducta per omnium Planetarum orbium centra transiret? Adi, sis, Censorinum de die Natali, cap. XVIII. Senecam Naturalium Quæstionum libro III. cap. XXVIII. & Nicetam Choniatem in Thesauro Orthodoxæ fidei, libro primo capite nono. An futilia omnia hæc, in quæ collimavimus? Nec enim eorum aliquod observatum esse, facile credendum. Facile autem credo, quid verba illa voluerint, nec Monachum, qui primus scripsit, intellexisse, nec qui exscripserunt; in queis sunt Florilegus & Ranulphus Cestrensis. Istiusmodi Caput ex ære conflatum ab eruditissimo Rogero Bachone est in ore nostratis vulgi, sed non sine injuria in illius Mathesin, quam summam & a dæmonum præstigiis puram monstrant satis illius Opera quotquot nos legisse contigit: & quicquid adversus eum uti magnum seu Νεκυόμαντιν I. Balæus, inscitia dicam, an in optimas artes malitia, editione Centuriarum prima satis incogitanter effutierat, id bene monitus omne non modo retractavit, verum in ea, quæ tali & tanto Viro digna sunt, postrema recognitione etiam prudenter commutavit. Nec, quod hanc Vulgi famam adstruat, habent Annales nostri. Ex luto ejusmodi quid Oxoniæ fictum, & quædam quæ etiamnum memorantur, fuisse loquutum sub Richardo secundo tradunt. Et Johannes Govverus Poeta Nostras Cl. in Confessione Amantis Robertum Lincolniensem antistitem sub Henrico III. Magicum opus simile adgressum, haud accurate satis momento temporis observat frustra fuisse, scriptum

reliquit. Non pigebit meminisse, hoc loco, Iyngas illas Chaldæorum Magorum, seu στροφάλους ἑκατικοὺς, id est, Sphærulas plerumque aut Cylindros aureos, Hecatos dictos, characteribus variegatos, inclusum continentes sapphirum, & loro bubulo tortos; quos rotantes, Dæmonas invocabant: Proprie enim pertinent & ante alia, quæ in Veterum monimentis occurrunt, ad προσεγγίσεις quas diximus seu appropinquationes Dæmonum, quæ in conficiendis Teraphim etiam maxime in usu, si Paraphrasti quem diximus, R. Eleazari fides. De iis autem oracula Chaldaica ita præcipiunt: ἐνέργει περὶ ἑκατικὸν ( sic lego potius quam ἑκατινὸν, ut edidit I. Obsopæus ) στρόφαλον, id est, *operare circa Hecaticam Sphærulam*; Quid vero fuerit, ad hunc modum, secundum quem nos jam nunc, Michael Psellus explicat ἑκατικὸς, inquit, στρόφαλος σφαῖρά ἐστι χρυσῆ, μέσον σάπφειρον περικλείουσα διὰ ταυρείου στρεφομένη ἱμάντος. δι' ὅλης αὐτῆς ἔχουσα χαρακτῆρας· ἣν δὲ στρέφοντες ἐποιοῦντο τὰς ἐπικλήσεις. καὶ τὰ τοιαῦτα καλεῖν εἰώθασιν ΙΥΓΓΑΣ. εἴτε σφαιρικὸν, εἴτε τρίγωνον, εἴτε καὶ ὅ, τι σχῆμα. Atque hinc capias Viri Ægyptii Iyngas, quas narrat Synesius in Encomio Calvitii, & Magorum quas in περὶ ἐνυπνίων; ad quem librum de hac re consulas licet Nicephorum Gregoram Scholiasten. Sphærulam enim Hecaticam & id genus alia adnotavit: versus autem, quos adducit de Hecates oraculo ad effigiem hujusmodi conficiendam, accepit a Porphyrio, qui illos habet apud Eusebium Præparat. Evangelic. V. cap. VII. Ideo magis vero Iyngas & στρόφαλον Chaldæorum non omisimus, ut, in gratiam studiosorum, decantatum illum Rhombum Magicum, ut Propertio dicitur, & Ρόμβον χάλκεον, ut Theocrito, ab his primi, nec futili conjectura, duceremus. Utrique sane & Rhombus & Strophalus instrumenta Veneficorum solennia, utrique torti, utrorumque apud Chaldæos seu Assyrios origo; eidem Numini, diverso licet nomine, utrique dicati. A veneficis tortos utrosque non est omnino cur quis dubitet, nisi qui utrosque ignorarit. Hecaticus, Chaldæis initia sua debere se fatetur in iis quæ nos supra; nec minus certe Rhombus magicus, si verba Simæthæ strigis apud Theocritum perpendantur, quæ edoctam se ab Assyrio hospite profiteur. Ἀσσυρίω παρὰ ξείνοιο μαθοῖσα, ut Poeta loquitur in Pharmaceutria. Rhombum item ἐξ Ἀφροδίτης δινεῖσθαι canit, id est, si verbum verbo reddideris, *a Venere gyrari aut circumvolvi*. Verum, tam con-



fu-

fusis Dearum apud Antiquos nominibus, quis non videt, maleficarum hujusmodi Venerem, ipsam fuisse Hecaten? quod ostendimus infra ubi de Lilith agitur. Neque enim quis Hecatem a Luna aliam, ne puer quidem, opinetur. Lunam vero sive Isidem βραβεύειν τὰ ἐρωτικὰ, *rebus præesse amatoriis* antiquitus scripsit Eudoxus, apud Plutarchum libello de Iside & Osiride. Quod vulgus Veneri, id Lunæ seu Hecatæ prisci munus tribuebant. Et Hecaten Veneficiis Deam fere propriam statuebant, & amoris conciliandi præsidem. Hinc Phædræ Nutrix apud Tragœdum?

*Hecate triformis, en ades cœptis favens,*
*Animum rigentem tristis Hippolyti doma:*
Amare *discat*, mutuos ignes *ferat*.

Neque vero quod ait Theocritus, ἐξ Ἀφροδίτης gyrari Rhombum, interpreteris, quasi illum Venus movere diceretur; non ea mens loci. Perinde autem est ac si cecinisset, Rhombum ad ritus mysticos a Dea traditos circumverti (id quod voluisse videtur Pindarus Pythionic. Ode IV. ubi Venerem Rhombi memorat inventricem) sive fabricatum esse ad vim Veneream seu Venereum aut Hecaticum dæmonem recipiendum: uti enim ἐκ Θεοῦ pro *Divinitus*, & ἐκ τῶν νόμων pro *juxta leges*, ita ἐξ Ἀφροδίτης pro modo quem observari jussit Dea, aut qui illius sacris rite est observandus, sumitur. Recte igitur & ad rem nostram verba illa interpretatur vetus Scholiastes Ms. per ἐκ τῆς δυνάμεως τῆς Ἀφροδίτης κατεσκευασμένος, quasi, dominantibus Venereæ potestatis sideribus, & ad ἀστερόεσσαν ἀοιδὴν, ut incantationem magicam vocat Nonnus Panopolita, factum Rhombum inscriptumque voluerit elegantissimum Poeta. Scholium illud accepimus ex v. Cl. Danielis Heinsii Theocrit. lectionum c. VI. Non lac lacti igitur similius, quam Rhombo magico Strophalus Hecaticus. Verum hactenus de Imaginibus magicis, quæ κατὰ μαγείαν τύποι, Eusebio libro jam citato & Συμβολικαὶ Δαιμόνων μορφαὶ Origeni adversus Celsum IV. appellantur, nimius verba feci, quod non modo τὰ *Teraphim* Syrorum forsan enarrant, sed etiam ab iis suam videntur originem, saltem vetustatem, repetere. Videsis Alex. Trallian. l. XI. Luciani Pancratem Ægyptium in Philopseude, Porphyrium apud D. Augustinum de Civit. Dei X. c. XI. Mitto autem hic innumeras illas affanias quæ Hermeti, Marbodio, Thebit, Techel seu autori libelli de lapidibus filiorum Israel attribuuntur; sigilla nec non siderum apud C. Agrippam, Paracelsum & id genus nugas alias quæ *Talisman* Arabibus vocantur, Judæis vero scuta Davidis. De Talisman Arabum (quæ eadem sunt quæ στοιχεῖα, de queis diximus supra ex Ptolemæo) Leunclavius in Pandect. Turcic. cap. CXXX. Ubi Apollonio Tyaneo, velut autori, ex Mahumedanorum libris tribuuntur. Certe eadem ipsa τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου τελέσματα vocantur in Responsis ad Orthodoxos quæ Justini nuncupantur. Responsio XXIV. Εἰ Θεός ἐστι δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῆς κτίσεως, πῶς τὰ Ἀπολλωνίου Τελέσματα ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κτίσεως δύνανται; καὶ γὰρ θαλάττης ὁρμὰς καὶ ἀνέμων φορὰς καὶ μυῶν καὶ θηρίων ἐπιδρομὰς, ὡς ὁρῶμεν, κωλύουσιν. Et videsis quæ ibi leguntur cetera. Arabice plerumque scribitur الطلسمات *Talismath*, & vetustum habeo autorem Anonymum Arabice MS. in quo plurima occurrunt de Talismath in urbibus celebrioribus Orientis olim collocatis. *Atque omnium*, inquit ille, *horum Talismath*, كان صانع الحكم فلنوس *autor seu artifex fuit Polonus sapiens*, quo Apollonium intelligi puto. Sed autoris in Manuscripto nomen ita interpolavit nescio quis, ut etiam فلبغوس videlicet *Philippus*, ut videtur, legi posset. Sed hæc lectio plane interpolata est, ut intuenti liquet. Sed & de Talismath consulas illustrissimum Scaligerum in literis ad Casaubonum. Sed & quod multa Scaligero vidisse accidit, & studiosam, pro miro quo fuit ingenio, in ea fecisse conjecturam, operæ erit pretium summi viri verba subjungere. *Nihil*, inquit, *tam frequens est quam hæc* ἔκτυπα *in gemmis inclusa videre, etiam vetustissima: Ea nemo intelligit nisi qui facienda curavit; & frustra illis interpretandis opera datur. Quod enim verisimilia dici possunt, quorum nullum mentem eorum aperuerit? Veteres hæretici præsertim Valentiniani & Marcosiani multa ejusmodi reliquerunt, quæ hodie in Antiquariorum loculis asservantur cum eorum Deo* Ἀβραξάς. Memorant hunc eorum Deum Tertullianus, & Irenæus advers. hæref. I. cap. XXIII. Epiphanius, alii. Mystice etiam observabant, literis vocabuli Ἀβραξάς numeralibus, numerum Dierum communis Anni, id est, CCCLXV. contineri; unde est fortasse quod D. Hieronymus in Amosium, Abraxan eundem esse cum Mithra seu Sole tradiderit. Temporis enim mensura a motu Solis. Ita Nilum etiam Solem dixere, & a ratione sacra, quod

quod Νεῖλος eundem expleret numerum; veteres inquam, Ægyptii. Videsis Heliodori Æthiopicῶn lib. x. & Eustathium ad περιηγητὴν. Certe vix dubito, quin amuletum illud ad hemitritæum sanandum, in quo conscribi debet, ad Magorum præcepta, *Abracadabra* ab Abraxa primum fluxerit. Nominis enim vestigia, in portento illo vocabulorum, satis parent. Et hac me plusquam suadent tot περιάμματα & gemmæ elementis ejusdem inscripta nonnunquam repetitis; quorum copiam habes in Gallicis Scaligeri Epistolis ad Vazetum. Nec nuperum est inter Magos remedium: Memorat enim Q. Serenus Samonicus, hoc carmine.

> *Inscribes chartæ quod dicitur* Abracadabra,
> *Sæpius & subter repetes, sed detrahe summæ*
> *Ut magis atque magis desint elementa Figuris*
> *Singula, quæ semper rapies, & cetera figes,*
> *Donec in angustum redigatur litera conum.*
> *His lino nexis collum redimire memento.*

Præceptor Gordiani Junioris erat Samonicus. Hæretici vero, Basilides & Valentinus centum plus minus annos eum antevertunt; &, sub Adriano & Antonino Philosopho, puram religionem inquinarunt. Quid recentiores Magi de periapto illo sentiant, dicat Cornelius Agrippa de Occult. Philosophia l. III. c. XI. Et videsis apud Baronium in Annalium tomo secundo, plura de Abraxa atque ectypis Basilidianorum; aut in addendis ad extremum tomi undecimi. Nos forsan plura heic, quam par erat, diximus, quæ tamen cum ab imperito non solum vulgo, verum & multis qui Literis nomina dederunt, satis recondita fuerint, & prolixius narravimus, & ab ingenuis gratiam ingenue speravimus, & τῷ παρέργῳ ita ἔργον adauximus. Restat, ut de Divinationum superstitiosarum generibus paucula nec vulgo trita fidem liberantes subjungamus. Astrologiam, Sortilegia, Auguria, Veneficia, & Insomnia consulto præterimus. Tria alia, quæ magis ad usitatum illum תרף *Teraphim* sacrandorum morem aut attinere possunt, aut eum forte quadantenus explicare, breviter ostendimus. Ea sunt, τὸ אוב *Ob*, & ידעני *Iideoni*, & *Mortuos consulere*. De *Ob* & *Iideoni* Moses Levit. xx. comm. 6. ubi pluraliter Oboth, & Iideonim habes; de utrisque & Mortuis Deut. XVIII. comm. II. *Ob* vertunt plerumque Pythonem, seu Magum. Verum *Ob* spiritus erat seu dæmon; qui ab immundis, & quæ honeste non possunt nominari, partibus, nonnunquam a capite seu axillis sive Harioli sive Mortui submissa voce & quæ ex Telluris cavitatibus videretur egredi, nec audiri sed a consulente duntaxat mente concipi posset, responsa dabat. Ita Moses Mikotzi in præceptis Neg. XXXVIII. Rambam in Jad. Chazeka part. עכום c. VI. Paulus Riccius ad Mandat. Negat. XXXVI. ex libro Sanedrin qui est quartus quarti Ordinis Operis Talmudici. Et videsis historiam de Samuelis defuncti specie Sauli repræsentata a fœmina, cujus ex obscœnis *Ob* loquebatur, aut loqui creditus est, in I. Sam. c. XXXVIII. Fœminam, sive Pythonissam, seu ut LXX. vertunt γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον illam scriptura nuncupat אשת בעלת אוב *Esbeth Baaloth Ob*, id est, mulierem Ob. Et Saul, *Divina*, inquit, *quæso mihi in Ob*, quod Seniores ita efferunt μάντευσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. *Ob* igitur heic spiritus ventriloquus. Pythonissa autem ipsa sive ariolus, id est Baal seu Baalath Ob, hoc nomine nuncupatur. Sæpissime autem ἐγγαστρίμυθοι vertitur τὸ אובות in Seniorum versione; semel vero οἱ ἐκ τῆς γῆς φωνοῦντες, seu qui ex ipsa Tellure sonum reddunt, ut Jesaiæ c. XIX. comm. 3. Hujusmodi sacris qui initiabantur, tenebant manibus שרבים של הדס, id est, virgam myrteam, & suffumigabantur. Ita R. Moses Ben-Maimon in Jad Chazela part. עכום c. VII. Rituum autem locum fuisse Mortui sepulchrum vult R. Abraham Ben David. Iideoni autem ajunt, est ariolus qui osse animantis, ידוע dicti, in os suum posito, futura doceret, & quærenda solveret. Animal autem, scribunt, illud nescio quod Jadoa fuisse, cui humana undiquaque figura, sed quod ad funem cujusdam radicis ligatum a primo ortu perpetuo hæreret vivum, donec, qui ob innatam ejus sævitiam propius accedere minus sunt ausi, sagittis conficerent. Has apud Hebræos, nugas habent nugaces, & Codex Talmudicus & Rabbi Simson apud R. Mosen Mikotzi Præcept. Neg. XXXIX. Verum saniori quis judicio, a ירע, id est, *scivit*, seu *novit* Iideoni deduxerit & ut δαίμονες dicuntur quod sint δαήμονες, id est, *scientes*, uti vult Plato, ita Iideoni appellati, quod fuerint ידעים, *Jodaim*, id est, futurorum conscii; Substituunt enim Græci interpretes pro Iideoni ἐπαοιδοὺς & τερατοσκόπους in Pentateucho; verum IV. Regum c. XXI. com. 7. ubi

ubi Manasses Rex Ob & Iideoni restituit, ita vertunt, καὶ ἐποίησε Θελητὰς καὶ γνώστας, id est, *& fecit*, Θελητὰς, *& ariolos*, quis non videt illos heic a scientia futurorum Iideoni dictos & pluraliter voluisse? Tam etiam *Iidionim* quam *Iidioni* habet Scriptura, unde palam est plurale vocabulum esse, γνῶσθαι autem a γινώσκειν, quod ידע interpretatur; Unde etiam Arabs Erpenianus Levitici cap. XX. com. 6. & Deuteronomii XVIII. com. 11. pro ידעני العرس لقف quod γνώστας plane sonat, substituit. Sed vero quamobrem Ob per Θελητὰς reddunt? Hesychius: Θελητής, προαιρετικός. Hoc autem eum qui certo animi proposito rem aliquam aggreditur, denotat; verum quomodo τῷ Ob sic foret satis congruum nullus video. An quod Ob Hebraice אוב exaretur, ideo ac si ab אבה *Abah*, quod θέλειν significat deduceretur, in Θελητὰς vertebant? hæreo. Arabi Erpeniano, in Pentateu. pro Oboth السعونين usurpatur. A *Mortuis* autem & expectabant, ut per insomnia, de rebus quas sciscitabantur, juxta sepulchra pernoctantes fierent certiores, & Pythonissarum ope etiam evocatas eorum species, uti de Samuele traditur, consulebant. Tria hæc quæ diximus voluit Rabbi Moses Maymonides in More Nebuchim part. III. cap. XXX. ubi de Idolorum cultu & artium superstitiosarum origine: *Tunc etiam* inquit, *ortæ sunt opiniones & sententiæ & inventi sunt ex eis* ( hoc est ex Zabiis, seu Chaldæis ) *Augures, & magni divinatores & sortilegi & inquirentes* Ob *&* Iideoni *& requirentes Mortuos*. Adi porro Theodorum Balsamonem, & Zonaram ad Synodi in Trullo Canonem LXV. ubi de divinandi hisce generibus habentur nonnulla.

## CAPUT III.

Baal Tzephon, *quid secundum Rabbinos: Oppidum erat aut urbs. Nominis in rationem conjectura*. Ezechiel *Tragœdus*.

SUb exitum Israelitarum, ita historia sacra Exod. XIV. com. 1. *Locutus est Dominus ad Mosen dicens; loquere ad filios Israel, ut redeant & remaneant ante Pi Hiroth inter Migdol & inter Mare e regione* Baal Tzephon, *atque contra ipsum castra ponant juxta mare. Nam dicet Pharao de filiis Israel; irretiti sunt in terra, conclusit eos desertum*, sic Munsterus: ubi pro *irretiti sunt* Hebraica veritas habet נבכים, *Nebuchim*, hoc est, *perplexi* sive *ambigui*, ut nesciant prorsus quo se vertant. LXX. reddunt, ὅτι πλανῶνται οὗτοι ἐν τῇ γῇ, συγκέκλεικε γὰρ αὐτοὺς ἡ ἔρημος, id est, *vagantur in terra, conclusit enim eos Desertum*. Hic scribunt dicam, an somniant, Ebræorum magistri *Baalzephon* idolum, sive κατὰ μαγείας τύπον, fuisse a Pharaonis Magis ad Cœlestium corporum posituras fabricatum, & juxta sinum Arabicum collocatum, observandi & retinendi utique Israelitas, irretiendi, & a destinata divinitusque data profectione avertendi vim habens magicam. Ideo paraphrasis illa, Jonathani tributa טעות צפון *taighoth tzephon*, id est, Idolum Tzephon vocat, atque ita Targum Hierosolymitanum. Et Arabi صنم صفون dicitur, seu imago sive simulacrum Tzephon, Erpenianæ scilicet editionis Sed in. Codice Arundelliano Ms. unicum est vocabulum, بعلصفون *Baaltzephon*, uti etiam apud Seniores, quos plerumque sequitur interpretationis illius Arundellianæ autor. Aben Ezræ, qui in commentariis suis Astrologiam, & quæ inde pendent, Divinis haud satis pie miscere solet, fabulam istam inprimis debemus: habet & Paulus Fagius in Chaldæam Exodi paraphrasin. Verum ex male intellecta scriptura, & fanatica Judæorum in ambiguis interpretatione, nugamentum illud primum emanasse videtur. Nec piguit tamen in Syntagma nostrum de erroribus impiorum, etiam & hunc Magistrorum errorem retulisse. *Baaltzephon* autem Urbs seu oppidum erat. Vide Num. cap. XXXIII. com. 7. ita & Baal 1. Paralip. cap. IV. comm. 33. De Baal nos plurima inferius. Recte igitur Urbs dicitur Ezechieli tragœdo, in Ἐξαγωγῇ Israelitarum, sub persona nuncii Ægyptii,

> Ἔπειθ' ὑπ' αὐτοὺς θήκαμεν παρεμβολὴν
> Βεελζεφών τις κλῄζεται πόλις βροτοῖς.

Multa ejusdem Poetæ legas apud Eusebium προπαρασκ. lib. IX. & Clementem Alexandrinum Stromat α. scribitur בעל צפן quod forte *Baal Septentrionalis* interpretatur: צפון enim illam mundi plagam denotat. *Tezphon* autem a צפה petunt qui Ebræos hic sequuntur, quod est *observare* seu *speculari*.

## CAPUT IV.

Vitulus Aureus. *Bos fuit, seu Juvencus. Interpolata Vituli historia affaniis Mahumedicis. Latina Alcorani versio emendata*. Ascemeli, Ascemeri, Sameri, *quid*

*quid in nugis, de Vitulo, Mahumedicis. Locus in Geographo Nubiensi insignis explicatus. Eum item Mahumedanum fuisse, asseritur.* السامري *apud eum, ubi de Samaritanis loquitur, insulæ rubri maris incolis, quid, & unde natum. Carnem & sanguinem habuit Vitulus, secundum Mahumedanos. Distinctionis litera P. in Latina Alcorani versione, unde ortum.* Apin *seu* Mnevim *Ægyptiorum in eo cultum credidere veterum nonnulli.* Caput Vituli. Netos. Macrobius *emendatus.* Apis *conceptus, genitus; ejusdem γνωρίσματα an in Aureo Vitulo. Macario lux. Convivium, chori, & id genus alia in* Apidis *inventione: eadem fere celebrabant Israelitæ.* Apis *mersus, ita & hic vitulus.* Statius *explicatus.* Vitulus *non fuit* Apis *aut* Mnevis; *potius* Bos deauratus. *In* Osiridis ἀφανισμῷ & εὑρέσει *ostendi solitus.* Jeroboami *Vituli duo, Hebræorum de iis Historia. Festum quod ille instituit, an in XVII. mensis Athyr, id est,* ἀφανισμὸν Osiridis *cadere potuerit. Ad eam rem, Temporum calculus.* Ægyptiorum *dies* festi *per totum annum post multa secula vagabantur.* Anni eorum æquabilis *vetustas. Ordo Mensium Hebræorum. Chori & convivium in Deserto quo mense.* Osiris *unde dictus.* Siris, Melo, *&* Ægyptus *dicta. Lux* Symmacho. Sirius *Sol dictus. Ægyptius Jupiter.* Osiris, *sub exitu, Numen Ægyptiorum; & Omphis dictus.* Boves *&* Oves *sub id tempus Dii: aut Diis dicabantur. Boves utriusque sexus. Quarum Ægyptii* esu carnium *abstinebant. Quid* festum Domini, *in historia sacra vituli* Adonai. Osiris. *Non adhuc expiata illa Idololatria, secundum Judæos. Ex quot talentis auri* Vitulus *constiterit, juxta sententiam aliquot Hebræorum. Talentum Hebraicum. Commentum de Barbarum aurearum originatione.*

ÆGYPTIA supetstitione inquinatos Israelitas Vitulum Aureum coluisse certum est. Bovem, si vis, aureum appelles licet: tametsi enim עגל *Eghel* habeat Ebraica plerumque veritas, quod μόσχον reddunt LXX. & vitulum Latini: nihilominus tam שור *schor*, id est, Bos quam עגל seu Vitulus vocatur Ps. CV. comm. 21. ubi paraphrastes metricus Apollinarius.

Ἐνθ' ἄρα χωρήεντα κεραέλκεα Μόσχον ἔτευξαν κεραέλκης μόσχος. Bos fuerit necesse est. Etiam dicto Psalmo שור אכל עשב *Bos qui herbam depascitur*, expresse dicitur. Ubi tamen etiam pro שור Arabs habet عجل, quod ipsum Ebraicum est pro Vitulo vocabulum, & Seniores μόσχον. Etiam Vitula apud Virgilium juvenca est, ubi Dametas,

*Ego hanc vitulam (ne forte recuses*
*Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus) Depono.*

Mitto Jonathanem qui Hoseæ cap. XIII. pro עגלים *aghalim*, quod plerumque Vitulos interpretatur, substituit Chaldaice תוריא *thoraia*, id est, Boves. Accedit vero, quod Herodoto celebratissimum illum Ægyptiorum Bovem, Apin (ut D. Athanasius adversus Græcos, alii) μόσχον nominat. Sacram de hoc Vitulo historiam, quæ in Exodi cap. XXXII. legitur, nugis suis atque deliramentis auxit Mahumedes in Azora XXX. ut Latini Codicis numeri se habent, at XX. in Arabici. *Moses cur citius sua gente venisset (ita illic legitur) a Deo rogatus, inquit; Illa quidem me subsequitur. Ego vero te annuente præcedens, tuam adoptavi faciem. Ipse tamen, Deo dicenti, quod Propheta ille vel artifex Ascemeli post discessum suum gentem suam errare fecit, reversus est, non minimum iratus suæ genti & eam increpans dicendo. O gens, quare placitum bonum vobis a Deo propositum mentiti estis? an studeris iram incurrere divinam? Illi vero responderunt; Non sponte transivimus. Sed nobis quoddam ex ornatibus popularibus fabricare præceperunt; cui præcepto nobis faventibus, Ascemeli taurum fudit, corporeum, emittentem mugitum, & dixit eum vestri Moysique Deum esse; quod ipse tamen oblitus est. Nonne videre poterant ipsum impotentem verbum quodquam reddere, vel eis prodesse vel nocere posse? Saltem audisset Aaron præmonentem dicentemque: vos per eum decepti, me sequamini, mea præcepta faciendo, quod Deum Dominum nostrum adorando facietis. Illi vero responderunt, se nullatenus hoc dimittere, priusquam Moyses revertetur. P. Moses itaque reversus percontatus est Aaron, cujus prohibitione eum minime secutus sit, suumve mandatum non compleverit? Cui ipse taliter respondit? Tu matris meæ proles, nec barbam neque capillos avellas tibi timenti te dicturum, quoniam eos secernerem tuumque verbum minime complerem. Ille deinceps ad Ascemeli conversus quid præcepisset quæsivit. Qui respondit se nequaquam aceris visum vidisse. Unde ego de prophetæ vestigiis manu mea clausum quoniam hoc bonum videbatur inje-*

*jeci. Injunxit itaque Moyses ut quamdiu viveret Ascemeli peregrinaretur, nec cujusquam communione potiretur, sicque terminum nullatenus mendacem expectans, illum Solum Deum consideret cujus nullus est terminus, præter quem non est alius Deus, cujus scientia complectitur omnia Deum etenim illum conflatum comburemus vel diminutum in mare projiciemus.* Codex item Latinus penes me manuscriptus, nec Roberti illius Angli interpretis ævo multum recentior, haud aliam fere exhibet heic lectionem, præterquam quod pro *aceris*, *a ceteris* ibi habeant adjecta in margine hac notula, *scilicet eam quam non vident ceteri* (quod loci Arabismo satis consonum est, modo particula negativa in versione expungatur; *se scilicet vidisse quod non vident alii*) & ubi primum Ascemeli memoratur, nudo memoratur nomine, nec *propheta vel artifex* vocatur, uti nec vocatur in Arabico. Sed in margine Codicis Ms. adnotatur *Ascemeli propheta ille vel artifex*, unde in ipsum orationis textum procul dubio irrepsit. Ascemeli igitur heic sit ipse Vituli autor seu artifex, & Mosis sententia hominum communione privatur. Sed Ascemeli verbum ibi plane nihili est. In variis lectionibus emendatur, & Aschemeri legendum monetur, quod propius abest a vero. Vocabulum enim quod in Arabico habetur pro eo est لسامري *Alsameri* aut *Sameri*, quod id ipsum non alia notione occurrit apud Geographiæ Nubiensis autorem in parte quinta Climatis secundi. De insulis Rubri maris locutus, *Inter has etiam*, inquit, *est insula Somerei* (السامري) *quam colunt populi Judæi Samaritani, quorum tessera est ut dicat quis ex ipsis cum aliquem offenderit* لامساس *Lamesas*, *& hac dictione deprehenduntur esse ex Judæis* التسوبين الي السامري صاحب العجل في زمن موسي عليه السلام, *qui scilicet descendunt ex Sameri autore Vituli Tempore Moysis, cui Salus.* Ita nempe vertunt illum locum integrum Gabriel Sionita & Joannes Hesronita; aliter atque Josephus Scaliger, in Septimo de Emendatione Temporum, p. 622. qui reddit *quod ipsi sint ex iis Judæis, qui cognominantur Samaritæ complices vituli in seculo Mosis, super quem sit pax.* Adeo ut لسامري pro gente Samaritarum heic accipiat, & τὸ صاحب, eos velut Vituli cultus socios, Mosis seculo, fuisse innuere putet. Sed quid hoc est, Samaritas Mosis seculo Vitulum adorasse? صاحب autem non *Socium* modo aut *Comitem*, sed & *Præfectum*, *Autorem*, & *Magistrum* significat, unde Gabriel & Johannes recte *autorem Vituli pro* صاحب العجل substituere, &, pro لسامري, *Samari*, autoris scilicet, quem intelligit Geographus, nomen atque ut ipse intelligere videtur, proprium; quod non aliunde, puto, hausit, quam ex hac Alcorani Azoara & Mahumedica Vituli aurei, id est, fanatica historia. Unde nec levis est conjectura, eum potius Mahumedanum fuisse, uti autumat V. Cl. Isacius Casaubonus in Notis ad D. Gregorii Nysseni epistolam ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam, quam Christianum, quod asserere nituntur ejus, in præfatione, interpretes. Nam locus nimirum hic unicus, quo eum Alcorani historiolam hanc, hoc sensu, amplexum fuisse deprehenditur, multum præponderat paucis, quibus non sine honorifica aliqua mentione CHRISTUM & Beatam Mariam virginem, adjectis videlicet السيد & السيدة id est, *Domino* & *Domina*, memorasse observatur. Certe honor ille satis frigidus est. Et tralatitium est, Mahumedanos Christum Jesum honorifice sane memorare. Sed Christianus ægre tulisset omnino, ut sibi quid ita excideret quod adeo Mahumedismum saperet, imo plane profiteretur. Nam & sententiam illam Mosis factam, qua Sameri hominum communione privatum in Alcorano narratur, manifestissime porro agnoscit Geographus; atque ea omnino nititur insularium nominis, quam affert, originis ratio. Eam nempe petit a loquendi illa formula لامسا س la mesas, *Non attingas; contactus sit nullus, communio nulla*, quæ ipsissima sunt vocabula in Alcorano quibus lata est illa sententia Ergo etiam Alcorano, ni fallor, ut Mahumedanus ibi fidem habuit, & sententiam illam, unde tota originationis vis pendet, veram fuisse censuit. Sed ego sane etiam in ipso Alcorano nullum omnino sive prophetam sive artificem Sameri & Alsameri dictum, ut nomine proprio, autumor, neque heic τὸ السري aliud esse quam appellativum, idque ipsius Aaronis, atque in ipsum Aaro-

Aaronem ſententiam illam latam eſſe voluiſſe impoſtorem illum qui nequiſſime ſacram illam interpolavit &, ſuo more, conſpurcavit hiſtoriam. Cuſtos enim ſeu præfectus erat populi Aaron, dum Moſes in monte Sinai agebat, & appoſitiſſime ſic nucupandus. السامري autem *Cuſtos* eſt ſeu *præfectus*, ab Ebraico שמר unde & Samaritæ, patribus aliquot, Cuſtodes φύλακες interpretantur, de qua re compluria affert Illuſtriſſimus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis. Et ſcimus Aaronem autorem ſeu Vituli artificem fuiſſe. Adeo ut ibi interpres *Aſcemeli*, pro *Alſameri*, velut nomen proprium, ſubſtituit, ibi *Cuſtos ille* ſeu *præfectus*, quo nomine Aaron ipſe intelligendus eſt, legendum. Verba illa, fateor, *Saltem audiſſet Aaron præmonentem dicentemque*, *Vos per eum decepti me ſequamini*, apud interpretem illum Robertum, uti etiam illa, *Ille deinceps ad Aſcemeli converſus quid præcipiſſet quæſivit*, aliam, præter Aaronem heic intelligi perſonam innuere videntur. Sed in prioribus illis verbis, *audiſſent* dici debuerat, & ad illa *Nonne videre poterant* pluraliter dicta in præcedenti periocha, juxta mentem interpretis, referri; ut ſcilicet utrumque de *Gente* etiam, pro Iſraelitis, pluraliter accepta caperetur. Nam in Arabico pro *Saltem audiſſet Aaron præmonentem dicentemque*, habetur duntaxat ولقد قال لهم هرون من قبل *Et ſane dixerat illis Aaron antea!* Et *per eum* in verſione, plane *per Vitulum* eſt. Quod ad alteram verſionis locum attinet, quo, ad aliam ſe Moſem convertiſſe perſonam, indicari videtur; Arabica contrarium prorſus docent, quæ tantum hæc ſunt, قال فما خطبك يا سامري *Dixit quænam ratio tua o Sameri*, nempe, *o Cuſtos?* Aaron ſcilicet interrogat, quænam eſſet ratio ejuſce quod proxime reſponderat. Aaron igitur & السامري iidem ipſi impoſtori fuere, nec duæ perſonæ. Sed & fortaſſe ipſe Geographus Arabs aut ii quos de inſularibus illis conſuluit & de eorum origine, Aaronem per Sameri ibi intellexerunt. Nam alibi etiam edocemur Cuthæos ſive Samaritanos, quotquot ſcilicet ſacris præſunt, ipſius Aaronis poſteros ſe venditare & alterius cujuſpiam familiæ conjugia reſpuere, quæ male, puto, intellecta & Alcorani de لامساس hoc in loco nugis mixta, & notiſſimum Samaritanorum in Judæos odium peculiare, quo eorum & tactum & conſortium fugiunt, ad omnes advenas perperam tractum, in cauſa (ita ſane veri eſt ſimile) fuere cur Vituli autorem, Aaronem nempe, etiam gentis autorem fuiſſe ſcriptum fuerit. De Samaritanis Benjamin Tudelenſis in Itinerario, *Cuthæi habent Sacerdotes ex poſteritate Aaron in pace quieſcentis; qui cum nullis aliis connubia conjungunt niſi cum familiæ ſuæ fœminis aut viris, ut genus impermixtum conſervent; appellanturque vulgo ibidem (in Samaria) Aaronitæ. Veruntamen ſunt miniſtri & ſacerdotes legis illorum Samaritanorum.* Ceterum quid illud apud Alcorani interpretem, quod ſupra occurrit, *Unde ego de prophetæ veſtigiis manu mea clauſum, quoniam hoc bonum videbatur, injeci.* Periocha eſt nullius ſenſus uti & quamplurimæ apud eundem aliæ: pro ea vero habet Arabs فقبضت قبضة من اثر الرسول فنبذتها وكذلك سولت لي نفسي id eſt, *& ſumſi* (manu) *pugillum veſtigii Nuncii* ſeu *prophetæ*, *& projeci eum, quemadmodum ſuggeſſit mihi anima mea*, ſcilicet قبضة من تراب اثر الرسول *pugillum e pulvere veſtigii prophetæ* uti ibi Scholiaſtes; quem Bibliothecæ Cottonianæ debemus. Prophetam autem ſeu nuncium illum Scholiaſtes ille Gabrielem fuiſſe ait, decantatiſſimum illum Muhamedis angelum. Ita ſenſus tandem erit Grammaticus, ſed ridiculus interea & fanaticus. Ex pulvere nimirum vel luto, quod preſſerat Gabrielis planta, velut e matrice ad aurum liquefactum excipiendum primo formata, natum eſſe Vitulum. Azoara item XVII. Vituli hujus mentio. Sed ut in loco, quem ſupra adduximus, *corporeus, emittens mugitum* dicitur, ita heic *ſonitus ſtertentis emittens*. Sed in Arabico habetur عجل جسدا له خوار in utroque loco, quod ſonat *Vitulus corporeus cui mugitus*. Vitulum ſcilicet vivum fuiſſe ſomniant Muhamedani, quod ex horum vocabulorum interpretatione, apud Scholiaſtem elicitur. Nam جسدا expreſſe interpretatur pro eo *quod habet carnem & ſanguinem*, ſive uti ejus ſunt verba بدل لحما ودما quæ idem ſignificant; idque ad utramque Azoaram. In hac vero, quæ exemplaribus Arabicis ſeptima eſt, ubi de Vitulo verba fiunt ab Iſraelitis

litis ficta, autorem ejus seu fusorem Sameri facit ut Geographus ille. Antequam autem a Mahumedicis hisce ineptiis jam discedamus, etiam de litera P. sexcenties, ut supra, in Alcorano Latine edito, occurrente aliquid dicere non erit ita intempestivum. Doctiss. Erpenius ad Josephi Patriarchæ historiam ex Alcorano typis mandatam, *Interpres*, inquit, *Latinus non nisi post decimum quemque versum distinctionem adhibet, adscripta litera* P. *Id ex eo natum est, quod Arabes in majores Alcoranum particulas secantes denis quibusque versibus postponunt* ع *primam literam vocis* عشر *quæ decem significat, & e regione ejus in margine quoque ut plurimum collocari solet. Cur autem interpres maluerit* P. *quam aliam usurpare literam, equidem ignoro, nisi forte Hebræos imitari voluerit qui literam* Pe *sectionibus Pentateuchi distinguendis adhibent, quod ea prima illius vocis litera sit quæ sectionem illis denotet.* Atqui ubi impressi Codices Latini habent, ad hujusmodi sectiones designandas, litera P. in Codice, quo utor, Manuscripto eoque pervetusto figura semper reperitur alia ex ipso ع, per librariorum puto, sive incuriam sive ignorantiam, nata, quæ hujusmodi est γ. Atque ea demum ut in P, apud Typographos, quibus ejusmodi figura in forulis non erat, transmigraret, nemo non videt. Sed hoc obiter. Ad Vitulum aureum redimus: Ejus cultum ab Api Ægyptiorum initia traxisse sentiunt veteres aliqui. Lactantius de Vera Sapientia capite x. *In Luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moses Dux eorum ascendisset in montem, atque ibidem* XL. *dies moraretur*, Aureum caput Bovis, *quem vocant* Apin; *quod eis signo præcederet, figurarunt*. Tantundem de Jeroboami vitulis D. Ambrosius in Epistolæ ad Romanos caput primum. Alii similiter. Quamobrem vero Caput Vituli Lactantius dixerit, perinde nescio ac cur nunc Asinum, nunc Asini Caput, uti pro Numine habitum priscis Christianis & Judæis impii exprobrarent. Certe Optatus item Milevitanus l. III. *Temporibus Mosis populus Israel* Caput Vituli *coluit*. Tertulianus lib. adversus Judæos, *cum ex monilibus fœminarum & annulis Virorum aurum fuisset igne conflatum, & processisset eis Bubulum Caput*. Meminit etiam Vituli caput D. Ambrosius l. I. de Pœnitentia c. VI. item Ruffinus ad Amosium lib. I. alii. Ita & D. Hieronymus, qui ad rem quam tractamus, maxime. *Videntur*, inquit ad c. IV. Hoseæ, *idcirco mihi populus Israel in solitudine fecisse sibi* Vituli Caput *quod coleret, & Jeroboam filius Nabat Vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant* Ἄπιν καὶ Μνεῦιν, *qui sub figura Boum coluntur, esse Deos, hoc in sua superstitione servarent*. Si omnes de Apide nugas velis, & de Mnevi, adeas Strabonis lib. XVII. Plinii hist. VIII. c. XLVI. Solini cap. XXXV. Melæ I. cap. IX. Ammiani Julianum, Suidam, Spartiani Adrianum, Diodori Bibliothecæ I. Herodoti Euterpen & Thalian, Luciani περὶ θυσιῶν libellum, & Macrobii Saturnaliorum I. cap. XXI. ubi Taurus Heliopoli consecratus *Netos*, obliquo casu *Neton*, vocatur, sed Librariorum ab incuria erratum est. Codex Macrobii MS. & vetustissimus in instructissimo Antiquitatis Thesauro Viri tam studiis quam natalibus Clarissimi Roberti Cottoni, habet *Neuton*. Sed legendum Μνεῦιν quod in *Neuton*, scriptorum lapsu, facile mutabatur. Soli Mnevim, Lunæ Apin sacrum scribunt. Nonnulli & Apin Solis fuisse imaginem. Erat autem Apis non coitu pecoris, ita nugabantur, sed cœlesti igne seu radiis Lunaribus conceptus (hoc est, quod ait Plutarchus ὅταν φῶς ἐρείσῃ γόνιμον ἀπὸ τῆς Σελήνης, καὶ καθάψηται βοὸς ὀργώσης) colore nigro, quadrato in fronte candore, macula dextro lateri ingenita, & corniculantis Lunæ imaginem referenti conspiciendus. Perpendat qui Apin in Vitulo intelligunt, utrum Aharon aliquod horum γνωρισμάτων stylo suo formaverit. *Et formavit aurum cum stylo* ait Moses nimirum יצר בחרט *jatzar bacheret*, id est, graphio figuravit, sive ut habent LXX. ἔπλασεν ἐν τῇ γραφίδι. Idolum fuisse conflatile constat, nec facile intelligas quid stilo fecerit, nisi notas Apidis, aut ejusmodi quid insculpserit. Rudem massam imprimis conflatam volunt Hebræorum nonnulli, inde Vituli figura, scalpelli seu styli opera, donatam. Magorum ars, eorum scilicet qui ex Ægyptiis proselyti erant, aliis heic latere videtur. Etiam ipsum ignem ex auro liquefacto vitulum formasse, putarunt nonnulli Hebræorum, verbis commatis 24. capitis XXXII. Exodi, persuasi, uti & Macarius Ægyptius, ni fallor, in Homilia XI. Ὥσπερ, inquit, ἐμιμήσατο τὸ πῦρ τὴν προαίρεσιν αὐτῶν. Τοῦτο δὲ θαυμαστὸν πρᾶγμα. Ἐπειδὴ γὰρ κατὰ πρόθεσιν ἐν τῷ κρυπτῷ καὶ τοῖς λογισμοῖς αὐτῶν ἐβούλευσαν εἰδωλολατρεύειν, καὶ τὸ πῦρ ὁμοίως τὰ ἐμβληθέντα σκεύη εἴδωλον εἰργάσατο. Quin & Dæmonum præstigiis, ipsius Apidis partum, fuere qui at-

attribuebant. Vide D. August. de Civit. Dei. XVIII. cap. V. cum etiam inventus Apis solenni pompa Memphim, Ægyptiorum Regiam, deduci a Sacerdotibus soleret, pueris in sacro illo comitatu carmen honori Numinis gregatim præcinentibus; multumque esset ob natum & repertum Deum & publicum gaudium, & πανδαισία, sive lautissimum convivium, ut scribit Suidas; perpendant insuper sequaces Lactantii hic & D. Hieronymi, verba Mosis Exodi cap. XXXII. com. 6. *Seditque populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent*, id est, ut conflatile Numen cantu & choris celebrarent. Idem enim com. 18. *Non est vox quæ resonet fortitudinem, nec est vox quæ resonet debilitatem, sed vocem cantantium ego audio*, sive *choros ducentium*, aut τῶν ἀρχόντων οἴνου, ut reddunt Græci; nempe comessantium, seu Vitulantium; quo vocabulo, hoc sensu, utitur in sacris Varro apud Macrobium. Inventio Apidis, & Vituli Festum, en quam analoga. Post ævi spatium in sacris libris præscriptum, profundo sacri fontis, id est, Nili, immersus Apis necabatur, nec diem longius trahere licebat. De qua re Papinius Sylvarum III. in Propemptico Metii Celeris,

> - - *aut quo se gurgite Nili*
> *Mergat adoratus trepidus pastoribus*
> *Apis.*

Mox alius requirebatur ea, quam diximus, solennitate sacrandus. Passim sunt qui inconsiderantius conjiciunt, quam is, qui in opprobrium immergendi Apidis, Mosem Vitulum *combussisse in igne, contrivisse in pulverem & sparsisse in superficiem aquæ* autumarit. Comma 20. dicti capitis & Deut. IX. 21. consulenda. Et Mosem imitatus Josias rex Idolorum cineres, in templo Hierosolymitano a Manasse Rege sacratorum, dispergi voluit. Ceterum hæc ad patrum mentem adjecisse non piguit. Scimus autem nos Apin & Mnevim summo honore cultos Ægyptiis, Boves utrosque vivos. Hunc aut illum aurea statua denotatos, id vero omnino nescimus; nec quis potis est docere. Non satis congrua sunt argumenta. Deus Apis Bos Ægyptiis; ergo Bos ex auro conflatus ab iis, qui mores imbiberant Ægyptios, Apidis vicem obtinuit. Nec de hac re deliberant diu Israelitæ, nec novus procul dubio cultus ille conflatilis idoli. Solitos enim ritus, solita numina usque ad insaniam retinent plerumque superstitiosi. Haud est igitur credibile, quin in Ægypto, Bovem aureum, qui Deus aut Dei symbolum erat, aureus hic Aharonis imitaretur. Aureum heic dico, quod vel ex auro constaret, vel deauratum esset. Magnus autem ille, quem nos hic cogitamus, Ægyptiorum Deus, auratus erat Βοῦς διάχρυσος in Osiridis Luctu seu ἀφανισμῷ & εὑρέσει etiam (de quo plura ubi de Thammuz agimus) pulla veste byssina amictus & ab Hierophantis, uti Numinis imago, quatuor diebus continuis a XVII. mensis Athyr (qui, postquam fixus fuerit annus æquabilis Nabonassari, in XIII. Novemb. Juliani incidit) solenniter & palam ostendi solitus. Quo de Plutarchus, autor exceptione major, Ægyptiorumque monimentorum callentissimus, libello de Iside. Nec magis ab Ægyptio ritu erat, quod Bovis ferret similitudinem, quam quod auro seu colore aureo esset insigne Aharonis idolum. In mandatis igitur erat Dei Opt. Max. Exod. XX. comm. 23. *Deos Aureos non facietis vobis*. Et cum Jeroboam Ben-Nabat, qui diu in Ægypto egisset, juvencos illos in Dan & Bethel collocandos formaret, ex auro eos conflavit; Numinisque patrii memor, *Ecce*, inquit, *Dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægyti*. Vide I. Regum c. XII. & Fla. Joseph. Ἀρχαιολογ. VIII. cap. III. de Achabo Rege. Et de prærogativa locorum in Consessu superum lepide agens Mercurius, Barbarorum, id est, Orientalium & Ægyptiorum Numina plerumque ex auro constare ait, Græcorum autem ex Ebore, ligno, & materie auro viliori. Jocus est apud Lucianum in Jove Tragœdo. Locum aræ vitulo in Dan sacratæ designat Benjamin Ben-Jona, in Itinerario. *Non longe* (inquit, a Jordanis fonte nimirum) *locus visitur Aræ a Jeroboam filio Nabat erectæ, in qua vitulus illi aureus dicatus fuit*. Quamdiu hi vituli colerentur, & eorum, sive inter manubias sive tributa, deportationem scribere non dubitant Hebræi. Ita in Seder Olam majori part. II. *Anno vicesimo Phace Regis Israel venit Teglath-phallassar Rex Assur, abstulit* vitulum aureum *in* Dan *& ita discessit*. Atque hoc eliciunt ex II. Paralipom. c. XXVIII. com. 21. Et simile sub id tempus factum alteri accidisse tradunt. *Anno inquit*, idem Autor, *duodecimo regis Achaz excitavit Dominus Israel spiritum regis Assur, & abstulit* vitulum aureum *qui erat reliquus in* Bethel *discessitque*. Id ex Oseæ c. X. probant fieri debuisse. Quem locum ita ad Hebraicam veritatem D. Hieronymus vertit. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ; quia luxit super eum po-*

*pulus ejus & æditui ejus super eum exultaverunt in gloria ejus, quia migravit ab eo; siquidem & ipse in Assyriam est delatus regi ultori.* Curnam autem æditui, id est, Cemarim exultaverint, populus vero luxerit, ita pater ille ex Hebræorum monimentis docet. *Tradunt*, inquit, *Hebræi vitulos aureos a sacerdotibus furto esse sublatos & pro his æneos & deauratos repositos. Cum igitur lugeret populus tempore necessitatis & angustiæ, etiam vitulos aureos* (hoc est illos ab æditūis, seu sacerdotibus, substitutos) *inter munera cetera Assyriis regibus & maxime Regi Senacherib ab Israel rege esse directos. Exultabant æditui, quod fraus eorum nequaquam posset argui nec deprehendi.* Deprehensa vero postea fraus literis Regis Israel indicatur. Erant qui putabant etiam inter talenta illa argenti a Menahem Rege ad Imperatorem Assyriorum Phul data, etiam & vitulos hosce missos. Ceterum vide II. Reg. c. XXIII. comm. 15. ubi lucus in Bethel succenditur, hoc est אשרה, quod pro ipso vitulo non immerito forsan sumas. Nam אשרה ligneum plerumque denotat simulacrum, ut in capite de Astarte ostendimus. Et fieri potest, ut aurei illi dicti vituli lignei essent, atque inaurati, unde nomen aureorum sortirentur. Nam & ita διάχρυσος ille Ægyptiorum βοῦς fuisse jam dicitur. De Jeroboamo addit sacra historia. *Fecit quoque Jeroboam solennitatem in mense octavo, in decimaquinta die mensis, in similitudinem festivitatis, quæ est in Jebuda.* Sed Judæi mense octavo, quem Marchescvvan dicunt (is Novembri Juliano ferme respondet) nullum omnino festum celebrabant. Erat igitur, ajunt nonnulli, prophana illa solennitas imitatio scenopegiarum quæ XV. die mensis septimi, id est, Tisri (ad rationem anni Hebræorum civilis, non naturalis loquimur) agebantur ex veteri instituto Levitici XXIII. comm. 34. Fateor me hic tam frustra curiosum fuisse, ut diligentius inquirerem, utrum XVII. dies mensis Athyr in anno vago Ægyptiorum & æquabili, id est CCCLXV. dierum, omisso quadrante, festum nempe illud, quo, juxta vetustissimos ritus, deaurato bove ostenso, Osiridem plangebant & cum gaudio item inveniebant, & XV. dies Marcheschvvam, festum scilicet a Jeroboamo Rege institutum, potuerint concurrere. Calculis autem subductis, non erat annus Jeroboami, in quo mensis Ægyptius Athyr non excurrit mensibus aliquot ante initium Marcheschvvan. Nam, durante toto Jeroboami regno, Neomenia Thoth vagabatur per decadem posteriorem Aprilis, ut putanti satis erit manifestum. Neomenia igitur Athyr, seu primus Athyr dies, ut toto eodem tempore per decadem Julii postremam simili modi vagaretur necesse est, adeoque XVII. dies Athyr in Augustum incideret, nec Mercheschvvan appropinquaret; qui scilicet locum fere τοῦ Phamenoth seu septimi Ægyptiorum mensis tunc occupabat, non Athyr qui tertius est. Ea enim erat æquabilis anni Ægyptiorum (qui longe antiquissimus æstimatur; & ne lector quis hisce rebus minus versatus impingat, monemus) ratio, ut nulla Noemenia, nullum festum non per totum annum, post CIↃ CD. LX. soles, vagaretur. Die enim ex quadrantibus conflato, qui in anno Juliano intercalatus, quartum annum haud augebant, sed ab eo quintum auspicabantur, ita ut Neomenia seu festum quod in Kalendas mensis Juliani hoc quadriennio inciderit, proximo, pridie Kal. ejusdem celebraretur, atque ita retrocederet, donec CLↃ CD. LX. annis exactis ad primum locum rediret: Hoc vero ob rationem sacrorum servari voluere, si recte conjectat Geminus Astronomus priscus, qui ut festa anticiparent, & per omnes anni tempestates vagarentur; ideo Ægyptios ita suos egisse annos, contra quam Græci, scribit. Verba ejus sunt, Βούλονται γὰρ τὰς θυσίας τοῖς θεοῖς μὴ κατὰ τὸ αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ πασῶν τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διελθεῖν, καὶ γίνεσθαι θερινὴν ἑορτὴν καὶ χειμερινὴν, καὶ φθινοπωρινὴν, καὶ ἐαρινήν. Et de quadrante seu VI. horis quæ excrescunt; τὸ δὲ τέταρτον οὐκ ἐπάγουσι διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζωνται αἱ ἑορταί. Exemplum adducit de Isiacis, & Græcorum nonnullos hanc festorum rationem Ægyptiacam non animadvertentes merito reprehendit. Æquabilem autem annum Ægyptiis in usu fuisse diu ante Exitum, confirmat id quod ex Manethone sacerdote Ægyptio habet Eusebius in Chronicis; Regem nimirum Aseth, qui trigesimus secundus a Mizraim, Isaaci Patriarchæ ævo regnavit, adjecisse anno dies illos quinque ἐπαγομένους dictos, qui nempe CCCLX. (is numerus annum eorum antea constituebat) additis, æquabilem complebant. Quod ideo adponimus, ne omnino futilis, quæ ad ejus anni rationem fit, disquisitio nostra videatur. Ceterum si mensem octavum in historia illa sacra non pro Civili sed Naturali accipias, hoc est ut a Tisri numeretur (nam initium anni illinc etiam putatur Exod. cap. XXIII. comm. 16.

16. & alibi) octavus mensis erit Jiar, secundus nempe a Nisan, & in Ægyptiorum Athyr ejusdem seculi incidet, atque ita potuerunt certe Jeroboami festum, & Ægyptiorum quibuscum ille nuper vixerat, adinvicem quadrare: festum autem Hebræorum, de quo in sacro textu, de Paschate potest intelligi, maxime cum illud, Festum dici κατ' ἐξοχὴν, jure ante alia debeat; & in quinta decima Nisan, uti scenopegiæ in XV. Tisri, esset celebrandum. Sed cum certum sit, choros illos & convivium Israelitarum in Deserto, non in Athyr, qui eo seculo circa finem Octobris Juliani incipiebat, sed in Mesori aut Epiphi potius, id est, Julio acta fuisse; non est, fateor, cur accuratius operam in his disquirendis luderemus. Tempus conflati vituli & convivii, docent Exod. cap. XIX. comm. 1. & 15. & cap. XXIV. comm. 18. Etiam calculum de ipso, quo factus est Vitulus, die habes apud Genebrardum, & Jacobum Salianum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum mundi MMDXLIV. numero 580. Sufficiat autem nos indicasse ex Ægyptiorum Theologia, Aureum illud Numen Osiridis Imaginem fuisse. Nec pigeat, quæ paucis nota sunt, & huc spectare possunt, pauca de Osiride subjungere. Facessant qui πολυόφθαλμον, ἀγαθοποιὸν aut simile quid Osirin significare obtrudunt. Magnos sane Viros Plutarchum & Eusebium diu est quod fefellerint. Osiris certe non solum idem Deus erat cum Nilo, verum ipsa nomina Nili & Osiridis, sublato primo elemento, sunt synonyma. Nam, lingua Prophetarum, שחר *Schichor* est Nilus, ut doctissimi interpretum volunt, quod שחר *Schichri* lingua Æthiopica (ita monet Illustriss. Scaliger filius) prolatum in Σεῖρις aut Σίρις Græca scriptione, transmigravit. Dionysius Afer, de Nilo:

> Σίρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται οἱ δὲ Συήνης
>
> Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Et Plinius lib. V. cap. IX. de Nilo *etiamnum* Siris *nominatus per aliquot millia*. Sirin vocabant Æthiopes; Syenes autem incolis Nilus dictus: Atque optime illi qui apud Eustathium barbarum nomen, id est, Æthiopicum, nec quod Græcum etymon agnosceret, esse volunt Sirin. Pro Nilo שחר occurrit Esaiæ cap. XXIII. com. 3. & Jeremiæ cap. II. com. 18. *Schichor* Hebraice Nigrum interpretatur, quod nec futile argumentum est, Nilum eo denotari. Et Græcis enim & Latinis, ab origine Græca, eodem colore dignoscitur. Inde est, quod olim diceretur Αἴγυπτος, & postea Melo παρὰ τὸ μέλας, id est, Niger. Ita accipiendum illud Αἰγύπτοιο διϊπετέος ποταμοῖο apud Homerum veteres fatentur: sic Scholiastes Didymus ad Odyss. δ. Thrasyllus apud Stobæum sermo πη. Hesychius, Oppianus in Cynegetic. Plin. V. cap. IX. Et Ægyptus ibi pro Nigro sumitur. Vide Scaligerum ad Festi Ægyptinos, & Hesychium in Αἰγυπτιῶσαι. Isychius etiam ad Levitic. lib. III. & VI. *Ægyptus*, inquit, *contenebratio interpretatur*; atque ab eodem fonte Eeria seu Aeria, etiam ipsa Ægyptus terra dicta; quæ fluvii beneficium agnoscitur, ad illud Apollonii Rhodii Argonautic. α.

> ἠερίη πολυλήϊος αἶα Πελασγῶν

Vetus Scholiastes Thessaliam ita nuncupari ait, παρὰ τὸ μέλαιναν εἶναι τὴν γῆν. οὕτω γὰρ καὶ τὴν Αἴγυπτον Ἠερίαν φασὶν, id est, *eo quod nigra tellus fuerit, & sic* Ægyptum *Aeriam vocant*, atque vetustissimum fuisse hoc ei nomen volunt prisci, & antequam Ægyptus diceretur. Eusebius in Chronico, sub Mosis tempora: Ῥαμεσσῆς ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ (Armais regis:) ὁ Αἴγυπτος καλούμενος ἐβασίλευσεν Αἰγύπτου ἔτη ξη. Μετωνόμασεν τὴν χώραν Αἴγυπτον τῷ ἰδίῳ ὀνόματι ἥτις πρότερον Μεστραία, παρ' Ἕλλησι δὲ Ἀερία, ἐλέγετο, hoc est, *Ramesses frater Armais*, Ægyptus *dictus*, *regnum obtinuit in* Ægypto *annos* LXVIII. *Regionem a suo nomine* Ægyptum, *quæ primis* Mestræa, *Græcis vero* Aeria *nuncupata est*, *denominavit*. Latinus Codex tantum *quæ* habet: *Ægyptus*, *quæ prius* Aeria, *ab Ægypto tunc sibi regnante nomen accepit*. Melonem autem Nilum simul vocatum esse autor inprimis est Sextus Pompejus. *Melo*, inquit, *nomine alio* Nilus *vocatur*. tantundem scribit etiam in verbo *Alcedo*. Symmachus lib. I. Epist. XIV. ad Ausonium de Mosella fl. quem eximio poemate celebravit. *Nunc improviso clarorum versuum dignitate* Ægyptio Melone *majorem reddidisti*: Nilum intelligit. Tot fluvii & Telluris vocabula τὸ Schichor sive Sirin interpretantur. Unde autem primum Osiridis elementum devenerit, conjicere non audeo; nisi Græcorum sit articulus, qui omittitur in Sirio Cane, cujus exortu Nili ascensus quotannis fiebat, a Siri, id est, Nilo etiam proculdubio denominato. Idem enim vocabulum perinde ut Osiris Soli apud priscos tribuebatur. Ita Hesych. Σείριος ὁ Ἥλιος, καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. Ita vetus Scholiastes ad Oppiani Halieutic. III. & Suidas: Σείρ. Σιρὸς ὁ Ἥλιος καὶ Σείριος. Quod Osiris autem sit vox composita,

Siris simplex; demonstrant illa, Busiris, Petosiris, Calasiris nomina Ægyptiaca. Neque minus vera sunt hæc, quam ea, quæ ad Sirin & Sirium explicandos aliis originationibus nituntur, sunt plerumque ridicula. Et Nilum maximum Ægyptiis Deum fuisse passim constat. Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε, ait Parmeno Byzantius Poeta apud Athenæum Dipnosoph. V. Verum si scrupulum quis hic injiciat, non constare satis, utrum vetustissimo illo ævo, & Græcorum & Ægyptiorum, quotquot ad nos durarunt, monumentis multo priori, Ægyptus sacra ejusmodi coleret, etiam & huic dubitationi occurrimus. Solem in Osiride cultum nemo nescit, nisi qui & mythologos vetustissimos nequaquam legerit. Atqui nec recentior Solis cultus; quam ipsa πολυθεότητος, ut in Prolegomenis docemus, origo. Cur igitur quis hæsitet, quin constanter sentiat, ab Ægyptiis illis priscis idolorum cultus, ut Græci decantabant sed falso, parentibus, Osiridem, quo vocabulo Solem indigitabant, inter Numina habitum. De Nomine non disputo: Osiridem scio dictum & Omphim, quod nescio quam vere interpretetur Hermæus apud Plutarchum εὐεργέτην. Sit Osiris, sit Omphis, Nilus, Siris, sive quodcunque aliud ab Hierophantis usurpatum nomen; ad unum tandem Solem antiquissimum Gentium Numen redeunt omnia. Eum designant, ejus sacra in ἀφανισμῷ & εὑρέσει festis celebrata sunt. Nec prætermittendum est quod de Osiride habet Mercurius ille Trismegistus in τῇ Κόρῃ Κόσμου. Osiris ibi σωμάτων ἑκάστου ἔθνους ἡγεμὼν καὶ ἰσχύος καὶ ῥώμης καθηγητὴς appellatur; nominibus puta quæ ad eum proprie apud Ægyptios spectabant. Eum nempe corporum; adeoque itinerum, uniuscujusque Gentis, virium item ac roboris Ductorem esse sive Ducem obtendebant Hierophantæ. Idem ipsum etiam Vitulis aureis (qui aut Osiridis symbola, aut simulacra erant) agnitum habemus in solenni illa formula quam bis memorat, locis scilicet supra citatis, sacra scriptura. *Isti sunt Dii tui o Israel* (אשר העלוך) *qui duxerunt te de terra Ægypti*. Ductoris seu Ducis vis peculiaris & ab Aarone & a Jeroboamo Rege, quamprimum vituli facti fuerint, cantato velut hymno, Numini proprio, prædicatur. Ad astruendum porro cultum illiusmodi, atque illiusmodi sacra illis seculis in Ægypto fuisse, accedunt e sacris literis argumenta alia non levia. Exod. cap. VIII. comm. 26. *Et vocavit Pharao Mosen atque Aharon & ait, Ite, sacrificate Deo vestro in terra. Et respondit Moses, non convenit ut sic agamus: quoniam* abominationem Ægyptiorum *sacrificaremus Domino Deo Nostro. Sed etsi sacrificaremus abominationem Ægyptiorum in oculis eorum, nonne lapidarent nos?* Abominationem heic interpretatur Hebraicum תועבה *thoagbbath*, quod LXX. vertunt βδελύγματα, quo vocabulo idola etiam significantur. Quid clarius dici poterit, quo apotheosis boum, ovium, aliorumque animalium adstrueretur fuisse illo ævo & sub exitu? Et ridicula pæne enumerat Ægyptiorum numina Moses in monitis ad Israelitas. Quid enim aliud innuit in Deuter. cap. IV. *Ne forte perdite agatis facientes vobis sculptile & simulachrum cuiuscunque figuræ*, similitudinem masculi, *aut* fœminæ, *similitudinem* cujuscunque animalis *quod est in terra, aut similitudinem* cujuscunque avis pennatæ, *quæ volat in cœlo, aut similitudinem* cujuscunque reptantis *super terram, aut similitudinem* alicujus piscis *qui est in aquis sub terra & ne forte eleves oculos tuos in* cœlos, *& videas* Solem *&* Lunam *cum universo exercitu cœlorum, & impulsus adores atque colas ea, quæ distribuit Dominus Deus tuus omnibus populis sub universo cœlo. Vos autem assumpsit Dominus, atque eduxit vos de fornace ferrea*, de Ægypto, *ut essetis ei in populum & hæreditatem, sicut hodie estis*. Monuit (ut videtur) de Ibide, accipitre, crocodilo, anguilla, cane, bove, ove, aliis fere omnigenis animalibus in Ægypto cultis. Et quod habet de similitudine masculi aut fœminæ (ὁμοίωμα ἀρσενικοῦ ἢ θηλυκοῦ vertunt LXX. Seniores) ad Boum inprimis sexus jure mihi trahere videor. Boves enim colebant mares Osiridi, fœminas Isidi dicata; fœminas vero boves, ante alia animalia, uti autor est Herodotus: quod in causa forsan fuerit, cur Græci vitulos illos Jeroboami per δαμάλεις, id est, Juvencas, redderent. Item Geneseos cap. XLIII. com. 31. *Non possunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem*, ibi subnectit paraphrastes Onkelos: *eo quod pecus quod Ægyptii colunt, Hebræi comedunt*. Vide item Exodi caput VIII. com. 26. Ex eodem est fonte, quod Herodotus scribit, nec Virum nec fœminam Ægyptios Græcum aliquem osculari, non cultro, non veru, non olla eorum uti. Genes. XLVI. comm. ult. *abominatio est Ægyptiis omnis pastor Gregum*, & causam adnotat R. Salomon Jarchi, quod pecora iis Dii erant. Recte sane, & melius multo quam Aben Ezra, qui eos ab esu carnium abstinuisse scribit, & inde rationem ejus loci nec

sa-

ſatis apte petit. Verum eſt certe, omnes Ægyptios, Lycopolitanis atque aliis nonnullis apud Plutarchum & Herodotum exceptis, ovilla abſtinuiſſe, ſed non omni carne. Juvenalis Satyr. xv.

> —— *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
> *Menſa; nefas illic fœtum jugulare capellæ,*
> *Carnibus humanis veſci licet* ——

Conſulas Lucianum περὶ ἀστρολογίας, ubi cultum animalium e Cœlis ducit ad Ægyptios. Vide, ſi vis, D. Ambroſium epiſt. iv. libri i. Porphyrium περὶ ἀποχῆς libro iv. & Artemidorum Onirocriticon lib. i. cap. ix. De vetuſtiſſima bovis item apotheoſi ex veteribus, ita Euſebius ἐπὶ αὐτοῦ (Regis Aſeth) μόσχος θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη. Aſeth ſub Iſaaci tempora regnum obtinuit. Imo in ſecunda poſt cataclyſmum dynaſtia, ſub Choo Rege, Apin & Mnevim & Mendeſium caprum in Deos relatos ex Manethone ſacerdote tradit. Satis conſpirant hæc ut animalium cultum Exitu longe vetuſtiorem fuiſſe liquido oſtendant. Aharon autem ſolennitatem craſtinam Iſraelitis præmonens fore, חג inquit, ליהוה מחר *chag Ladonai machar*, hoc eſt, Feſtum Jehovæ cras. Ut Idololatris placeret, Dei Opt. Max. nomen ineffabile & proprium Idolo atribuit. lxx. ibi ſcribunt ἑορτὴ τοῦ Κυρίου. Notum eſt autem Tetragrammaton illud a Græcis, juxta vetuſtiſſimum ritum nunc in Κύριον nunc in ἀδωναι, quod idem Hebraice ſonat, verti, & pro Tetragrammato Adonai legunt Judæi ex veteri inſtituto: utrum vero tam priſcum fuerit Adonis, Adonidis ſeu Adonei nomen Oſiridi attributum, affirmare non auſim. Sane Biblius Adon vocatur Oſiris, Martiano Capellæ; & Auſonius Epig. xxix. in Myobarbum Liberi Patris;

> *Ogygia me Bacchum vocat,*
> *Oſirin Ægyptus putat,*
> *Arabica gens Adoneum.*

Ipſique & Adonidi eadem fuiſſe ſacra nos fuſius demonſtramus ubi de Planctu τοῦ Thamuz diſputamus. Jam nunc tantummodo adjicimus, tam immenſum putari ab Hebræis Iſraelitici populi in conflando Vitulo peccatum, ut nec in hodiernum diem fuerit ſatis expiatum. Ita enim Moſes Gerundenſis אין לך ישראל פירענות שאין בה אנקיא מעוז העגל: id eſt, *Non eſt tibi, Iſrael, ultio in qua non ſit uncia de iniquitate Vituli*, quod notat Paulus Fagius ad Chaldaicam Exodi paraphraſin. Ex eorum nugis etiam accipias licet, & rideas; cxxv. talenta (ſi modo קנטרין *Kintarin*, talenta ſignificant; quod ita eſſe ex Targum Hieroſolymitano notat Elias Levita in Thisbi) ponderaſſe Vitulum aureum. Id vero a voce מסכה *Maſecha*, in commate quarto capitis xxxii. Exodi, inepte colligunt eorum aliqui. Elementa enim ejuſdem vocis, quæ *conflatile* ſonat, numerum quem diximus conficiunt in Gemetria, quam vocant, id eſt, Arithmetica ratione literarum, ſæpius eam in affaniis exquirendis, ridiculiſque nugis excogitandis ſolent adhibere. Reperitur apud Salomonem Jarchium in Exodi capiti xxxii. com. 4. ubi habemus קכ״ה קנטרין. ſed alii ſcribunt מאה ועשרים קנטרין ſive duntaxat cxx. talenta, uti videre eſt in libro Zohar, ſeu Rabbi Ben-Jochai ad Exodum, columna 377. Talentum autem Hebraicum auri minus, iv. cIↃ. d. lib. monetæ noſtræ valet; majus ejuſdem numeri duplum eſt, ſic docti volunt. Nec præterire viſum eſt ridiculum illud, ſed vetuſtum, Hebræorum commentum de aurea illa potatione quam Iſraelitis exhibuit Moſes, cum redactus in pulverem vitulus potatum ab eo dabatur. Inde ſcilicet natas fuiſſe aureo colore barbas, apud eos nimirum poſteroſque eorum, qui, cum vituli cultui maxime fuiſſent dediti, etiam pulverem illum avidius potando haurientes, & barbas & menta & maxillas ſuperfluo, ut fit, liquore tingebant. Tradidit hæc carmine, non prorſus contemnendo, Petrus Rhemenſis, ſcriptor antiquus, *de Riga* dictus, in Aurora ſua quam bibliothecæ Cottonianæ debemus.

> *Deſcendit Moyſes tabulis infixa duabus*
> *Scripta Dei digito juſſa beata ferens.*
> *Aure choros populi ludentis percipit; Iram*
> *Concipit; Os Vituli conſpicit; Inde fremit.*
> *Excuſſit Tabulas; Excuſſas fregit; abegit*
> *Fractas; in Vitulum ſævit eumque rapit.*
> *Comminuit; commiſcet aquis, potum dat Hebræis*
> *Exeat ut fœdus per loca fœda Deus.*
> *Denotat hic Auri cor Hebræi potus avari,*
> *Qui ſitiens aurum primitus ecce bibit.*
> *Conſonat hoc; Craſſi titulo quod corde ſitiſti*
> *Vivens, hoc aurum mortuus ore bibis.*

*He-*

*Hebræi tradunt Moysen fecisse quod audis,*
*Ut sciret solos hac ratione reos.*
*Nam rutilans auro monstrabat Barba nocentes*
*Dum patulo latices fluminis ore bibunt.*
*Aurum quod fudit Aaron descendit eorum*
*In Barbas tantum, qui coluere Bovem.*
*Nequitiæ plumbum barbæ monstratur in auro*
*Et culpæ pondus aurea barba notat.*

Barbarum aurearum originatio lepida! De autoris fide & judicio disputent alii, si qui sint quorum interest. Versus non indignos, nec commentum indignum quod heic repræsentaretur, nos merito censuimus.

## CAPUT V.

Baal-Peor. Phegor. *Incertum, quale fuerit Numen. Rabbinorum de eo sententia. Nominis etymon.* Philo Judæus *explicatur. Ab eo lux* D. Hieronymo. *Cui* Priapus *idem qui* Baalphegor. *Sed id disquiritur, & contrarium probatur: utrique ab* aperiendo *aliquid sumunt apud Veteres. Cur libidinis mentio, ubi* Phegorii Dei. *Unde nomen Peor.* Peor *mons.* Beth-peor. *Beth. Fanum sæpius interpretatur, ut Græcis* οἶκος. Βαίσαμψα. Baal Berith. *Sacrorum genus, queis cultus Phegorius.* Moth. Chemos. χαμώς. Βαιτόλοι *Gentilium unde. Quid* Chamos *significet.*

INitiatos τῷ *Baal-Peor* sive *Belphegor* Israelitas scribit Moses Num. xxv. Constat Moabitarum & Midianitarum fuisse hoc Numen, atque idem quod eodem & xxxi. capite Peor vocatur tantum, uti & in Jehosuæ xxii. com. 17. Hebraice פעור Peor, & pro sonorum varietate Phegor dictum. Nam & LXX. Βεελφεγὼρ pronunciabant. Quid fuerit autem, præterquam idolum Turpitudinis, haud invenit narratum apud Hebræos Origenes. Ita enim in Numeros Homil. xx. *Beelphegor idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipue a mulieribus colebatur. In hujus ergo Idoli mysteriis consecratus est Israel. Interpretationem nominis ipsius cum requireremus attentius inter Hebræa nomina, hoc tantum invenimus scriptum, quod* Beelphegor *sit* species Turpitudinis. *Noluit tamen declarare quæ vel qualis species vel cujus esset turpitudinis, honestati credo consulens qui interpretatus est, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur cum multæ sint turpitudinum species, una quædam ex pluribus turpitudinis species* Beelphegor *appellatur.* Verum nominis caussam & Numinis cultum videtur sibi bene explicasse Salomon Jarchi ad Numer. xxv. com. 3. שפוערין לפניו פי הטבעת על שם inquit ומוציאין רעי:, id est, *Eo quod distendebant coram illo foramen Podicis, & stercus offerebant; & hic,* ait ille, *erat cultus ejus.* Aperire enim sive distendere פער interpretatur, unde *Peor*. Ad hanc mentem Moses Ben-Maimon in More Nebochim part. iii. cap. xlvi. *Tu vero scis quod servitium idoli quod vocabatur Pabor* (Peor) *in temporibus illis erat, ut discooperiret se homo versus eum. Et idcirco præceptum est sacerdotibus ut facerent Braccas quibus cooperirent operienda in hora sacrificii: & præterea non ascendebant per gradus ad altare, ne discooperirentur,* ita is alibi in Misnah Thorah tract. עכו״ם cap. iii. Ab hiante idoli ore, alii deducunt nomen. Philo autem Judæus dum anagogice sacram interpretatur historiam, in libro περὶ τῶν μετονομαζομένων, ad hunc modum: οὗτοι τε τελεταῖς, ait, τῶν ἀνιέροις τῷ Βεελφεγὼρ τελεσθέντες, καὶ τὰ τοῦ σώματος στόματα πάντα ἀνοίξαντες πρὸς τὴν τῶν ἔξωθεν ἐπεγχεομένων ῥευμάτων ὑποδοχὴν. ἑρμηνεύεται γάρ. Βεελφεγὼρ ἀνωτέρω στόμα δέρματος. κατέκλυσαν τὸν ἡγεμόνα νοῦν καὶ ἐπίεσαν εἰς βυθὸν ἔσχατον, hoc est, *Illi vero sacris impiis* Beelphegor *initiati, atque omnia corporis ostia, ad recipienda, quæ ab externo infunduntur flumina, dilatantes* (*interpretatur enim* Beelphegor *superius os pellis*) *mentem gubernatricem diluvio obruerunt & in imum gurgitem impulerunt.* Belphegor vides per ἀνωτέρω στόμα δέρματος explicatum, id est, *superius os pellis*, sive, *superius*, non ἐπιρρηματικῶς, si ἀνώτερον, ad Philonis mentem, legas. Voluit enim ille procul dubio τὸ בעל פעור quod, Græcis elementis, Βεελφεγὼρ exarat, deductum בעל פי עור *Baal Piaghor*, quæ tria vocabula *superius os Pellis*, seu ἀνώτερον στόμα sonare possunt. Satis consentit Philoni D. Hieronymus ad Oseæ cap. ix. *Ipsi autem educti* (ait Patrum ille doctissimus) *de Ægypto fornicati sunt cum Madianitis, & ingressi sunt ad* Beelphegor *idolum Moabitarum quem nos* Priapum *possumus appellare. Denique interpretatur* Beelphegor *idolum tentiginis habens in ore, id est, in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.* Intelligit Hieronymus τὸ Beelphegor ex tribus illis בעל פי עור fictum, quasi diceres *Baal in ore habens pellem*

di

*distentam*, seu *in summitate*, quæ quam Philonis loco sint consona, nemo antehac observavit. Idem Pater Magnus ad Oseæ cap. IV. postquam de sacris Deum matris est loquutus, *Istiusmodi*, inquit, *Idololatria erat in Israel, colentibus maxime fœminis* Beelphegor *ob Obscœni magitudinem, unde & Asa Rex tulit excelsa de populo & hujusmodi sacerdotes & matrem de augusto posuit imperio, sicut scriptura testatur dicens*, Et *fecit Asa rectum* ( vide I. Reg. cap. XV. com. II. & II. Paralipom. cap. XV. com. 16. de quibus porro locis consulas caput V. syntagmatis secundi ) *ante conspectum Domini sicut David Pater ejus, & abstulit effœminatos de terra, purgavitque omnes sordes idolorum quæ fuerant patris ejus. Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris* Priapi *& in luco ejus quem consecraverat, subvertitque specum ejus & confregit simulacrum turpissimum & combussit in torrente Cedron. Excelsa autem non abstulit, veruntamen cor Asa perfectum erat coram Deo cunctis diebus suis*. Is item lib. I. contra hæreses Joviniani cap. XII. *Phegor in lingua Ebræa* Priapus *appellatur*, fœminas vero, quæ sacris ejus præerant, *Kedeschoth* prophetarum lingua dictas vult ad Oseæ caput IV. com. 13. *Sciendum*, inquit, *quod in præsenti* קדשות *meretrices* ἱερὰς, id est, *sacerdotes* Pariapo *mancipatas vocet*, sic sane קדשים *Kedeschim* dicti Astartæ sacerdotes, de queis infra. Isidorus Originum lib. VIII. *Beelsegor interpretatur simulacrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab cognomento Baal super montem Phegor, quem Latini* Priapum *vocant, Deum Hortorum*. Alii sunt qui Phegorium hunc Deum, & Priapum eosdem esse post Hieronymum & Isidorum putant, quos prætereo, verum eis ut astipuler, cogi nequeo. Ruffinus libro III. in Hoseam, caute & juxta aliorum duntaxat sententiam, *Beelsegor*, inquit, *figuram Priapi dixerunt tenere*. Sed qui utrumque idem faciunt, obscœnos utrique Numini ritus placuisse probare conantur ex historia sacra, ubi de Stupris Moabitidum & Ebræorum, adferunt etiam caput IX. Oseæ, nec enim hoc nec illo loco Baal-Peor sine fœda colentium libidine memoratur. Accedat, si placet, quod uti ab aperiendo dictum idolum scribunt Judæi, ita Latinis satis frequens est, Priapi naturam eodem vocabulo designare. Priapeia,

> *Nec mihi sit crimen quod mentula semper aperta est.*

& --- *Nos pudore pulso*

> *Stamus sub Jove coleis apertis.*

Quin etiam:

> *Natura est quoniam semper aperta mihi.*

& id genus alia occurrunt. Veruntamen tantorum Virorum pace. qui hanc amplexantur sententiam, ego Priapum (de quo, in proximo syntagmate, plura) haud magis eundem cum Phegorio fuisse, quam cum alio quovis Divum Asiaticorum, autumo. Fœda enim illæ libidines, quæ in historia Moabitidarum recensentur, & vindicta Veri DEI puniuntur, non minus sunt a Phegorii cultu alienæ, quam Salomonis stupra a ritu Sidoniorum. Ob amorem enim Sidoniarum, quas deperibat ille, Sidoniorum Deos venerabatur. *Et cœpit populus*, uti verba sunt Mosis, *fornicari cum filiabus Moab, quæ & vocaverunt populum ad sacrificia Deorum suorum, comeditque populus & adoravit Deos illarum. Et junctus est Israel* Baal-Peor, *concitatusque est furor Domini contra Israel*. Moabitides amasios suos, ut Deos patrios colerent, libidine pellexerunt; ita Sidoniæ Salomonem, ita aliæ, uti fit, alios. Libidinem in sacris Phegorii fuisse non omnino constat, nec ex Oseæ verbis, qui obscœnos mores ad populum, non ad Phegorium, refert, elici potest. Neque vero Idolorum cultum in veteri instrumento sub stupri & libidinis vocibus sæpissime intelligi quis nescit. Stercore autem cultum eum & patente podice, quod ajunt Rabbini, fuisse constanter nego. Liræ liræ sunt illud Rabbinicæ, & gerræ germanæ. Quod ad nomen attinet, a viro Principe inter Divos relato cum nominatum sive a cognomine monte satis probabiliter potest asseri. Mons enim in Moabitarum regione Peor dictus erat, ubi, ni fallor, Baal hic & delubro & sacris honorabatur. Moses Numer. cap. XXIII. *& assumpsit Balac Bileam in summitatem* Peor *sive* Phegor *qui respicit faciem deserti Jesimmon*. Montium summitates ante alia loca divinis rebus olim destinatas, non est cur adjungerem, id pueri sciunt; hinc etiam dictum *Beelphegor* vult Theodoretus ad Psalm. CV. alii, & Suidas. Βεελφεγώρ Βεὲλ ὁ Κρόνος. φεγὼρ δὲ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο. ἐξ ὧν Βεελφεγώρ, eadem ferme habet & in vocabulo Βεὲλ & in φεγώρ. Uti enim Jupiter Olympius, Mercurius Cyllenius, & Deus ille sortium Carmelus apud Suetonium in Vespasiano, a montibus appellati; ita Baal seu Belus noster; quem Jovem aut Belum Phegorium licet vocare. In Deut. XXXIV. men-

mentio est Domus Phegor sive *Bet-Peor* in terra Moab, juxta quam vallis illa in qua sepultus Moses. Certe Beth-Peor pro monte ubi Templum Numinis, quod Beth Hebraice dicitur, ibi sumitur, ut Βηθδαγὼν pro Templo Dagonis libro Hasmoneorum cap. x. com. 83. & Beth Astaroth pro Astartes, 1 Sam. cap. XXXI. com. 11. item Beth-Baal pro templo Beli Sidonii in Samaria 1 Reg. cap. XVI. & Beth-Baal-berith pro templo Baal-berith Judic. cap. IX. com. 4. ita Beth-shemesh Palæstinæ Urbs non semel in sacris memorata a Solis in eo fano, ni fallor, dicta est, uti & Βάισαμψα Arabum ad mare rubrum sita, quod a Beth-Shemesh corruptum; ὅ ἐστιν οἶκος Ἡλίου, ut recte Stephanus in de Urbibus, id genus sunt alia, sic Οἶκος τοῦ Βὴλ in Apocryphis, & Semiramin Belo fanum in arce Babylonia condidisse his verbis scribit Periegetes,

—— μέγαν δόμον ἔτευξε Βήλῳ.

id est, *magnam* domum *extruxit Belo*. Baal-Berith autem idolum putamus fuisse, vel potius scimus, & hoc tantum, de eo scimus. Vide Judic. cap. VIII. com. 33. & LXX. qui Βααλβερὶθ scribunt. Significat Baal-berith *Dominum fœderis*. Augustinus in Judic. quæst. XLIII. *Baalim & Baal-berith idola intelligenda sunt*. Sacrificia autem quæ, Mose teste, in Phegorii sacris comedebantur, inferiæ erant in memoriam defunctorum peractæ, quod docet Psalmographus psal. CVI. *& adjuncti*, inquit, *sunt Baal-Peor & comederunt sacrificia Mortuorum*. Locum ita pangit Apollinarius;

Οἱ δὲ Βεελφεγόροιο μιαινόμενοι τελετῇσι
Νερτερίης ἐπάσαντο καταφθιμένων ἑκατόμβης.

Sacrificia Mortuorum, id est, זבחי מתים *zibchi methim*, in Νερτερίην καταφθιμένων ἑκατόμβην vertit. Victimas DIS manibus seu Jovi Stygio (qui Moth Phœnicibus dictus, id est, Pluto, sive Mortuorum Deus) mactabant & rite epulantes justa faciebant, ac si novendiales ferias agerent. Hic cultus, hæc idoli sacra, apage igitur Rabbinorum nugas de stercore, illas fœtidas, quas ipsissima Mosis & Davidis verba explodunt, cum & Templi ejus & sacrorum tam signanter meminerint. Moabitis erat numen alio nomine dictum *Chemos* כמוש. Jerem. XLVIII. comm. 7. *Exibitque Chemos in captivitatem una cum sacerdotibus ejus & principibus ejus*, & com. 13. *confundetur Moab a Chemos sicut confusa est domus Israel a Cethal*, id est, a vitulo aureo in Bethel sacrato. Vide Num. XXI. 29. Bethel autem quod *Domus Dei* sonat Βαιθὴλ Græcis interpretibus dicitur, & locus erat ubi lapidem unxit Jacob, uti legitur Genes. XXVIII. com. 18. a quo nomine & ritu Βαίτυλοι & Βαιτύλια apud profanos scriptores manarunt. De iis, ante alios consulendus Damascius in Isidori vita apud Photium Cod. CCXLII. nec omittas quæ magnus Scaliger ad numerum MMCL. Eusebianum animadvertit, & nos in cap. VII. hujus Syntagmatis de iis nonnihil. Chemos vocant χαμὼς LXX. interpretes; & vocamine tantummodo a Phegorio Deo hunc distare sentit D. Hieronymus. Ad Esaiam lib. V. *In Nabo* (hujus mentio Esai. XV. & Jer. XLVIII.) *erat* Chamos *idolum consecratum quod alio nomine appellatur Beelphegor*. Philo Judæus Allegoriar. II. χαμὼς ἑρμηνεύεται ὡς ψηλάφημα, id est, Chamos *sonat ut contrectatio*, sive *ut palpatio*, quæ cœcis fere propria, certe מוש *mosch*, est contrectavit seu palpavit; & elementum Caph servile ὡς interpretatur.

## CAPUT VI.

Moloch *Ammonitarum; ejus sacra*: *Error putantium traductos per ignem solummodo, non crematos ei pueros*, πῦρ διέρπειν. VII. *concavia in illius simulacro, fide Hebræorum*. VII. Mithræ *portæ*. *Mithræ initiatis quæ pericula obeunda*; τῶν *Dugbiin mos*. *Testimonium de Ammonitarum idolo ex Benjamino*. Adramelech. Anamelech. Camarim *sacerdotes*. Vallis filiorum Hinnom. Tophet. *Tympanorum in sacris sonitus*. Τῶν *Dugbiin idem mos*. Gehenna. VII. *res, ante rerum initia, creatæ juxta Hebræos*. Moloch, Baal *dictus &* Melchom: *de ejus nomine varii scripturæ loci*. Βασιλῆος *&* Regis *vocabulo interpretibus innotuit*. Malken *sacrificiorum ejus locus etiam dictus*. Βασιλεὺς Θεῶν. Adodus Adad *in Syrorum Regum nominibus*. Macrobii Adad *examinatus*. Hada. Chada Ἄδα *Hesychio*, Juno Babylonia. Adadi *&* Molochi *effigies: uterque Sol erat*. Mithra *quid*. Achad. Unus, *Deus: Isaiæ de eo locus*. Mures. Musoritæ. Porcus *&* Mus *in Lustrationibus*. *Infantes* Saturno Africano, *id est*, Molocho *immolati*. Ἀμίλχας *Numen Punicum*. Basilea Atlantiorum. Milicus. Imilce. Melicartus *Tyriorum*. Haliartus, *Bœotorum*, *&* Μεγάλαρτος *&* Μεγαλόμαζος *ex Phœnicia*. Μαζὼς Μεγαμάζα. Artos, *origine orientali*, *quid*. Artes. Mars *Ægyptiis dictus*, *suspecta fide*. Hercules Desanaus, Diodas *item dictus*. Dorsanes

nes *Indorum*. Sandes *Persarum*. *Unde puerorum immolationum origo Phœniciis*. Μωνογενής. Γεὺδ. *De τεκνοθυσίας origine*. Siccuth. Σκηνή. *Lecticæ, thensæ, tentoria in queis portari solita Deorum sigilla*. Jovis ἀποδημία δωδεκαήμερος *apud* Homerum. D. Hieronymi *monita de verbis Prophetæ* Amos, *quæ a Protomartyre in Actis Apostolorum aliter Græce proferuntur*.

AMmonitarum Deus colebatur *Moloch*. filios filiasque ei rite cremabant, & hoc nefandum erat numinis sacrificium, videsis Levitic. XVIII. com. II. XX. com. 2. 3. & 4. 2. Reg. cap. XXIII. com. 10. Cæterum non combustos, aut mactatos Pueros, sed, duabus pyris extructis, per illarum medium traductos solummodo & ad eum modum velut februatos esse, sacerdotibus Molochi rem procurantibus, scribunt plerique Hebræorum. Ita RR. RR. Salomon Jarchi, D. Cimchi, Moses Mikotzi præcept. Neg. XL. Moses Maimonides More Nebochim lib. III. cap. XXXVIII. *Idcirco*, inquit ille, *servitores ignis in tempore suo fecerunt homines scire, quod qui non traducerent filium suum vel filiam per ignem, morerentur filii vel filiæ: & sine dubio propter illud quod audiebant, quilibet festinabat illud facere, quia multum timebant super filios suos & propter facilitatem operis, quia non erat nisi traducere illos per ignem, non quod comburerent ipsos*, & de *semine traducendo* seu *transire cogendo* plerumque loquitur scriptura locis jam citatis. Pater, ajunt nonnulli, sacerdotibus puerum ritu solenni tradebat, quem ab iis redditum ipse traducebat humeris gestans. Alii sacerdotes traduxisse volunt. Multis hasce refert sententiam R. Joseph Karo in cap. VI. τῆ Misnah Thorah tractat. עכוּם; ubi adnotat scripturam non loqui de combustione filiorum τῦ Moloch, sed tantum Diis Sepharvajim, de queis in 2. Reg. cap. XVII. mentio, verum non modo traductos sed etiam crematos in idoli sacrificium pueros illos constanter adfirmo. Psalmo CVI. ubi cultus hic exprobratur יזבחו *izbechu* id est, *mactarunt filios suos & filias dæmoniis*,

Δαίμοσι ῥέζοντες σφέτερας κούρας τε καὶ υἷας,

uti ibi paraphrastes Apollinarius. Mitto de Achazo Rege historiam, quæ 2. Reg. cap. XVI. reperitur, a Josepho lib. IX. cap. XII. relatam; & quod Philo Judæus innuit libro de Abrahamo. Et bene de hac re Philastrius: *Aram*, inquit, *collocant, ita dictam Topbet nomine alicujus, in valle filii Ennom. Ibidem suos filios & filias Judæi dæmoniis immolabant*. Et Porphyrius περὶ ἀποχῆς libro II. diserte, φοίνικες, inquit, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. Atque Eusebius in oratione de laudibus Constantini. Κρόνῳ γὰρ φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. Alia ejusmodi sunt loca quæ liberorum immolationem in Syriæ regionibus, quæ Molochum adorabant, satis indicant. Atque hæc sunt sacra quæ Sapientiæ voluminis autor vocat τεκνοφόνους τελετὰς, adi eum cap. XIV. comm. 23. & cap. XII. comm. 5. & 6. & Jerem. cap. VII. com. 31. & cap. XIX. com. 5. & Ezekielis cap. XVI. com. 20. & 21. & XXIII. com. 37. & 39. Theodoretum. Michaelem Glycam, alios; qui Hebræorum sententiam aut amplexantur, aut non meliorem adferunt, libens prætereo, sed & vide si placet Zonaram ad Canonem LXV. Synodi in Trullo. Et Græcorum certe & Hebræorum in hac re hallucinatio, inde forsan est orta, quod, alio ritu vetusto, Ignem pertransire soliti sunt qui jurabant, & illæsi fidem dictis adstruebant. Hoc πῦρ διέρπειν vocat Sophocles in Antigone, & de eo, consulas vellem D. Cyrillum adversus Julianum lib. X. ubi & de Chaldæis asseritur. Etiam de transitione luculenta sunt in sacris literis testimonia, ut Levitici Capite XVIII. secundo Regum capite XVI. comm. 3. & XVII. 17. sed nil obstat quo minus etiam immolarentur seu transeundo plane sacrificarentur. Doctissimi Pauli Fagii verba de Moloch, in Chaldæam paraphrasin Levitici scripta, & ex Hebræorum etiam monimentis sumpta, adjungam. *Fuit autem* Moloch *Imago concava habens septem conclavia, unum aperiebant similæ offerendæ: aliud* Turturibus: *tertium Ovi: Quartum Arieti: Quintum Vitulo: Sextum Bovi: Qui vero volebat offerre filium huic aperiebatur septimum cubiculum, & facies hujus idoli erat ut facies vituli. Manus plane dispositæ ad recipiendum ab astantibus. & saltabant interim quo puer in idolo succenso igne cremabatur, percutientes tympana ne pueri ejulatus audiretur*. Habuit hæc ille ex libro Jalkut, cujus autor R. Simeon. Sed ex ære conflatam imaginem esse ait R. Salomon ad Jeremiæ VII. vereor ut fidem suam liberent, qui septem Molochi conclavium autores primi extitirint, anne a Mithræ sacris illa didicere? Mithræ enim septem sacræ erant portæ, Planetarum numerum referentes, de queis Celsus apud Ori-

Origenem lib. v. Viri item fœminæ & pueri ei mactabantur, uti eſt in Athanaſii vita apud Photium Cod. CCLVIII. Initiatis etiam huic Deo neceſſe erat per octoginta pœnarum genera tranſire, διὰ πυρός παρελθεῖν καὶ διὰ κρύος, id eſt, *per ignem & frigus*, & hujuſmodi graviſſima pericula prius ſubire, quam ut ἐπόπται admitterentur. Qua de re ante alios viſendi Suidas in Μίθρα, Nonnus in Synagoge hiſtoriarum ad I. Steliteut. Nazianzeni §. VI. & XLVII. & Nicetas ad orationem XXXIX. Nazianzeni. Quæ illi habent committas licet cum iis quæ Juſtinus adverſus Tryphonem & in II. Apologia, & Tertullianus libri de Baptiſmo, de Præſcriptione adverſus hæreticos, & de Corona Militis, & Socrates lib. II. cap. II. lib. V. cap. XVI. tradidere. Morem incolarum Cheneragæ inſulæ maris Indici, qui Dugbiin dicti, heic non cogitare nequeo. Ignem colebant, & per eum filios ſuos, expiandi cauſa, tranſmittebant, uti ſcripſit Benjamin in Itinerario: Qui neſcio an omnium optime, an hallucinatus, Molochi templum & ſimulachrum deſignarit? *Hinc*, inquit, ( id eſt, a Tripoli ) *uno itinere Gebal diſtat*, *altera illa quæ filiorum Ammon terminus fuit*, *ubi Judæi centum ac viginti ſunt*. *Eſtque ditionis Ginotinorum*, *quorum princeps Gilianus Enbirenu vocatur: repertuſque eſt illic locus templi antiqui filiorum Ammon*, *in eoque* idolum filiorum Ammon, *ſellæ*, *quæ ſolium dicitur*, *inſidens*. *Simulacrum autem ex lapide eſt auro oaductum*, *utrinque autem duo fœminea ſimulacra etiam ſedentia*: *ante ipſum vero ara; in qua Ammonitarum tempore ſacrificia & ſuffitus fiebant*. Fallor, an hæc de Molochi templo & ſtatua intelligenda? Illud enim numen Ammonitis vetuſtiſſimum. Certe niſi fefellerit Benjamin aut vicina, ut fit, fama ei ſarcinam impoſuerit, vix parem de Molochi effigie & fano teſtem offenderis. Quod Teophylactus habet modo ſubjungimus. Neque alibi quam in Moloco reperias Sepharuaitarum Deos *Adramelech* & *Anamelech*. 2. Reg. cap. XVII. com. 31. *comburebant filios ſuos in igne* τοῖς Adramelech & Anamelech *Diis Sepharuaim*; vide, ſi vis, cap. XIV. inferius. Sacerdotes ejus, uti literis ſacris, aliorum ſæpius Numinum, *Cemarim* כמרים ſunt nuncupati. Quod vocabulum ut hoc ſemel admoneam ( dialecto Chaldæa כומריא *Comeraia* ) pro Idololatrarum hierophantis in Targum ubique ſubſtituituitur. Ita docuit Elias In Thisbi: & vide I. Reg. cap. XXIII. com. 5. Zephan. cap. I. com. 4. Hoſeæ cap. X. com. 5. Quod nigris indui ſolebant veſtibus, ita dictos eſſe, vult, D. Cimchi. alii ab alia origine. Septuaginta χωμαρὶν vocant, & ἱερεῖς vertunt. Citato autem capite Regum, de Joſia legitur: *Contaminavit quoque Tophet quod eſt in valle filiorum Hinnom, ne quis traduceret filium ſuum aut filiam ſuam per ignem Molech*. Vallis filiorum Hinnom ( quod Hebraice eſt גיא vel גי בן הנם *gi ben Hinnom* ) in agro ſuburbano erat, a rugitu ſeu lamentis puerorum, dum exurebantur, ita nominata. Nam הנם Hinnom a נהם *nahem*, id eſt, gemuit, aut rugiit, volunt deductum. Locus ille Siloe fontibus irrigabatur, & D. Hieronymi ævo amœnus erat, nemoroſus & hortorum beatus delitiis; atque inde animadvertit ille alias gentes occupaſſe morem, ut capita fontium & lucos rebus ſacris tam frequenter olim deſtinarent, verba ejus ſunt ad cap. VII. & XXXII. Jeremiæ: *Hic gentilitatis error omnes provincias occupavit*, *ut ad capita fontium lucoſque amœniſſimos victimas immolarent & omnis prava ſuperſtitionis religio ſervaretur*. Tophet vero a תוף, id eſt, tympano petunt; quod, ne lamenta illa & graviſſimi ejulatus a parentibus exaudirentur, tympanis, dum ſacra fiebant, vicinia perſonaret. Ad hunc modum D. Cimchi, alii, idem fere ritus apud Dugbiin Cheneragæ incolas, teſte Benjamino Ben-Jona. Igni enim devovebant ſe magnatum nonnulli, non ſine pompa ſatis ſumptuoſa, familiares vero, uti verba ſunt Benjamini, Aria interprete, *cognatique omnes & conſanguinei tympanis & choreis ſumma cum lætitia exultant & ludunt*, *quoad ille omnino combuſtus fuerit*. A valle autem illa τὴν γέενναν habuerunt, qua inferorum pœnas denotant Evangelii ſcriptores ſacri: γέεννα τοῦ πυρὸς Matth. v. com. 22. & 29. pro eodem uſurpant Rabbini גיהנם *gebinnam*, & ab eodem fonte; & dicunt quod ſeptem res ſunt creatæ ante creationem mundi, *Lex*, *Pœnitentia*, *Paradiſus*, *Gebinna*, *Solium gloriæ*, *Domus ſanctuarii*, & *Meſſiæ nomen*. Sed *Moloch* etiam *Baal* dicitur Jerem. cap. XIX. com. 5. atque alibi; qua de re capite proximo plura. Appellatur item *Milcom*. I. Reg. cap. XI. & ubi D. Lucas Μολόχ habet Act. VII. com. 43. Syrus & Arabs ſcribunt מלכום *Melcom*, quod ad vetus inſtrumentum referas oportet. Nam in Amos cap. v. com. 26. unde ille locus in Actis Apoſtolorum, ita legitur: *Honoraſtis*, ſive *portaſtis ſicuth* ſive *tabernacula Regis veſtri* ( id eſt מלככם *Malcecem*; & Theodotion ſubſti-

ſtituit Μιλχὸμ, quod & *Moloch veſtri* transferri potuerit, ſeu τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ uti vertunt Græci & D. Lucas in citato commate Actorum ſub perſona D. Stephani protomartyris. מלך *Melech* enim Rex ſonat pleriſque Orientalium linguis. Et ſane *Milcon* alibi, hoc eſt, מלכם ( idem enim eſt, punctis paulo immutatis) haud aliud vult quam *Rex illorum*, uti hic מלככם *Malcecem*, eſt *Rex veſter*, quod Theodotion & Symmachus veteres interpretes oſtendunt, cum numen illud etiam per βασιλῆα & ἄρχοντα reddunt: utraque vocabula in S. literis Molochum deſignant. Jerem. XLIX. *quare poſſedit* מלכם *Gad*; vertunt *malcam* in *Rex eorum* nonnulli, ſed LXX. haben διὰ τί παρέλαβε μελχὸλ, librarii error eſt pro μελχόμ: uti Hebraice etiam profertur Moloch, 1. Reg. IX. ſi Chiric per Epſylon efferas. Ammonitarum enim idolum vocatur ibi מלכם *Milcom* iiſdem elementis, diverſis punctis a *Malcam* Jeremiæ. Verum & LXX. in dicto loco Regum, βασιλῆα αὐτῶν reddunt, uti alii in Jeremia; apud quem Prophetam ne quis dubitet an ad Moloch ea verba ſint referenda, legat & capita præcedentia quibus Chemos, Machina Cœli, Baal ejuſdemque farinæ alia colentibus merito exprobrantur, & quæ in laudato capite de Ammonitarum ſacris ſubjunguntur. Seniores lxx. Hierem. XXXII. com. 35. τῷ Μολὸχ βασιλεῖ habent. Huc ſpectat illud Zephaniæ cap. 1. com. 5. *Et eos qui adorant & jurant per Dominum, & jurant per Regem ſuum*, id eſt, Hebraice במלכם per *Malcham*. Cum Judæis intelligo hic ipſum Molech. qui, uti videre eſt, ſub Regis nomine maxime colebatur. Etiam in Paralipomenon 1 capite XX. commate 2. ubi de expeditione Joabi in Ammonitas verba fiunt; *Et cepit David coronam* מלכם ( quod *Regis eorum* vertunt plerique ) *a capite ejus & invenit eam habere pondus talenti auri, ordinataque eſt pro capite David*. Sed Seniores ibi καὶ ἔλαβε Δαβὶδ τὸν ςέφανον Μελχὸμ τοῦ βασιλεως αὐτων. Et Latina, quæ D. Hieronymi dicitur verſio: *Tulit autem David coronam Melchom de capite ejus*: Mentio autem ejus eſt apud Amoſium, perinde ac ſi in Deſerto Iſraelitæ eum coluiſſent, cum nihilominus in Pentateucho haud aliud, præter Vitulum, numen ab eis ibi cultum fuiſſe memoretur. Sed D. Cyrillus, ad Amoſium. Vitulum putat ante alia cultum, ideoque in ſacra hiſtoria expreſſius nominatum; ſed alia item fuiſſe, etiam eodem, quo in Deos relatus eſt Vitulus, tempore, facta &



culta numina, quorum nomina ante Amoſii prophetiam in Scriptis Sacris ad ſeculum Exitus non referuntur, vide porro, de ea re, Ruffinum ad eundem prophetam, libro primo. Locus autem in quo peragi ſolebant Molochi ſacrificia, *Malken* etiam dicitur 2. Samuelis, capite XII. commate 31. id eſt, מלכן: Ita enim D. Cimchi ibi exponit. Tametſi Maſorethæ מלבן *Malben*, in margine ſubſtituunt, hoc eſt, *furnus ad conficiendos lateres:* & lxx. ad eam mentem πλινθιον vertunt. Quam conveniens autem & proprium ſummo rerum Gubernatori ſive Deo fuerit, etiam apud Idololatras, Regis vocabulum & βασιλέως, diſcas licet ex prima Apologia Apuleji. Uti igitur Baal id eſt, Dominus, ita & Melech, ſeu Molech, aut Moloch, id eſt, *Rex*, Ammonitarum hoc numen denotabat: unde & is ipſe forſan fuerit qui *Rex Deorum*, βασιλεὺς Θεῶν, titulo ſingulari, vocitatur in Phœnicum vetuſtiſſima Theologia; Adodus etiam dictus; quod ex Sanchoniathone teſtatur Philo Byblienſis apud Euſebium. Quem nempe a Syris cultum, oſtendit non ſolum Hadad ſeu Adad ( quam facilis ab Adad ſit in Adodum tranſitus, nemo non videt ) & Benhadad in eorum regum & principum nominibus, a Diis, ut veterum erat mos, traductis ( de queis ſatis eſt in Geneſ. XXXVI. & 1. Reg. cap. XX. teſtimonii ) verum etiam ipſum Adadi vocabulum per decem generationes in regia Syrorum ſtirpe continenter propagatum; quod ſcribit Nicolaus Damaſcenus apud Fl. Joſephum Ἀρχαιολογ. VIII. cap. VI. De Adodo iſthoc & Rege Deorum intelligendus videtur Macrobius, de Aſſyriis loquutus, & eorum Jove ſeu Sole, Saturnal. 1. cap. XVIII. *Deo*, inquit, *quem ſummum maximumque venerantur* Adad *nomen dederunt, ejus nominis interpretatio ſignificat* unus. Ceterum in *Unius* ſignificatione aut fallitur Macrobius, aut depravatus eſt ex ſcriptoribus locus. Nam Syris & Chaldæis ſive Aſſyriis חד *Chad*, ab Hebræo אחד *Achad*, Unus interpretatur. Atqui Adad ille, ſeu Adodus, ſacra hiſtoria חדד *Hadad* alia longe orthographia legitur. Johannes Druſius legendum cenſet apud Macrobium Hada a חדא *Chada* quod Syriace etiam *unum* ſonat. Id ſane olim mihi perſuaſit & viri autoritas, & res ipſa: ſed hallucinatum potius Macrobium vocabulorum affinitate, a curis jam inſtructus ſecundis, opinor. Hadad enim & Hada & Adad & Chada pronuntianti, nec tamen ad rem ſignificatam diſtinguendam

H 2 ſa-

ſatis idoneo, non ita adinvicem ſunt diſſimilia. Hada autem ſive Chada ſequioris, ni fallor, ſexus numen erat, & Adardagæ ſeu Atergatidi, qua de nos plura mox, magis concordat. Imo certo in Syriæ vicinia, eo nomine, culta eſt. Heſychius: Ἀδά. ἡδονή. πηγή. καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα. Hada (unde & Ἁδά ſpiritu aſpero apud Heſychium legerem) Dea, & Juno; ſed Adad Deus & Sol erat. Hadad autem clamorem, ſeu celeuſma hortantium non male denotat, nec a lamentis puerorum in Molochi ſacris ita prorſus abludit. Quin & effigies utriuſque & Adadi & Molochi eaſdem fere memorant fuiſſe ſcriptores vetuſti, & ad unum Solem exprimendum fictas. Macrobius: Adad *inſigne cernitur radiis inclinatis, quibus monſtratur vim cœli in radiis eſſe Solis qui demittuntur in terram*. At Theophylactus (ex D. Cyrillo in Amoſium) ad Actorum Apoſt. VII. Molocho fuiſſe, ait, λίθον διαφανῆ ἐπὶ μετώποις ἄκροις ἐς ἑωσφόρȢ τύπον, id eſt, *lapidem perlucidum in ſummitate frontis ad imaginem Phoſphori*, quem Solem intelligas. Mitto hic quam proprie hæc omnia Soli, Regi Numinum ſeu ſtellarum, conveniant; quod is procul dubio cogitabat, qui ſeptem conclavium primam fecit, quiſquis ille fuerit, mentionem; nam totidem, uti diximus, Mithræ tribuuntur: qui totius antiquitatis, veterum maxime Inſcriptionum, conſenſu, idem qui Sol æſtimandus. Unde Mithridax lapis dictus qui ſole percuſſus coloribus micat variis, ut ſcribit Solinus cap. xl. Mithri autem, Mithir aut Mether Perſice Dynaſtam & Dominum (quod etiam eſt in Molochi titulis) ſignificat; ut docemur a magno Scaligero lib. VI. de Emendat. Temporum. Accedit, quod in Exercitationibus Julius pater Adad ſolem Perſice denotare ſe legiſſe meminit. Quod autem de *Unius* nomine Aſſyriorum Deo alicui dato ſcribit Macrobius, haud futile prorſus habendum. Erat ſane Deus illis ita nuncupatus, id eſt חד *Chad* ſeu אחד *Achad*, ſed & forte non ita ab Adado ſeu Molocho alienus; cum Adad per Unum interpretatur, fallit Macrobius: minus ut a vero aberrarit, fieri poteſt, cum Adad, & Unum ſive Achad, idem fuiſſe dicit. Soli quidem vendicatur merito illud nomen, & ex veri Dei attributis in Idola videtur translatum. Iſaias capite LXVI. com. 17. *Sanctificantes & luſtrantes ſe in hortis poſt* Unum *in medio:* ita enim, non *Unum* lego, quod faciunt ii qui Maſorethas ſequuti אחת *Echath* non אחד *Achad* ibi legunt, ſed tantum ſcribi volunt; hanc enim ex iis dictionibus eſſe ajunt quæ aliter ſcribuntur, aliter leguntur, & piſcinam nonnulli ſomniant intelligi: alii colentium ordines denotari; quaſi alterum alteri ſuccidaneum fuiſſe tantum innueretur. Libenter ſane Joſephi Scaligeri interpretationem audimus, & adjicimus. *Senſus*, inquit, *ille eſt apertiſſimus: Februationes & luſtrationes Deo illi ſive Idolo fieri, quem Deum ipſi vocarent* Ahad, *id eſt*, Unum, *idque in medio hortorum, qui illi idolo dicati, in opiſthodomo templi: ſubintelligendum enim templum; pone templum* Ahad. *Nam præpoſitio* אחר *qua utitur propheta, eſt localis, ut etiam ſic accipitur ab omnibus Judæis, & Jonathan vertit* בתר ὀπισθε: *vel ſimplicius Idolum pro ipſo idoli templo accipiendum, ut Græcis & Latinis mos eſt*. Ita ille ad veterum Græcorum fragmenta. Luſtrationis ritus in iis, quæ apud Iſaiam ſequuntur parent: *Comedent carnem ſuillam & abominationem atque murem*; ad quem locum enarrandum juvet, ni fallor, R. Maimonides Perplex. III. cap. XXX. Sed depravatus nimium videtur Latinus codex. Vide & Eſaiæ cap. lxv. com. 4. Certe Palæſtinorum Sacerdotes & harioli, ut facinus de arca ablata & detenta expiaretur, graviſſimoque liberarentur civitates quinque ex fœdiſſimo morbo, hoc inprimis genus februationis conſulti docuerunt; ut mures aureos Deo, Opt. Max. offerrent; uti hiſtoria eſt I. Sam. cap. VI. Verum non a ſacrorum ratione, ut videtur, tam mures dari, quam animalculi effigiem a quo læderentur in munere repræſentari voluere illi. Et ſatis incogitanter Philaſtrius, qui iſthinc Muſoritas neſcio quos hæreticos petit: *Muſoritæ*, inquit, *ſunt quidam nomine qui ſorices colunt*. De mure nihil habeo quod dicere heic juvet: ſcio Plutarchum non ſemel, Magis hanc beſtiolam, utpote Deo etiam ipſi, ante alias inviſam eſſe, reliquiſſe ſcriptum, quod commentariolo περὶ φθόνȢ καὶ μίσȢς refert, & in ſympoſiac. IV. cap. V. Veruntamen non modo non a ſacris mures abigit Jamblichus, non is qui ſub Juliano floruit ſed alter etiam Syrus, ſed myſteria ἀπὸ τῶν μυῶν derivari vult: rationem ejus vide apud Photium in Myriobiblo, Codice XCIV. Certe forſan uti porcus apud Europæos primas inter Februa & luſtrationes ferebat, ſic in Aſia porcus & mus. Atqui an ab Ægyptiis ſacra traducta heic potius innuuntur? ſane pleniluniis porco facere Lunæ, quæ & Aſianis miro ſemper in honore habita, illis ſolenne

ne erat: & Ægyptios ritus in Judæam deduci minime novum est. De sacris hisce consulas Herodotum in Euterpe. Saturnus autem Latinis, Græcis Κρόνος, plerumque censetur Moloch. Infantes sive pueri utrisque erant hostiæ communes, & nefanda illa sacra e Syria in Europam videntur migrasse & in Africam: Ad Ovidii Fastos, Macrobium, alios perquam obvios relegandus, qui de Europæi Saturni hostiis humanis disquirit. De Pœnis, qui Syrorum colonia, Ennius.

> *Ille suos Divis mos sacrificare puellos.*

Versus est apud Nonium Marcellum, verbo *Puellis*. Pescennius Festus apud Lactantium Divin. Instit. I. cap. XXI. refert *Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum iratum sibi Deum putavisse, itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse*: qui liberis carebant, ii a pauperibus emebant, ut mactarent; quod a Plutarcho docemur. D. Athanasius Orat. advers. Græcos: Φοίνικες, inquit καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν τῇ τεκνοτυσίαις ἐθρήσκευον. Plura ad hanc rem de Pœnis habent Diodor. Sicul. Biblioth. XX. Justinus hist. XVIII. Cyrillus advers. Julianum lib. IV. Eusebius de præparat. Evangelica IV. Minutius Felix, alii. Ad Tiberii usque tempora durasse impium illum morem in Africa scribit Tertullianus Apologetic. capite IX. de cujus verbis a lectore curioso consulendus Scaliger in epistolis ad Casaubonum, cum tamen etiam in fœdere quod icerunt Carthaginienses & Gelo tyrannus Syracusanus, cautum esset, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ κατατύοντες. quod scribit Plutarchus περὶ ὑπὸ τῦ θεῦ βραδέως τιμωρουμένων. sacra autem hæc Pœnorum a Syrorum istis manasse, confirmat item tibiarum & tympanorum etiam apud hos solennis usus, quem refert idem scriptor magnus περὶ δεισιδαιμονίας. Lamenta enim puerorum aut parentum inter mactandum exaudiri, piaculum habebatur. Ferme dixeram, sub Molochi nomine cultum a Pœnis hunc Deum. Nam Ἀμίλκαν Carthaginienses veneratos esse meminit Athenagoras in Legatione, nec dubitare fas est, an Amilcas ab eodem, quo Molech, fonte deducendus; utraque pura puta Ebraica seu Punica sunt, si quis initia spectet, & Regem denotant; nisi mavelis Amilcan Reginam, id est, Βασίλειαν Atlantiorum Deam interpretari: quæ sane ad Cœlestem Carthaginiensium Deam referre licet. Nam ut iis Belus seu Uranus Deus & Cœlestis Dea, ita Atlantis Uranus & Basilia, de quibus consulas Diodorum in Biblioth. III. Milici etiam quod Annibalis soceri nomen, & hujus filiæ Imilces quod est *Regina*, & Imilconis Carthaginiensis ducis, non aliunde sunt petenda: *Melech* enim Rex est, *Malcha* Regina; quæ Melicum & Imilcen pronuntiabant. Silius Italicus Lib. III.

> Milicus *indigenis late regnarat in oris*
> *Cornigeram attollens genitoris imagine frontem;*
> *Hinc patriam, clarumque genus referebat* Imilce,
> *Barbarica paulum vitiato nomine lingua.*

Ita, qui καθ' ὑπερβολὴν, uti ait Strabo, Tyriis cultus Hercules, dicebatur Μέλκαρτος, sive Μέλκαρθος, qui depravate Μελκανταρος dicitur Eusebio in Oratione de laudibus Constantini. Is autem Jovis Demaruntis filius erat, quod a Philone Bybliensi discimus; nec alius est a Pœnorum Hercule, qui humanis hostiis placari, uti Molech, solitus; ut Plinius lib. XXXVI. cap. V. scribit: prima nominis pars non dubium est quin ab Ebræorum Melech traxerit originem: Nam & eodem ferme vocabulo dignoscebatur Hercules etiam Amathusiis. Hesychius: Μάλικα, τὸν Ἡρακλέα, Ἀμαθούσιοι. Haud ita interest, utrum Cyprios heic an Amathuntis urbis Phœniciæ incolas intellexeris. Etenim Amathus urbs est Phœniciæ, & Phœnicii maris insula adjacet Cyprus; & in ea urbs item Amathus dicta: quæ communia etiam alias cum Phœnice sacra habuit, uti constat ex Stephano in περὶ ἐθνικῶν in Ἀμαθοῦς. quid αρτος aut αρθος in ea dictione, non satis intelligo; vestigia totius nominis extant, ait Scaliger, in Punicis illis Bomilcar, Hamilcar. Certe in Bœotia quæ plura e Phœnicia cum Cadmo traducta vocabula retinuit, Haliartus Urbs erat conditori cognominis, & Fluvius. In Scolo item Bœotorum, simulacrum Μεγαλάρτυ in honore habitum. Id Cereris Μεγαλάρτυ volunt nonnulli fuisse, & ab ἄρτῳ quod est panis (quia frumentaria Dea illa) deducunt. Ita Eustathius ad Iliad. β. qui μεγαλάρτια etiam festum memorat huic Deæ sacrum, quam & μεγαλόμαζον ab eadem causa dictam scribit. Fateor Cymulcum apud Athenæum Dipnosoph. III. ex Polemone Μεγαλάρτυ καὶ Μεγαλομάζυ ἀγάλματι ἱδρυσθαι in Scolo Bœotiæ retulisse, & Μεγαλαρτίων festi paulo post ex Semo fieri mentionem, atque inde quæ habet Eustathius ad Home-

merum petita constat. Cæterum an Μεγάλαρτος fuerit Ceres non liquet satis apud Athenæum. At quicquid numinis fuerit, Phenicia in eo videtur latere origo: nam & Cadmus, Ismenus, Thebæ, Phenicia etiam sunt. Quod de pane afferunt nimis est ridiculum; Nos forsan non meliora videbimur, si Megalarton ex Melicarto factum conjiciamus. Non inusitata elementorum (quæ in hujusmodi nominibus frequens) metathesis, & facillima τȣ̃ χ pro κ substitutio ita sane suadent. Neque ab alio forsan fonte Μεγαλόμαζος: quod a Phenicio aliquo vocabulo Græcis non omnino intellecto, in isthoc (ut fit) quod Græcam patiatur analogiam, procurantibus grammaticorum audaculis, demigravit, unde mutatum fuerit, hariolari fuerit difficile. Memini Phrygibus Jovem dictum Μαζεὺς, si Hesychio fides. Is ita Μαζεὺς ὁ Ζεὺς παρὰ φρυξί. Syris item supplicationem ad Regem Μεγαμάζα nuncupatam lego, Suidas: Μεγαμάζα, οἱ Σύροι τὴν ἐπὶ βασιλέα δέησιν ὕτω καλȣ̃σι; sed conjectori hæc non satis præbent auxilii; licet inde Megalomazon Ἱκετήσιον denotasse, quod Jovis cognomen, quis non immerito suspicetur. Atqui nonne ab עריץ *Aritz* in artos τῷ Melicartos, quod & Melicratus nonnullis exaratur? *Arits* prævalidus est: sic Melicarits, Regem prævalidum seu Tyrannum significet, & in τὸ Melicartos facile transeat. Inde forsan Ἀρτæῖοι Persice Heroes, sive qui priscis seculis imprimis claruerunt. Testis est Hesychius, & Stephanus περὶ ἐθνικῶν: Ἀρταίȣς δὲ Πέρσαι, inquit, ὥσπερ οἱ Ἕλληνες τȣ̀ς παλαιȣ̀ς ἀνθρώπȣς καλȣ̃σι, id est, Artæi *Persis sunt, qui Græcis prisci seculi heroes*: neque hoc vocabulum hac notione nominibus Artaxerxis & Artabazi deesse vult. Hinc Ἀρτὰς, Persis, μέγας est καὶ λαμπρὸς, id est, *Magnus & Clarus*, & Ἀρτῶναι *Regna*: unde etiam Artoxerxem idem interpretari scribit Herodotus, quod μέγας ἀρήιος id est magnus Bellator. Quam consonum sit ut Divorum nominibus vox hæc accederet, nemo non videt. Atque Persarum veterum & Syrorum, ut in moribus, ita in linguis plurima fuisse communia neminem paulo doctiorem diffiteri sentio. Persæ etiam in Syris nostris nonnunquam apud Europæos scriptores recensentur; hoc est, Babylonii Persæ dicuntur, & Babylon Urbs Persica, uti apud Stephanum. Tam Phenicii igitur quam Persæ fieri potuit, ut priscos heroas (prisci autem Heroes plerumque in Deos tandem migrabant) vocis hujusce adjectione signanter indigitarent. Sed ne frustra nimis disquiramus veremur, & assensum retinemus. Arten autem dici Ægyptiis Martem, qui mythologis idem cum Hercule autor est mihi, sed suspectæ in hac re fidei, Vettius Valens Antiochenus Antholog. VI. De coloribus Planetarum agens is Astrologus, τὸ δὲ τȣ̃ Ἄρεως κιρρὸν (inquit) πυρωτὸς γὰρ καὶ τεμὸς καὶ κατεργαστικος ὁ θεός. Αἰγύπτιοι γὰρ καὶ Ἄρτην αὐτὸν προσηγόρευσαν, ὅτι τῶν ἀγαθοποιῶν καὶ τῆς ζωῆς παραιρέτης ἐςὶ, id est, *Martis vero rubrum: Igneum enim est & acutum & interficiendi vim habens Numen. Nam Ægyptii* Arten *eum nuncuparunt, eo quod beneficiorum virtutem & ipsam vitæ sit* παραιρέτης. Nomen, quod facit Ægyptium, a Græco vocabulo, non quæro quam scite, petit. Verba autoris adjunxi, cum quod rarus sit & ἀνέκδοτος scriptor, tum quod ἄρτης hac notione, si bene memini, haut alibi occurrat. Sed Πυρόεις Ægyptiis Græce Mars dictus est; teste Julio Firmico. Cæterum ad Tyrium Herculem seu Melicartum anne spectat illud de Desanao in Eusebii Chronicis a B. Hieronymo versis? verba sunt: *Hercules cognomento* Desanaus *in* Phenice *clarus habetur. Unde & ad nostram usque memoriam* a Cappadocibus *&* Eliensibus Desanaus *adhuc dicitur*. Totidem syllabis & in priore & posteriore Chronicorum leguntur: atque ipsissima exscripsit Florentius Monachus Wigorniensis. Mosis in tempora incurrit Desanaus hic qui Dosenaus alias, ut habet Marianus, appellatur. Delphinam ut videtur ibi legit Lud. Vives ad de Civitat. Dei lib. XVIII. cap. XII. Certe quid velint sibi illa B. Hieronymi verba difficillimum est conjectari. Ideone Cappadocibus, & Eliensibus ita dictus Hercules, quod in Phenice clarus? Quid Phenicibus cum Cappadocibus? Quinam Elienses isti? neque apud veteres, alia est Herculis Desanai mentio. Dorsanes Indis Hercules nominabatur; testis est Hesychius. Id a Doseano proxime abest, ut notat magnus Scaliger. Nec vero Indi huc trahi possunt. Atqui & Persis (quos ut plerosque Orientalium, Indos sæpius dici nemo mediocriter doctus nescit) Hercules Σανδης vocabatur, autore cum aliis Beroso apud Agathiam; quod quid ad Dorsanen spectare queat, nihil ita videtur obluctari: sed ut omnia de hoc nomine in incerto ponantur, Eusebii Græcus codex Diodan eum nuncupat: Ἡρακλέα, inquit ille, τινὲς φασιν ἐν φοινίκη γνωρίζεσθαι Διωδὰν ἐπιλεγόμενον, ὡς καὶ μέχρι νῦν ὑπὸ Καππαδόκων καὶ Ἰλίων κεκλῆσθαι, ultra dispicere nequimus. Sed ad Molochi

chi ſacra redimus. Horrendi autem illius ſacrificii, puerorum nempe mactationis, ſi fides Phœnicum annalibus, non latet origo. Tradidit ex iis Porphyrius ( apud Euſebium præparat. Evangelic. I. & IX. ) Saturnum, quem Phœnices Iſrael nuncupabant, regem Phœniciæ vetuſtiſſimum, ut regnum ſuum a ſummo imminentis belli periculo liberaret, ſuperoſque propitios haberet, unicum ( Μονογενῆ ) quem ex Anobreta ſuſceperat filium, regio ornatum faſtu, conſtructam ſuper aram, immolaſſe: quod exemplum nefaria poſteritas non intellectum ſecuta eſt. Mirum enim niſi ad Abrahamum & Iſaacum filium reſpiciat commentum illud. Nam Μονογενὴς, id eſt, unicus filius ille appellatur a Porphyrio *Jeoud* & a Philone. Verum in Geneſ. XXII. com. 2. Iſaac dicitur בנך את יחידך *bincha ethtehidcha*, id eſt filius tuus unicus tuus, ubi in *Jebid* ipſum *Jeoud* fere integrum legimus. Ita in Orphaicis περὶ Θεῶ, quæ Onomacriti cenſentur, Abrahamus Μονογενὴς, pater inquam pro filio, imperite & ridicule appellatur, quod illuſtriſſ. Scaliger ad Græcorum fragmenta notavit, uti & Saræ nomen in Anobretam apud Phœnicas mutatum. Sic futili eorum theologia Iſrael dictus qui Iſraelis avus. Qui Strabonem, Juſtinum, Diodorum Siculum de rebus Judaicis conſuluerit, minus mirabitur ſacram hiſtoriam a profanis ſcriptoribus tam interpolatam, & falſo narrari. Moſem Deum, Patriarchas errore inextricabili confundebant, verba & res ſacras ad impias Agorum operas arripiebant, & ex rebus divinitus geſtis & in tabulas ſanctas relatis, profana numina formabant, novos, ridiculos, & nefandos cultus inſtituebant, de ea re nos plura in prolegomenis. Sed vero multo antiquior eſt feralis illius, qui puerorum mactatione præſtabatur, cultus origo apud Saidum Aben-Batrich, quem ſupra etiam citavimus. Sub initiis, uti vocant, Helleniſmi, aut Scheruchi ævo nefandum hunc morem initia habuiſſe, ab eo ex veterum monimentis traditur; Dæmoni ſcilicet ventriloqui, ſeu ex demortui parentis, qui ut Numen colebatur: imaginis, ſacræ ventre ( id eſt من جوف الصنم *ex idoli ventre* uti ejus verba ſunt ) loquentis juſſu. Atque exinde, addit, cœperunt homines ذبحون بنيهم الشياطين *immolare filios ſuos dæmonibus*. De ea re vide plura in tertio prolego-menon capite, ex eodem autore. De Siccuth autem, quod meminit Amos, pauca adjicimus. Aquilæ vertitur συσκιασμοί, id eſt *umbracula*. Symmacho, LXX. & D. Lucæ σκηνὴ, quod, ut σκήνωμα, pro delubro ſumi poteſt. Lecticam potius in qua portabant numinis, id eſt, Molochi imaginem, intelligo; Nam נשאתם *nesbathem* interpretantur LXX. ἀνελάβετε, id eſt, *in manus ſumebatis, ut portaretis*, atque ita D. Lucas. Quod certe, ad imagines in lecticis aut thenſis circumlatas, optime referas. Servius ad illue Vergilii Æneid. VI.

> *Erranteſque Deos agitataque numina Trojæ.*

*Aut mecum* ( explicat ille, *agitata* ) *vexata ſigna* ξόανα *dicit*, id eſt, *ſimulacra brevia, quæ portabantur in lecticis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem, quod fuit apud Ægyptios & Carthaginienſes*. Ad eum ritum intelligunt nonnulli, apud Homerum, Jovis cæterorumque Deorum δωδεκαήμερον ἀποδημίαν, & Æthiopibus in more fuiſſe, ut duodecim numinum, quæ in Dioſpoli ſacrabantur, effigies, ſtatis temporibus, per Africam, duodecim dierum ſpatio vitulanties circumferrent: ſic Euſtathius ad Iliad. α. ex veterum ſcriptis, Ἐν Διοσπόλει μεγιςῶν ἐςι Διὸς ἱερὸν, ἀφ᾽ ὗ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον καὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοςῶσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ τοσοῦτοι παρ᾽ αὐτοῖς θεοί. Ita omnium Cœlitum ſimulacra Romæ quotannis ſub æſtivo ſolſtitio Alagabalum Deum pretioſiſſimo curru vectum, deducente eum ingenti pompa imperatore cognomine, in delubrum ſuburbanum comitabantur, ut refert Herodianus lib. V. Meminit & Macrobius Saturnal. I. cap. XXIII. Jovis Heliopolitani ex Heliopoli Ægypti in Aſſyriam traducti, culti, & ferculo vehi ſoliti, uti in pompa ludorum Circenſium numinum ſigna, ſive apud Antium, Fortunæ effigies. Ad hunc morem referendum illud Strabonis de Omano numine Perſico apud Cappadocas. ξόανον inquit, τῦ Ὠμάνυ πομπεύει, id eſt, *ſimulacrum Omani in pompa vehitur*; Scribit lib. IV. Hinc lux ad Siccuth intelligendum: nam ut aſtrum illud fuiſſe cum Hebræis ſentiam, ( cujus imaginem etiam ipſum Moloch fuiſſe ſcribunt nonnulli ) animum non potis ſum omnino inducere. Tentorium certe erat quod circumferri potuit, & in quo Molochi effigies; nam & diſerte meminit Philo apud Euſebium ναῦ ζυγοφορυμένυ, id eſt, *fani portatilis* magni Phœnicum Dei quem Agroten voca-

cabant, ut Arca teſtamenti Judæis, ita fere hujuſmodi fana ſeu σκηναὶ Idololatris. Quod habet de Siccuth Elias Levita ad Radices Cimchi, & de figura neſcio cujus, (niſi Pſittacum innuat,) avis, ridiculum eſt. De eo autem Prophetæ Amos loco, qui a D. Luca, ſeu primo martyre Stephano, in Actis non fideliter ſatis verſus poſſet nimis curioſo videri, verba D. Hieronymi quæ huc maxime ſpectant, ſubnectere non piget: *Nec putandus*, ſcribit ille, *eſt primus martyr erraſſe quod pro eo quod in Propheta ſcriptum eſt* trans Damaſcum *dixerit* trans Babylonem; *magis enim intelligentiam quam verbum poſuit, quia* trans Damaſcum *ducti ſunt in* Babylonem, *ſive* trans Babylonem. *In eo autem loco, ubi Lucas poſuit* Μολὸχ *&* *in Hebraico ſcriptum eſt* מלככם, *Aquila vertit* Μελχὸμ, *&* *Theododotio* Regis Veſtris. Et paulo poſt: *Et hoc in omnibus ſcripturis ſanctis obſervandum eſt, Apoſtolos & Apoſtolicos Viros in ponendis teſtimoniis de veteri teſtamento, non verba conſiderare ſed ſenſum, nec eadem ſermonum calcare veſtigia, dummodo a ſententiis non recedant*. Hæc ille doctiſſimus patrum lib. II. in Amos.

# SYNTAGMA II.

## CAPUT I.

Baal-Bel. Mars *& bellorum præſes ſeu Deus nuncupatus; nomen olim* Deo Vero *tributum*. Belus *Phœnicius*. Bal *Punice*. Balis *ſeu* Beli Punici *fanum*. *Numina in Dynaſtarum nominibus antiquitus*. Belus *Babylonius*, *uti Græci* Βῆλον *interpretati*. *Omnis* Exercitus Cœli. Chronici Alexandrini *locus emendatus*. Βηλὸς *apud* Homerum. *De eo veterum ſententiæ*. Prima Beli *nominis* mentio *apud Grecos*, *uti Europæis* Jupiter *&* Ζεὺς, *ita Aſiaticis* Belus, *ſeu* Baal. Jovis, Ἰαὼ, Ἰαὼ *a Tetragrammato*. Ἰαὲ Ἰαωθ. *Juba*. Ζεὺς *dictus* Deus *verus*. *Arati locus a* D. Paulo *citatus*. Pater *nomen Divum commune*, Jupiter. Marſpiter. *Jupiter non dictus*, *quod* juvans pater. Tetragrammaton *nomen Gentibus notum*: *quid de eo Judæi*. Pythagoreorum Τετρακτὺς, *Conjectura de eorum jurejurando*. Nazaratus *ſeu* Zaratus. *Aſſyrius*. Ezechiel. Zarades. Zoroaſter. Pythagoras. Malchus *emendatus*. *Idem* Porphyrius *eſt; unde augendus*. Pythagoras *ex Orientalium myſteriis eruditionem ſuam hauſit*. Belſus, Ζεὺς. Ζεὺς Ἐνυάλιος. D. Hieronymus *correctus; &* Fl. Joſephus. Ζεὺς *Olympius*, Beelſamen. Baal-ſamaim. Marnas *Gazæorum*. *Virgo quid ſonet Cretice*. Μάρνα. *Plurima* Europæorum *monimenta ab Aſiatico Belo*. Abellio; Belenus; Belatucadrus *Dii*. Belis. Belenus, *Apollo*. *De* Alagabalo, *id eſt*, Heliogabalo *diſquiſitio*. Julius Balbillus *Alagabali antiſtes*. Gabalus. Ahgli-Baal, *Deus circularis*. Alagabali *ſimulacrum*. Διὸς φυλακὴ *ignis*. Urania *Heliogabali uxor*. Aglibelus, Malachbelus *Dii*. Molech, *puerorum mactatio*, *Sacra* Alagabali. *Virilia pudenda in ſacris Orientalium*: *Conjectura in* Xiphilini *locum*. *Magnorum* VV. *de* Heliogabalo *ſententia*. Hel, Bel, Bolathen. Azizus *&* Monimus *Edeſſæ Solis πάρεδροι*.

SÆpe occurrunt in ſacris literis Baal & Belus, variis Diis nomina communia, & numero ſecundo *Baalim*. Cæterum Chaldæis ſeu Babyloniis propria erat vox *Bel*, Phœniciis & adjacentibus *Baal*: utrumque, ab Hebræo בעל *Baal*, id eſt, Dominus, a quo, excidente litera ע juxta morem Chaldaicum fit בל *Bel*, cujus mentio eiſdem elementis, apud Eſaiam cap. XLVI. comm. I. Hieremiam cap. L. comm. 2. & LI. comm. 44. Phœnicis autem Hebraice loquutis Baal cum *Ajin* retinebatur. Diſcrimen iſtud a Græcis & Latinis minus obſervatum; Utrique enim indiſtincte tam Phœnicium ſeu Tyrium Numen, quam Babylonium, plerumque Belum vocant, orientalium dialectorum haud curioſi. Et qui Fl. Joſepho nunc Βὴλ mox Βαὰλ dicitur. Conſulas eum Orig. Judaic. VIII. cap. 7. & IX. cap. 6. De Phœniciorum Deo verba facit: Sed mirum eſt quod de Baalis ſignificatione ſive Aſſyriaca ſive Perſica, legitur tum apud Chronici Alexandrini autorem, tum apud Cedrenum. Hic de Thuro Nini regis ſucceſſore locutus, τούτῳ τῷ Ἄρει (nam Martem eum etiam nuncupatum ſcribit) πρώτην στήλην ἀνέστησαν οἱ Ἀσσύριοι, καὶ ὡς Θεὸν προσκυνοῦσι, Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὃ ἑρμηνεύεται Ἄρης πολέμων θεός. *Huic Marti primam ſtatuam erexerunt Aſſyrii, & eum uti Deum adorarunt, nuncupantes eum Baal, quod interpretatur Mars Bellorum numen*. Tantundem eiſdem pæne ſyllabis, tradit alter ille pag. 88. ſed vocem Perſicam eſſe dicit. Numen autem idem eſſe ipſum quod in Daniele memoratur & in trium puerorum hiſtoria: ſed nominis interpretatio Græculorum commentum eſt. Eo primum fuiſſe ſummum

mum & ineffabilem omnium rerum creatorem designatum merito sentias; cum scilicet & aliis vocibus ejusdem fere significationis, & ab Hebræis, Arabibus, & Græcis id quod proprium Dei Opt. Max. nomen habetur, antiquitus data opera explicatum sæpissime legamus. Tetragammatum enim nomen יהוה redditur a LXX. Ἀδωναὶ aut Κύριος hoc est Dominus; & substituunt Arabes الرب *alrab*, quod idem sonat. Et quam convenire potuerit τῷ Baal nomen Deo vero, caput secundum Hoseæ satis monstrat. Comm. 16. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabis (me) Ishi* id est maritus meus) *& non vocabis me ultra* Baali, id est בעלי, nimirum Baal meus: *Ego enim auferam nomina* Baalim *ex ore ejus, & non erunt illi amplius in memoria cum nomine illorum*. Seniores vero pro Baali seu nomine cum affixo pronomine, Baalim pluraliter, ut videtur, ibi legebant: nam ita vertunt; οὐ καλέσει με ἐπι Βααλείμ. Populus Dei Baalem suum pie satis eum vocabant, priusquam ob vocem illam ad profana numina frequenter nimis traductam, id ipsum ipse Deus vetaret. Quin & diu est quod Chaldæi quindecim myriadum annorum commentarios apud se latere jactarent, in quibus Belum suum uti rerum conditorem, in fabulosissima illa ineptissimaque Omorcæ dissectione, celebrabant. Autor est Alexander Polyhistor ex Beroso Beli sacerdote. Deinde, ut fit corruptis moribus & in superstitionem pronis, solem forte primo, quem μόνον Οὐρανοῦ Θεὸν, id est, *solum in cœlis Deum* putabant Phœnicii (ita scribit Philo Bybliensis Sanchoniathonis interpres) sub hoc nomine venerabantur. Postremo autem & in simulacra alia sive Astrorum sive Regum, quorum memoria posteris longe charissima, τὸ Βαὰλ sive Βὴλ adaugendum, qua fieri potuit, seu corporis Cœlestis seu demortui honorem, est impie derivatum. Varii etiam ritus, ceremoniæ, stata ad sacrificia tempora sunt addita: Ita Assyrii, ita Phœnicii, alii suos fecere, coluere Belos sive Baalim. De *Phœnicio Belo* capienda sunt quæ habes 1. Reg. cap. XVI. 2. Reg. cap. X. ubi rex Achabus in soceri gratiam, Ithobalis, inquam, Sidoniorum Regis, fanum in Samaria Baali sacrasse memoratur. Sidon autem Phœnicis urbs maritima, unde is ipse fuerit hic Belus qui Jupiter Thalassius seu marinus Sidoniorum nuncupatur. Hesychius: Θαλάσσιος Ζεὺς, ἐν Σιδῶνι τιμᾶται, id est, *Thalassius Jupiter in Sidone colitur*. Belus enim



Ζεὺς & Jupiter Europæis, quod statim patebit, nominabatur. Nugaces Græculi ex Ægypto Belum hunc petunt, & Neptuni & Libyes filium faciunt, fabulosam historiam vide, si vis, apud Apollodorum περὶ Θεῶν, lib. β. & passim ferme admittitur. Sed futilis nimium est. De eo autem intelligendum illud in Æneidos I.

*Implevitque mero pateram quam Belus & omnes*
*A* Belo *soliti*---

nam Carthaginienses e Phœnicia oriundi, & de Didus libatione loquitur. Ibi notat Servius; *Lingua Punica* Bal *Deus dicitur, apud Assyrios autem* Bel *dicitur quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol*. Ubi Giraldus & alii depravatis exemplaribus *Hal* & *Hel* legerunt. Totidem verbis Isidorus Origin. VIII. rem voluit explicaret: uterque hallucinatus. Neque enim *Bal* Deum magis Punice, olim sonabat, quam *Bel* Chaldaice; utraque Dominum interpretantur Punicas autem l. I. Strabonis l. XVI. Plinii l. VI. c. XXVI. Q. Curtium l. V. Arrianum, lib. VII. Diodorum; tem res & Phœnicias velut easdem, ad hanc quam nunc rem agimus, obiter memineris, qua de re fusius in prolegomenis. Belo huic seu Bali Punico fanum erat in Bali Urbe Libyes: Ita enim Stephanus περὶ ἐθνικῶν: Βάλις, πόλις λιβύης πρὸς τῇ Κυρήνῃ ἀπό τινος Βάλεως, οὗ καὶ ἱερὸν ἔχει. Et Balis hic dicitur. Certe nomina illa Punica Annibal (quod inversum fere legitur Gen. XXXVI. com. 38.) Asdrubal, Adherbalde, queis & consulas lib. VI. de emendatione Temporum, hoc quod tractamus nomen habent adjectum, non sine frequentissimo Orientalium maxime nationum exemplo, a quibus nomina ad eam rationem formata sunt passim obvia; uti videre est in Bel-adane, Nebuchadnazare, Neriglossoro, Ethobalo atque id genus quam plurimis. Et propheta Daniel appellatur Beltsazar *juxta nomen Dei mei*, inquit tyrannus ille apud Danielem cap. IV. Qui vetustissimas res Asiæ contexunt, Berosus, Menander, Sanchoniatho, seu Philo apud Josephum & Eusebium, Arrianus in περίπλῳ Rubri maris, &, si qui sunt alii, luculenter hoc itidem ostendunt. *Belum Babylonium* quæras apud laudatos jam prophetas Isaiam & Jeremiam. De historia illa de Belo & Dracone videmus seorsim capite extremo. Templum ejus, Regiam, Statuam, & Sepulchrum qui vult, Danielis cap. III. Herodoti alios adeat, & Festum ejus habetur 2. Reg. 2. cap. X. comm. 20.

De Chaldæis Stephanus ille : *μαντεῖον δὲ ἔχειν λέγουσι αὐτοὺς παρὰ βαρβάροις, ὡς Δελφοὶ παρ᾽ ἕλλησι*, id est, *Oraculum apud Chaldæos esse ajunt*, quod *Barbaris*, *ut Delphi Græcis*, *æstimatur*. Beli Oraculum, de quo Arrianus intelligit. Cæterum, de eo autor Chronici Alexandrini ita: Jupiter suscepit ex Junone filium *ὃν ὠνόμασε Βῆλον διὰ ὀξύτατον εἶναι τὸν παῖδα*, id est, *quem nuncupavit* Belum, *eo quod puer acutissimus esset*, ridicule. Nec omnino capio Græculi originationem, nisi *παρὰ τὸ βέλος* deducere voluerit, quod jaculum seu telum, quod acutum est plerumque, denotat. Verum pro *ὀξύτατον* substituendum videtur ibi *ὀξυκίνητον*, quod velocem notat. Et jaculo sic congruet, & menti ejus qui ita ineptire ausus est, ut nomen Chaldæum a Graio fonte peteret. Velocem esse, hominis est; non video satis ut acutum esse sit item: nisi quo Thersites est modo *φοξὸς* apud Homerum. Et Georgius Cedrenus firmat emendationem nostram. *Βέλος δὲ ὁ ἰὸς*, inquit, *διὰ τὸ ὀξυκίνητον εἶναι οὕτως ἐκλήθη*. Paulo melius ii qui apud Didymum Scholiasten ad illud Iliad. α.

*... ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.*

unde Vulcanus se dejectum ait, interpretantur *Βηλὸν τὸν ἀνωτάτω πάγον καὶ περιέχοντα τὸν πάντα ἀέρα*, sive, ut alii, *τὴν περίοδον τοῦ αἰθέρος καὶ τῶν ἄστρων*. Melius inquam ii & propius absunt ab eo, quod diximus de Beli vocabulo astris tributo. Dryopum lingua alii *Βηλὸν* Olympum significare volunt, & secundum Chaldæos Cœlum, uti ad eum locum refert Eustathius. Sed recte ille *Βηλὸν* ibi a Belo, quod est nomen proprium, distinguit; *Βηλὸς* enim limen est: cæterum diverso scribitur accentu *τὸ Βῆλος* quod Regibus & Diis tribuitur. *Βῆλος* enim exaratur idque apud vetustissimos, Hesiodus in Catalogo heroinarum.

*... Θρονίη κούρη Βήλοιο ἄνακτος*

quæ prima est apud scriptores Græcos Beli mentio. Citat Strabo lib. α. Tamen & Suidas; *Βηλὸς βαθμὸς θύρας ἢ οὐρανός*. Ab homonymia, accentu neglecto, hallucinatus cum aliis est. Neque enim *Βῆλος* male pro Cœlo accipitur. Velut enim collectivum in Syris numen erat כל צבא השמים *Colzziba haschamaim*; id est omnis Exercitus Cœli, cui aram in atrio templi exstruxit Manasses. Neque non est verisimile etiam Belum Exercitum illum, sive Cœlum dictum esse, generale enim Deorum nomen Baal fuisse scimus: & Chaldæis Cœlum ita vocatum jam ex Eustathio, qui a veteribus hausit, monuimus. Omnes *Exercitus Cœli* Senioribus lxx. *πᾶσα δύναμις τοῦ Οὐρανοῦ* redditur. Belus autem & *οὐρανὸς* & *Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱὸς* interpretatur apud Hesychium. Distabat autem Babylonius ab altero illo Phœniciorum, ut Jupiter Ammon a Jove Capitolino, Cretensis ab utroque. Quomodo enim indigitabantur Pluto Jupiter Stygius, Consentum primus Jupiter Olympius, Ζεὺς Ἀσκλήπιος (ut est apud Aristidem) Jupiter Sarapis in vett. inscriptionibus & simili varietate trecenti illi quos Varro habet apud Tertull. Joves, ita Syri Baal-Peor, Baal-zebub, Baal-Moloch, & quæ alia memorantur ejusmodi, proferebant; uti Europæis Joves, ita Asiaticis Belos seu Baalim, generale Divum vocamen esse denotantes. Et Jovis Stella Pharisæis Cocab-Baal dicebatur, uti est apud Epiphanium. Signantius autem de *τοῖς* Baalim scriptura alibi non loquitur quam in Jerem. II. com. 28. *Nam juxta numerum civitatum tuarum fuerunt Dii tui Jehudah*. Baalim tui, si dixerat, idem dixerat. & D. Paulus I. ad Corinth. cap. VIII. 5. *sunt Dii multi & domini multi*, quod interpreteris, *multi Beli*, vel, siquidem ad Europæorum morem sit loquendum, *multi Joves*. Quemadmodum enim Belus primo summum rerum gubernatorem Opt. Max. denotabat, ita & Jovis (quod apud Ennium, in Consentum Deorum numero, Varronem, Hyginum, D. Augustinum, alios, recto casu usurpatur) idem significabat, grassante vero hominum errore ad idola transferebatur; &, quod simplicissimum & unicum inprimis erat, tam multiplex postea redditum est. Jovis enim ex Tetragrammati Europæorum pronunciatione corrupta fiebat. Nec Jupiter aliud sane est quam Jovispiter, id est, Ἰαὼ πατὴρ, seu Ἰαοῦ πατὴρ Jehovah pater. Notum illud Apollinis Clarii Oraculum,

*φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ.*

Cornelius Labeo habet apud Macrobium Sat. I. c. XVIII. Tetragrammaton autem a Græcis Ἰαοῦ & Ἰαὼ exaratum fuisse, patet ex Clementis Alexandrini Stromat. V. Diodor. Sicul. Biblioth. II. Euseb. Apodix. IV. Epiphanio, Irenæo, & Theodoreti quæst. XV. in Exodum; ubi non Ἰά, uti in vulgatis, sed Ἰαὼ legendum, ut citatur ille locus eruditissimo Hœschelio ad Philonis Judæi opuscula. Johannes Drusius libello de Tettagrammato ex Porphyrio notat Ἰεὼ pro Ἰαὼ seu Jehova; quæ tamen Porphyrii verba a Theodoreto in Therapeutic. II. laudata Ἰαὼ habent. Sed vero & Ἰεὼ legitur

ubi

ubi a Philone Bibliensi refertur. Sanchoniathonem Troicis temporibus vetustiorem res Judaicas scripsisse εἰληφότα τὰ ὑπομνήματα παρὰ ἱερομβάλε τοῦ Ἱερέως Θεοῦ τοῦ ΙΕΥΩ. id est, *easque accepisse a Jerombalo sacerdote Dei* Jevo, quod extat apud Eusebium primo προπαρασκευῆς. Ἰαὼ etiam & Ιαωθ in carminibus magicis quæ ad podagram sanandam recenset Trallianus medicus, haud aliam quam a Tetragrammato trahunt originem. Inde & Maurorum Juba. Minutius Felix: *Juba Mauris volentibus Deus est*. Ita Lactantius lib. I. cap. XV. Quantilla autem mutatione elementorum, ex Ἰαὼ seu Ἰλὼ etiam ex ipso הה fiat Jovis in casu recto, addita nimirum Latina terminatione, quis non videt? unde certe Jovis sive Διὸς vocabulo ipsum Deum Opt. Max. designari pie posse videtur: & D. Pauli etiam exemplo. Is Act. XVII. com. 28. ὡς καὶ inquit Atheniensibus, τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, id est, *uti & quidam apud vos poetæ dixerunt*, Ejus enim & genus sumus: Deum verum innuit. Ceterum idem est ac si dixisset, Διὸς γένος ἐσμὲν, id est, *Jovis genus sumus*. Poeta enim de quo ille, Aratus est: Qui Phænomena sua, pro more poetarum, a Jove ita est auspicatus, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, id est, *Ab Jove principium*, paucisque interjectis, τοῦ γὰρ, inquit καὶ γένος ἐσμὲν, id est, *ejus enim & genus sumus*. Quod Aratus igitur scripsit, & Apostolus citavit, est *Jovis genus* (id est τοῦ Jehovæ) *sumus*, nil apertius dici potuit. Ζεὺς, Jupiter, & in obliquo Διὸς nomina non tam hoc vel illud idolum significabant, quam rerum conditorem Opt. Max. & æternum proprie designabant; etiam apud eos qui nominum non imperiti, sed cultus veræque pietatis erant prorsus ignari. Recte Leontius de eo Arati initio: Ἄρατος, inquit, κατὰ τὴν κοινὴν δόξαν εἴρηκε τοῦ Διὸς τοὔνομα, ὡς ἂν τῆς ὄντων βάσιν, hoc est, *Aratus, secundum vulgi opinionem*, Jovis *nomen expressit, uti entium fundamentum*. Minutius Felix, *Qui Jovem Principem volunt, falluntur in nomine, sed de una potestate consentiunt*. Verum est, falluntur, nisi ad originem suam Jovem referant. Ita enim erit Jovis unicus ille Deus ineffabilis, qui ab impiis censebatur multiplex, perinde ut idolorum sacra & nomina. Pie, fateor, Origenes, qui non vult Deum Verum Jovem vocari, id est, Ζῆνα, ob fabularum de eo spurcitiem, videas ejus lib. IV. adversus Celsum. Optime Plato, cui, in Philebo, cum religione metus, ne in Divum nominibus impingeret. Sed ritus impios, nænias putidas, & fabulas si Christianus reseces, certe Jovem, Ζῆνα sive Δία (quæ vocabula, licet perquam varie derivent Græci, potestatem tamen divinam, humani nimirum generis conservationem, mundi gubernationem & quæ alia summo Numini propria, in iis latere uno ore fatentur) Unum tantummodo & colendum reliquum habes. Deus & Θεὸς idolis tribuebatur, ideone summus & Verus omnium rerum creator non ita compellandus? Infelicium, qui abiere, locus Idololatris Tartarus dictus est, anne hoc facit quo minus idem eodem nuncupetur vocabulo Christianis? certe D. Petro 2. Epist. cap. II. ταρταρῶν in locum illum dejicere denotat, quod Homero est, ἐς τάρταρον ῥίπτειν; atque inde Dii ὑποταρτάριοι eidem nuncupati. Puræ religionis lux pluria, quæ ab Idolis usurpabantur, unice venerando Deo vindicabat. De Ignoto Deo Athenis impie satis culto (quod etiam nomen, non sine dæmonum præstigiis, aris suis scripserant cives, uti elicere fas est ex Laertii Epimenide) D. Paulus Act. Apost. cap. XVII. comm. 23. ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. Vocabulum quod illi cum mysterio Dæmoni male tribuebant, voluit Paulus ut ad rerum Creatorem, cui competebat, transiret. Idolum, Θεὸς Jovis, Ζεὺς, Jupiter appellabatur improprie & impie, iisdem nominibus proprie & pie; qui Verus ac Unicus Deus Opt. Max. Θεὸς, Jovis, Ζεὺς, Jupiter dici potest. D. Chrysostomus Homil. III. in Epist. ad Titum, de Arati verbis a D. Paulo allatis, οὐ τὰ scribit, τοῦ Διὸς εἰρημένα εἵλκυσεν εἰς τὸν Θεὸν, ἀλλὰ τὰ προσήκοντα τῷ Θεῷ καὶ οὐ γνησίως οὐδὲ κυρίως ἐπιτεθέντα τῷ Διῒ (siquidem intelligatur Ζεὺς ut idolum, & Numen fabulis inquinatum) ταῦτα ἀποδίδωσι τῷ Θεῷ, ἐπεὶ καὶ τὸ Θεὸς ὄνομα αὐτοῦ μόνου ἐστὶ, καὶ παρανόμως ἐπικέκληται τοῖς εἰδώλοις. *Haut*, inquit, *ea quæ de Jove dicuntur trahit ad Deum, verum quæ Deo conveniunt atque improprie Jovi sunt tributa, ea Deo reddit, cum nimirum illius sit tantummodo nomen* Deus, *& non sine injuria Idolis imponatur*. Huc spectat animadversio Clementis Alexandrini in illa quæ D. Petro, sub Concionis nomine, tribuuntur. Petrus ajebat τοῦτον τὸν Θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ οὕτω Ἕλληνας, id est, *Hunc Deum veneramini, sed non sicut Græci*. Ad hæc Clemens: Μὴ τοίνυν, φησὶ, σέβεσθε, οὐκ εἶπεν, Θεὸν ὃν οἱ Ἕλληνες, ἀλλὰ μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας. τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ἐναλλάττων τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ δὲ ἄλλον καταγγέλλων. Hoc est, *Non igitur dixit ne vene-*

*neramini Deum*, *quem Græci*, *sed non sicut Græci*, *modum cultus immutavit*, *haud alium Deum prædicavit*, ſcribit in Stromateon VI. Recte Seneca Natural. Quæſt. II. c. XLV. De Etruſcorum theologia. *Eundem quem nos Jovem intelligunt*, *Custodem Rectoremque univerſi*, *animum ac ſpiritum mundani hujus operis*, *dominum*, *& artificem*, *cui nomen omne convenit*. Quod autem tam commune omnium Divum erat Patres nuncupari, idque ſolennibus & ſacrificiis & precationibus; inde, ex Ιαὼ & Ι'άω factus Jovis, in Joviſpater, Joviſpiter, & Jupiter tandem tranſiit. De ſeipſis Dii apud Lucilium, citante Lactantio, de Vera Sapientia c. III.

> *Ut nemo ſit noſtrum*, *quin* Pater *optimus Divum*
> *Ut Neptunus* Pater, *Liber*, *Saturnus* Pater, *Mars*
> Janus, *Quirinus*, Pater *nomen dicatur ad Unum*.

ubi legit, & rectiſſime mea ſententia, Fr. Douza, *omnes dicamur ad unum*. Diſerte autem Agellius lib. V. c. XII. *Jovem Latini veteres a juvando appellavere*, *eundemque alio vocabulo juncto* Patrem *dixerunt*. *Nam quod eſt in eliſis aut immutatis quibuſdam literis jupiter*, *id plenum atque integrum eſt* Jovis-pater, *ſic &* Neptunus-pater *conjuncte dictus eſt*, *&* janus pater, *&* Mars-pater, *hoc enim eſt Marſpiter & Marſpater*, ritu ſolenni, eſt apud Catonem de Re ruſtica c. CXLI. In formula ſolitaurilium, pro Marſpiter. De quo vide Nobiliſſ. Scaligerum ad Feſti Marſpedis. Largiter autem peccant qui cum Cicerone, Agellio, Lactantio & qui ſunt eorum ſequaces, Jovem a juvando petunt, dictumque volunt Jupiter quod ſit juvans pater. Haud meridiana lux clarior, quam hoc quod adduximus etymon, iſta enim hallucinatio in cauſa fuit quod politiſſimus ille patrum Divin. Inſtit. I. cap. XI. dixerit. *Vana igitur perſuaſio eſt eorum qui nomen* Jovis *ſummo Deo tribuunt*. *Jupiter enim ſine contubernio conjugis*, *filiæque coli non ſolet*. *Unde quid ſit appareт*. *Nec fas id nomen eo transferri ubi nec Minerva eſt ulla nec Juno*. Sed ſi origini ſuæ Jovem vere vindicaſſet, aliter procul dubio pronuntiaſſet. Nec objiciat quis tam ἄῤῥητον aut ἀπόῤῥητον nomen Tetragrammaton fuiſſe, ut gentibus non innoteſceret. Id quod viri etiam docti nimis patienter pro conceſſo accipiunt, dum morem religioſiſſimum Judæorum in eo proferendo male interpretantur. Nonne enim Aramæis Idololatris non ſolum cognitum, verum etiam & prolatum legimus? Rabſake apud Jeſaiam c. XXXVI. com. 15. *Neque confidere vos faciat Hizkijahu in* יהוה *dicens*, *eruendo eruet nos* יהוה, ſæpiuſque repetit. Quoties palam nomen illud, ut proprium nomen Dei, prædicatur, potiſſimum a Jeremia? *Jehovah Zabaoth*, ſeu *Jehovah nomen ejus*. Et *nomen ſuum*, & *nomen ſuum Magnum* idem appellat ipſe Deus Opt. Max. Exod. VI. com. 3. Jerem. c. XIV. com. 26. Celatam prorſus ſeculis antiquioribus & ſemper data opera abſconditam ejus pronuntiationem dicere, eſt Rabbinorum nugis nimium indulgere; qui etiam ad illud Exod. cap. III. comm. 13. *Hoc eſt nomen meum* לעלם *Legholam*, quod *in perpetuum*, juxta ſeptuaginta etiam Seniores, vertitur, intelligunt, quaſi redderes, *Hoc eſt nomen meum abſcondendum*, ita nimirum parva punctorum variatione לעלם ſonare poteſt. Quomodo autem ſeculorum citeriorum Judæi ab ejus pronunciatione abſtinerent, quam religioſiſſime ſemel quotannis, qui mos hodieque dicitur alicubi in uſu, a Sacerdote, Expiationis feſto proferretur, & id genus alia, paſſim apud ſcriptores reperias, neceſſarioque obſerves LXX. Seniorum verſionem, qui aut Α'δωναὶ aut Κύριος ſemper pro יהוה ſubſtituunt, vide quod de vetuſta quadam Synagoga Pragæ refert Buxtorffius in Radice יהוה. Ego certe in hanc ita propendeo ſententiam, tetragrammatum nimirum nomen non abſconditum a gentibus eſſe, ut & ipſe Pythagoræorum τετρακτὺν contra quam interpretum turba, id nominis fuiſſe autumem: Ita enim illi jusjurandum concipiebant;

> ὑμὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν
> παγὰν ἀενάου φύσεως ῥίζωματ' ἔχουσαν.

vereor ut bene interpretes, qui vertunt; *Non per eum qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum*, primum tantummodo verſiculum legentes. Latine foret potius dicendum: *Non per* Τετρακτὺν ſeu *quaternarium numerum*, *qui animæ noſtræ Fontem dedit*; *in quo perennis naturæ ſive æternitatis fundamenta ſunt*. Aut, *Non per* Τετρακτὺν, *qui vitæ noſtræ fontem dedit*, *in quo æternæ naturæ ſunt radices*, hoc eſt, *Non per univerſi Creatorem*. Forte enim ῥιζώματα illa ſunt Jupiter, Juno, Pluto & Neſtis illi ſeu Æther, Aër, Terra & Aqua; quæ

> - - - τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα

vocabat Empedocles, ſeu quatuor elementa. Vide Plutarchum lib. α. de Placit. Philoſophorum cap. γ. Et ῥιζώματα φύσεως ſunt ipſa elementa; & Empedoclem Pythagoræum fuiſſe nemo erudito-

lo-

lorum nescit. cujus nempe etiam dogmata & Pythagoræ, leges erant olim Græcis, quod ait Plutarchus, περὶ Σαρκοφαγίας λόγ. β. Cæterum vide si placet Hesychium in τετρακτύς. Nec sine mysterio confundebant prisci sexus Deorum, quos ἀῤῥενοθήλεις dicebant: aures igitur non offendit, cum τ̃ τετρακτυν, quisquis ille Poeta fuerit, scribebat. Interpretatio nostra, & Pythagoricæ & Christianæ doctrinæ satis consona est: alias, si placet, consulas apud Plutarchum libello de Iside, Jamblichum in Pythagoræ vita, Nicomachum in Enchiridio ἁρμονικῆς, Macrobium lib. I. in Som. Scipionis, Nicetam ad homil. Nazianzeni in S. Pentecostem. Quarum nonnullæ a nostra stare possunt etiam videri, modo τετρακτὺς pro doctrina cœlesti sive Deo summo, quaternario numero inprimis notato, sumatur. Nec mirum est Pythagoræ ante alios Nomen innotuisse, quippe qui Chaldæos, Magos, Nazaratum Assyrium, quem Ezechielem putabant nonnulli veterum, docentes audivit. De Nazarato scribit Alexander apud Clementem primo Stromateon: sed non vult Clemens eum fuisse Ezechielem: certe accuratissima Chronologia Ezechielem & Pythagoram inter L. & LII. Olympiadas simul floruisse docet. Ideo & Nazaratus ille quin Ezechiel fuerit non adversatur temporis ratio: utcunque certe, res Judaicas calluisse videtur: & is ipse est Ζάβρατος qui Malcho in Pythagoræ vita, appellatur ejus præceptor. Neque V. C. Conradus Rittershusius alibi quam in Nazarato, Zabratum ibi quærere debuit. Corruptus igitur est aut Malchi (id est, Porphyrii; nec enim alius is autor est, quod ex Eunapii vita Porphyrii, & lib. III. D. Cyrilli adversus Julianum, unde & Malchum Rittershusianum & emendes & augeas, facile deprehendimus) aut Clementis Codex: rescribe igitur, aut in Malcho Ναζάρατον aut in Clemente Ζάβρατον; Malim Clementem emendes. Nam Ζαράτας Pythagoræ præceptor memoratur apud Plutarchum in περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. Anne Zaradam voluere scriptores illi: id est Zoroastrem Magum, qui Zarades etiam dictus est. Testes sunt luculenti Theodoretus sermone IX. & Agathias hist. II. Certe Pythagoram Zoroastris sectatorem plerique (ut docet Apulejus) sunt arbitrati: atque illum cujus doctrinam amplectebatur philosophus, præceptorem ejus posteritas forsan æstimabat. Audire Zoroastrem non potuit, quippe Zoroastre aliquot seculis recentior; uti ex Xanto apud Diogenem Laertium supputanti constat. Pherecydem Syrum non omitto, sive ex Syro insula, sive ex Syria oriundum eum putes, ex apocryphis enim Phœnicum libris eruditionem suam, quam Pythagoræ transmisit, hausisse scribit Hesychius. Illustrius. D. Ambrosius lib. I. epist. VI. *Nam cum ex populo Judæorum, ut plerique arbitrantur, genus duxerit* (Pythagoras) *ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta*, sic Numenius apud Origenem lib. I. adversus Celsum & Clemens Alexandrinus Stromat. α. Vide quod aliorsum detorquet Aristoteles sub libri primi de Cœlo initium περὶ τριάδος Pythagoræ. Mirum si Trinitatem per transennam non viderat. Quam facile fieri potuerit ut is Judaicum nomen summi Dei, nec prorsus absconditum nec temere propalandum, disceret, & τετρακτὺν vocaret, ita liquido constat, ad Reuchlini lib. II. de Arte Cabalistica te relego, si placet, & ad Belum, id est, in callem redeo. Qui Græcis literis res Orientis olim mandabant, Belum tam Babylonium quam Phœnicium Ζῆνα plerunque nominabant. Berosus, Beli etiam sacerdos, apud Eusebium in omnifaria historia: Βῆλος ὃν καὶ Δία μεθερμηνεύουσιν. Id est, *Belus quem Jovem interpretantur*; eo nomine apud Persas colebatur, quod ex eodem autore atque aliis rerum Asiaticarum scriptoribus vetustissimis meminit Agathias historiarum II. Ζεὺς etiam Βῆλος Babylonius appellatur Herodoto; & Hesychius: Βῆλος, Οὐρανὸς καὶ Ζεὺς Ποσειδῶνος υἱός. Hestiæo scriptori vetustissimo, insanæ illius Babylonicæ substructionis historiam referenti (ut videre est etiam in nono Præparationis Evangelicæ) Ζεὺς ἐνυάλιος dicitur Belus, τῶν δὲ ait, ἱερέων τοὺς διασωθέντας τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱερώματα λαβόντας εἰς Σενναὰρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν; quæ proculdubio transtulit D. Hieronymus in locis Hebraicis, cum hæc, ut vulgati codices sunt, scripserit: *Quidam sacerdotum profugi de templo* Gemalii Jovis *sacra rapientes in Sennaar campum Babyloniæ pervenere*. Sed quisnam ille Jupiter Gemalius? me autore, lege *Enyalii Jovis*, & hinc emendandus Josephus Archæolog. I. cap. VI. Ubi hæc Hestiæi adferuntur, & Ἐνυέλιος corrupte scribitur. Ἐνυάλιος autem Homero est Mars, & Ζεὺς Enyalius est Jupiter Martialis, Martius, sive Ἄρειος, quo nomine celebris erat ab ara, super qua Oenomaus hostias, quoties in equestre certamen procos vocaret, est immolare solitus, ita Pausanias priore Eliacorum: veteres item nummi tam Jovem quam Martem habent, Ultorem,

Vi-

Victorem, Propugnatorem. Imo sunt qui & Assyrium & Persicum Belum diserte Martem & vocant & bello præficiunt, etiam & Bellorum Deum, Belum, seu Baalem significare volunt, uti ostendimus ad initium hujus capitis. Quam interim ab iis hæc stare videantur, qui Bellum a Belo deducant, hic non disputo. Tyriis seu Phœniciis qui Belus seu Baal erat, is Menandro, qui ex Phœnicum sermone annales eorum Græce reddidit, Ζεὺς item appellatur, & Dio, earundem rerum scriptori prisco, Ζεὺς Ὀλύμπιος, testatur Josephus Origin. Judaic. VIII. c. II. Verum & Bacchus, cum fundit ad Astrochitona preces apud Nonnum in Dionysiacorum XI. ita

> Βῆλος ἐπ' Εὐφρήταο, Λίβυς κεκλημένος
> Ἄμμων,
> Ἆπις ἔφυς Νειλῷος. Ἄραψ Κρόνος,
> Ἀσσύριος Ζεύς.

quin & Belum hunc ζῶα λίβεω dictum ex alio ejusdem poetæ loco doctissime, ut omnia, adnotavit V. C. Daniel Heinsius ad Silium Italicum. Xiphilinus in Caracallo, ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος; *Jupiter Belus dictus & in Apamæa Syriæ cultus*, id ipsum vero est Olympius Jupiter quod Beelsamen, ὅ ἐστι παρὰ φοίνιξι (quæ sunt Philonis, ex Taauto & Sanchoniathone, verba) Κύριος οὐρανοῦ, id est Sol, Ζεὺς δὲ παρ' ἕλλησι. Id est, *qui Phœniciis est Cœli Dominus, Græcis vero Jupiter*. Cæterum τὸ Βεελσαμὴν Sanchoniatoni forsan scriptum fuit בעלשמים *Baal*, aut levi punctorum mutatione, *Beelsamaim* quod Κύριος οὐρανοῦ seu Dominus Cœli interpretatur, & perquam apte & signanter & Jovem Olympium antiquissimum illud Pœnorum numen Uranum dictum exprimit. D. Augustinus in Judices quæst. XVI. *Baal Punici videntur dicere Dominum, unde* Baalsamen *quasi Dominum Cœli intelliguntur dicere*, famen *quippe apud eos cœli appellantur*, ubi pro *samaim samen* illi ad Pœnorum forte eo ævo dialectum habet, vide quæ de Belisama habemus infra. Eodem sensu Marnas Gazæorum Deus (Gaza autem Palæstinæ Urbs) Jupiter Cretensis censebatur. Nam Mar seu Maran, מר nempe & מרן, Chaldaice id est Syriace, si secula citra captivitatem respicias, idem quod Baal & Dominus interpretatur. Inde Marnas; hoc est Syriace ܡܪܢܫ *Marnash*, sive ܡܪܢܫܐ *Marnasha*; quod *Dominus hominum* quasi πατὴρ ἀνδρῶν, ut Jupiter Poetis dicitur, sonat; idem observavit Illustriss. Scaliger ad fragmenta: sic Jovem suum Cretenses a Gazæis, non hi ab illis Marnam derivent, aliter quam antiquorum aliqui, vide Stephanum Byzantium in Γάζα. ubi Μαρνὰν κρηταγενῆ significare scribit: τὰς παρθένους γὰρ, inquit ille, οὕτω κρῆτες προσαγορεύουσι, μαρνάν, quid audio? an quod Cretensibus virgines τῷ μαρνάν denotentur, ideo κρηταγενὴς vocatur μαρνάς? argumentum non capio: quid quod lingua Cretica non μαρναὶ virgines sed ὁμαρταὶ seu μαρταὶ dictæ? Solinus cap. XVII. *Cretes Dianam religiosissime venerantur*, Βριτόμαρτιν *gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem*. Verum & Κοττῶνα item Μαλκενις virginem Cretensibus sonabat, teste Hesychio. Is vero Μαρὶν iis suem interpretari testatur. Qui Gazæorum Marnam aliunde deducunt, vereor ne quod verisimillimum est prorsus omittant, vide, si tu vis, Erasmum ad Epistolam D. Hieronymi ad Lætam. Et de Marna Gazæorum, plura habentur apud patrem illum in vita Hilarionis capite XV. & apud Marinum in vita Procli. Sed frustra sunt qui ex Europa in Asiam Numinum vetustissimorum origines trahunt, nec melius conjiciunt quam qui, a Belo homine Ægyptio Babylonii Beli templi conditore, idolum illud volunt, quod tamen refertur apud Pausaniam in Messenicis. Optimus autem conjector, quam plurima alia antiquissimis Europæorum occurrentia monimentis, Beli seu Baalis Asiatici nomini suos debere natales, opineris, unde enim est quod Βῆλα sit Ἥλιος καὶ αὐγή, apud Hesychium, & Βαλλὴν, ex Phrygiorum lingua, Rex; sane & Æschylo in Persis βαλλὴν idem est, ubi Scholiastes vetus Euphorionem laudat autorem, Thuriorum id esse vocabulum. Plutarchus περὶ ποταμῶν de Sagari fl. apud Phrygas: παράκειται δὲ αὐτῷ ὄρος Βαλληναῖον καλούμενον, ὅπερ ἐστὶ μεθερμηνευόμενον Βασιλικὸν, id est, *adjacet illi mons* Ballenæus *dictus, quod* Regius *significat*. Βαληναῖον legerat ibi Eustathius qui locum ad Iliad. γ. citat. vide Gruteri Inscriptiones fol. CXXVI. ubi Bely Diva interpretanti dicitur. Sol en, Rex, & Dominus ipsissima sunt etiam in Europa Beli nomina: & Britannis & Gallis Dii erant Abellio, sive Belenus, quod non ex prisca solummodo historia passim, sed ex vett. etiam inscriptionibus constat. Addideris &, quæ Wardaliæ in Cumbrorum provincia visitur, aram ad hunc modum incisam Belatucadro:

DEO
SANCTO BELA
TUCADRO
AURELIUS
DIATOVA * ARÆ
XVOTO POSUIT
LL. MM.

* pro Aram ex &c.

& in eodem agro alteram non ita pridem effossam:

DEO BELATUCAD
RO LIB. VOTU
M FECIT,
IOLUS.

Hanc item

BELATUCADRO
JUL. CIVILIS. OPT.
V. S. L. M.

ultima autem, sub Commodo Imperatore, ducentis plus minus a Christo annis, dedicata videtur esse, transcripsit in Brigantibus V. CL. & eruditissimus senex G. Camdenus ὁ μακαρίτης. Tertullianus etiam Noricorum Belenum enumerat Deum, ut ex veteri Ms. Apologetici illius cap. XXIII. emendavit doctiss. P. Pithœus. Aquilejensibus idem numen cultum legitur in Maximinis Julii Capitolini, & ab aruspicibus consultum oracula reddidisse. Aræ illi inscriptæ frequentes sunt apud Pighium in Hercule Prodicio, Janum Gruterum, alios, sed Deus Aquilejensium Ἐπιχώριος nuncupatur Βέλις Herodiano eandem conscribenti historiam l. VIII. Βέλιν δὲ, ait ille, καλοῦσι, τοῦτον σέβουσί τε ὑπερφυῶς. Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. Apollinem qui idem, ut pueris notum, cum Sole seu Phœbo, censebant Belin sive Belenum suum esse. Noricorum & Gallorum Belenus idem Deus æstimabatur; atque inde est quod Apollinem coluisse Gallos scribat Cæsar. Inde a Phœbo Beleni æditui nomen apud Gallum doctissimum, Ausonium dico, in Professoribus Burdigalensibus:

> *Nec reticebo*, inquit, *senem*
> *Nomine* Phœbitium
> *Qui* Beleni *æditus*
> *Nil opis inde tulit*.

Herba etiam Apollinaris ( hyoscyamum putant ) in appendice Canteriani Dioscoridis cap. χγα. Βιλινούντια Gallis appellatur, reliquias Beleni habet vocabulum. Numismati insuper Cunobelini regis Brittanni, cujus ab hoc numine augustius nomen, Apollo seu Belenus insculpitur lyram pulsans. Etiam Cretenses Apollinem seu Solem Ἀβέλιον vocabant, teste Hesychio: Apollo autem Sol & Pan priscis iidem sunt. Pan vero ὁ τῆς ὕλης Κύριος dicebatur, id est, ut interpretatur Macrobius *universæ substantiæ materialis denominator*, sive ὁ Βαάλ. Quam lata igitur fuerit ejus nominis per Europam propago, ex his licet satis conjectare. Nec omnino obstat tam varia sive scriptio, sive pronuntiatio, sive terminatio vocabulorum, depravata enim plerunque ex Asia in Europam, perinde ac ex Europa in Asiam transmigrant quæ sunt ejusmodi, quod ego heic certe nec importune etiam observandum puto in decantati Heliogabali, numinis Syri, etymo, eumque aliter sibi restituendum quam a doctissimis & magnis viris hactenus factum legerim. Veteribus & inscriptionibus & historicis profertur non unum ad modum. Nunc Alagabalus, nunc Elagabalus, & Helæogabalus & Heliogabalus indigitatur, ubique fere idem cum Sole agnoscitur. Atqui ea quæ minus a recta distat scriptio nominis est *Alagabalus*; quod inprimis monemus. Ex hac enim ad veram devenire nobis videmur. Prima ejus in priscis monimentis memoria hisce servatur elementis, Ara, in ædibus Mattheiorum trans Tiberim visenda, sic

SOLI
ALAGABALO
IULIUS BALBILLUS
AQUILA.

Julius Balbillus Aquila Sacerdos numinis erat sub Vario illo Antonino cognomine ni fallor; fuisse vero ante historicorum quenquam Heliogabali memorem manifestum est. Sacerdotem ostendit cippus ei ab Eudæmone liberto dicatus:

TI. IULIO BAL
BILLO S. SOL.
ALAGABALI
EUDÆMON LIB.
PATRONO
OPTIMO

Sub Severo autem Solis antistitem claruisse Balbillum constat, ex alio, in domo Colotiana Romæ, saxo veteri, quod sic se habet.

TI. IUL. BALBILLO SAC. SOLIS EVTYCHES AUGG. LIB. OFICI NATOR A STATUIS AMICO OPTIMO...... DEDIC. KAL. IAN. P. CORNELIO ANNULINO II. ET MAVFIDIO FRONTONE COS.

Et

Et ipſum ſe, in cippo hortulo Matthe-iorum ſervato, & Cl. Juliano Præf. Annonæ inſcripto, Sacerdotem Solis nuncupat, Annio Fabiano & Nonio Muciano Coſſ. Fabianus autem & Mucianus conſules erant poſt Annulinum & Frontonem, anno unico intercedente. Omnes Severo imperante. Spurciſſimum Varium, poſtquam ex Syria novum hoc Romanis numen traduxerat, non alios perinde idoneos, qui Sacerdotes deligerentur, cenſuiſſe eſt veriſimillimum, atque eos qui prius Solis etiam Romani ſacrorum (neque Sol alius ab Alagabalo) periti extitiſſent. A ſacerdotio igitur Solis ad Alagabali tranſiiſſe Balbillum conſtat, id cum novum omnino adhuc Romæ eſſet numen. Sacra autem ejus & myſteria procul dubio edoctus, homo tamen Romanus & Aſianæ dialecti omnino rudis, haud uti vulgus, Heliogabalum Deum ſuum vocavit; ſed vero aut undiquaque veram vocabuli barbari & a populari elegantia nimium forſan alieni pronuntiationem non eſt aſſequutus, aut ab inuſitata ſuis & moleſta elementorum prolatione (quæ in vocabulis orientalibus plerumque evenit) data opera ne portentoſum nimis novi Dei vocamen non tam venerarentur cives quam riderent, abhorruit. Pro vocabuli autem varia ſcriptura videſis Dionem l. LXXIII. Xiphilinum in Avito, Lampridium & Capitolinum in Imperatore cognomine, Herodianum in Macrino, Spartianum ad finem Caracalli, ubi an Sol fuerit an Jupiter Syrius dubitatur. Sed Alagabali magis vocabulo, quam eorum alio quovis quæ hiſtorici habent, nuncupandum hinc conſtat, utpote ab antiſtite ſuo primum tributo. Decurtatum Dei nomen Imperatori dabant nonnulli, Gabalum vocantes. Servius ad VII. Æneid. *Gabalus Romanus Imperator Solem ſe dici voluit, nam* Heliogabalus *dictus eſt*. Et Nicephorus Patriarcha in Chronico: Ἀντωνῖνος ὁ γάβαλος ἔτη δ. inde Faſti Siculi p. 440. ſecundum editionem Raderianam ſunt emendandi, ſed vereor ne inter recentioris ævi de rebus priſcis aſſanias ſit recenſenda hæc nominis mutilatio: neque autem verſus hoſce Opilii Macrini, quos refert Capitolinus, cum deſignaſſe cenſeo:

*Si talem Graium retuliſſent fata poetam*
*Qualis Latinis Gabalus iſte fuit.*

In qua re miror admodum, nobiliſſimum Scaligerum ita impegiſſe, ut pentametrum ad Imperatoris ſeu Dei nomen traheret. Gabalus ibi crux eſt, ſeu patibulum, & vox, uti furcifer, contumelioſa. Varro apud Nonnium Marcellum; *Nos Barbari quod innocentes in* Gabalum *ſuffigimus*, *vos non barbari quod noxios abſolvitis?* Latinus Gabalus eſt nebulo qui Græcum, in Opilium epigramma ridicule Latino idiomate donatum, in foro poſuerat. Verum cum tanta ſit literarum metatheſis, ſcriptionis & pronunciationis varietas in iis quæ ab Aſia Europæi traduxerint (quod nec cuivis mediocriter literis verſato parum cognitum; uti nec ſemel monuimus) ego ſane Agalibalum, ſeu *Abgol-Baal*, id eſt עגל בעל aut quod levi dialectorum Orientalium mutatione inde potuit formari, Numen illud vocitatum Aſiaticis fuiſſe & merito ſuſpicor, ſonare autem poteſt *Agalibalus*, *Deus* ſeu *Dominus rotundus*, Ζεὺς ἐπικυκλίδιος, ſive *circularis* aut *volubilis*, ut dicebant ii qui ſphæram mundi Deum ſentiebant apud Ciceronem II. de Natur. Deorum. Idem Ebraice poteſt & dialecti commutatione etiam Syriace, quo nomine, Heliogabalo nil propius, nil magis conſonum ferme excogites. Quid enim Herodianus? ſimulacrum ejus ait fuiſſe Lapidem, magnitudine immani, baſi circulari, in conum deſinentem. Verba ſunt: Λίθος τίς ἐςι μέγιςος κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα; Quem, ut Trojani & Romani Palladium, ita Syri, uti διοπετῆ καὶ ἀνεργασον Ἡλίου εἰκόνα magna veneratione ſervabant, ejuſmodi effigies erant Apollinis Ἀγυιεὺς, & Paphiæ Veneris. De Apolline Suidas, Heſychius. De Venere Tacitus hiſtor. II. Maximus Tyrius ſerm. μη. Lapidem iſtum inter Bætulia veterum numero; qui & Bætuli dicti. Eorum enim nonnulla Saturno, alia Jovi, Soli alia ſacrata ſcribit Damaſcius vita Iſidori apud Photium. De iis ex Phœnicum theologia Philo Byblius: Ἐπενόησε θεὸς Οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος. Urano huic filium etiam Bætulum dictum fuiſſe ſcribit, vide quæ nos c. V. ſupra de iis. Figura autem illa acuminata, Igni propria; qui non modo a veterrimis cultus eſt, verum etiam & Solem ipſum & Jovem ſignanter denotat. Sol caloris fons non potuit alio ſymbolo melius intelligi; Jovem in Igne latere ſeu ab eo cuſtodiri arbitrabantur priſci qui a Syris myſteria traducebant Pythagoræi. Jovis enim præſidium univerſi meditullium vocabant, atque ideo ibi ignem collocandum putabant. Ita capio Ariſtotelem lib. II. de Cœlo tmemate 37. Ubi Pythagoræis τὴν Διὸς φυλακὴν univerſi medium dici meminit, ſi placet, vide I. Reuchlinum de verbo mirifico lib. II. cap. XVI. Et quod nos

in

in Capite de Nergal adferimus. Certe Jovem, id est, Dominum cœli, & Uranum esse sentiebat Alagabalum Pseud Antoninus ille, sacrorum ejus peritus, qui ei in uxorem, repudiata Pallade, Carthaginiensem Junonem, Reginam cœli, & Uraniam sive Cœlestem dictam non sine mysterio dari accuravit, quod refert Xiphilinus ex Dione in Avito, & Herodianus, neque alius erat a Baal samaim Phænicum, & Aglibalus, Belus seu Jupiter Rotundus sive Circularis est, quod sane discriminis nomen, in illa Belorum segete, forte nimis necessarium: nec difficilior τȣ̃ Agolbaal in Alagabalum seu Heliogabalum transitus, quam τȣ̃ Jehezkiel in Ezekielem, aut Schomron in Samariam, quæ nemo non agnoscit. Pharzirin item in Parysatin, Dariecen in Darium, Atargaten in Atharam & Decreto mutasse adnotat Strabo ad extremum lib. XVI. & Shemesh ex Ebræo per Arabicum sermonem in Græcos migrans, Σάμψα devenit, & Bethshemesch, id est, Ædes Solis, Βαίσαμψα. Stephanus περὶ ἐθνικῶν testis est. Sic voluere veterum aliqui, Arabum nomen in Ἐρεμβȣ̀ς degenerasse, & Zeno pro Σιδονίȣς καὶ Ἐρεμβȣ̀ς apud Homerum, Σιδονίȣς Ἄραβάς τε audaculus substitui voluit; quem merito reprehendit Geographus, in primo, & priscam lectionem interpolari non vult: αἰτιᾶσθαι δὲ βέλτιον, inquit, τ̃ τȣ̃ ὀνόματος μεταπτῶσιν. πολλὴν καὶ ἐπιπολαίαν ȣ̃σαν ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ubique ejusmodi nomina deprehendi, quæ, depravata pronunciatione, etiam a seipsis sunt delapsa, monet optimus ille. Et l. XVI. αἱ δὲ, inquit, τ̃ ὀνομάτων μεταπτώσεις καὶ μάλιςα τ̃ βαρβαρικῶν πολλαί, vide quæ nos infra ubi de Atergatide disputamus. De Circulari autem Deo consulas Aristotelis libellum de Zenone & Gorgia. Verum maxime ab hoc etymo stat vetus inscriptio ab Adriano Palmyreno concepta æra Alexandrea D.XLVII. hoc est, Verbi incarnati CC. XXX. VI. Romam translata & in hortis Farnesianis etiamnum visenda;

ΑΓΛΙΒΩΛΩ. ΚΑΙ. ΜΑΛΑΧ-
ΒΗΛΩ. ΠΑΤΡΩΟΙϹ. ΘΕΟΙϹ.

ubi errore quadratarii ω in Aglibolo pro η substituitur; ut notat magnus Scaliger lib. V. de emendatione, dum ad aliam rem monimentum isthoc affert. In marmore juxta sculpti sunt duo virili forma, quorum hunc æstivum, illum hyemalem solum sunt qui suspicantur, quod ait Janus Gruterus. Palmyra autem Cœlesyriæ Urbs, nec ita procul ac Emesa distat, cui Heliogabali cultus erat finitimus uti ex Herodiani loco cit. & Marcellini l. XVVI. elicitur, fallor etiam, an Aglibelus & Malachbelus iidem sunt quorum simulachra Romam Palmyra advexit Aurelianus Imperator, de quo Zosimus lib. I. Solem & Belum, ita mihi videtur, eos vocat ille. Quod Ἀγλίβηλος igitur idem fuerit qui Ahgalbaal, & uterque qui Alagabalus, non video quin probabili satis conjectura affirmarem. Propius abesse potuit a vera scriptione nominis Syrus unus, quam totus populus Romanus. Imo, nonne & in Μαλαχβήλῳ Moloch, qui Baal etiam dictus, possit intelligi? Ceterum & Aglibelus seu Alagabalus puerorum, uti Moloch, immolationibus placabatur: ita enim Xiphilinus de Pseud-Antonino: τῷ αὐτῷ (Ἐλιογαβάλῳ) ἔθυε παῖδας σφαγιαζόμενος, καὶ μαγγανεύμασι χρώμενος, ἀλλὰ καὶ ἐς τ̃ ναὸν αὐτȣ̃ λέοντα καὶ πίθηκον καὶ ὄφιν τινὰ ζῶντα ἐγκατακλείσας, αἰδοῖά τε ἀνθρώπȣ ἐμβαλὼν καὶ ἄλλ' ἄττα ἀνοσιουργῶν περιάπτοις τέ ποτι μύρος ἀεί ποτε χρώμενος. Leonem, Simiam, & serpentem in ædes Numinis inclusit & pudenda virilia injecit, libens omitto quicquid in mentem subire necesse est, de obscœnis membris, in Cybeles, Osiridis, Bacchi mysteriis, adhibitis, & quod de sacerdotum ἀπαρχαῖς apud Ægyptios traditur, id est virilibus abscissis & Numini sacratis, vide si placet Diodorum Siculum lib. α. & Eustathium ad Iliados τ. Sed præterire non possum insanam pudendorum venerationem apud Assyrios, a queis & Syri & in iis iste pseud-Antoninus acceperunt. Ptolemæo memoratam. Ille de iis, qui trigono subjiciuntur Notapeliotico, id est, Assyriis, Persis; καθιερῶνται δὲ, inquit, παρ' αὐτοῖς τὰ γεννητικὰ μόρια διὰ τ̃ τ̃ προκειμένων ἀςέρων σχηματισμὸν ὄντα σπερματικὸν φύσει. Id est, *sacra sunt apud eos membra generationi destinata; ob Solis, Saturni & Veneris aspectus, qui seminales sunt*, ad ritum igitur patrium, non temere, pudenda sacravit spurcissimus ille scribit, quod laudavimus Ptolemæus l. II. Tetrabibli, verba autem illa Xiphilini καὶ ἄλλ' ἄττα &c. vertit G. Blancus interpres, *aliaque faciens contra jus fasque cum interim sexcentis monilibus uteretur*, legisse igitur videtur περιάπτοις τέ ποτι μυρίοις, si conjecturæ venia, ego μύροις τε ἀεὶ &c. scriberem, &, ad sacrarum præstigiarum morem, verterem, *amuletis quibusdam & unguentis usus*. Quæ a supremis illis VV. Scaligero ad Eusebium, & Casaubono ad Augustam historiam de Alagabalo disputantur, uti ab humanioribus literaturæ Nobiliss. parentibus tradita, etiam cum religione amplector. Cæterum

rum quod adferunt de Gabalitarum ( Gabala Syriæ Phœniciæ urbs eſt ) Deo heic intelligendo, nomineque inde petendo, quaſi אלה גבל *Eloah Gabal*, id eſt, Deus Gabalitarum, vocitaretur, vereor ut autoritate vetuſtatis confirmetur. Quis enim ſcriptor priſcus, nummus quiſnam, quænam inſcriptio Dei Gabalitarum meminit? citant ad hanc rem Pſeud-Antonini nummum ita inſculptum

ΓΑΒΕΛΙΤΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΛΟΥ,

ſubintellige πόλεως. Sed nemo eſt hominum qui in illis verbis numen Gabalitarum, aut honorem Numinis latere putet merito, niſi & qui eadem ipſiſſima vocabula τῆς ἱερᾶς καὶ ἀσύλου Seleuciæ in Odenati, Nicomediæ & Smyrnæ in Auguſti, Heracleæ in Veſpaſiani, Laodiceæ in Decii nummis, aliiſque urbibus nimium frequenter in aliorum, tribui ſimul ignoret. Et de ea re videſis quæ notavimus ad Smyrnæorum Decretum primum, in Marmoribus Arundellianis: ſed & de Heliogabali nomine conſulas porro V. Cl. & eruditiſſimum Claudium Salmaſium ad Flavium Vopiſcum. Non ſum autem neſcius & Belum nonnunquam Saturnum ſignificare. Euſebii Chronica: *Tharæ anno* XXVIII. *Aſſyriorum rex primus* Belus *mortuus eſt*, *quem Aſſyrii Deum nominaverunt*, *& alii dicunt Saturnum*. Theophilus Antiochenus Patriarcha ad Autolycum lib. III. *Quidam divinos honores* Crono *deferunt eumque* Belum *&* Bal *nominant*, *maxime tamen id factitant homines qui Orientalia climata inhabitant*, *neſcii quis* Cronus *& quis ſit* Belus. Item Damaſcius in vita Iſidori, Φοίνικες, καὶ Σύροι, inquit, τὸν Κρόνον Ἢλ καὶ Βὴλ καὶ Βολάθην ἐπονομάζουσι. Id eſt, *Phœnices & Syri Saturnum* Hel, *&* Bel, *&* Bolathen *nominan*. Atqui cum Saturnus, Jupiter, Cœlus, Uranus ita fabulis ſint confuſi, ut nec ipſe Phœbus eos, aut ab iis ipſum ſe queat ſatis diſtinguere, numeroſaque illa Divum turba ad Apollinis ſive Solis Numen a Mythologis reducatur, haud amplius ſane adeo hæſitandum eſt, quin ex uno Belo, Baale, ſeu Jove ( ſub quibus vocibus a veri Dei cultu deficientes Solem inprimis adorabant ) ad morem priſcorum ridiculum invocato, innumeri illi tituli fuerint propagati, Coacervatis enim elogiis, tituliſque congeſtis, capi Numen putabant, maximoque affici inde honore; ita ut tandem, quæ diverſa ſolummodo nomina ſuperſtitionis primordio fuerant, graſſante errore, diverſa numina haberentur, qua de re nos plura in prolegomenis. Quæ de Bahalitis, Belitis, & hæreſi de Bahale velut ita diſcrepantibus habet Philaſtrius, ut ſomnia præterimus, ſed vero tempeſtive monemus de Beli, maxime Phœnicii, ſacris, in more fuiſſe prophetis & antiſtitibus, mactatis ei victimis, inter invocandum membra ſua incidere, vide I. Regum cap. XVIII. *Clamarunt voce magna & incidebant ſe*, *more ſuo*, *gladiolis & lanceolis*, *donec ſanguinem ex ſe effunderent*. Corollarium autem adjicimus de Belo ſive Sole apud Edeſſam a vetuſtiſſimis ſeculis culto: Mercurio item, quem Monimum, & Marte, quem Azizum nuncupabant, eodem fano ſimul adoratis. Julianus Apoſtata in hymno ad Solem: Οἱ τῆς Ἐδέσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος Ἡλίου χωρίον, Μόνιμον αὐτῷ καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύουσιν. Hunc autem Martem, illum Mercurium fuiſſe & Solis παρέδρους, ab Jamblicho Syro, præceptore ſuo, ſe didiciſſe agnoſcit.

## CAPUT II.

Aſtarte. Ashtoreth. Aſthar. Ashtaroth, τὰ ἄλση ἀσαρώθ. Lucus *quid in ſacris*. Aſtartes Sacerdotes. Aſerah Ἀστάρται. *Urbs* Ashtaroth. Ἀστάρτιον. Deus Sidoniorum. *Cur* Deus *dictus*, *cum* Dea *habeatur*. Venus *Deus*. Ἀφρόδιτος. Sexus in Numinibus *confuſi*. Lunus, Luna. *Deus ἀῤῥενόθηλυς dictus*. Baal *& maſculino & fœminino generi ſæpius memoratur a* LXX. *interpretibus*; *conjecturæ in* Hebræum codicem Tobiæ. LXX. *etiam in eodem loco* genus Baalis *mutant*. Imagines maſculinæ. Taurinum caput Aſtartes *inſigne*. Ἀστὴρ ἀεροπετὴς *ab illa repertus*. *Eam vocabant &* Lunam *&* Venerem. Numerus innumerus Stellarum *ſecundum Hebræorum nugas*. Βαάλτις. Βήλτις. Beliaſam *Minerva*. Beliſama *æſtuarium* Britannici *littoris*. Urania *ſeu* Cœleſtis *Aſrorum*. Aſtroarche. Juno Carthaginenſis. Juno Novella *Luna dicta Romanis*. Covella. Mylitta *Aſſyriorum* Halilath. Lilith. Ἔξω. Γλαῦκε Ilethyia. Lucinæ. Θύρες. Εἰλαθύα. Natio *Dea*. Alilat. *Dea Noctium*. Alitta. *De eo nomine apud* Herodotum *dubitatur*, Aletto, Alauze, *&* Meneth, *idola Arabum in Alcorano memorata*. Mitra *Dea Perſarum*. Mater Deum Ἀμμάς. Dea Syria. Deæ Matres. Orientalium numinum *cultus in oris noſtris* Aſtariæ. Dii Syri Io. *Explicatus Euripides*. Hecate. Hecatus: *emendatum* Chaldaicum oraculum *ita dictum*. Aſtro-

## CAP. II.

# De Genealogia Deorum secundum Hesiodum in Theogonia.

Ex *Chao* apparuerunt.

- *Tellus* ex qua *Cœlum vel Cœlus*, Horum filii dicuntur *Titanes*.
  - *Oceanus*, ex quo
    - *Nereus*, pater Nympharum marinarum.
    - *Thaumas* pater Iridis.
    - *Phorcus* ex quo Gorgones.
    - *Doris* uxor Nerei.
    - *Flumina*, & eorum *Nymphæ*.
  - *Themis*.
  - *Rhea*.
  - *Tethys* uxor Oceani.
  - *Thea*.
  - *Japetus*, ex quo
    - *Atlas*.
    - *Menœtius*.
    - *Prometheus*.
    - *Epimetheus*.
  - *Phœbe*.
  - *Cyclopes*.
  - *Gyges*.
  - *Saturnus*. ex quo
    - *Vesta*.
    - *Ceres* mater Pluti.
    - *Juno*.
    - *Pluto*.
    - *Neptun*.
    - *Jupiter*, ex quo
      - *Pallas*.
      - *Horæ*.
      - *Parcæ*.
      - *Charites*.
      - *Proserpina*.
      - *Musæ*.
      - *Apollo*.
      - *Diana*.
      - *Lucina*.
      - *Hebe*.
      - *Mars*.
      - *Vulcanus*.
      - *Nereus*.
      - *Bacchus*.
      - *Hercules*.
      - *Justitia*.
      - *Leges*.
      - *Pax*.
  - *Briareus*.
  - *Cottus*.
  - *Cœus*, ex quo
    - *Latona*.
    - *Asterie*.
  - *Creon*, ex quo
    - *Astræus*, Ventorum ac Syderum pater
    - *Pallas-antis*.
    - *Perses*.
  - *Mnemosyne*, mater Musarum
  - *Hyperion*, ex quo
    - *Sol* pater
      - *Circes*.
      - *Æetæ*.
    - *Luna*.
    - *Aurora*.
  - *Venus* ex spuma / *Furiæ* ex guttis genitalium Cœli abscissorum.
- *Cupido sive Amor*.
- *Tartarus*.
- *Erebus* & *Nox* quorum filii.
  - *Æther*.
  - *Dies*.
  - *Sortes*.
  - *Mors*.
  - *Insomnia*.
  - *Momus*.
  - *Hesperus*.
  - *Fata*.
  - *Nemesis*.
  - *Amicitia*.
  - *Lis*, ex quo
    - *Labor*.
    - *Oblivio*.
    - *Fama*.
    - *Dolor*.
    - *Prælia*.
    - *Mendacium*.
    - *Victoria*.
    - *Infamia*.
    - *Horcus sive Jusjurand*.

ſtronoe *Dea*. Eſmunus *Deus Phœnicum*.

QUÆ vulgo *Aſtarte* Dea memoratur, 1. Reg. cap. XI. comm. 5. & 33. ſcribitur אשתרת *Ashtoreth*, Numen Sidoniorum, vocant Septuaginta Ἀςάρτην, autor Chronici Alexandrini Εὐςάρτην, ſunt qui inde nuncupatam volunt quod fuerit צלמים עשרים בצורות אשתרות: uti verba ſunt R. Davidis Cimchi, id eſt, *imagines factæ ad formam Ovium*. Ashteroth enim Greges interpretatur, *at ſuſpiceris*, ait magnus Scaliger in Conjectaneis, *dictam eam a Victimarum multitudine*. Aſthar hominem ſibi finxit Philaſtrius: *Alii ſunt*, inquit, *qui* Aſthar *hominem & Camos abominationem Cananæorum & Sidoniorum, id eſt idola hominum & mulierum venerabantur*. Hunc Regem Ashtaroth Reginam ſive Syrorum ſive Ægyptiorum fuiſſe olim, temere aſſerit. Exaratur item *Aſtaroth* אשתרות, ut vocabulum numeri ſecundi Judic. II. comm. 13. 1. Sam. VII. com. 12. & illic habent ταῖς Ἀςάρταις Seniores LXX. hic τὰ ἄλση ἀςαρώθ, id eſt, *lucos Ashtaroth*. Sed in loco jam dicto Judicum habet Hebraica veritas, *Dereliquerunt Dominum, & coluerunt Baal* atque *Ashtaroth*, verum ſequenti capite, tmemate 7. legitur, *obliti ſunt Domini Dei ſui, colentes* Baalim ואת האשרות *Weth haasheroth*, id eſt, & *Ashteroth*, ſive lucos. Quod ſimul ad Ashtaroth ipſo nomine alludere videtur & lucos ſignificat. LXX. ibi καὶ ἐλάτρευσαν τῇ Βααλ καὶ τοῖς Ἄλσεσι, id eſt, *Baal & lucos colebant*. Ceterum an Asheroth, ſeu Luci, Ashtoreth dicta eſt, quia variis in lucis, qui antiquitus præ aliis locis, uti & montes, ſacris deſtinabantur, plures ſub Aſtartes ſeu Aſtoreth nomine Deæ in veneratione haberentur? Certe Jupiter ἔνδενδρος Rhodiis, & Bacchus Bœotiis nuncupabantur a Lucis, ut videtur. Nemorenſis item Diana, & Diana Arduenna, uti olim Albunea Dea, a cognomine luco indigitabantur. Sed neceſſario hic obſervandum quod in 2. Reg. cap. XXI. comm. 7. de Manaſſe rege legitur, *poſuit denique* פסל האשרה Peſel haasherah, *in domo Domini*, id eſt ſculptile luci ſive ſimulacrum *asherah*; Seniores LXX. habent γλυπτὸν τοῦ Ἄλσους, id eſt, *ſculptile luci*: Aliud igitur quam locum arboribus conſitum hei oportet intelligas. Primus regum qui lucum ſub eo nomine ſacraſſe perhibetur eſt Achabus. Hiſtoria reperitur in 1. Reg. cap. XXI. Is cunctos deceſſores idolorum cultu ſuperavit; publico item portis Samariæ affixo programmate, Deo Opt. Max. Iſraelis renuntiaſſe, nec *ſibi in eo partem eſſe* palam fuiſſe profeſſum ſcribit R. Jochanan apud D. Cimchi ad dictum caput. In honorem Baalis Lucum ab eo factum volunt Cimchi ille & Levi Ben-Gerſon. Quercum cui cultus exhibebatur intelligit in *Asherah*, ſive Luco, R. Salomon Jarchi. Et ab illo ſtare videtur locus Jeſaiæ cap. LVII. com. 5. *calefacitis vos* (inquit propheta) *apud* quercus *ſub omni arbore frondoſa*: ubi Hebraica veritas habet אלים *Elim* quod εἴδωλα vertunt LXX. Seniores. Nec aliud, ut videtur, voluit propheta, quam quod in 2. Reg. c. XVII. occurrit: *Erigebant*, ibi legitur, *Statuas &* lucos in *omni colle excelſo & ſubter omnem arborem frondoſam*. Vide Oſeæ cap. IV. comm. 13. & egregium locum in Ezechielis cap. VI. comm. 13. Cæterum, an ſub omni arbore quercus, id eſt arbores, aut nemora ſacrabant? quid hoc ſibi velit quis ſatis intelligat? pro idolis eo nomine ſacratis, non reipſa arboribus, teſtimonia iſthæc S. Scripturæ capienda. Et ſcimus quercum altam ipſiſſimam fuiſſe Jovis Celtici ſtatuam, teſte Maximo Tyrio Diſſertatione XXXVIII. Quid quod Sidoniorum aliquod numinum, queis Samariam, in gratiam uxoris filiæ Ethobaalis (qui Ithobalus dictus Joſepho) inquinavit Achab, Asherah denotare nemo non jure putarit, qui hiſtoriam de eo ſacram paulo diligentius legerit. Sidonia enim numina longe ſuprema, ne dicam ſola, Baal & Aſtaroth cenſebantur; quorum hoc ut cum uxore imperioſa non coleret, multo minus, opinor, efficere quivit Achab rex quam deceſſor ejus, poſt homines natos ſapientiſſimus, Salomon, qui a ſimili cauſa illud eſt veneratus. Nec in Sidoniorum theologia aliud numen extra quam Ashteroth reperitur quod Aſaroth, Aſarim, ſeu numero primo *Aſarah* videatur denotare. Non autem locum arboribus conſitum (uti plerique & ante alios Fl. Joſephus volunt) ſed Numen inde fuiſſe Aſarah patet, quod idolum ita dictum in templo Hieroſolymitano a Manaſſe rege collocatum fuerit, idque ligneum; unde forſan ſub Luci & quercus vocabulis, in fictæ divinitatis opprobrium, deſignatur: nam & combuſtum eſt a Joſia rege, & cineres diſperſi ſunt in ſepulchra filiorum populi; ut habetur 2. Reg. c. XXIII. com. 6. Simulacra igitur lignea Aſtarte, ſeu τῇ Aſtoreth dicata Asherim, & Asheroth ſeu lucos ſæpius dicta ſentio, ut & ad nomen ſimul alluderetur, & tam impari

ri Divinitati materie contumelia ipſo vocabulo exprobraretur. Etiam in Samuelis primo capite VII. com. 4. pro Aſtaroth & τοῖς ἄλσεσι Ἀςαρὼθ, uti habent LXX. expreſſe ſubſtituit Aquila τῆς Ἀςάρτης ἀγάλμασι, ſeu *Aſtartæ ſimulacra*, ut ad dictum caput notat Procopius Gazæus; qui item ad locum ex 2. Reg. cap. XVII. ſupra citatum in verba illa Seniorum ςήλας καὶ ἄλση, quibus מצבות ואשרים vertunt, appoſitiſſime, πανταχοῦ, inquit, τὸ ἄλσος οἱ λοιποὶ Ἀςαρὼθ ἑρμηνεύουσι. Δηλοῖ δὲ τοῦτο τὴν Ἀςάρτην, Ἀφροδίτην. Vide eum etiam ad capitis vigeſimi tertii ejuſdem libri com. VII. ubi itidem τὸ δὲ ἄλσος, ait, οἱ λοιποὶ Ἀστηρὼθ ἢ Ἀςαρὼθ ἑρμηνεύουσι. ὃ τὴν Ἀςάρτην δηλοῖ. τῆς δὲ Ἀφροδίτης τὸ ξόανον ἔνδον ἕςησαν ἐν τῷ θείῳ νεῷ. In utroque loco planiſſime vult Lucum, juxta aliorum interpretum ſententiam, ipſum ſive Aſtartæ ſive Veneris (quam neque aliam ab Aſtarte fuiſſe putarunt) ſimulacrum denotare. Neque obſtat quod legitur 2. Paralip. cap. XV. com. 16. De Maacha Aſæ regis matre quæ idolum ſacrarat (uti vulgo vertitur) *in Luco* ſive *Asherah*. Pace doctiorum, longe aliter intelligendus forte is locus; & de ipſa Aſtarta Dea, quam ſibi Numen Maacha adſciverat. Id quod vertunt *in Luco* eſt לאשרה *Laasherah*, quod τῇ Ἀςάρτῃ magis ſignificat, uti & LXX. Seniores diſerte ibi reddunt, & conjecturam noſtram haud parum firmant. Ab eadem ſtat R. D. Kimchi qui in radice אשר, omne lignum quod colitur אשרה dictum eſſe ſcribit. D. Hieronymus Maachæ idolum Priapum fuiſſe ſive Phegorium Belum (qui ei idem eſt) intelligit: locum ejus de ea re laudavimus, ubi de Phegorio ſupra. Et vide inferius capite quinto: De Lucis autem exſcindendis, id eſt, ligneis ſimulacris, plura occurrunt etiam in Pentateucho. Vide Deut. VII. 5. XII. 3. Exod. XXXIII. 13. Neque alios quam Aſtartes Sidoniæ prophetas illos eſſe quadringentos intelligo, qui *Luci Prophetæ* dicuntur 1. Reg. cap. XVIII. com. 19. In Scriptura etiam pro ſimulacro Beli ligneo, ſuper aram ejus ſacrato, Asherah ſeu Lucus ſumitur. Judic. VI. 25. & 28. De Gedeone, *deſtruxit altare Baal, & ſuccidit Lucum* (האשרה) *qui ſuper illud*. Ita enim verto עליו *alaiu*, non *juxta ipſum* (quod nonnulli faciunt) Seniorum etiam autoritate ductus, qui ἐπ' αὐτῷ habent, id eſt, *ſuper ipſum altare*, atque plures ad hanc mentem loci veteris inſtrumenti ſunt forſan intelligendi, & de arboribus & ligneis ſimulacris non mediocriter exprobratis, videſis Jeſaiæ cap. XL 20. & ſeq. XLIV. 14. & Jer. c. X. 3. Aſtaroth autem numen habes etiam apud Indos, ſi Abdiæ Babylonico fides; videſis eum Apoſtolicæ Hiſtoriæ lib. VIII. in vita S. Bartholomæi. Uti autem Phegorio numini ſacerdotes ſive meretrices ei ſacratas קדשות *Kedeſchoth* dictas vult B. Hieronymus, ut ſuperius notavimus; ita huic Deæ Aſtartæ, Luco, ſive τῇ Ashera קדשים *Kedeſchim* antiſtitum ordinem fuiſſe autumo, & ut illud *meretrices* ita hoc *ſcortatores* interpretatur. Hoc ex ſeptimo com. cap. XXIII. ſecundi libri Regum conſtare videtur. Ibi de Joſiah legitur: *Diruit quoque domus ſcortatorum* Kedeſchim; καδησίμ retinent LXX. Seniores) *quæ erat juxta domum Domini, ubi & mulieres texebant Cortinas pro* Aſerah *ſeu Luco*. Kedeſchim ſeu Kadeſim, effœminatos reddit D. Hieronymus, & exſectos ad Oſeæ c. IV. ubi & Aquila vetus interpres ἐνηλλαγμένους, id eſt mutatos, nempe eviratos ſubſtituit. LXX. autem Seniores τετελεσμένους, id eſt, initiatos, & Theodotion κεχωρισμένους, hoc eſt, a vulgo ſeparatos. τὰς Ἀςάρτας autem interpretatur D. Auguſtinus quæſt. XVI. in Judices, quaſi plures fuerint Aſtartæ, uti Junones, Veneres, Minervæ plures & Baalim. Certe urbs erat cognominis, iiſdemque & elementis & punctis ſcripta, de qua videre licet Joſuæ cap. XII. com. 4. & IX. com. 10. & 1. Paralip. cap. VI. com. 71. Regia erat ſedes Og Regis Baſan & Jobi ædes ibi collocant Judæi, addas & ἀςαρὼθ & ἑςαρὼθ quæ legunt Seniores LXX. Num. XXII. 34. Gen. XIV. com. 5. & Deut. I. com. 4. An ab hac urbe Deæ, an a Dea Urbi nomen tranſlatum, an neutrum horum fuerit, non habeo dicere. Sane a Lucis, Urbibus, Montibus, antris, ubi coluntur Numina, nomina item accipi tam certum eſt, quam de hujus Deæ nomine omnia eſſe omnino incerta. Nugæ enim ſunt Rabbinicæ, quæ de Ovium imagine dicuntur. Colebatur & a Sidoniis, & a conterminis. Templum ejus Beth-Aſtaroth, quod faciunt LXX. Ἀςάρτιον, vocatur 1. Sam. cap. XXXI. ubi reponebant, id eſt, ἀνέθηκαν ſive ſacrabant arma Saulis occiſi, Palæſtini. Ἀςάρτιον etiam habes apud Fl. Joſephum 1. adverſus Appionem. Nec obſtat quod אלהי צדנים *Elohi Zidonim*, id eſt Deus Zidoniorum appelletur in ſacris literis, quin Dea fuerit. Atque ea ipſa eſt ni fallor quam præ ſe ferunt Nummi veteres ita inſcripti; ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ. Neque enim ſexum Idolorum ſcriptura ſacra, nec priſca myſteria gentium diſtin-

ſtinguunt. Tetigimus nos ſupra, ubi de Pythagorico jurejurando. Accedat &, ſi placet, quod ſcribit Servius Honoratus ad illud VI. Æneid. *Diique Deæque omnes quibus obſtituit Ilium*. Vetuſtus inſuper poeta Calvus apud Macrobium Saturnal. III. c. VIII. (ut legendum ibi cenſet Aſterianus) *Pollentemque Deum Venerem* dixit, & Ariſtophanes Ἀφρόδιτον. Diſerte Macrobius de Cypriis; *putant eandem* (Venerem) *marem ac fœminam eſſe*. Mitto Venerem armatam, Barbatam, Romanis & Græcis cultam. De Luna idem opinabantur Ægyptii, Matrem Mundi vocitabant, eamque a Sole gravidam factam fœcunda generationis principia enixam demittere, utriuſque ſexus naturam in ſe continentem. Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride: Μητέρα τὴν σελήνην τοῦ Κόσμου καλοῦσι καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν οἴονται. Inde erat quod non ſine de ſexu dubitatione ſupplicabant veteres. Arnobius adverſus Gentes lib. III. *conſueſtis in precibus*, ſive tu Deus es, ſive tu Dea *dicere*. Et de Carrenis item in Meſopotamia Æ. Spartianus in Caracallo. *Sciendum*, inquit, *doctiſſimis quibuſque id memoriæ traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, ut qui* Lunam fœmineo *nomine ac ſexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus ſemper inſerviat, at vero, qui marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, neque ullas patiatur muliebres inſidias. Unde, quamvis Græci vel Ægyptii eo genere quo fœminam hominem etiam* Lunam Deam *dicant*, *myſtice tamen* Deum *dicunt*; ita ille. Hinc Lunus & Luna. Vide Tertullian. Apologetic. cap. XVI. Admodum autem miror V. Cl. & longe eruditiſſimum Iſ. Caſaubonum, dum quam ob rem ſub utroque ſexu Lunam Orientales venerarentur diſquirit, rationem tantum a nominibus & maſculini & fœminini generis adducere. Contra ſe res habet: Nam verum quidem eſt lingua Judaica & לבנה *Lebanah* fœmineum & ירח *jerach* maſculinum *Lunam* denotare, atque id genus eſſe alia; verum hæc a ritu ſacro cultuque utriuſque ſexus in eodem Numine manarunt, haud cultus & ritus a Grammaticorum affaniis. Huc referas licet id quod ſcribit Strabo homo Cappadox lib. XII. de fano τοῦ Μηνὸς Dei in Aſia minore non infrequente, quem eundem & Σελήνην Deam eſſe ait. Mitto quod Deum Opt. Max. ἀῤῥενόθηλυν appellat Triſmegiſtus ille Hermes. At vereor certe ut LXX. Seniorum Fœmineus Baal, quem ſæpius habent in ſacris literis, aliunde, quam ab hac ſexus ratione communi intelligatur, neque enim ſemper fœmineum faciunt, ſed nunc maſculinum, nunc fœmineum. Numer. XXII. comm. ult. ſcribunt τοῦ Βαὰλ (pro Baalphegor) idque ſæpius: ut IV. Regum cap. X. XI. & XVII. & Hoſeæ cap. XI. tmem. 2. τοῖς Βααλεὶμ ἔθυον. Item Βῆλος ὁ ἀπτόητος Hierem. L. com. 2. & Epiſtolæ com. 40. τὸν Βῆλον: quaſi Dii maſculi hoc nomine dicti. Cæterum iidem Hoſeæ II. com. 8. ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ ἐποίησε τῇ Βαάλ. & Jerem. II. 28. poſt illa verba *ſecundum numerum civitatum ſunt Dii tui, o Juda*, addunt, queis omnino caret Hebraica veritas, καὶ κατ' ἀριθμὸν διόδων τῆς Ἱερουσαλὴμ ἔθυον τῇ Βαάλ, ſed & vide cap. XI. 13. item Zephan. I. 4. τὰ ὀνόματα τῆς Βαάλ. Quin & ubi de Molocho ejuſque ſacris agit ſcriptura, τὴν Βαὰλ eum vocant Jerem. XIX. 5. ᾠκοδόμησαν ὑψηλὰ τῇ Βαάλ, τοῦ κατακαίειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἐν πυρί. Rurſus XXXII. 35. καὶ ᾠκοδόμησαν τοὺς βωμοὺς ἐν Βαὰλ (redundat ni fallor ἐν) τοὺς ἐν φάραγγι υἱοῦ Ἐννόμ, τοῦ ἀναφέρειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῶν τῷ Μολὸχ Βασιλεῖ. Primo autem Samuelis c. VII. comm. 13. τὰς Βαλεὶμ, vide D. Hieronymum ad Oſeæ cap. II. Autor hiſtoriæ Tobiæ cap. I. com. 5. ἔθυον τῇ Βαὰλ τῇ Δαμάλει, id eſt, *faciebant ſacra* τῇ *Baal Juvencæ*, quæ lectio ſi vera ſit, alteram Δαμάλεων merito intelligas, quas aureas conflari juſſit Jeroboam Rex I. Reg. cap. XII. ita enim vitulos ibi vertunt Septuaginta; ita vocat plerumque Joſephus, contra LXX. in Oſeæ cap. X. comm. 5. pro עגלות *Egloth*, id eſt, juvencas, vaccas, ſeu δαμάλεις, numero primo ſubſtituunt μόσχον, id eſt, vitulum, nonnullis autem Tobiæ exemplaribus reperitur etiam δυνάμει. Codex ejus qui Hebraice extat, habet יעבדו את הבעלים ואת העגלים id eſt, *colebant Baalim atque idola execranda*, uti vertit P. Fagius. Cæterum nonne העגלים quod eſt *vituli* ſeu *juvenci*, ibi legendum? ſuadent ita verba Græca, & qui τῇ Βαὰλ in Baalim, is ut τῇ Δαμάλει in עגלים verteret, non eſt mirum, ſatis ſuperque ex iis, ne plura addamus, probatur, utrumque genus eidem nomini Divum notiſſimo ab interpretibus illis promiſcue tribui. Imo nonne eodem commate qui ἡ Βαὰλ appellatur, ὁ Μολὸχ etiam indigitatur? niſi ita fuerit, me locum illum ex Jeremiæ trigeſimo ſecundo allatum prorſus non intelligere fateor. Verum ut ad hunc modum & Jeremias ibidem aliique alibi in ſacris literis de hac re explicentur, ſuadet locus in-

insignis 3. Reg. cap. XIX. com. 18. καὶ καταλείψω ( ita illi ) ἐκ Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βαάλ, καὶ πᾶν στόμα ὃ οὐ προσεκύνησεν αὐτῷ, liquidius nil dici potuit: τὴν Βαάλ vocant, unoquoque & altero verbo interposito, eundem per αὐτῷ masculinum denotant, D. etiam Paulus Seniorum interpretationem non sequutus, sed Hebraicæ veritati aliam magis consonam in Epist. ad Rom. cap. XI. 4. habet οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βαάλ. Imo quid aliud innuit ipse etiam Prophetarum sermo in Oseæ cap. x. com. 5. Verba jam nunc citavimus, nonne Vaccæ seu juvencæ primum nominantur, dein statim *super eum* legitur, & *Cemaraio*, כמריו, Cemarim, æditui, seu *sacerdotes ejus*, genere masculino. Indiscriminatim utroque sexu utebantur Gentes, &, ad eorum forte ritum, Septuaginta in sermone sacro idolorum cultum exprobrantes, non ita tamen mihi placeo, ut verum me hic assequutum omnino opiner; humanum est in his falli. Sed nimium fallor, si a vero non propius absimus quam qui pro τῇ Βαάλ, τῇ εἰκόνι τοῦ Βαάλ, aut simile quid in Seniorum & Pauli interpretatione subaudiendum sentiunt, & vide cap. VIII. hujus Syntagmatis. Nec vero discrimen sexus inde colligendum, quod apud Ezechielem cap. XVI. com. 17. dictum sit, *fecisti tibi imagines masculinas & fornicata es cum eis*. Jerusalem uti fœminam adloquitur propheta a Deo O. M. edoctus, & quum stupri accusat, masculinorum idolorum eleganter meminit. Non male igitur quod de Vero O. M. loquuntur barbare Scholiastici, id etiam ad gentium Deorum sexus referas: *Masculinitas* ajunt *consignificata hoc nomine Deus non ponitur circa Deum*. Sic D. Thomas in I. Sent. dist. VIII. quæst. I. art. 2. vide, si placet Arnobium lib. III. Verum ad Astartem redeundum. Capiti imposuisse sibi dicitur hæc Dea, uti regni insigne taurinum caput, orbeque tandem peragrato, invenisse Stellam ex aere delapsam, ἀεροπετῆ ἀστέρα, ut Philonis Biblii verba sunt, quam postea in Tyro, insula sacra, dedicavit; quænam fuerit hæc stella haud constat, committas licet quæ de Remphan sive Cium dicimus, sed, assumto taurino capite, fronte curvatos imitabatur ignes, Lunæque speciem præ se ferebat. Hinc Lucianus, περὶ Συρίης θεῆς libello: Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι, id est, *Astarten Lunam esse opinor*. Vide Tatium l. α. Venerem alii putabant. Cicero de Natur. Deorum lib. III. *Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ* Astarte *vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est*, & Suidas: Ἀστάρτη Ἀφροδίτη. Hinc simul & Lunam eam dicebant Phœnices, testibus Philone, Herodiano, Michaele Glyca, alias. Sed non præter eundem quod adjicit Suidas; nomen scilicet Deæ ab astro deductum, quia Hesperus ejusdem sit astrum: ἐκ τοῦ ἄστρου, inquit, τὴν ἐπωνυμίαν πεποιήκασιν, αὐτῆς γὰρ εἶναι τῆς Ἑωσφόρον μυθολογοῦσι. Quod ad nominis etymon adducit, nemo non videt esse prorsus ridiculum. Cæterum nec astri nec Hesperi, ut videtur, meminisset, nisi ἀεροπετῆ ἀστέρα in animo habuisset, sane etiam ἑωσφόρος, ἀεροπετὴς ἀστὴρ, velut proverbialiter, usurpatur apud Jesaiam cap. XIV. com. 12. qui utrum ad Astartes stellam spectet, nequeo dicere, ad eam certe refert magnus Scaliger in notis ad veterum Fragmenta. Nec mirum, stellam, ex aere delapsam, & ab Astarte forte translatam apud Judæos in proverbium abiisse. Cum fere innumeras alias, præter eas, quas suo putant calculo saniores astronomi, in cœlo latere, a veteribus Cabaleis edocti, recentiores scribant. Myriades XXXIX. & CLX. est numerus quem tradunt, didici ex Rabbi Abrahami Ben-Chaija. Non ita difficile est, ut, ex tam immensa multitudine unam decidisse crederent nugatores, nec omnino absurdum, nos credere, Jesaiam & horum stultitiam & Phœnicum idololatriam adversus Babylonios vaticinantem simul arguisse, sed in his hæsito, & ad interpretes te relego. Fallor, an eadem Astarte, quæ & Baaltis Phœnicum, quam tamen Dionem interpretatur Philo? Certe ut Belus Jovem, ita Baaltis Junonem denotare potest. Βασίλεια Βῆλτις pro eadem memoratur a Megasthene apud Eusebium Scaligerianum, ubi de Nabuchodonosoro. Hanc voluit Hesychius in illo: Βῆλθης, ἡ Ἥρα ἢ Ἀφροδίτη; id est, *Belthes Juno, sive Venus est*, terminatio est fœminina Baalis, &, uti Baalsamaim est Jupiter Olympius, ita בעלת שמים *Baaleth samaim* est Juno Olympia, id est, *Domina Cœli*, seu Regina Cœli, ut diserte vocatur Jeremiæ cap. VII. & XLIV. atque alibi, tametsi enim vertant nonnulli מלכת השמים: *Melechet hasamaim* Militiam Cœli, Septuaginta tamen nunc στρατιᾷ; nunc Βασιλίσσῃ τοῦ Οὐρανοῦ transferunt. Quod nomen Junoni & Astartæ proprie convenit: nec Sol magis Rex Cœli, quam Luna Regina. Sacra solennia hujus Deæ erant thymiamata & libationes, quod ex citatis Jeremiæ locis patet. Lunam autem se ostendit Astarte, cum fron-

fronte corniculato fuerit conſpicua, utrum corrupta, ut fit, orthographia *Baaleth* ſeu *Beth ſamaim* in *Beliſamam*, apud Europæos aut Aſiaticos in Europa agentes, tranſierit, cogitent eruditi. Veteri ſane inſcripto ſaxo, & apud Conſeranos in Novem-populonia reperto, ita legitur.

MINERVÆ
BELISAMÆ
Q. VALERIUS
MONUM.....

Haud cuiquam conſtare opinor, quid aliud Beliſama hic denotet. Minervæ autem, Junonis, Veneris, Lunæ nomina ſunt ita, cum ad Aſiaticos Deos reſpexeris, confuſa, ut qui Minervam Beliſamam, Junonem Beliſamam, Venerem, aut Lunam dixerit, idem ſemper ipſum dixerit. An littoris Britanniæ occidentalioris (Lancaſtrenſem agrum dico) æſtuarium illud Βελίσαμα Ptolemæo dictum, ab hac Dea apud vicinos culta, ſic fuerit nuncupatum, cogitent quorum intereſt. Certe ara non defuit ei etiam circa hanc Britanniæ oram, quod mox conſtabat: flumen quod ibi ſe jam in mare exonerat Ribell (unde & Riblechester Saxonico Rithe, id eſt, fluvius, forte adjecto, ut ſentit V. Cl. G. Camdenus) vocatur; reliquiis Beliſamæ ſatis ſervatis. Certe Britanniæ loca ab exterorum numinum vocabulis denominata eſſe patet ex Herculis promontorio quod nunc Hertypoint appellatur, Solis aquis, id eſt, thermis Somerſetenſibus, ut Iſides fluvios prætercam, memineris quod de Belino, Belo, & hujuſmodi diximus ſupra. Cæterum, quin fuerit Aſtarte ipſiſſima Pœnorum Cœleſtis Dea, vix aut ne vix quidem eſt ut dubites. Cœleſtis illa ſæpius Tertulliano in Apologetico, Salviano de Providentia Dei lib. VIII. (ubi genere fœminino, id eſt, *Cœleſtem illam*, non *illum*, ut in vulgatis, legendum monet doctiſſimus P. Pithœus veterrimi exemplaris autoritate nixus) aliis item frequens memoratur. Et vetus Romæ extat monimentum, ita ſacratum:

INVICTÆ
CAELESTI
AUR. ONESI-
MUS D.D.

Quid autem Cœleſtis præter Uraniam? Quid Urania, niſi cœli regina, id eſt, Baalethshamaim, Luna, Aſtarte? Herodianus diſerte, ubi de ſimulacro Cœleſtis ſeu Uraniæ Africanæ a Pſeud-Antonio Romam tranſlato agit, lib. V. φασὶ δὲ, inquit, αὐτὴν Διδὼ τὴν φοίνισσαν ἱδρύσασθαι, ὅτε δὲ τὴν ἀρχαίαν Καρχηδόνα πόλιν ἔκτισε βύρσαν κατατεμοῦσα. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι· Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, Σελήνην εἶναι θέλοντες. Id eſt, *poſuiſſe ajunt illud Didonem Phœniſſam, cum antequam Carthaginem, diſſecto corio, extruxerit. Hanc Afri* Uraniam *nominant*, Phœnices *vero* Aſtroarchen, & Lunam eſſe affirmant. τῷ Aſtroarche ficto ad Aſtarten deſignandam vocabulo eſt uſus, ac ſi Siderum Reginam, aut, cum Apulejo, Matrem Siderum Lunam vocaret. Latini eam Junonem Carthaginienſem, poetæ maxime nuncupabant. Maro de Carthagine, Æneid. I.

*Quam Juno fertur terris magis omnibus unam,*
*Poſthabita coluiſſe Samo - - -*

& Horatius Carm. II. Od. I.

*Juno, & Deorum quiſquis amicior*
*Afris - - - -*

Invocabant enim & Romæ Junonem, Lunam adloquentes ritu ſolenni. Calantes nimirum Pontifices nonas menſium, quod fieri ſolitum Kalendis, in Capitolio in Curia Calabra, ſic pronuntiabant; *Dies te quinque Kalo* Juno *novella*, aut *ſeptem dies te Kalo* Juno *Novella*, uti autor eſt Varro de L. L. lib. V. niſi pro *Junone Janam* ſubſtituendam putes. Eidem enim ſcriptori, togatorum doctiſſimo, Jana Luna dicitur, lib. I. de re Ruſtica cap. XXXVII. & in vetuſtioribus excuſis de re Ruſtica, non *Novella*, ſed *Covella* legitur. Covella autem Cœleſtis ſeu Urania interpretatur. Nam Covum veteres Cœlum appellabant, ut autor eſt Sextus Pompejus. Et Uraniam quam a Pœnis acceperat, veneratus eſſe videtur Maſaniſſa Numidarum Rex dum Junonis fanum tanto proſequutus eſt honore in Melita inſula; quod refert Cicero act. IV. in Verrem. Cœleſtem autem hanc, ſive Venerem ſive Lunam, vocabant Aſſyrii Mylittam, Arabes Alilat, Perſæ Mitram, ut ſcripſit Herodotus, quem videſis in primo & tertio. Mylitta, ut notat Scaliger, merum Chaldaicum eſt, nempe ܡܘܠܕܬܐ, id eſt, *Mylidath*, quod in γενέτειραν, id eſt, *genitricem*, notiſſimum Veneris epitheton, vertit. Hanc voluit Heſychius his verbis: Μυλίτταν, τὴν Οὐρανίαν Ἀσσύριοι. هلالة *Halilath* Arabum, doctiſſime, ut omnia, petit Scaliger, quod Lunam naſcentem ſignificat, & noctilucam. Latinorum hinc Lucina, id eſt, Ilethyia Græcorum traducenda, quæ non alia eſt a Luna ſive Diana, *Lilith* et-

etiam dicta Judæis; quod ab eodem quo Halilath Arabum manat fonte: a Lailah לילה nempe, quod *Nox* est, unde לילית *Lilith*. Lilith autem vel per *Noctilucam* vel *nocturnum dæmonem* redditur. Multo magis enim nugantur Græculi qui παρὰ τῆ ἐλλεῖν Ilethyiam volunt, sua in lingua origines hujusmodi ridicule quærentes. De Lilith vero, vide Jesaiæ cap. XXXIV. com. 14. Et, ad ritum veterem, Judæi hodierni Lilith laminam puerperis & partui inimicam ducentes, in parietibus cubiculi puerperæ, superstitiose exarari curant hæc verba אדם הוה חוץ לילית, *Adam*, *Chava*, *Chutz*, *Lilith*, sive, procul hinc esto *Lilith*. Gentium Deam, ut dæmonem, abigunt: uti veteribus etiam Græcis, cum in mari procellis jactarentur, ἔξω Γλαῦκε, id est, procul sis Glauce, exclamatio erat solennis. Numina enim aliorum Judæis piis pietatemve prætexentibus, ut dæmonia haberentur necesse est. De ea vide plura ex Ben-Sira apud Eliam in Thisbi. Ben-Maimon More Neb. part. I. c. VI. præter Rabbinos ad laudatum Esaiæ locum, & Archangelum in Dogma Picii Cabalisticum XXI. Hinc ipsa Lucina Εἰλήθυια & Ἐλεύθω nominata, in horum enim alterutrum vocabulorum ut Lilith seu Alileth (quod idem Arabice denotet) transmigraret non ita est difficile. Et uti Asianis Lilith, ita Europæis Ilethyia Dea erat, parturientibus & inimica nimiumque timenda: ideo supplicationibus placabatur. Et Θυητῶν προθύραια audiret & κλειδοῦχος, (uti in Hymnis falso Orpheo tributis nuncupatur) si conciliata & propitia adesset, & genitricem & natum parvulum servabat, sin adversa maneret, utrosque gravi infortunio mactabat, unde apud Theocritum Idyll. XXVIII. puella:

> - - - χαλεπῶ βέλος Εἰληθύιας.

Dicta est inde Homero μογοστόκος, id est, ut volunt nonnulli τῆ τικτούσαις μόγους ἐπιφέρουσα. Michael Psellus de Operat. Dæmonum: καὶ γὰρ πολλῶν κατηκόυσα ἔχω θηλύμορφον πάσαις τῆ λέχοις ὁρᾶσθαι. id est, *Et a multis audivi*, *omnibus puerperis dæmonium fœminea figura comparere*: id veteribus, ni fallor, Gello, & Empusa dictum, de queis consulas licet ante alios Hesychium & Aristophanem cum Scholiaste in Ranis. De Lucina vero & Lilith, & Ilethyia, etiam idem intelligendum est, uti etiam de iis quas nos Fapes vulgo appellamus; ejusdem enim generis sunt, & εἰλήθυιαι, atque ἔφοροι τῶν τόκων θεαὶ dici possunt, quibus verbis nominantur Ilethyiæ Didymo Grammatico ad Homerum & Scholiasti ad Sophoclis Electram. De Ilethyiis plura apud Plutarchum habes in libello περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας, ubi mulieres refert existimasse, non Homerum sed Homeridem Lucinæ dolores perpessam scripsisse.

> Ὡς δὲ ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα
> Δριμύ, τό, τε προΐεισι μογοστόκοι Εἰλήθυιαι,
> Κ'ρης θυγάτερες, πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.

quæ leguntur in Iliad. λ. ubi Eustathius adnotat apud veteres Ilethyriis σωματικώτερον ὄργανόν τι τηλεβόλον dari, unde velut ex arcu acres dolores, sive βέλος ὀξύ, id est, jaculum acutum, emitterent; quod ut averruncarent parturientes, Junonis Lucinæ seu Ilethyiæ opem, ut in Comœdia videre est, implorare eis erat solenne, sed non aliter quam si Deo Palamnæo, Eumenidibus aut Numini irato supplicarent. Quæ ideo accuratius adjecimus, ut liqueat, non modo a nominum similitudine, sed etiam ab ipsis quibus fungi putabantur officiis Ilithyian seu Eleutho & Lilith minime diversa numina fuisse. Apud Romanos enim aliud matronis invocabatur numen sua natura propitium, quod partus tueretur, id Natio dictum, quod nascentibus Dea mitis præfuerit. Tullius lib. III. de Natura Deorum. *Quod si tales dii sunt*, *ut rebus humanis intersint*, Natio *quoque* Dea *putanda est*, *cui cum fana circuimus in Agro Ardeati*, *rem divinam facere solemus: quæ quia partus matronarum tueatur*, a Nascentibus Natio *nominata est*. Hæc igitur fœtarum Tutulina proprie erat. Neque tam tutelarem Ilethyian genitricibus fœtis, quam infestam Deam numenque lævum docemus precibus placandum, contra quam plerunque accipitur, sed de his obiter hactenus, nec intempestive. Suidam, si placet, consule in Λάμια. Nemo non videt, quam hæc omnia competant Lunæ. Eam enim a Lucina, Ilethyia, Diana, nomine tantum distare discas, quisquis tam puerile nescias, ex Ciceronis lib. II. de Natura Deorum, & Catulli epigrammate XXVIII. Verum ut ad Arabum nomen redeamus; Nox item eis اللىلة *Alileth* dicitur, quæ ipsum forsan Alilath est & Noctilucam denotare potest. Minime enim aliud est vocabulum magis aut consonum aut usitatum quo Luna designetur. Id constat & ex Græcorum more, & La-

& Latinorum: illis enim Νυκτοδρόμος, Ἐννυχία, his *Dea Noctium*, & *Noctium sidus* dicitur. Medea apud Senecam

*Munc meis vocata sacris* noctium sidus *veni*.

Atqui Urania isthæc Arabum ( quæ eadem ipsa cum Mylitta Assyriorum ) in primo Herodoti, non Alilat nuncupatur, sed Alitta, Καλέουσι δὲ, ibi inquit, Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μυλίττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, Πέρσαι δὲ Μίτραν. Anne corrupti codices heic Herodoti, & Ἀλιλὰτ substituendum? an binominis ipsa Arabibus Dea, uti alterum eorum numen, quod & Urotalt & Dysares indigetatum. Certe Alitta ab eodem quo Mylitta themate peti posset, quod gignere significat. Id est ילד *jalad*, hoc autem in Arabismo devenit ולד; unde ni fallor formari quivit, nec sine analogia, *Validtha*, quod Græcis elementis exaratum Ουαλίδθα est, nec ut Græcorum pronuntiatione in Ἀλίττα transiret, ita difficile erat. Alitta hoc modo id ipsum cum Mylitta etiam significet: sed viderint heic doctiores. Nos ἐπέχομεν. Sed vero inter Arabum numina, quæ, ut fit, currente seculo, numerosiora fuere, habemus etiam in Alcorano quod ad Herodoti Alittam propius accedit. Id est Allet, Lath seu Alletto. Azoara LXIII. in versione Retinensis; *An tribus imaginibus visis videlicet Alletto, Alance, Meneth, Masculos Deoque fœminas ascribitis?* In Arabico vero legitur افر ايتبر اللات والعزي ومنات الثالثة الخري الكم الذكر اوله الانثت * quod sonat, *Vidistis Allat seu Aletto, & Aluze & Meneth tertiam aliam? Vobisne* ( hæc ) *mares & Deo femina?* Numen heic seu imaginem secundam ( nam imagines seu Idola hæc fuisse aut numina commentitia in confesso est tam apud Scholiasten penes me Mahumedanum, quam apud interpretes Christianos ) vocaverat procul dubio Retinensis *Alauce*, quod librariorum incuria in *Alance* migravit. Et, ad hunc Alcorani locum, spectat illud in Epitome Alcorani ab eodem etiam Retinensi versa. *Idola antiquorum Arabum, Tertia, Aletto, Alance* ( pro Alauce ) *Melec*; quod plane *Meneth* legendum. In vetusto autem, quo utor, Retinensis versionis Alcorano Ms. adnotatur ad eam quam adduximus periocham; *Nomina idoloram quæ tunc colebant Saraceni, dicentes Fœminas ab ipsis esse creatas, Viros autem a magno Deo Creatore*, quod tamen versioni plane adversatur. In Epitome autem pro *Tertia, Tria*, potius legendum puto. Sed hoc obiter. Mylittæ vero nimium congruit forsan Persarum Mitra. *Mader* enim sive *Mather* ( unde facile Mitra deflectitur ) Persice Genitricem seu Matrem interpretari ex R. Saadiæ Pentateucho notavit doctissimus Raphelengius, si vis autem a Mithri, quod Dominum denotet, non reclamo. Conspirare autem hæc omnia videntur, ut decantatam Deum Matrem in hac reperias. Deum Matrem, cujus sacerdotes, ædes, pulvinaria atque aræ ea fuere, *quæ Vetustas, quæ Persæ* ( Ciceronem audis in Oratione de Aruspicum responsis ) *quæ Syri, quæ reges omnes qui Europam Asiamque tenuerunt, semper summa religione coluerunt*. Eam autem Syris, & qui trigono Aquilonari, Geminis, Libræ, & Aquario subjacent, imprimis tribuit Ptolemæus lib. II. Tetrabibli. Οἱ, inquit, περὶ τὰς χώρας ταύτας, σέβουσι μὲν ὡς ἐπὶ πᾶν τὴν ἀφροδίτην ὡς Μητέρα θεῶν. ποικίλοις καὶ ἐγχωρίοις ὀνόμασι προσαγορεύοντες. Id est, *Qui has incolunt regiones plerumque Venerem ut Matrem Deum venerantur, & variis patriisque nominibus indigitant*, varia ejus nomina diserte agnoscit, sed Venerem vocat. Et Plutarchus de Dea Syria Hierapoli culta, Οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι, scribit in vita Crassi. Quæ certe Dea Syria, si utriusque sacra & effigies spectes, hæc nostra Deum Mater erit, quæ in Nummis Deæ Syriæ, Hieropolitanæ scilicet, nomine inscriptis, nunc Minervæ speciem habet, ut L. Aurelii Veri, nunc Cybeles, ut in Aurelii Severi & Philippi, uti apud Adolphum Occonem, Sebastianum Eritrium atque id genus alios satis liquet. Sacra ejus descripsit testis oculatus Lucianus. Ei Gallos, id est, exectos, sceptrum, tympanum, fulmen,

*Turrigerasque urbes bijugosque ad frena leones*,

fuisse memorat ille, quæ ipsissima sunt omnia Deorum matri propria. Vide Apulejum lib. VIII. ubi de Metragyrtis agit, *qui per plateas* ( ut ille ait ) *& oppida, cymbalis & crotalis personantes*, Deamque Syriam *circumferentes, mendicare compellunt Deum Matrem*, sæpius ille etiam sacrorum non vulgo peritus, ibi Deam Syriam appellat, ipsum item Matris Deum nomen quod apud Hesychium Ἀμμάς est, e Syria petendum, ni fallor, nonne ab אימא *Aimma*, quod Mater sonat. Et in horto Mattheiorum trans-Tiberino ad pontem Cestium vetus est monimentum, ubi sedet Dea, in-

inter Leones duos, tiara, seu diademate lunato, ornata, cui subjungitur inscriptio,

P. ACILIVS FELIX
D. D. DIA SVRIÆ
CUM SVIS.

Sculptoris negligentia, *Dia*, pro *Deæ*, male legitur: verum Cybelen, Berecynthiam, sive Deum matrem intellexisse Acilium, quam tamen Deam Syriam nuncupat, non est cur dubites, addita quæ sunt insignia & ornamenta illam, ipsamque Astarten loquuntur, ejusmodi visitur, in hortis Cardinalis Carpensis, ara; citerioribus enim ævis in Europa satis frequens Deæ Syriæ cultus. Eam Nero unice est veneratus, quam tamen postea urina conspurcavit. Etiam in Britannia nostra extat inscriptio Deæ Syriæ, verum mutilata, a Licinio præfecto sub Antonino Philosopho concepta, atque in hortis V. C. Roberti Cottoni Coningtoniæ, in agro Huntindoniensi, cum aliis quamplurimis, visenda. Non ignoro Matrem Deum Terram etiam priscis dictam: ita rem explicat Lucretius lib. II. Nec vero quis nescius est Cœlum & Terram ab idolorum cultoribus misceri solita. Cum igitur Astarte sive Dea Syria eadem, quæ Mater Deum, primum fuerit, sed compluribus postea nominibus indigitata, illinc forsan sumi possit conjectura, quænam sint Deæ illæ matres & Dii Syri veteribus aris memorati, nec ante hoc seculum observati: quot enim nomina tot habitæ Deæ, tot Matres. Mentio sane Dearum Matrum in Plutarchi Marcello, ubi de Enyo oppido Siciliæ; & Θέας γενετυλλίδας habet Pausanias in Atticorum initio, quæ idem sonare possunt. Cæterum ævo hoc antiquitatis vestigiorum perquam curioso, plurimæ Deabus Matribus insculptæ aræ in Europa repertæ sunt, eas apud Grurerum & Smetium videre licet, item aliæ Junonibus dicatæ. Maximam autem & pulcherrimam Dearum aram meminit a se visam in Brigantibus V. Cl. G. Camdenus, etiam ad majorum animalium sacrificia peragenda aptam, & a M. Ingenuo Asiatico sacratam. Hanc in Lancastria, alteramque habet in agro Dunelmensi. Tertiam descriptam & ad se nuper missam, mihi optimus senex dudum ostendit, quam ut exemplari ejus legitur, communicabo,

DEABVS MATRIBVS.
TRAMAI VEX. CERMA
PV. R. D. PRO SALVTE
R. FVS. L. M.

Apud Voutfer in Cumbria extare dicitur. Quid sibi vellet Tramai ne hariolari quidem ausus sum. Atqui, si Astarte Deum fuerit Mater, Astartæ ut sint Deæ Matres oportet. Ἀσπάρται enim pluraliter dicebantur. Ita LXX. Judicum II. com. 3. Ut plures Junones, plures Veneres, Deæ Syriæ plures ob simulacrorum multitudinem erant, ita & Astartæ plures; quas forsan voluere ii, qui ritus Asiaticos patriosque servantes, Deabus Matribus aras sacrabant. Has simul & Belos cogitabant qui Diis Syris vota faciebant. Saltem, id satis est verisimile. Idipsum certe pene dixerat D. Augustinus ad Judic. II. quæst. XVI. *Juno*, inquit, *sine dubitatione ab illis* (a Pœnis) Astarte *vocatur*. *Et quoniam istæ linguæ* (Punica & Phœnicia) *non multum inter se differunt*, *merito creditur de filiis Israel hoc dicere scriptura quod* Baali *servierunt &* Astartibus: quia Jovi & Junonibus. *Nec movere debet quod non dixit* Astarti, *id est*, Junoni, *sed tanquam multæ sint Junones*, *pluraliter hoc nomen posuit*. *Ad simulacrorum enim multitudinem referri voluit intellectum*, *quoniam unumquodque Junonis simulacrum Juno vocabatur*, *ac per hoc tot Junones quod sunt simulacra intelligi voluit*. Astarte ipsa etiam quæ Græcis Io. Id docet Euripides, de Phœniciis & Thebanis verba faciens, in Phœnissis,

Κοινὸν, inquit, αἷμα, κοινὰ τέκνα
Τᾶς Κερασφόρȣ πέφυκε Ἰȣ̃ς.

Quomodo Jus cornigeræ soboles Phœnices erant (ut Græcorum fabulas omittamus) nisi corniculantem, quam tractamus, eorum Deam intelligas? unde Orientis numen etiam agnoscitur Io, velut primarium. Statius Sylvarum III. in Propemptico Metii Celeris,

*Ipsa Phoroneis quondam stabulata sub antris*
*Nunc regina Phari*, numenque Orientis *anheli*
*Excipe multisono puppem Mareotida sistro*.

Quæ de Nominum multitudine solenni scripsimus capite superiore, ad hanc Deam simul pertinent: & *Ennææ Numina Divæ* eleganter dixit Silius Italicus, ut plura in eadem, id est Hecate Dea, Numina, quæ tamen unam constituerent Hecaten, latere ostenderet. Hecaten autem hanc nostram, id est, Lunam esse nemo nescit. Apollo enim seu Sol Ἕκατος Luna Ἑκάτη dicebatur, vide de Hecato, si placet, Juliani epistolam ad Sarapionem. In Hecate totius universi potestatem omnem & virtutem centrum habere docebant veteres Chaldæorum Theologi, uti

uti ad Chaldaicum illud, quod putatur, oraculum, animadvertit Psellus:

Λαιῆς ἐν λαγόσιν Ἑκάτες ἀρητῆς πέλε πηγή.

sed obiter emendandus est versus ille, lege ἐν λαγόσι κοίτης ἀρετ. &c. & λαιὴν κοίτην *sinistrum corporis cubile intellige*, ubi juxta Aristotelem animæ sedes. Atqui ita diserte legitur in Oraculis illis Magicis, ad quæ commentatus est Pletho. Mirum est quin Astarten vocabulo depravato Astronoen vocarit Damascius in vita Isidori, ut Herodianus Astroarchen; si lectiones non sint spuriæ. Saduci filium octavo genitum ab Astronoe Dea Phœnissa scribit Damascius adamatum: Æsmunus is dictus est, quem Æsculapium, ait ille, interpretantur, venanti insidiata est Dea, fugit juvenis, & cum Dea jamjam comprehensura esset, genitale membrum sibi amputavit. Ἡ δὲ, inquit Damascius, τῷ πάθει περιαλγήσασα, καὶ Παιῶνα καλέσασα τὸν νεανίσκον τῇ τε ζωογόνῳ θέρμῃ ἀναζωπυρήσασα· θεὸν ἐποίησεν Ἔσμυνον ὑπὸ φοινίκων ὀνομαζόμενον ἐπὶ τῇ θέρμῃ τῆς ζωῆς· οἱ δὲ τὸν Ἔσμυνον ὄγδοον ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν, hoc est, *Astronoe vero casu afflicta*, Pæana *juvenem vocavit eique genitalem calorem restituit & Deum fecit, qui Phœnicibus* Esmunus *ob genitalem calorem dictus. Alii vero* Esmunum *octavum significare existimant*. Sane Hebraice השמיני *Hasmini*, quod facile in Esmunum migret, *Octavus* est: & sic nominatus est, quod octavus Saduci filiorum in lucem fuerit editus. Astronoen autem Matrem Deorum diserte appellat Damascius.

## CAPUT III.

Dagon, *Deus*, *Simulacrum ejus*, *& etymon*. Σιτών. Σιτὼ Ἀρότης *Deus Philoni*. Oannes *Babyloniorum* Annedotus Odacon. Ὠῆς *apud* Helladium, *eadem cum his* Dagoni *figura*. *Pedes adnati ex cauda* Dagonis. *In* Deam *postea demigravit* Dagon; *eadem quæ* Derceto *seu* Atergatis: *varia ejus nomina*. *An* Derceto *recte* Hierapoli *collocetur*. Addirdag. Adramelech. Artaga. Athara. Ἀτταγάθη in Hesychio. *Ratio nominis* Deæ *&* figuræ *in fabulis*. Syri *cur* Timidi *Ovidio dicti*. Insflabat *morbisque affligebat Dea eos qui* pisces *comederent*. Martialis *explicatur*. *Et Porphyrius*: *ut* placabant numen *hinc iratum*. Pisces *Syri venerabantur*. *De piscibus apud eos nugæ Israelitarum reditu recentiores*. Piscium *signum cœleste* ἰχθὺς χελιδόνια *dicitur borealior Chaldæis*. Μετεμβόλημα. χελιδονίζειν *quid*. *Athenæus emendatus*. *Hirundo piscis*. Pisces *alii sacri*. Columbas *venerabantur Syri*. Homeri πέλεια. Samaritanorum Columba. *In Samaritanos Judæorum spurca convitia*. Semiramis. Columbas vendentes *& alentes inter infames habiti*. Beth-Dagon. Δὼκ. *Confusa nomina & sacra hujus & Hieropolitanæ Deæ*. Macrobius *emendatus*. Venus Aphacitis *Conjectura in* Anonymum *ad Arati phænomena*. Dagonis *Festum*.

IN Azoto sive Asdodo inclyta Palæstinæ Urbe fanum celebre erat *Dagonis*, in quo Arcam fœderis posuerunt incolæ, coram scilicet Idolo, *Et cum rursus crastina luce consurgerent* (ita sacræ literæ 1. Sam. c. v. 4.) *ecce jacebat* Dagon *coram ea*, *in terra coram Arca Domini*, *& caput Dagon atque duæ Palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen*, ירק דגון נשאר עליו *rak dagon nischar aghlaju*, hoc est, uti a R. D. Cimchi explicatur, *tantummodo forma piscis relicta est in eo*. Nam דג & דגה *Dag* & *Dagah*, piscis interpretatur; unde dictus Dagon. Genus ei masculinum tribuo, quod & ita sacra scriptura habet Hebraice, & LXX. Seniores itidem vertunt, Δαγὼν πεπτωκὼς ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Et Philo Byblius Δαγὼν, ὅς ἐστι Σιτὼν, Cœli filium enumerat, atque ita vult appellatum, quod frumentum invenerit. Nam דגן *Dagan* frumentum sonat. Aratri etiam repertor habebatur, ideoque Ζεὺς Ἀρότριος, quasi Jupiter Agriculturæ præses, ait ille, nominabatur. Non absimili nomine Cererem Σιτὼ, παρὰ τὸν σῖτον, vocabant Syracusis, quod meminit Polemus Dipnosoph. lib. III. Sed hallucinatus est, ut videtur, Philo, dum a *Dagan*, id est frumento deducit, cum a דג id est pisce debuisset, non aliter quam cum Ἀγρότην, id est *Rusticum* Phœnicum diceret Deum, quod ex mala τοῦ שדי *Schaddai* interpretatione ei evenit, שדי enim variatis paulo punctis, est nomen Veri Dei, id est, *Omnipotens*, quod cum ille in Sanchoniathonis annalibus offenderet, significare male opinatus est aut Agrum aut Agrestem & in Ἀγρότην vertit, cum potius παντοκράτορα substitui oportuerit. Observavit Illustrissimus Scaliger. Ita heic pro Dagon Σιτὼν habet, cum melius & ad rem Ἰχθυὼν esset vertendus. Vetustissima de hoc numine ex Asia testimonia, præter sacra Biblia, sunt quæ scribunt Berosus, Apollodorus, & Polyhistor ubi de Oanne agunt, & quæ LXX. ultra Hebraicam veritatem inserunt. Ὠάννης enim memoratur, biceps ani-

animal, cætera Piſcis, e cujus cauda adnaſcebantur pedes humanis ſimiles. Vox ei humana item; ex mari autem Erythræo emerſum Babyloniam perveniſſe ajunt, occidente vero Sole in mare rediiſſe, moremque hunc quotidie velut ἀμφίβιον repetiiſſe, ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium ſacrationes, architecturam, & leges politicas didiciſſe, nec non quicquid ad vitam civilem pertinere poſſit, hiſtoriamque portentoſiſſimam de Belo & Omorca; quam ex Polyhiſtore Beroſi exſcriptore diſcas licet apud Euſebium, ſimulacrum autem ejus uſque ad Beroſi tempora, id eſt, ad initia Græcæ monarchiæ ſervatum. Quæ maxime huc ſpectant Beroſi verba tranſcribo. τὸ μὲν ἄλλο σῶμα ἔχε ἰχθύος, ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν παραπεφυκῦιαν ἄλλην κεφαλὴν ὑποκάτω τῆς τοῦ ἰχθύος κεφαλῆς, καὶ πόδας ὁμοίως ἀνθρώπου, παραπεφυκότας δὲ ἐκ τῆς οὐρᾶς τοῦ ἰχθύος. εἶναι δὲ αὐτῷ φωνὴν ἀνθρώπου. τὴν δὲ εἰκόνα αὐτοῦ ἔτι καὶ νῦν διαφυλάσσεσθαι. Non poſſum non hic intelligere marinum Deum id eſt Dagon, de quo hiſtoria Samuelis, non modo enim Palæſtinis ſed & Babyloniis colebatur. Fuſius autem ex eodem Beroſo narrat Apollodorus, Oannes quatuor, Annedotos dictos ſeculorum viciſſitudine e rubro item mari comparuiſſe, quorum quiſque ſemihomo, & ſemipiſcis. Tempore vero Ædorachi Regis Chaldæorum, qui ſeculis aliquot diluvium, ſi Chaldæis fides, antevertit, aliud ſimilis figuræ emerſiſſe ᾧ ὄνομα, ut verba ejus ſunt, Ὠδάκων. Certe nimium fallor niſi ipſe Dagon in Odaconis hac fabula fuerit intelligendus. Annedotorum ſeculi meminit Abydenus, & ἡμιδαίμονος figuram ei tribuit. Vix alibi de his mentio fit: verum ab Helladio Beſantinoo in Chreſtomathia Oannem deſignatum eſſe merito ſuſpiceris. Tradidit is hominem quendam nomine Ὠὴν e rubro mari aſcendiſſe, capite, manibus pedibuſque humanis; cetera membra piſcem præ ſe tuliſſe: literas autem & Aſtrorum ſcientiam oſtendiſſe: quæ omnia ſunt ipſiſſima pæne Beroſi de Oanne hiſtoria, unde depravatum Oannis in Ὠὴν nomen ſentit magnus Scaliger a compendioſa librariorum ſcriptione. Adjicit Helladius, ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα ἰχθὺν δόξαι, διόπερ ἠμφιέσθαι κητώδη δοράν; hoc eſt, *hominem omnino fuiſſe, piſcem vero retuliſſe, quod cetacea pelle indueretur*. Quod adferimus ex Helladio, reperitur in excerptis Photii Cod. CCLXXIX. Commiſſa igitur quæ de eo ſacræ literæ, & quæ jam ex veterum ſcriptis diximus, convincunt ſatis figuram Dagonis ex humana & marina eſſe mixtam. Marinum ei corpus, humana vero facies, manus, item & pedes. Abſciſſas enim ſeu abruptas manus, cum caderet coram arca Teſtamenti, diſerte ait ſcriptura. Adnatos caudæ pedes ſcribunt illi veteres, quod neſcio an habuerint in mente interpretes Græci, cum I. Regum cap. V. com. 4. ablatos eo caſu utroſque imaginis pedes, præter caput & manus ſcripſerint, id eſt, ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα, quorum verborum ne ἴχνος quidem eſt in Hebræo. Maſculinum numen faciunt ii; verum quod diximus de communi Divum ſexu oportet hoc loco etiam perpendatur. Nam hic ipſe Dagon in Deam *Adirdagam*, id eſt, Atergatin, Adargatin, Derceto, & quæ ſunt alia ab Europæis depravata ejus nomina, demigavit. Etiam Argatis pro eadem legitur in Tertulliano adverſus Nationes libro II. capite VIII. & mirum eſt niſi Δερκετάδης (cujus memorat Agathias τόμ. β.) Aſſyrius huic numini nomen ſuum debuerit. Pœnicia illa & Babylonia Dea eadem ipſa ſane qua Dagon figura, ſi ſexum mutaveris. Teſtis Lucianus, qui vidit & obſervavit curioſius. Ἡμισέη μὲν γυνή, τὸ δέ, ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος ἀποτείνεται. Dercetus ſimulacrum in Phœnicia a ſe perſpectum breviter depingit, & in Dagonis incidit, idem ſcribit Diodorus Siculus Bibliothecæ II. de ſtatua ejus in Aſcalone ſacrata, τὸ μὲν, inquit, πρόσωπον ἔχει γυναικός, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Cæterum etiam ſcriptoribus magnis Dea Hieropolitana, Derceto ſive Atergatis nuncupatur. Sic Plinius lib. V. cap. XXXII. Ante eum Geographus lib. XVI. Bambyces item meminit, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν. ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. Alii tantundem. Quin Macrobius cum figuram Atergatidis docere voluit, ipſiſſimam Matrem Deum, Aſtarten, ſive Deam illam Luciani Hieropolitanam nec aliud omnino loquutus eſt, vide Saturn. I. cap. XXIII. Sed hæc forſan non ſine errore, ſcimus enim Hierapolitanum numen forma omnimodo fuiſſe fœminea. Lucianus, qui ambarum ſacra eſt ſcrutatus. Ἣ δὲ ἐν τῇ Ἱερῇ πόλει πᾶσα γυνή ἐστι. Niſi vero ſemipiſcis fuerit. Derceto nequaquam appellanda. Atergatis autem, Adergatis, Atargata, Derceto, Derce, Adargidis, Atargatis, quæ omnia reperiuntur pro hac Dea, corrupta vocabula, ab Addirdaga ſunt, hoc eſt Hebraice, אדיר דג id eſt, *Piſcis Magnificus*, ſeu potens, quod nomen certe Oanni

ni qui tot dicitur hominibus contulisse beneficia convenientissimum, ita Sepharvaitæ Deum suum Adrameleoh, id est, *Regem Magnificum* indigitabant. 2. Regum cap. XVII. com. 31. Nominatur a Phurnuto Artaga, quod sane ex Addirdaga etiam contractum. Cætera corruptiora sunt, sed τȣ̃ Addirdag seu similis cujusdam, pro dialectorum varietate, præ se ferunt vestigia, vide Strabonem extremo lib. XVI. ubi Atargaten item Atharam depravate ut fit in nominum barbaricorum μετωπτώσει dictam ait, & Ctesiæ Derceto, ubi igitur Hesychius habet ex Xantho Ἀτταγάθη Ἀθάρη. Utrum ad Atargatam Deam quid ibi spectet, viderint eruditiores, certe Xanthum de Atergatide scripsisse testis est luculentus Dipnosophistes lib. VIII. qui Deæ etyma habet satis ridicula ex Xantho, Mnasea & Antipatro, verum quæ omnia Philoni Byblio reclamant, & a Pisce eam deducendam firmant. In fabulis non est vulgo alia Figuræ ratio quam quod olim Pisces Dercen Veneris filiam in mare decidentem, ab injuria servarent aquarum, ut scribit Theon in Aratum; sive ob Veneris Typhonem fugientis in Piscem metamorposin. Manilius Astronomic. IV.

> *Scilicet in* Piscem *sese* Cytherea *novavit*,
> *Quum Babylonicas summersa profugit in undas*,
> *Anguipedem alatis humeris Typhona furentem*,
> *Inseruitque suos squamosis piscibus ignes*.

sive quod Pisces evoluerunt, ex Euphrate, miræ magnitudinis ovum quod fovit columba, Deamque edidit, uti Nigidius scribit apud Germanicum, quem ita vocant, ad Arati phænomena. Hinc erat quod piscium esu abstinebant, atque ut Ovidius Fastor. II. nefas ducebant,

> - - - *genus hoc imponere mensis*
> *Ne violent timidi* piscibus *ora* Syri.

haud frustra timidos Syros vocat. Timebant ne sibi membra, si animalibus hisce vescerentur, a vindicta Deæ intumescerent, ulceribus scaterent, aut tabe consumerentur. Plutarchus in περὶ δεισιδαιμονίας libello. τὴν Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν, ἂν μαινίδα τις ἢ ἀφύας φάγῃ, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ. De apua & mænide piscibus tantummodo loquitur ille, quas qui comederent, eorum tibiarum anteriora Deam Syriam corrodere, corpus ulceribus implere, & jecur colliquefacere putabant, inquit, superstitiosi. Et Joannes Tzetzes Chiliad. IX. cap. CCLXXV. de Semiramide.

> Σύρων γραφαὶ δὲ λέγουσιν ἰχθὺν αὐτὴν γενέσθαι
> Ὅθεν οὐ δὲ ἐσθίουσι τινῶν ἰχθύων Σύροι.

Ut Plutarchus, sic ille de quibusdam duntaxat piscibus. Sed vero de tumoribus pedum & ventris diserte Menander, nec de piscibus distinguit:

> - - - παράδειγμα τοῦτον Σύρους λάβε,
> Ὅταν φάγωσιν ἰχθὺν ἐκεῖνοι, διά τινα
> Αὑτῶν ἀκρασίαν, τοὺς πόδας καὶ γαστέρα
> Οἰδοῦσι - - -

Adfert hosce ex Menandro versiculos Porphyrius in quarto περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, unde, ut scribit ille, τὸ ἰχθύων ἀπέχεσθαι ἄχει τῶν Μενάνδρου χρόνων διέμενε, *abstinentia Piscium usque ad Menandri tempora duravit* apud Syros, perinde ac si Menandri ævum, quod initiis Græcæ Monarchiæ est æquale, citimum fuisset, in quo Syrorum hujusmodi sacra abstinentia viguisset. Sed hac alludere volunt nonnulli Persium Sat. V. ubi *Deos inflantes corpora meminit*. Sane non alios cogitabat tumores Martialis lib. IV. Epig. XLIII.

> *Juro per Syrios tibis tumores*.

Tumores hi ad piscium & Numinis iram spectare videntur. Et Artemidorus etiam, Martiale recentior, in Onirocriticorum lib. I. cap. IX. ἰχθύας, inquit, πάντες ἐσθίουσι πλὴν Σύρων τινῶν, τῶν τὴν Ἀστάρτην σεβομένων. Astartæ autem & Atergatis nomina confundere, scriptoribus solenne nimis est vitium. Commissum heic gulæ facinus, tumoribus, tabe, ulceribus laborantes Syri expiabant sacco induti atque in cœno sive sterquilinio sedentes; qui placantium Numen mos frequens est in Sacris literis. Nam Menandri, quæ sequuntur apud Porphyrium, verba sunt,

> - - - εἶτ᾽ ἔλαβον σάκκιον, εἶτ᾽ εἰς τὴν ὁδὸν
> Ἐκάθισαν αὐτοὶ ἐπὶ κόπρου, καὶ τὴν θεὸν
> Ἐξιλάσαντο τῷ ταπεινῶσαι σφόδρα.

*Dein sacco induti, & in via, cœno volutantes. Deæ supplicabant ut Tumores dimitteret*. Ita enim vertendus & intelligendus est ille locus, non ut perperam versum habemus in nupera Porphyrii editione Lugdunensi, cui tamen facem etiam heic prætulerat magnus Scaliger ad Apotelesmaticum Manilii, videsis item Petrum Victorium, Variarum Lectionum libro XII. capite XV. Certe melius multo hoc in loco ut alibi etiam sæpius vertit Porphyrium ante annos LXXX. Johannes Bernardus Felicianus,

nus, Venetiis tunc temporis editum; tametsi nec ille quidem, quid τὸ ταπεινῶσαι heic significaret, satis deprehenderit. Ad morem autem hunc placandi respexit Plutarchus libello περὶ δεισιδαιμονίας. Ἔξω, inquit, κάθηται (δεισιδαίμων) σάκκιον ἔχων ἢ περιεζωσμένος ῥάκεσι ῥυπαροῖς, πολλάκις δὲ γυμνὸς ἐν πηλῷ κυλινδούμενος· ἐξαγορεύει τινὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ πλημμελείας, ὡς τόδε φαγόντος ἢ πιόντος ἢ βαδίσαντος ὁδὸν ἣν οὐκ εἴα τὸ δαιμόνιον. Pisces dicuntur etiam Syri, pro Diis habuisse. Cicero III. de Nat. Deorum; *Piscem Syri venerantur*, quod tamen ad Atergatin duntaxat referre malim, sed Clemens in Protreptico, de Syrophoenicibus; τοὺς ἰχθῦς οὕτω σέβουσι περιττῶς ὡς Ἠλεῖοι τὸν Δία. Id est, *non minori cultu* Pisces *venerantur quam Elei Jovem:* & Xenophon περὶ ἀναβάσεως, de Chalo fluvio, *Erat is*, inquit, *magnis mansuetisque* piscibus *refertus*, *quos* Syri pro Diis *habebant neque lædi eos patiebantur sicuti ne columbas quidem:* atque hoc ait de Ciseuphratensibus, tantundem Diodorus & Ælianus de Animalibus lib. XII. cap. II. de Hierapolitanis. Videsis Plutarchum Symposiac. lib. VIII. cap. VIII. Cæterum seculis vetustioribus minime de piscibus hæ nugæ natæ videntur. Sub Israelitarum enim reditu venales pisces apportare consueverunt Tyrii Hierosolymas. Nehemias cap. XIII. comm. 16. *Tyrii quoque habitabant in ea inferentes pisces & omnia venalia & vendebant in Sabbato filiis Jehuda in ipsa Jerusalem.* Certe tunc temporis nec Judæi a profanis vicinorum ritibus puri erant, utpote qui Palæstinas uxores duxerant & in eis Azotias, queis inprimis Dagonem cultum meminit Scriptura. Atqui si pisces comesse religioni tum fuisset; in foro ut prostarent venales, Numinis honori consulentes facinus sane indignum, ne dicam, piaculum æstimassent. Duo illi qui signiferum circulum terminant ad istas fabulas referuntur nonnullis; & ὕψωμα Veneris (quæ Atergatis dicta) sive exaltatio, uti ajunt, est Piscium dodecatemorion, quod Chaldæi Zodiacum dispertientes ei tribuerunt. Euphratem & Tigrin, Piscium anterioribus, Syriam mediis partibus subjecerunt. Ita enim vetustissimi Astrologi aliter atque Ptolemæus; uti apud Hephæstionem Thebanum in Apotelesmaticis liquet. Cæterum illi, ut obiter adnotem, Piscem borealem cum hirundinino capite pingebant, & ἰχθὺν χελιδόνιον vocabant, ut auctor est Theon ad Aratum. Neque aliud, ni fallor, voluere quam Veris præludium designare. Piscium enim μετεμβόλημα (ita nominabant veteres punctum inter dodecatemoria bina, quod monet Hephæstio ille) cum Sol attigerit, amoenitates suas Ver auspicatur. Nam & Rhodiis, qui sub eadem cum Chaldæis latitudine, χελιδονίζειν erat stipes corrogare mense Munichione, jam vere appropinquante. Et qui corrogabant, χελιδονισταὶ dicti, solenniter acclamabant ἦλθ' ἦλθε χελιδών, καλὰς ὥρας ἄγουσα καὶ καλοὺς ἐνιαυτοὺς &c. & ἄνοιγ' ἄνοιγε τὴν θύραν χελιδών: id est, *Veni, Veni, Hirundo, & tecum fer felices horas & felices annos, &c. Aperi, Aperi ostium Hirundo.* Inter sacrorum ritus hæc scripta reliquit Theognis apud Athenæum Dipnosoph. VIII. Hinc Oppiano dicitur,

> - - - εἰαρινὴ ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις.

Planissime autem in editis Athenæi exemplaribus, pro τῷ Βοηδρομιῶνι μηνὶ, τῷ Μουνιχιῶνι substituendum; uti etiam habent codices nonnulli manuscripti. Nam Boedromion mensis æstatem claudebat, nec ad eum heic pertinere Hirundines potuerunt. Non sum nescius piscem etiam χελιδόνα seu hirundinem dictam Aristoteli, Plinio, aliis, verum Piscem an avem voluerit Theon haud satis constat. Certe latas alas tribuit hirundini pisci Aristoteles περὶ ἱστορ. ζώων. IV. cap. IX. & Plinius lib. IX. cap. XXVI. *Volat hirundo sane perquam similis hirundini volucri.* An homonymia hirundinis nitetur prisca illa pictura, nescio. Sacri aliis pisces erant aliquot, ut Pompilus Græcis, Anguilla Ægyptiis, alii Pythagoræis; sed ab alia caussa. Uti autem Pisces ita & Columbas magno habebant in honore in hujus Numinis gratiam. Causam, si in fabulis causa, ex Nigidio jam diximus. Et videsis Luciani Deam Syriam, Diodorum Siculum in Bibliothecæ II. alios. Tibullus lib. I.

> *Alba Palæstino sacra Columba suo.*

Sacras autem Veneri columbas (Derceto Venus est) pueri sciunt. Ejusdem Deæ quemadmodum ministræ habitæ fuerint, docet optime historia illa de Columbis circa Erycem montem in Sicilia volitantibus, & diebus quas ἀναγωγὰς & καταγώγια nominabant incolæ, apud Athenæum lib. IX. cujus & XI. liber consulendus de columbis ad Jovem ambrosiam ferre solitis, ob quam fabulam reprehenditur Homerus a Dionysio περὶ ὕψους uti nugax nimis, eam scribit Homerus Odyss. μ. & πελείας τρήρωνας vocat quas memorat columbas. At plerique veterum non tam columbas quam Peleiadas seu Pleiadas septem intelligi volunt, uti multis & vetustis exemplis ale-

Alexandro Regi monſtravit olim Chiron Amphipolites, quæ & fuſe habes apud Euſtathium. Verum non Europæorum ſolummodo ſed etiam Aſiaticorum, de Columbarum, in his regionibus, quaſi indigitamentis, ſunt teſtimonia. Samaritani enim in ſuo Chronico (ut mihi auctor eſt Scaliger ad Manili lib. v.) Joſuæ Duci Columbam adminiſtram attribuunt, ſed divinitus, ut ipſi ajunt, non autem humanis myſteriis edoctam. Ex Gloſſa Talmudica Johannes Druſius Obſervat. XIII. cap. XXIV. *Samaritanus circumcidit in nomine imaginis Columbam referentis*, id eſt, לשם דמות יונה *quam inventam in vertice montis Garizim certo quodam ritu colunt*. Aliam quam Semiramidis figuram heic non intelligo, cujus etiam nomen Syris ſeu Babyloniis *Columbam montanam* denotare volunt nonnulli. Ita Heſychius: Σεμίραμις, περιστερὰ ὄρειος ἑλληνιστί. Et ex Autore Hebræo item ejus ſignum columbam fuiſſe notat Magnus Scaliger in Euſebianis, qui tamen Heſychii interpretationem veram eſſe haud agnoſcit, quid autem Semiramis ſignificet ſibi ſatis non liquere fatetur. Sed vereor ſaue ne quod habent Judæi de Samaritanorum circumciſione, Columbæ nomine peragi ſolita, ſpurcum ſit eorum (ut fieri ab eis amat) in gentem illam convicium. Tralatitium eſt quod habent de Aſina, tribus illis literis ח, ע, ה, atque aliis ejuſmodi, ubi de ſacris Samaritanorum Bibliis loquuntur; quæ tamen falſiſſima eſſe non ſolum a viris doctoſſimis eſt dudum animadverſum, ſed ſcimus nos ipſi teſtes oculati, qui Pentateucho Samaritano, charactere item Samaritano exarato, & raro ſatis a Judæorum libris diſcrepante. Reverendiſſimi antiſtitis Jacobi Uſſerii Archiepiſcopi Armachani beneficio olim uſi ſumus, uti & in prolegomenis ad Marmora Arundelliana fuſius ſcripſimus. Præterea autem nonnullos τὸ היונה *hajonah* Jeremiæ cap. XLVI. com. 16. vertiſſe columbam, quaſi de Babyloniis ſub Numinis eorum vocabulo, ut mos eſt Scripturæ, ibi ageretur. Hinc forſan Judæorum de iis, qui columbas alebant πωλοῦντες τὰς περιστερὰς dicti Matth. XXI. 12. præjudicium. Dare enim teſtimonium non potuerunt, ſed inter infames, fures nempe, lenones, aleatores, & id genus alios cenſebantur, quod appendix Ferdinandi Poloni ad Abrahamum Ben-Kattun me primum docuit. Sed Magnus Scaliger eos intelligit in Evangelio qui columbas volare erudiebant, id eſt, מפריחי יונין, atque ita inſtituebant ut ad miſſa parati (ſicut Decimi Bruti illa in obſidione Mutinenſi, aliæque citerioris ævi) & moſcho roſtra illitæ, comitatiores, quod ait Plinius, redeant. Appetentiſſima enim moſchi columba. Quæ de Semiramide ad hanc Deam ſpectantia effutiuntur apud Hyginum Poetic. Aſtronomiæ II. Fabula CXCVII. Athenagoram in Apologia, Phurnutum de Natura Deorum, Ovidium Metamorph. IV. Tzetzem Chiliap. LX. cap. CCLXXV. præter hiſtoriarum farcinatores libenter prætermus; cuique ſunt obvia. Templum Dagonis dicebatur Βὴθ δαγὼν, quod mere Hebraicum eſt, Haſmonæorum I. cap. X. com. 83. I. Sam. cap. V. & præſidium illud τὸ καλούμενον Δὼκ Haſmon. XVI. com. com. 15. putat Druſius idem eſſe quod Dagon appellatur Fl. Joſepho Orig. Judaic. XIII. cap. XV. Arx nempe juxta Hierichunta ſita. Meminit & Iſidorus Characenus, in Stathmis Parthici, Beſechanæ urbis Meſopotamiæ, ἐν ᾗ inquit, ἱερὸν Ἀτάργατι, id eſt, fanum hujuſce Deæ. Sed haud tantum, apud ſcriptores, Atergatidis & Aſtartes, ſeu Deæ Hieropolitanæ diſcrimen, ut eas omnino diſtinguere non ſit pluſquam difficile. Tetigimus ſupra, ex Strabone, Plinio, Macrobio: & Aſcalonitarum Venus, id eſt, Derceto, idem ipſiſſimum fert nomen apud Herodotum, quod Mylitta, & Deum Mater; Uraniam ſive Cœleſtem dico, imo non minori, circa fanum Deæ Hierapolitanæ, Piſces & Columbæ, ut res ſacræ, honore excipiebantur, quam ubi Derceto culta, teſtatur Lucianus. Utraque igitur hæc & illa Venus, utraque Juno, Minerva utraque Dea Syria, utraque forte, ſi primam ſpectes apotheoſin, eſt quicquid eſt alterutra. Et ob Aſtartes cultum abſtinuiſſe piſcibus, Syros putavit Artemidorus, uti ex verbis ejus ſupra allatis liquet. Sunt qui Derceto ſeu Dercitida ſubſtituunt apud Macrobium, emendantes Saturn. I. cap. XXI. ita enim ille, uti codices habent excuſi. *Adonin quoque*, inquit, *Solem eſſe non dubitabitur, inſpecta religione Aſſyriorum apud quos Veneris* Architidis *& Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent*. Et paulo poſt: *Simulacrum hujus Deæ in monte Libano fingitur capite obnupto, ſpecie triſti, faciem manu læva intra amictum ſuſtinens. Lacrymæ viſione conſpicientium manare creduntur*, quod non ita abludit a D. Hieronymi commento, qui Dagon *Piſcem Mœroris* interpretatur. Pro *Architidis* legunt heic *Dercitidis*. Quid enim Venus Architidis? ejus nullibi mentio, & error a libra-

brario est commissus. Pro ea autem emendatione haud parum stat vetus Ms. Codex V. Cl. Roberti Cottoni, qui ipse Antiquitatis est quantivis precii thesaurus, ubi legitur *Adargidis*. Verum tantum abest ut huic sententiæ accedam, ut Macrobium potius *Aphacitidis* scripsisse ausus sim fere dejerare. Non enim Derceto, non Adargidis aut Atergatis monte Libano colebatur, non hoc saltem nomine, sed Venus Aphacitis, a regione cognomine dicta. Zosimus hist. I. Ἄφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ἡλιουπόλεώς τε καὶ Βύβλου καθ᾽ ὃ ναὸς Ἀφροδίτης Ἀφακίτιδος ἵδρυσθαι, id est, *Aphaca locus est inter Heliopolim & Byblum; ubi fanum est Veneris Aphacitidis*. Et Venus, cujus fanum in monte Libano vastavit Constantinus Magnus, diserte Ἀφακῖτις appellatur Eusebio de vita Constantin. lib. III. cap LIII. Consulas & Hist. Tripart. II. cap. XX. Socrat. histor. I. cap. XIV. Sozomen. II. cap. IV. Ad hanc Aphacitida etiam intendisse digitum opinor Germauicum, sive quis alius fuerit commentariorum in Arati Phænomena Latina auctor ubi *Phacetis* filia Veneris inter Syros occurrit, scio doctissimum H. Grotium *Dercetis* ibi conjectura rescripsisse. Quam facilis autem fuerit τῆς Ἀφακίτιδος, dum incuriosius librarii oscitantes exscripserunt, in Ἀρχίτιδος transitus nemo non videt. Panegyris, seu festum Dagoni sacrum habetur in Judicum cap. XVI. com. 23.

## CAPUT IV.

Venus *Syriaca*. *Phœnicia* Veneris Terra. Utriusque Sexus *Venus illa*. Vestimenta sexum ementita. *De ea re* præceptum *Mosaicum forsan explicatur*. *Figura* Piscis Veneri *aptissima*. Salambo Veneris nomen. Ἀλλὰ καὶ Κυβὰρ. Ἀλλά. Cabar *Saracenorum* Venus *dicta*. *Dii* Cabiri. Bacchus *&* Venus *sive Urania*. *Dii Arabum*. Urania *illa etiam* Uranus *dicta*, *&* Ζεύς. Obodas *Arabum*. Lunulæ corniculantes *fastigiis ædium a* Mahumedanis *imponi solitæ*. *Unde is mos*. Giuma *festum*. Dies Veneris. Planetarum Dies cognomines *antiquam repetunt originem*. Saxum *quadratum colebant* Arabes. Veneris caput *adorant Mahumedani*. Διηγήσεων liber *de Mahumedicis apud* Cantacuzenum *quinam sit*. Θεὺς Ἄρης. Suidæ *lapsus*. Dysares *Arabum*. Dusarus *Deus idem*. Hesychius & Stephanus *emendantur*. Dachareni *gens*. Minerva Onca *Thebanorum*. Scholiastes Sophoclis *emendatus*, Pausaniæ Σίγα. *De ea conjectura*. Sida *Beli uxor*. Palladium *dictum* Phœnicia *Dea*. Babia *Syrorum numen*. Βαβαί.

QUam religiose, quam late per Syriam & viciniam culta fuerit sive illa Dearum, quas diximus, sub Veneris plerunque nomine Europæis celebrata, & a quam vetusta origine, ex his patet. Inde est quod Phœnicia, Veneris Terra nominetur. Æschylus in Supplicibus:

> τὰς Ἀφροδίτας πολύπυρον αἶαν,

Ubi habet Scholiastes, φοινίκην τὴν ἱερὰν Ἀφροδίτης φησὶ διὰ Βύβλον καὶ Λίβανον, id est, *Pœniciam quam sacram Veneri tribuit*, *ob Byblum & Libanum*, & Primi post homines natos (scribit Pausanias in Atticis) Assyrii Venerem Uraniam colebant, post Assyrios Ascalonitæ & Cyprii (memineris Ascalonitarum Deam Derceto seu Atergatida fuisse:) ab Ascalonitis autem ejus sacra didicerunt Cytherii. Cæterum Syra hæc Venus & masculinum & fœmininum, quod ad sexus Dagonis mutationem etiam referas, numen putabatur. Sacra ei varie solennia faciebant, sacrorumque pro ritu aut viriles aut muliebres vestes induebant. Illinc sane lux scripturæ quæ vestimentorum commutationem vetat. Deuter. cap. XXII. com. 5. ita legitur. *Non sint arma viri super mulierem, nec induetur vir vestimento mulieris*. Arma Hebraice sunt כלי *Celi*, quod tamen a nonnullis vertitur etiam *vestimenta*. LXX. Seniores ibi οὐκ ἔσται σκεύη ἀνδρὸς ἐπὶ γυναικὶ, οὐδὲ μὴ ἐνδύσηται ἀνὴρ στολὴν γυναικείαν: ubi σκεύη pro instrumentis sive armis bellicis sicut & כלי capio. Nisi σκευὴν legere malueris quod πανοπλίαν interpretatur Scholiastes vetus in Aristophanis Σφῆκας. Certe quod hic σκεύη libris excusis LXX. interpretum dicitur, id apud Josephum, ubi hoc idem præceptum memorat, est σκευή. Sed sexcenta sunt loca quibus כלי σκεύη a Senioribus vertitur, uti & ἀγγεῖα. Verum a R. Mose Ben-Maimon (qui primus Rabbinorum delirare desiit, & de quo est apud Judæos diverbium, a Mose usque ad Mosem, nequaquam fuisse hactenus talem Mosem) explicatur præceptum illud, non quasi simulatio sexus tam prohiberetur, quam idolorum cultus & ipsa Veneris & Masculæ & Fœmineæ sacra. In More Nebochim part. III. cap. XXXVIII. *Istud autem est* inqnit ille *propter quod dicat scriptura*; Non accipiat mulier arma viri neque vir induatur veste muliebri: *Invenies autem in libro artis magicæ quem composuit* Centir; *quia dicitur ibi*, *ut vir in-*

*induatur vestum muliebrem pictam cum steterit coram stella, quæ vocatur* Venus, *& mulier assumet loricam & arma bellica cum steterit ante stellam quæ dicitur* Mars. Martem haud aliud a masculo Venere hic intelligo. Liber autem artis magicæ cujus heic mentio in Codice Maimonidis Ebraico, ספו' טומטר appellatur, pro quo *Centir* male heic in Latino habetur, & quæ sequuntur, in Hebræo sunt: אלבש האיש בגד אשה צביע כשיעמד בכוכב נוגה ותלבש האשה השרין וכלי מלחמה בעמדה למאדים: . Adeoque Venus & Mars eisdem nominantur vocabulis quibus Astronomis Judæorum ipsæ nuncupantur stellæ: sed Arabice librum illum conscripsit Maimonides, quem Hebraice vertit R. Samuel Aben Tybbon, ut docet nos V. Cl. Joannes Buxtorfius. Quænam igitur fuerint ipsissima autoris ab eo citati vocabula, plane nescimus. Neque enim Codicem Arabicum vidisse mihi hactenus contigit. Cæterum præcepto illo de utriusque Sexus habitu, ritus aliquis profanus vetari videtur tum quod arma viri bellica sumere mulieri prohibetur non vestimenta quæ alio vocabulo שמלה *Simlath* singulariter ibi denotantur, tum quia solennis illa causa additur, βδέλυγμα id esse seu rem Domino execrandam; quod plerunque Idololatriam in S. literis spectat, si autem ad publicæ honestatis conservationem tantummodo, ut aliqui, verba illa referas, ne scilicet ansa libidini, a sexus simulatione, facilius præberetur, cum viris, cedo, stolam muliebrem, sequiori sexui vero arma virilia incommode nimium tractat cupido, neque in iis lenoniæ satis illecebræ. Quid quod ad disciplinam militarem, præceptum maxime trahat Fl. Josephus? vide eum lib. IV. Originum cap. VIII. Sed firmat ea quæ attulimus ex Ægyptio Mose Julius Firmicus. Is de errore profanarum religionum cap. IV. Assyrios Venerem coluisse scribit, *Cur aliter servire* Sacerdotum *suorum* chorus *non potest nisi* effœminent *vultum, cutem poliant, & virilem sexum* ornatu muliebri *dedecorent*; & paulo post; *Quid hoc monstrum est, quodve prodigium? Negant se viros esse & non sunt*. Mulieres *se volunt credi, sed aliud qualiscunque qualitas corporis confitetur*. Nam muliebria pati sacerdotibus hisce etiam inter sacra fuit, & impuri corporis labem jactare, ut scribit etiam ille, quod cum Astartes antistitum (de quibus supra) impudicis moribus non parum convenit. Scortatores enim illi erant & sic in Scriptura dicti, utrum ritus iste apud Autorem libri Sapientiæ cap. XIV. com. 26. intelligatur, ubi comessationes, abscondita sacra, puerorum mactationes &, quæ sunt ejus farinæ, alia exagitantur, sub nomine γενέσεως ἐναλλαγῆς, viderint optimi conjectores. Cæterum illum, de quo Maimonides, morem, etiam antiquissimum fuisse & in Europæos traductum, vetustus inter Græcos scriptor testis est luculentus. Philochorus is est, qui Venerem & Lunam eandem esse affirmat, & *ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem & mas æstimatur & fœmina*, uti Latine loquitur apud Macrobium Sat. III. cap. VIII. Pertinere huc possunt quæ diximus supra de Luno & Luna. Quam apta autem fœcundo & promiscui generis Numini huic marina illa figura Dagonis fuerit, ostendunt & priscæ fabulæ quæ spuma ortam Venerem cantant, & Philosophorum placita queis nullum terrestre aut volatile animal tam fœcundum, quam unumquodque marinorum esse memoratur, vide Plutarch. Symposiac. V. ubi de Sale, & Omorcæ, Oannis, & Beli historiam fabulosissimam ex Beroso transcriptam apud Eusebium in omnifaria historia ad hanc rem consulas. Quod autem habet Hesychius, Chaldæis & Assyriis Venerem Δελεφὰτ dictam, etiam iis quæ Græci & Latini de Venere tradunt satis est congruum. Delphah enim id est דלפה, venereos amplexus denotare sive concubitum lingua Babylonica potest; nisi mavelis a דלפא *Dilpha*, id est, gutta, seu stilla ita dictam, uti apud Græcos ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ Ἀφροδίτη & Ἀφρὼ appellatur, quod monuit Vir singulari doctrina, Linguarum item Orientalium callentissimus V. Cl. G. Bedwellus, cum mihi de isthoc vocabulo atque aliis consulenti, pro humanitate sua, amicissime responderet. Verum & Salambo Babyloniis Venus dicta, si Hesychio fides. Σαλαμβὼ, ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις; nec tam ut sidus, quam qua Dea est, ita appellatur. Hanc enim procul dubio cogitabat autor Etymologici magni in Σαλάμβας: ubi inquit, καὶ Σαλαμβὰς ἡ δαίμων παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ὅτι περιέρχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν, id est, *&* Salambas *Dæmon* seu Dea *est ita dicta quod semper in* salo *circumvehatur & versetur, atque eo quod circumeundo Adonim plangat*: nam & Σαλαίζειν est *plangere* uti ex Anacreonte adnotat ille, sed ad Græculorum morem τοῦ Σαλάμβας (quod non aliud est quam Hesychii Σαλαμβὼ, nam Venerem pingit, dum dæmonem suam aperit) originationem lingua populari ri-

ridicule quærit; nec melius nos heic, ſi vocabuli ſyllabas blande palpando meras ex orientali dialecto aliqua nugas obtruderemus. Saracenorum Cabar ſive Cubar a Syria ſeu Babylonia Venere alia non erat: ſed commune iis, qui tam vicini erant, numen. Cubar enim ipſa Venus ( quæ & Luna Dea ) eſſe cenſebatur. Euthymius Zygabenus in Panoplia: Οἱ Σαρακηνοὶ μεχρὶ τῶν Ἡρακλέως τοῦ Βασιλέως χρόνων εἰδωλολάτρουν, προσκυνοῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ ἣν δὲ καὶ Χάβαρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ. δηλοῖ δὲ ἡ λέξις αὐτὴ τὴν Μεγάλην, hoc eſt, *Ad Heraclii Imperatoris tempora* Saraceni *idolis dediti ſunt*. Luciferum *adorabant & Venerem quam Cabar ſua nominant lingua*. Cabar *autem* Magnam *interpretatur*. Et Catacheſi Saracenorum: Ἀναθεματίζω τοὺς τῷ πρωϊνῷ προσκυνοῦντας ἀστρῷ ἤγουν τῷ Ἑωσφόρῳ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ ἣν κατὰ τὴν Ἀράβων γλῶσσαν Χαβὰρ ὀνομάζουσι, τουτέστι μεγάλην, id eſt, *Anathematizo eos qui matutinum ſidus* Luciferum *&* Venerem *adorant, quam Arabum lingua* Chabar, *quod* Magnam *ſignificat, nominant*: ſed vero minime diverſa ſentias Luciferum & Venerem numina. Veneris enim ſive τῆς Cabar ſtellam Luciferam ſeu Ἑωσφόρον eſſe ajunt Græci, ita Zygabenus intelligendus, ita verba Catecheſeos. Conſtat ex Cedreno, alii. Sed vero quod ii Luciferum vocant, magis Noctilucam ſtellam, id eſt, Alilat ( de qua jam ſupra ) vocare debuiſſent: & D. Hieronymus ad Amos lib. II. *Sidus Dei veſtri Hebraice dicitur* כוכב Cocab, *id eſt*, Luciferi, *quem* Saracenici *hucuſque venerantur*. Videſis eundem patrem in S. Hilarionis vita, cap. XX. Neceſſario vero memineris heic ſtellæ Aſtartæ, de qua ſuperius, ſumma adoratione Deam ſibi propitiam reddebant ( neque poſt quam Mahumedicam ſpurcitiem pro religione amplexerentur, cultum hunc omnino dereliquerunt, ut nonnulli ſcribunt ) Ἀλλὰ οὐὰ Κυβὰρ, Ἀλλὰ, exclamantes, ut ſcribunt Conſtantinus Porphyrogennetus de Adminiſt. Rom. Imper. cap. XIV. Cedrenus, alii. *Alii* vero eſt Deus Arabice οὐὰ, ait Conſtantinus, eſt conjunctio *Et*, quod Arabibus & Hebræis litera *Vau* exprimitur, male Georgius Cedrenus & ridicule qui οὐὰ interpretatur μείζων, cum id nempe Cubar ſignificet. Nam כבר *Cabar* eſt magnus & potens atque ex Hebræo in Arabiſmum fluxit, a qua voce Samothracum Dii Κάβειροι ſunt, id eſt, *Potes*, *Potentes*, Δυνατοὶ, μεγάλοι, uti apud Macrobium, Tertullianum de ſpectaculis, Varronem, Virgilium, Servium, alibique vocantur; de quibus vide ſultis ante alios Scholiaſten ad α. Argonauticon Apollonii. Sed *Alla oua Cubar*, ſeu Cabar Alla in hoc ritu, eſt *Deus* ſeu *Dea*, *& magna Dea* ſeu *Dea Potens*, & cum veterum Dii Arabum ( in iis Saraceni ) Bacchus tantummodo fuerint & Urania, ut docent Herodotus lib. III. & Celſus apud Origenem lib. V. Deam autem eſſe Cabar ſeu Cubar apud ſcriptores ſit confeſſo; eadem ut æſtimetur Cabar ſeu Cubar & Urania Venus ſeu eorum Alilat neceſſe eſt. Herodotus diſerte: ἐπιμεμαθήκασι τῇ Οὐρανίῃ θύειν παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. Id eſt, *Uraniæ cultum ab* Aſſyriis *&* Arabibus *didicere*. De Perſis loquitur & liquido innuit eandem eſſe ipſam Aſſyriorum (qui Syri etiam ſunt) & Arabum Deam. Sed vero de ſexu Deorum quæ diximus ſupra heic etiam meminiſſe juvat. Urania enim illa priſcis etiam ſimul & Uranus & Jupiter eſt appellatus. Uranus Arriano lib. VII. de geſtis Alexandri, Jupiter autem Straboni lib. XVI. Utrique tamen duo duntaxat numina ab iis culta ſcribunt, alterumque Dionyſium ſeu Bacchum nominant. Ita etiam Herodotus in Thalia, unde hauſerunt ſcriptores illi, ſed Obodes etiam apud eos in Deorum numerum eſt relatus, ſi fides Uranio, qui Arabica ſcripſit, apud Stephanum in Ὄβοδα. Si Uraniam ſeu Alilat eorum, & figuram illam Lunæ corniculantis ( de qua, ubi de Aſtarte, agimus ) ſerio cogites, Mahumedanorum moris forte, qui ſummis Turrium & Meſchitarum faſtigiis Lunulas imponunt, ut cruces Chriſtiani, origo patebit. In honorem enim Deæ ( Lunam & Venerem Deas diſtinguere hei non oportet ) inſignia illa antiquitus collocata & ſacrata ſentio, potius quam in Hegiræ Mahumedanæ ( id eſt fugæ Mahumedis ex Mecha ) memoriam; quæ biduo poſt verum Lunæ coitum, in initio nempe menſis Muharam, & anni Arabici Lunaris, corniculante jam Luna, accidit, tamen hoc vul Nobiliſſimus Scaliger quem videre licet. II. de emendatione Temporum & III. Canon. Iſagogicorum. Sed Mahumede vetuſtiorem Lunularum apud Hagarenos ſeu Saracenos honorem & cultum fuiſſe non ſolum ex Uranias figura & antiquitate, verum etiam ex eo quod lunulæ priſcis Iſmaelitarum regibus eorumque camelis uti ſingularia erant ornamenta, & tanquam gentis ſymbola, ita enim interpretantur Judæi שהרונים *Schaboronim* Zebæ & Zalmunæ Regum, vide Judic. cap. VIII. comm. 21. & 26. Neque video, ob quam rem, minus priſcam

cam peteret corniculantium fastigiorum originem Magnus Scaliger, quam festi Mahumedanorum Giuma dicti, feriæ nempe sextæ, eam ita illi, uti Sabbatum Judæi & Christiani Primam, celebrant. Nullum de eo in Alcorano præceptum extat. Sed ab antiquissimo Saracenorum ritu excepere Mahumedani: sextam enim feriam (quam nunc Veneris dicunt) ut supremæ Deæ sacram Saraceni celebrabant, idque faciebant primum, opinor, non Uraniam suam, Alilat seu Cabar ad Veneris stellam accommodantes, nec quatenus in Cœlo distincta esset a Luna Venus ad eum qui feriarum titulos obtinet ordinem; verum ut renascenti duntaxat Lunæ (quæ ipsissima Urania, Cabar, & Alilat) divinus eo festo honor haberetur, & Lunæ, cum primum institueretur, diem proprie iis fuisse sentio, quod hic cum Veneris feria nostra quadret, in causa forsan est cur Venerem magis quam Lunam illorum Deam vocitent scriptores, & prisci & recentiores Europæorum. Nam & accedente demum ad Saracenorum mores dierum e planetis denominatione, & eo, qui Noctilucæ dicatus erat, jam Veneris nomen sortito; etiam ut numen illud a cognomine diei Planeta apud eos, qui (ut fit) primigenii instituti incuriosi erant, nomen obtineret, facile evenire quivit. Neque autem Venus, qua Planeta, Alilat aut Noctiluca dici potuit, neque enim a Sole tanto unquam spatio (uti docent Astronomi) vagatur, ut lux sua tertiam noctis vigiliam attingere potis sit, duorum enim signorum intervallo nunquam a sole discedit. Sed vero singularem ad ordinem Planetarum (quo nunc utimur) dierum denominatio veterrima est, ad quam memineris Oraculi illius Apollinis apud Eusebium Præparat. Evangelic. lib. v.

> Κλῃίζειν Ἑρμῆν, ἠδ' Ἥλιον, κατὰ ταῦτα
> Ἡμέρῃ Ἠελίου, Μήνην δ' ὅτε τῆς δὲ παρείη
> Ἡμέρῃ &c.

consulas, si placet, Philostratum lib. III. cap. XIII. ubi de Jarchæ annulis, & quæ disputat Dio lib. XXXVII. & Xiphilinus in Pompejo, nec mittas omnino quæ habent ex priscis poetis Eusebius de Præparat. Evangelic. lib. XIII. & Clemens Alexandrinus Stromat. v. de hebdomade Græcis sacra. Et utinam sane temporis injuriæ non cessisset caput illud septimum quarti Symposiacon Plutarchi; quod nisi intercidisset, origo dierum Planetis cognominum multo magis proculdubio illustrata posteris remansisset.

Cum igitur non institutum sed relictum a Mahumede fuerit festum Giuma, quod Uraniæ corniculatæ sacrum est, a corniculata ejus & vetustissima effigie Lunularum apud eos honos manasse videatur. Cæterum & Venerem in magno lapide *Brachthan* dicto colere etiamnum Mahumedanos; quod credunt super eum Abraham cum Hagar coiisse, aut camelum ei alligasse, eum Isaac filius erat sacrificaturus, scribit Euthymius Zygabenus in Panoplia, de lapide autem verba ejus sunt: ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστὶν ἣν πάλαι προσεκύνουν οἱ Ἰσμαελῖται. φέρει γὰρ μέχρι καὶ νῦν τοῖς ἀκριβῶς κατασκοποῦσιν ἐκ γλυφίδος ἀποτύπωσιν κεφαλῆς: hoc est, *jam dictus lapis est* caput Veneris *quam* Ismaelitæ *olim adorabant, si quis accuratius spectet, etiam* Capitis *in eo delineamenta non obscura erunt*: & in Catechesi Saracenorum, Ἀναθεματίζω καὶ αὐτὸν τὸν ἐν τῷ Μάκκα οἶκον τῆς εὐχῆς: ἐν ᾧ φασι κεῖσθαι μέσον λίθον μέγαν, ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχοντα. τιμᾶσθαι δὲ τοῦτον, ὡς ἐπάνωθεν αὐτοῦ τῇ Ἄγαρ ὁμιλήσαντος τοῦ Ἀβραάμ, ἢ ὡς αὐτῷ τὸν κάμηλον προσδήσαντος, ὅτε τὸν Ἰσαὰκ ἔμελλε θύειν. τοὺς δὲ εἰς εὐχὴν ἐκεῖ ἀπιόντας τὴν μὲν μίαν ἑαυτῶν χεῖρα τὸν λίθον ἐκτείνειν. τῇ δὲ ἑτέρᾳ τὸ οὖς κατέχειν τὸ ἴδιον. καὶ οὕτω κυκλοτερῶς ἑαυτοὺς περιφέρειν, ἕως ἂν πέσωσι σκοτοδινιάσαντες. Quod sonat: *Anathematizo etiam ipsam illam precationis domum in Make: in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum*, Veneris effigiem *in se habentem; honorari autem istum lapidem, quasi* Abraham *super eo cum* Agare *coierit; aut* camelum *ei alligaverit, quum* Isaacum *sacrificaturus erat, eos autem qui precatum illuc eunt, alteram manum ad lapidem extendere, altera vero aurem suam tenere, atque ita in orbem sese circumagere donec e vertigine offusis tenebris concidant*. Veteres certe Arabes quadratam saxum pro Numine venerabantur. Maximus Tyrius ser. XXXVIII. Ἀράβιοι σέβουσι μὲν, ὅντινα δὲ οὐκ οἶδα· τὸ δὲ ἄγαλμα ὃ εἶδον λίθος ἦν τετράγωνος. De hoc lapide Clemens in Protreptico, & Veneris Uraniæ effigiem quadratam meminit Pausanias in Atticis. An lapis ille quadratus, de quo Maximus, sit ille quem Mahumedani jam colunt, nescio: hoc satis scio fœminam in eorum nugis memorari quæ Arot & Marot angelos hospitio perhumaniter excepit, atque ob eam causam cœlo est donata, & tanquam Dea habita. Atque hæc forsan est quam, cis Mahumedem cultam, cum prisca eorum Urania confundunt Europæi. Refert fabulam de angelis illis & in Divos relata fœmina Cantacu-

ze-

zenus Orat. II. κατὰ τοῦ Μωαμὲθ, ex libris Mahumedanorum, liber autem, quem citat ille τῶν διηγήσεων, haud alius est, quam *Doctrina Mahumet* ab Hermanno Dalmata pridem ex Arabico in Latinum sermonem translata, in qua etiam *Puteus Bebil* est Cantacuzeno φρέαρ τοῦ Βαβυλῶνος. Verum sub quadrangularis saxi specie Martem iis in veneratione habitum, saxumque quatuor pedes altum, duos latum scribit Suidas in Θεὺς Ἄρης, quod interpretatur ille Θεὸς Ἄρης, sed male omnino. Nec Mars, nec Ἄρης, nec quid sermonis Græci verbis illis erat quærendum. Terminatio άρης in Θευσάρης, Δυσάρης vel Διασάρης Græculum fefellit; hoc vocabulo alterum Arabum numen, Bacchus nimirum significabatur. Dysares enim erat ille qui corrupte, Arabum Diaphares, apud Tertullianum legebatur, priusquam a Pamelio emendaretur, Apologetici cap. XXIV. Iis quæ adnotavit ille addas ex Stephano Byzantio: Δουσάρη: σκόπελος καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας· εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου. Θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος, id est, *Dusare, locus editus in Arabia, ita a* Dusaro *nuncupata, qui* Arabibus *&* Dacharenis *Deus*. Item ex Hesychio: Δουσάρην τὸν Διόνυσον, apud quem etiam male ibi Μαβαταῖοι pro Ναβαταῖοι exaratur. Dachareni enim Nabathæi sunt, sic ipse Stephanus in Δαχαρηνοῖς. Ubi etiam σημαίνει δὲ, inquit, τὸ Δαχαρηνοὶ ἀρσενικῶς. Rescribe ἀρσενικοὺς. Dacharenos dictos vult quasi Masculinos, nam דכר *Dacar* est masculus, ita legendum etiam constat ex Eustathio ad Periegeten. Cæterum Herodoto, Dionysus Arabum dicitur Ὀυροτάλτ, *Urotalt*. Ob quam rem ita nominatus sit, haud satis video, & religioni est mera somnia obtrudere, sed hæc extra callem forsan videantur, sed tam cognatæ res hujusmodi, ante alias, Arabum & Syrorum sunt, ut non immerito de Arabum Diis paulo accuratius etiam obiter videremus. Quidquid autem de Cubar fuerit dicendum; certe Minerva Thebana, Onka illa dicta & Cadmia, aut ab Astarte aut a Dagone deducenda. Thebani etiam ex Phœniciis oriundi, nemo id nescit: sunt etiam veteres Græci qui Ὄγκαν Minervam lingua Phœnicia sonare scribunt; ita ex Euphorione Stephanus Byzantius: Ὄγκα, inquit, ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ φοίνικας. Idem scribit Scholiastes Æschyli in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, qui sibi parum constans, nunc Ægyptiam nunc Phœniciam vocem esse Ὄγκα vult. Ab hac, Ὀγκαῖαι portæ Thebarum, uti a Thebano Jove, Ὁμολώϊ, Ὁμολωΐδες πύλαι etiam vocitatæ. Cæterum a portis, hanc denominatam opinatur Scholiastes ad Pindari Olmpionic. II. Portis enim illis Minervæ simulachrum a Cadmo sacratum. Regio est item Arcadiæ Ὄγκιον dicta, ubi Erinnyn, Cererem, & Apollinem templa habuisse constat ex Pausania; & Cererem inde habet in animo obscurus ille Lycophron ubi Ὀγκαίης βόθρου mentionem facit. Scholiastes Sophoclis in Oedipum Tyrannum ad illud πρὸς τε Παλλάδος διπλοῖς ναοῖς: Δύο ἱερὰ, inquit, ἐν ταῖς Θήβαις ἵδρυται τῇ Ἀθηνᾷ. τὸ μὲν Οἰκαίας, τὸ δὲ Ἰσμηνίας. Corruptus locus ille, &, pro Οἰκαίας, Ὀγκαίας rescribendum: Oncam enim Minervam & Ὀγκαίαν Ἀθήνην vocat Nonnus Panopolita Dionysiacorum XLIV. Verum quid ad rem Onca heic denotare possit, omnino me nescire fateor. *Anaca*, id est, אנקה (unde fieri potuit *Onca*) *clamorem*, *gemitum* seu *planctum*, & Ἰσμηνίαν *pinguem* interpreteris licet, idque Phœnicia lingua. Certe ὀγκᾶσθαι non solum est Asinorum *rudere*, sed & *clamare*. Hesychius (cui Ὄγγα hæc Minerva nuncupatur) ita ὀγκᾶται per Βοᾷ explicat. Atqui Pausanias cum in Bœoticis Cadmum Phœnicem fuisse non Ægyptium, quod aliqui volebant, asserit, ἐστὶν, scribit, ἐναντίον τῷ λόγῳ τῆς Ἀθηνᾶς ταύτης τὸ ὄνομα, ὅτι Σίγα κατὰ γλῶσσαν τὴν φοινίκων καλεῖται καὶ οὐ Σάϊς κατὰ τὴν Αἰγυπτίων φωνήν. Thebanam Minervam Sigam dictam scribit sermone Phœnicio. Critici ob frequentem τῆς Ὄγκης apud scriptores mentionem, Sigan exterminant & Ὄγκαν ibi substituunt. Reclamare his prorsus non audeo. Verum cum ex antiquis Sida Beli uxor, id est, Beltis sive Astarte, a Georgio Cedreno memoretur, atque שדה *Siddah* nonnullis pro pulchra fœmina apud Ecclesiasten cap. II. com. 8. sumatur, vereor, ne Pausaniam temere nimis interpolent qui Ὄγκαν potius quam Σίγαν legunt, & propius abest a vulgata lectione Σίδα, quam Ὄγκα, sed veniam conjecturæ petimus heic sceptici. De Σίδα vocabulo Bœotico & urbe cognomine plura Agatharcides apud Athenæum Dipnosoph. XIV. sed non quæ nos juvant. Nec Thebanorum modo Minerva, sed etiam ipsa Europæorum antiquissima, Palladium nimirum Phœnicia Dea erat, & ab altera nostrarum deducenda, ni fallat Lycophron dum Ulyssem appellat

Δελφινόσημον κλῶπα φοινίκης Θεᾶς.

Phœniciam Deam vocat Palladium quod subtraxit Ulysses. Eo nomine culta Minerva Corinthiis, ut notat Tzetzes. De Palladio aliquid diximus ubi de Theraphim

phim egimus, sufficiant hæc de multinominibus illis Deabus ad quas Europæorum plerasque vetustissimas, atque id etiam, quod de Ada ex Hesychio superius adnotavimus, referas oportet. Ad Syriam Venerem referenda sit nec ne Babia pueritiæ atque adolescentiæ, ut videtur, Dea, apud Syros culta, nequeo conjectare: nec de eo numine alibi quid memini occurrisse quam in Damascii vita Isidori apud Photium Cod. CCXLII. Verba ejus adjungam; Βάβια δὲ οἱ Σύροι, καὶ μάλιστα οἱ ἐν Δαμασκῷ τὰ νεογνὰ καλοῦσι παιδία: ἤδη δὲ καὶ μειράκια ἀπὸ τῆς παρ' αὐτοῖς νομιζομένης Βαβίας Θεοῦ. Id est Babia *Syri, & maxime qui in Damasco, pueros recens natos, jam vero & adolescentes a* Babia, *quæ apud illos Dea putatur, vocant:* alias Βαβαίας legitur. Neutrum magis intelligo, quam ut locus hic de ea singularis docet. Meminit Βαβαὶ Hesychius in vocabulo Α'μάη, & vocem ait esse Syriacam atque σύγχυσιν seu *confusionem* significare. Id sane Babel sonat Hebraice. Verba ejus sunt: Α'μάη Ἑβραϊστί. Βαβαὶ Συριστί. Ἑ'λληνιστὶ σύγχυσις.

## CAPUT V.

Priapus Miphletzeth: *Maachæ, Asæ Regis matris, idolum. Unde, apud Hebræos, deductum. Græcorum & Latinorum* Phallus. *Francisci Rablesii* Nephleseth *numen.*

In Latina quæ D. Hieronymo tribuitur versione, Priapus etiam, uti magnum Fœminarum numen memoratur. In III. Regum, cap. XVI. *Asa Rex Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco ejus quem consecraverat, subvertitque specum ejus & confregit simulachrum turpissimum & combussit in torrente Cedron.* Et in cap. XV. secundi Paralipomenon: *Sed & Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi, quod omne contrivit & in frusta comminuens combussit in torrente Kedron.* Quæ loca respexit aut potius transcripsit D. Hieronymus in commentariis ad Oseam, quos syntagmate primo, capite de Baal-Peor, quem Priapum fuisse perperam autumarunt cum illo complures veterum, adduximus. Primo autem in loco Seniores; Μητέρα ἑαυτοῦ μετέστησε τοῦ μὴ εἶναι ἡγουμένην καθὼς (καγὼ legitur in Bibliis Antverpiensibus) ἐποίησε σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς. Καὶ ἐξέκοψεν Α'σὰ τὰς καταδύσεις αὐτῆς καὶ τὴν Μααχὰ τὴν μητέρα αὐτοῦ μετέστησε τοῦ μὴ εἶναι τῇ Α'στάρτῃ λειτουργοῦσαν καὶ κατέκοψε τὸ εἴδωλον, &c. Hebraica veritas est in Regibus וגם את מעכה אמו ויסרה מגבירה אשר עשתה מפלצת לאשרה ויכרת אסא את מפלצתה וישרף בנחל קדרון:, *Amovit Matrem a dominatione sua eo quod ipsa fecerat Miphletzeth in luco & & exscidit ejus Miphletzeth & combussit juxta torrentem Kedron.* Neque aliter ad rem nostram verba se habent in Paralipomenis. *Miphletzeth* autem quod idolum horrendum plerumque redditur a recentioribus aut simpliciter Idolum, primo, ut vides, in loco Priapum, dein specum Latino interpreti significat; Senioribus vero σύνοδον primo, dein eodem commate καταδύσεις & in Paralipomenis εἴδωλον; ubi interea τὸ לאשרה, quod *in Luco* vulgo vertitur, τῇ Α'στάρτῃ redditur. Qua autem ratione τὸ אשרה Astartem Deam significet, fusius explicatur capite hujus syntagmatis secundo. An igitur Miphletzeth idolum erat Astartæ sacrum, an ei σύμβωμον? ut scilicet σύμβωμοι essent Venus & Priapus, dissonum non erat. Sed Belum Phegorium Priapum fuisse intellexerunt veteres; de qua re vidimus syntagmate primo. Maachan autem antistitem fuisse sacrorum quæ Priapo celebrabantur, & præfuisse fœminarum sodalitio sive συνόδῳ, quæ eum inprimis colebant, vult Lyranus. Alii item. Et specum illum seu κατάδυσιν antrum quo libidines & obscœna sacra interdum obtegebant, indicare. Certe σύνοδος etiam denotat, & κατάδυσις forte olentem fornicem. Horrendum autem idolum ideo subinde vertitur מפלצת eo quod פלץ a quo formatur, contremiscere significat. Sed ad dictum locum Regum R. Levi Ben-Gersom nomen hujusmodi ei tributum esse ait לפי שהוא מביא פלצות וצרות לעובדיו: *ideo quod tremorem affert & calamitates multas eis qui eum coluere.* Sed ibi Salomon Jarchi אמרו רבותינו מפליא ליצנותא *dicunt Rabbini nostri* dictum ita fuisse eo quod *mirandum excitaret risum.* Certe ita Rabbi Jehuda in Talmude tractatu ע״ז, capite כל הצלמין (quod & notat autor Baal Aruch.) p. 44. editionis Venetæ, ubi item adjicitur quod Priapi nomen in Latina versione merito satis progenuerit, idque ex Rabbi Joseph ad historiæ de Maachæ idolo explicationem; scilicet כמין זכרות עשתה לה והיתה נבעלח לו בכל יום:, quæ memorat etiam Salomon Jarchi loco jam citato. Græcis vero & Latinis Phallus & Ithyphallus dicitur Priapus. Et de Phallis hoc sensu historiam habemus insignem apud Herodotum in Euterpe, ubi, cum cæteris Bacchi sacris, e Phœni-

nicia, id eſt, e Syria noſtra eos petit. Certe complures ſunt originationes, quæ ab eo, quod eſt veriſimile, plus aberrant, quam ſi a מפלצת etiam Phallus deduceretur, vocabuli veſtigia aliquot in eo ſunt non ita obſcura. Sed conjecturis hujuſmodi fidem prodigere, moris noſtri non eſt. Numen hoc, niſi me fallat memoria, Nephleſeth pro Miphlezeth nuncupatur in Satyricis lepidiſſimi doctiſſimique Franciſci Rableſii facetiis. Sed Helleſpontiacum origine Deum plerumque faciunt Priapum, & præ cæteris novitium, uti Strabo lib. XIII. Etiam in Priapi officiis deſcribendis, ubi Hortorum cuſtos eſt, occurrit interdum id quod vocabulum, unde fit Miphlezeth, Hebraicum, velut interpretatur.

> - - - *Deus inde ego, Furum aviumque*
> *Maxima Formido* - - -

legitur apud Horatium: &

> *Terreat ut ſæva falce Paiapus aves*,

apud Tibullum. Sed hiſce immorandum non eſt.

## CAPUT VI.

Baal-zebub. Θεὸς Μυῖα. Muſcæ ſacra Dei Veri *non infeſtabant*. Baalzebub *haud ita dictus in idoli contumeliam*. Μυάγρος Hercules. Jupiter. Ἀπόμυιος Hercules Κορνωπίων, ἰποκτόνος. Apollo μυοκτόνος. Muſcæ-Accaronitæ. Achor *Deus Plinio*. Belzebul. Belus Stercoreus. Jupiter Stercoreus. *Mos ſcripturæ in vocabulis paulo mutandis in opprobrium eorum quæ deſignantur*. Mons Olivarum *dictus* Mons corruptionis. Barchozebas. *Dii* Stercorei. *Deus* involutus. *Dæmoniorum Princeps* Ashmodæus. Samael *dæmonium dictum quod Evam fefellit. Idem Angelus* Martis. Satan.

CUM diſrupto forte opere reticulato (ita enim volunt Judæi locum illum de cancellis intelligi) cœnaculi ſui præceps deciderat Ahazias Rex Iſraelis & colliſo corpore ſe male haberet, de ſalute conſuluit oraculum τȣ̃ *Baal-Zebub* בעל זבוב Dei Acaronitarum; uti eſt de ea re hiſtoria II. Regum capite primo. Interpretatur *Baal-Zebub* Dominus ſive *Deus Muſcas* ſeu *Muſcæ*, unde Fl. Joſephus de Ahaziæ caſu verba faciens τὸν Ἀκκαρων Θεὸν Μυῖαν (quaſi diceret *Accaronitarum Deum Muſcam*) eum appellat, quo nomine & LXX. Seniores, & Gregorius Nazianzenus Orat. Steliteut. II. & ſi qui ſunt alii verſionem Septuaginta ſequuti, utuntur. Pro Muſcæ imagine ſumit hoc Numen Procopius Gazæus. Sed dubitat etiam an Dæmonis nomen fuerit, an Vetulæ in Divos relatæ, & lectorem ad Philonem apud Euſebium in primo Præparationis Evangelicæ remittit. Utrum ab Accaronitis inventum fuerit hoc nomen, an a Judæis in idoli opprobrium, diſputatur. A Muſcarum multitudine quæ Victimarum carnes plerumque ſectantur, dictum, non deſunt qui putant. Veri Dei enim ſacra muſcas nequaquam infeſtaſſe traditur, Pirke Aboth cap. V. §. 6. 7. *Non conſpecta eſt Muſca in domo mactationis*. Et judicio Magni Scaligeri, *id quod dicebatur* Baal-zebahim (ſic ille) *Deus victimarum, immolationum, ſacrificiorum, joculari vocabulo ſcriptura vocavit* Deum Muſcæ, *quod in templo Hieroſolymitano muſcæ carnes victimarum non liguriebant quum tamen gentium fana a muſcis infeſtarentur propter nidorem victimarum*. De hac re alii aliter, ſed mihi perſuaſiſſimum eſt, Accaronitis ipſis eum Baalzebub dictum. Nonne enim veluti Numinis venerandi illius mentio facta eſt ab Ahazia? *Ite*, inquit, *& inquirite* Baalzebub *Deum Accaronitarum*, *num ſupervicturus ſim ab hac infirmitate*. Ecquis numen, quod coleret, ac de ſalutis inſtauratione conſulendum duceret, inhoneſto & joculari vocabulo compellaret? Accedit quod etiam Europæis Jupiter & Hercules ſub eodem fere nomine colerentur. Arcades ſolenni ſacrificio τὸν Μύαγρον quotannis reddere ſolebant propitium; quomodo & Elei, Olympico certamine, Jovem Ἀπόμυιον, teſtante ſcilicet Pauſania in Arcadicis & Eliacorum priore. Hunc Myodem vocat Plinius Hiſt. XXIX. c. VI. & Clemens Alexandrinus in Protreptico: Ἀπομύῳ Διὶ θύουσιν Ἠλεῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ Ἀπομύῳ Ἡρακλεῖ. Cæterum de Hercule Romano videſis Solini caput primum, ubi, cum Potitiorum & Pinariorum ſacra iſtitueret, Myagrum Deum, id eſt Jovem ἀπόμυιον imprecatus eſſe dicitur. Myagrus autem, Myodes (potius Myiagrus & Myiodes) Apomyius, & hujuſmodi, Muſcam in ſe ſignanter comprehendunt, & quaſi Dominum Muſcæ expiicant. Ita Hercules Κορνωπίων a Trachiniis cultus: ſic dictus autem quod κόρνοπας (id eſt, πάρνοπας eorum lingua, ſive locuſtas) abegerat. Erythræis idem ἰποκτόνος appellatus, id eſt, qui vermiculos vitibus infeſtos occidit, & Apollo Smintheus μυοκτόνος dictus, a muribus: quæ memorat Euſtathius ad α. Iliados. Anne vero hæc Divum cognomina, minus, quam illud Accaronitarum, ridicula?

la? An Accaronitæ quam Græci & Romani pii magis censendi, aut in idolorum titulis religiosiores? Sacra etiam Muscis annua fieri solita in Apollinis Actii fano scripsit Ælianus de Animalibus lib. XI. A Baalzebub hæresin format Philastrius Muscæ-Accaronitarum, *qui* ( ut verba ejus sunt ) *Muscam colunt in civitate Accaron dicta*. Quid revera in causa fuerit nominis nequeo dicere, nec mihi quis alius, opinor, satis potest. Haud enim acquiescendum est frivolis illis ineptiis, quas de rebus antiquissimis credula & nugans posteritas solet temere nimis evulgare. Velut ἀπρόσιτον igitur illud omittimus. In Africam autem, uti alia, etiam & hoc nomen & Numen traductum videtur. Plinius hist. X. cap. XXVII. *Cyreniaci* Achorem *Deum* ( invocant ) *muscarum multitudine pestilentiam afferente, quæ protinus intereunt postquam litatum est illi Deo*. In *Achore* hic vestigia reperis *Accaronis*, & quæ de Muscis dicit, ea Baalzebub ferme sonant. Meminere hujus Idoli, verum sub Principis Dæmoniorum nomine; Latina, Hebræa, quæ circumfertur, & Syriaca DDD. Matthæi, Marci, & Lucæ versiones. In quibus tamen pro Beelzebub Græcorum pleraque, &, doctorum sententia, optima exemplaria Βεελζεβοὺλ Beelzebul habent, atque vetustissima Arabica a V. Cl. Thoma Erpenio edita بعلزبول *Beelzebul* ubique retinet. Beelzebul autem sonat, *Jupiter, Belus* sive *Dominus Stercoreus*, aut *Stercoris*. Certe & D. Chrysostomus Βεελζεβοὺλ legit; ita etiam Origenes, Athanasius, Cyrillus, plerique veterum. Et Prudentius περὶ στεφάνων Hymn. V. Vincentio Martyri:

> *Sed* Belzebulis *callida*
> *Commenta Christus destruit*.

Videsis Leonem a Castro in Apologetici lib. VI. pag. 658. Non male dixeris in contumeliam idololatrarum vocabulum inventum, uti & sentit J. Drusius, adnotans etiam hujusmodi appellationes in Fictorum numinum ignominiam fieri solenniter præcepisse Judæorum Sapientes. Inde est, quod mendacissimum illum impostorem Messiæ nomen sub Trajano venditantem, Barchocebam, id est *filium stellæ*, prius dictum, Barchozibam, id est, *filium mendacii* appellarint. Quod nec exemplis in veteri Testamento caret. Mons enim Olivarum postquam est idolis inquinatus הר המשחית *har hamaschith*, id est, *Mons corruptionis* dicitur, uno solum τῷ הר המשחה *har hamischah*, id est, *Mons Olivarum*, seu *Unctionis*, mutato elemento, & Jod addito, ut nimirum ad nomen alludatur, nec opprobrium desit. Locus est II. Reg. cap. XXIII. com. 13. Retinent ibi LXX. μόσθαθ pro *maschith*, at Chaldæus paraphrastes טור זיתאי *Tour zithaia*, id est, *Mons Olivarum* ibi habet. Id genus sunt plura in Veteri instrumento, nec doctis ignota. Cæterum non sum nescius Jovem Græcis vocatum quasi Stercoreum seu fimo delibutum, ut videre est in illo Orphei carmine,

> Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε Θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ.

legitur apud Nazianz. in Steliteutic. α. sed εἰλύμενος κόπρῳ non magis ad Jovem Stercoreum ibi attinet quam illud Virgilii:

> - - - *totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet*.

Interpres enim seu paraphrastes est Virgilius, ad illud Orphei intelligendum, ab utroque arcana Naturæ duntaxat docentur; & Deus velut Involutus existimatur, quo nomine memoratur apud Senecam Natural. quæst. lib. II. cap. XLII. Deorum quidam ordo ex Hetruscorum monimentis. Adjiciam tamen quod de Stercoreis habet Abraham Ben-Kattun, ubi versum 3. cap. XXIII. Exodi ad hunc modum explicat. *Non sines apud te habitare, qui colunt Deos peregrinos vel* Stercoreos. Stercoreos in opprobrium heic dictos nullus debito. Atqui ob quam rem ad principem dæmoniorum denotandum usurpetur Beelzebub aut Beelzebul (dum tamen innuebant Beelzebub) fateor cum Origene, me omnino latere. Nescire se scribit ille, unde didicerint illius ævi homines τὰ περὶ Βεελζεβοὺλ. Sed vide si placet Responsorum, quæ Justino Martyri tribuuntur LXXXII. ubi nomen isthoc ab ipsis dæmoniis sacrificantes & ἐπαοιδοὺς didicisse scriptor ille, quisquis fuerit, autumatur, vide si placet, Alcoranum Mahumedanorum, Azoara XLVIII. Neque hunc faciunt Hæbræorum monimenta Dæmoniorum principem, seu Ashmodæum potius. Chaldæus paraphrastes in Ecclesiaste cap. I. אשמדיי מלכא רשידי, id est, *Aschmedai Rex Dæmonum*, dictus autem אשמדיי a שמד *Shamad* quod est perdidit sive exterminavit, & nominibus illis Angeli abyssi, Abaddon nempe & ἀπολλύων, perquam est congruum. Hunc memorat Elias in Thisbi, qui eidem Samael etiam scribit vocabulo fuisse, volunt autem Samaelem proprium esse Diaboli nomen, qui primos parentes fefellit, cumque colubro cameli speciem fe-

ferente vectum. Rambam Ægyptius More Neboch. II. cap. XXXI. *Coluber fuit equitatus, & ejus quantitas sicut cameli, & equitatus ejus fuit sicut ille, qui decepit Evam & ipse fuit* Zamael ( de Samael intelligo ) *Hoc autem nomen dicunt præcise de Diabolo*. Veteri commemoratione sanctorum Ecclesiæ Orientalis legitur: *Accusationis* Samaelis *ne recordetis, memento autem defensionum Michaelis*. De Asmodæo videre licet historiam Tobit. Diverbium est & Hebræis; *Date munus ipsi* Samael *in die Expiationum*, ita Elias. Nominatur Astrologis Judæorum, Angelus ille, quem diei Martis præesse nugantur, Samael. Notissimum Satanæ nomen est, & velut Diabolo, seu cacodæmonum principi, proprium. Et ut διάβολος calumniator, Satan adzersarius, sive inimicus, hoc est שטן interpretatur. Utroque instrumento obvium est, & in Enochi Apocryphis vetustissimis, si fides autori Testamenti Patriarcharum, occurrit. *Princeps vester est Satanas*, de quo nomine vide, si placet quæ Justinus Martyr Dialogo ad Tryphonem Judæum. De Luciferi nomine consulendus Eusebius in demonstrat. Evangelic. lib. IV. cap. IX.

## CAPUT VII.

Coloniæ *a Salmanassaro in Samariam deductæ. Gentis uniuscujusque idola.* Succoth Benoth. Gallina *cum pullis. Templum* Veneris Uraniæ *in* Succoth Benoth *denotatum. Ritus* puellarum *in* Fano confidentium. *Hieremiæ epistolæ locus explicatus.* περιθέμεναι σχοινία quid. περισχοινίζειν. ἀπεσχοινισμένος: τὰ πίτυρα θυμιῶσαι *quid*. Placentæ *queis* Reginæ Cœli *faciebant*. Venus *a* Benoth *forte dicta, id est*, Venos. Sicca Veneria *colonia Africana*. *Lux* Valerio Maximo. Veneria *a Venere dicta, &* nomen *in Romanis* fœmininum. Veneris etyma *quæ docent plerique*. Venus *Græcis* Jove antiquior. *Romanis incognita sub Regibus*; a veniendo *eam non dicebant*. Persithea.

Postquam Salmanassarus Rex Assyriæ, exciso Samaritanorum regno, incolas captivos abduxerat, migrare jussit in Samariam colonias de *Babel*, de *Cuth*, de *Ava*, de *Hamath*, & de *Sepharvajim* II. Reg. cap. XVII. *Fecerunt autem singulæ gentes sibi* Deos *suos & reposuerunt in templis excelsorum quæ fecerant Samoritæ, Gens quæque in civitatibus suis in quibus illæ habitabant. Viri quidem Babel* Succoth Benoth, *& Viri Cuth fecerunt* Nergal, *& Viri Hamath fecerunt* Ashimath. *Avitæ autem fecerunt* Nibbaz *&* Tharthac, *& Sepharvajim comburebant filios suos in igne* τοῖς Adramelech & Anamelech *Diis Sepharvajim*. Atque hæc omnia Assyriorum numina appellant sacræ literæ in Ezechielis cap. XXIII. comm. 7. Interpretatur autem סכות בנות *Succoth Benoth* Tabernacula filiarum. Sed LXX. scribunt σωκχὼθ Βενὼθ, tanqnam proprium numinis vocabulum. Volunt Hebræi nugatores Succoth Benoth imaginem fuisse Gallinæ cum pullis suis, id est, uti ajunt, דמות תרנגלת עם אפרוחיה quod ad citatum locum habent RR. D. Cimchi & Salomon Jarchi. Atqui explosis omnino Rabbinorum lyris, Succoth Benoth non tam Deum aliquem Deamve quam fanum ipsum ritusque circa illud sacros denotare censemus. Ipsissimum enim erat Babyloniæ Mylitte sive Veneris Uraniæ templum, ubi puellæ corollis revinctæ, & sedentes singulis in spatiis, quæ funiculis erant distincta, hospites opperiebantur, qui rite implorata Venere Mylitta, pecuniaque quantulacunque data ( quæ Deæ sacra ) cum eis a fano subductis rem haberent. Nec cuiquam fas erat prius discedere quam ad hunc ritum fuerit ad res Venereas electa, unde fiebat, ut per biennium nonnunquam & triennium, expectarent, quæ deformmes, miseræ. Lege vero patria omnibus fœminis erat commune ut semel in vita ita desidentes cum advenis consuetudinem haberent. Cæterum beatiores vehiculis cameratis tectæ, relicta a tergo magna famulitii turba pro fano consistebant. Heic plane Filiarum seu muliercularum tabernacula, id est *Succoth Benoth*. Historiam autem ampliorem de hac re habes apud Herodotum, lib. I. & Strabonem lib. XVI. a quibus nos, quæ attulimus. Absque iis esset, quis locum etiam illum Hieremiæ in Epistola Barucho subnexa omnino caperet? Comma dico XLIII. ubi scorta diobolaria Babyloniorum insectatur, ad hunc autem modum loquitur. Αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. ὅταν δέ τις αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα ὑπό τινος τῶν παραπορευομένων κοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει ὅτι οὐκ ἠξίωται ὥσπερ καὶ αὐτὴ, οὐδὲ τὸ σχοινίον αὐτῆς διερράγη. Mulieres, ait, funiculis, circumdatæ, in viis sedent, ut furfures adoleant. Et si qua earum cum advena quovis, qui vi eam sibi attraxerit, cubaret, proximam conviciabatur, quod nequaquam simili afficeretur honore, nec funiculus ejus disrumperetur, περιθέμεναι σχοινία quid fuerit,

rit, non satis liquet; æquo forsan ad χοινία illa λέπτα sive tenues funiculos, e quibus earum corollæ textæ, perinde ac ad funiculos qui spatia unicuique dividebant, spectare possit, nam corollarum materiem funiculos tenues fuisse testis est Herodotus, & Strabo; θώμιγγι (quo usus est vocabulo Herodotus) ἔστεπται ἑκάστη, id est. *Ex funiculo tenui unicuique corolla est*. Sed in Hieremiæ epistola τὰ χοινία fuisse vult Olympiodorus περιζώματα, seu cingula, quibus pudenda duntaxat operiebant, cætera nudæ. Σχοινία, inquit, φησὶ τὰ περιζώματα. Καλύπτεται γὰρ μόνα τὰ τοῦ σώματος ἀσχήμονα, τὰ λοιπὰ παρεγύμνουν προσκαλούμεναι τοὺς ἐραστάς. Habetur in Catena a Michaele Ghislerio edita. Ego vero malim heic χοινία aditus, sive διεξόδους ad singulas distinguentia intelligere. Aditus illi funiculis circumsepti ad fœminam sedentem protensi erant. Διέξοδοι χοινοτενέες Herodoto appellantur, quod *Aditus ad funiculorum longitudinem protensi* interpretor. Et χοινία περιτεθῆναι dicebatur ut Athenis περισχοινίζειν, quo vocabulo usi sunt cum protensis funiculis, profanos a sacrorum judiciis arcerent, sic Pollux lib. VIII. & Demosthenes (si is sit autor Orationis adversus Aristogitonem primæ) τῷ ἀπεσχοινισμένον utitur de eo, qui foro περισχοινισμένῳ excluditur, quod notavit Harpocration. In Veneris autem seu Mylittæ fano puellas considentes (hoc est Succoth Benoth, ut nobis videtur) Hieremiam cogitasse non dubitandum. Et vetustissimi, ni fallor, hi Milyttæ ritus etiam in Pentateucho vetiti. Levitici cap. XIX. comm. 29. *Non publicabis filiam tuam, ut facias scortari eam*, certe pluria præcepta ad conterminarum gentium ritus & mores impios spectasse manifestum est, hoc vero hanc spurcitiem innui satis est verisimile. At quid sit τὰ πίτυρα θυμιῶσαι fateor me hectenus nos satis cepisse, nisi sint heic πίτυρα velut Οὐλόχυτα seu molæ salsæ aut libamina, θυλήματα dicta, frequentes in sacris molæ illæ: & Simætha venefica apud Theocritum, θύειν τὰ πίτυρα Hecatæ, ad amorem conciliandum jubet: quod idem ipsum vocat imitatus eum Virgilius *spargere molas:* Πίτυρα autem sunt Furfures, verum hic videntur accipienda sive pro θυλήμασι priscorum, id est, libaminibus melle seu vino & farina confectis, seu pro salsis molis. Lucem huc ferre potest Jeremias cap. VII. comm. *An tu non vides quid ipsi faciunt in civitatibus Jehuda & in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, & patres accendunt ignem, muliares vero subactæ farinæ massam ponunt, ut faciant placentas Reginæ Cœlorum*. Placentæ sunt a propheta כונים *Cavanim* dictæ, quas effigiem Reginæ Cœlorum retulisse scribit Salomon Jarchi. Certe mirum est, nisi ex πιτύροις & melle forsan hujusmodi liba facta voluerit is quicunque autor sit Epistolæ quam laudavimus. Etenim Venus Babylonia *Regina* etiam indigitabatur *Cælorum*, vide Harpocrationem in Α'πομάττων. Olympiodorus vero ad locum illum de πιτύροις adnotat, Α'φροδίτῃ τύχον ἤ τινι προαγωγῷ. Ἴσως δὲ καὶ εἰς καθαρμὸν τοῦτο ἐποίουν αἱ δυστυχεῖς, *Veneri forsan hoc faciebant aut Lunæ alicui. Forsan etiam ad februationem miseræ mulierculæ*. Ε'φελκυσθείσας autem ideo, ut opinor, dicit, sive raptas, quod amasiis, arte meretricia, ut chariores eis haberentur & stomachi esse delicatioris audirent, reluctarentur, funiculum forsan, usque dum ab amasio fuerit disruptus veluti retinaculum pudicitiæ, muliebri simulatione retinentes. Sic, ni fallor, quod habet de funiculo disrumpendo capiendum est. Suaviter forsan insanire iis viderer, qui has literas & quicquid non est ultro obvium oscitantibus, nimium temnunt, si Veneris nomen a *Benoth* in Succoth Benoth peterem. Nemo tamen est, qui nescit facillimam & frequentissimam esse elementi *B.* in *V.* migrationem; quod si & Tau finale per Sigma, ut Judæis hodierni, pronunties, tum *Venos* in *Benoth* expressissimum habes: & *Binos* Græca pronuntiatione est Venus nostra. Suidas: Βίνος ὄνομα Θεᾶς. Etiam Venos Gen. pro Venere Genetrice legitur in Nummis Juliæ Augustæ Septimii Severi uxoris, si fides Adolpho Occoni, cujus Numismata consulas pag. 366. Ita Benoth ipsum etiam Numen denotabat, & Succoth tabernacula seu ædes. Eucherius Lugdunensis ad IV. Regum cap. XXVI. *Viri Babylonii fecerunt Succoth*, id est, *tabernacula Benoth. Et melius ni fallor, faceret interpres, si Succoth Latine in tabernacula verteret, & nomen Idoli Benoth absolute poneret*. Quid quod colonia Africana trium dierum itinere sive M. Pass. plus minus CXX. a Carthagine dissita, Sicca Veneria dicta, etiam ipsissima τοῦ Succoth Benoth vestigia apud Latinos & Græcos scriptores etiamum retinet? eadem etiam ibi sacra perhibentur, extra quam quod pecuniam datam quæ Deæ sacra esse debuit, sibi more lucrifacerent meretricio. De Colonia illa Valerius Maximus lib. II. cap. VI. Siccæ *est fanum* Veneris, *in quod se matronæ conferebant, atque inde procedentes ad quæstum dotes corporis injuria contrahebant*.

Ita legit ex MS. Pighius. Non Succoth autem solummodo sed & Siccuth quod propius a Sicca abest, *tabernacula* sonat Hebraice & probabile satis est idem sonasse Punice, atque eidem Deæ, eisdem sacris, seu simillimis, ex Phœnicia in Africam translatis coloniam ipsam postea deductam nomen suum debuisse. Nam & Phœnices hunc cultum, hos ritus, & τὸ Succoth Benoth a Babyloniis etiam accepisse facile persuasum habeas, & consulas si placet S. Athanasii adversus gentes orationem & Sozomen hist. Eccles. lib. I. cap. v. & lib. v. cap. IX. ut autem Latinæ & Græcæ vocabulorum terminationes in adscitis barbaris servarentur, *Siccuth Benoth* in *Siccam Veneriam* mutaretur oportuit. Σίκκα Οὐενερία dicitur Ptolomæo & Procopio lib. II. Vandalicorum. Sicca Veneria Antonino in Itinerario, Victori Uticensi lib. II. de Vandalica persecutione, cui & Siccensis civitas appellatur. *Veneria* tantum Solino, & *Sicca* Plinio lib. v. cap. III. & *Castus a Sicca* Episcopus D. Cypriano in sententiis Concilii Carthaginiensis memoratur. Certe depravate Κάστος ἀπὸ Δίκης pro ἀπὸ Σίκκης appellatur in ejusdem Concilii sententiis Græce editis. Civitas Siccæ nominatur B. Hieronymo in Chronico; illic Arnobium claruisse scribit, hinc Sycensis venus apud Giraldum Syntagmate XIII. & Sycca Urbs Punica. *Veneriam* autem vocabulum esse a Venere petendum, nemo est, qui neget. Inde enim non infrequens est apud priscos Romanos nomen fœmineum, veteribus quæ excusæ prodiere inscriptionibus non semel obvium fit, & in Arundellianis ad Thamesis ripam ædibus visitur cippus sepulchralis ita dicatus.

D. M.<br>
CLAUDIÆ VENERI<br>
AE. CONIVGI. SANCTIS<br>
IMÆ. Q. IVSTEIVS.<br>
PROBATUS. SIBI. SVIS<br>
QVE. POSTERISQVE<br>
EORVM.

Etymon hoc prorsus asserere non ausim; verum nec novum est ex Syria ejusque vicinia originationes vocum Italarum petere; nec ignotum literatis, scio Ciceroni dictam Venerem, quia *ad res omnes veniret*, D. Augustino, *quod sine ejus vi fœmina virgo esse non desinat*, aliis a *veniendo*, quod peregrinum nempe numen; quasi προσήλυτον θεὸν, sive quod ad cunctos veniat; vide Ciceronem II. de Nat. Deorum. D. Augustin. de Civit. Dei VI. cap. VIII. Arnobium lib. III. & Josephum Scaligerum ad Festum in verbo *Aperta*. Cæterum hæc omnia & quæ sunt id genus alia, præ iis, quæ a Succoth Benoth ad Deæ originem adducuntur, aut nullius omnino sunt pretii, aut nihil omnino in his non videmus. Et vix est, ut vetustissimorum Deorum nomina aliunde quam ex Asiaticorum dialectis emanent. Venus autem etiam ipso Jove antiquior sub Ἀφροδίτης nomine a Græcis censebatur, ut docet Scholiastes ad III. Argonauticῶν Apollonii. Atqui vetustissimis Romanorum temporibus, sub regibus, inquam, ignota erat, nec in Pompilianis indigetamentis neque in Saliorum carminibus, ut cæteri Dii, memorata. Quod si sæcula citeriora ex lingua Romana a veniendo eam nominassent, certe & accuratiorem analogiam servassent, neque terminatione masculina, cum Dearum cæteræ omnes ea careant, τὸ Venus formassent. De nominis vetustate vide, si placet, Cincium & Varronem apud Macrobium Saturn. I. cap. XII. Anne qui Περσιθέαν olim Venerem nominarent, Persis (quo nomine etiam Orientalium plerosque, maxime Babylonios & Assyrios veteres appellasse sciunt docti) eam oriundam, id est, ab hac, quam nos asserimus, origine petendam voluerunt? Non ignoro uti ἀνδροφόνον, ita & Περσιθέαν, quasi Deam *expugnatricem* aut *vastatricem*, dici etiam potuisse.

## CAPUT VIII.

Nergal. Cuthæi. Pyrethi. *sacer & ἄσβεστος ignis* Noragal. Πυραθεῖα Persarum. Virgæ myricinæ. Magorum carmen *dum igni accinebant*. *Illustratur* Strabo. *Item* Phœnix Colophonius. Deus τοῦ Nahor. *Uti ignem colebant* Persæ. πυρεῖα. Chamanin *lingua sancta*. Bamoth *sive* excelsa. Ζεὺς ἐπάκριος. Omanus *seu* Amanus *&* Anaitis. *Cur Datis* Delum *insulam reliquerit intactam*. Equos *&* quadrigas soli *sacrabant*. Orientem *versus ad ostium Templi* Solem *adorabant*. Christiani *in* eam plagam *quare supplicent*. *Ad eum morem* Gentes *numem invocabant*. Nergal Gallina *seu* Gallus *Rabbinis*.

Nergal, Hebraice נרגל, ignis forte erat perennis in septis a Cuthæis religiosissime servatus. Mihi ita sane videtur. Cuthæi enim a Cutho Persidis fluvio & regione cognomine nuncupati sunt, atque inde numerose, uti ver sacrum, in Samariam deducti. Ignem ita

ita sacrum apud Persas fuisse confirmat Strabo lib. xv. ubi in Anaitidos & Omani seu Amani Persicorum numinum apud Cappadocas cultorum fanis Magis, qui Pyrethi dicti, curam perennis illius Ignis mandatam esse oculatus testis feret. Ἐν δὲ, inquit, τῇ Καππαδοκίᾳ, πολὺ ἐστι τὸ τῶν Μάγων φῦλον οἱ καὶ Πύρεθοι καλοῦνται. πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν Θεῶν ἱερά. οὐ δὲ μαχαίρᾳ θύουσι ἀλλὰ κορμῷ τινι ὡς ἂν ὑπέρῳ τύπτοντες. ἐστὶ δὲ καὶ Πυραθεῖα, σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι. καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες ἐπάδουσιν ὥραν σχεδόν τι, πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες, τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς, καθήκας ἑκατέρωθεν μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη καὶ τὰς παραγναθίδας: hoc est, *in Cappadocia, magna est* Magorum *multitudo, qui* Pyrethi *dicuntur, multa item* Persicorum Divum *fana. Haud cultro sed stipite quodam mactant velut pistillo verberantes. Sunt etiam* Πυραθεῖα sacraria *quædam memoratu digna. Horum in medio ara est, in quo cinis multus.* Ignem *autem ibi* inextinguibilem *servant* Magi, *cottidie ingressi per horæ ferme spatium accinunt*, fasciculum virgarum *ante* Ignem *tenentes. Tiaris laneis velantur quæ utrinque aptatæ labra etiam & maxillas contegunt.* Hæc autem eorum, quæ meminimus delubris fiebant. Pyratheia sunt quæ *sempiterni* Magorum *foculi* Ammiano Marcellino in Juliani historia nominantur. Id quod accinebant Theogonia, ni fallor, erat. Nullum enim æque in sacris efficax carmen æstimabant Persæ, uti autor est Herodotus in primo. Virgæ Myricinæ fuisse videntur. Nam & in cæteris sacris, Magis (nec sine Mago ullum sacrificii genus peragebatur) myricinas tenere, dum Theogoniam accinebant, solenne erat, ut veteribus poetis canentibus laureas mos erat manibus gestare; unde putant nonnulli Rhapsodos nuncupatos. Virgis hisce Ignem inter accinendum tangentes (uti veteres etiam ferula sive νάρθηκι; quod vide apud Hesychium ex Eratosthene) suscitabant, & fovebant, ita Strabonis illud intelligo: ῥάβδοις λεπτοῖς ἐφάπτονται, id est, *Virgis tenuibus tangunt.* Sed Phœnix Colophonius rem explicat.

> Οὐ παρὰ μάγοισι, inquit, Πῦρ ἱερὸν ἀνέστησε,
> Ὥσπερ νόμος, ῥάβδοισι τοῦ θεοῦ ψαύων.

Ninum Jambis arguit, quem, apud Magos, ignem virgis, ut eum exsuscitaret & foveret, non attigisse canit. Id quod veteres de Persarum instituto scribunt, ut nimirum Magiæ initiaretur quisquis Rex futurus, ei in mentem subiit, & Ninum non magis Regem fuisse, quam Magum ab eo more existimavit. Quod ex Phœnice adduximus, legitur apud Athenæum Dipnosoph. xii. Certe neque ita a verisimili est alienum, ut Babylonium illum ῥάβδους ἀνέβρασαι quod LXX. Seniores habent, & nos cap. ii. superioris syntagmatis meminimus, ex Ezechiele, ad hunc magiæ ritum spectet. *Nergal* hæc sacra forsan vocabant vetustissimi Chaldæorum (a quibus accepisse Persas recte conjectat Agathias historiarum ii.) quasi a ניר *Nir* & גל *gal* aut גלגל *galgal* aut גלל *galal* factum, quod utcunque ita vel fontem ignis lucisve, vel ignem aut lucem versatilem, imo πυραθεῖα poterit interpretari, & optime cum igne inextinguibili, quem in sacrariis illis, uti Solis symbolum servabant, convenit. Et tametsi multi Persarum Dii, tamen ante omnes Ignis ab eis cultus, & in omni sacrificio eum imprimis, ut Romani Janum, invocabant, sic Strabo, ὅτῳ δὲ ἂν θύωσι, inquit, Θεῷ πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται: nec ignem in quotidianos usus destinatum immunditiis polluere, religione hinc devincti, audebant, inde est, quod Euphrates Persa apud Dioscoridem Antholog. iii. cap. iv. corpus suum cremari vetat, ne ignem inquinaret.

> - - - πῦρ δὲ μιῆναι, inquit,
> Ἡμῖν τοῦ χαλεποῦ πικρότερον θανάτου.

consulas licet supplicationis genus apud Persas, in Plutarchi libello περὶ τοῦ πρώτως ψύχρου, traditum, atque Julium Firmicum de errore profanarum relig. cap. v. Fateor Herodotum, historicorum antiquissimum. Ignem illum inextinguibilem sive ἄσβεστον & πυραθεῖα, de quibus Strabo, si recte ego memini, non memorasse, verum cum eorum sit testis iste geographus omni major exceptione, quippe oculatus & fide dignissimut, Babylonica licet captivitate multis sæculis recentior, vetustissimos attamen ritus narrans, jure mihi suspicari videor ex illius scriptis quid fuerit Cuthæorum Nergal esse hariolandum. Πυραθεῖα autem sunt, quæ πυρεῖα aliis dicta. Suidas ὁ δὲ Ἡράκλειος τὰς τε πόλεις καθῄρει καὶ τὰ πυρεῖα διέστρεφε τῶν Περσῶν. *Heraclius autem urbes Persarum vastavit, &* Pyræa *evertit*, ex aliquo medii ævi scriptore accepit, qui de Persico Heraclii bello scripserat, ea ipsissima verba leguntur in Nicephori Patriarchæ Breviario. Vide si placet Hist. Tripartit. x. cap. xxx. & Theodoret. hist. v. cap. xxxix. Procopium lib. ii. Persicorum, & Nicephorum lib. xiv. cap. xix. Et de Persarum

Pyrethis item Barnabam Brissonium de Regno Persarum lib. II. Adde porro Fastos Siculos pag. 88. & 94. ubi de Persici Ignis primordio. Tam vetustum autem Ignis apud Chaldæos cultum faciunt Hebræi, ut Ur Chaldæorum, quod habetur Gen. cap. XI. pro eorum Deo igne capiunt. אור id est *Ur*, Ignem seu lucem denotat. Neque aliter quam velut Solis symbolum tanto honore habitum ignem asserunt veterum apud Maimonidem scripta. Is de hujus vetustissimo in Chaldæa cultu, ita in More Nebochim lib. III. cap. XXX. *Notum est*, inquit, *quod Abraham natus est in gente quæ serviebat* Igni *& in incredulitate illorum qui credebant quod non erat Deus alius nisi* Stellæ. *Cum vero fecero te scire, in hoc capitulo, libros eorum, qui non inveniuntur apud nos* translati ad linguam Arabicam, *in narratione ipsorum in antiquis contentionibus, & fecero te scire opiniones ipsorum, & rationes eorum; ostendetur tibi credulitas in* Stellis *quod sunt* Dii, *& quod* Sol *est* major inter Deos, *& dixerunt, quod reliqui* planetæ *sunt* Dii, *sed* Sol *&* Luna sunt *maximi Deorum. Invenies id quod manifeste dicunt, quod* Sol *regit mundum superiorem & inferiorem, & invenies istud in libris eorum; & narrant statam Abrahæ, & dixerunt hæc eadem verba quod Abraham fuit natus & educatus in terra servientium* igni, *quando contradixit opinioni gentis illius, dicens quod alius operator erat præter* Solem, *& induxerunt contra eum rationes suas, inter quas fecerunt mentionem de operationibus* Solis *quæ manifestæ sunt, & apparent visui in universo esse.* Abraham autem vinculis mandatum, quod Solem adorare recusaret, bonis dein spoliatum, & in Canaan exterminatum a Rege, scribit idem ex libro de Agricultura Ægyptiorum. Solem regere universum volebant, nec eo alium Deum superiorem esse; atqui Ignem, ajunt, adorabant. Quid aliud igitur Ignis erat, quam Solis symbolum seu signum apprime naturæ ejus consonum? Atque heic Deum τȣ̃ Nahor, de cujus in Genes. cap. XXXI. comm. 53. mentio est, intelligo. Heic item Deos illos alienos habes, quibus servierunt veteres Abrahæ ævo, ut sacræ testantur litteræ in Josuæ cap. XXIV. com. 2. Certe ante Babylonicam captivitatem etiam & in regno Judaico πυραϑεῖα illa cultusque Ignis fuere, si recte conjecturam fecerit Josephus Scaliger ad Catullum, ubi prophetarum, seu sacra lingua חמנים *Chamanim* Pyrathæa dicta, scribit. De Josia Rege legitur II. Paralip. cap. XXXIV. *Diruerunt coram eo altaria* Baalim, *& simulacra comminuit quæ sacra illi fuerunt*, simulacra heic sunt Hebraice חמנים *Chamanim*, & effigies Solis intelligunt Rabbini. Nam & Solem & calorem חמה *Chammha* vocant, inde *Chamanim* pro sacratis Soli sive simulachris sive septis aut Pyrethæis. Levit. XXVI. com. XXX. *Ego eliminabo excelsa vestra, & exterminabo* חמניכם *Chamanicem*, id est, Chamanim *vestros*. Idola Solis honori dicata intelligunt Hebræi LXX. ibi habent τὰ ξύλινα χειροποιητὰ ὑμῶν. alibi vero nunc εἴδωλα, rursus βδελύγματα, τεμενῆ, & ὑψηλὰ appellant. Certe in laudato Levitici loco & alibi sæpius cum τοῖς Chamanim alia, ex Persarum sacris traducta, exprobrantur, id est, Excelsa, Hebræis במות *Bamoth* dicta, & passim in veteri instrumento memorata. In excelsis autem seu locis editissimis sacra peragere ipsissimus erat Persarum mos, atque Cœlo seu Jovi eo ritu faciebant. De iis Herodotus in Clio, οἱ δὲ νομίζουσι, inquit, Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τȣ̃ Οὐρανȣ̃ Δία καλέοντες, id est, *Moris eis est* editissimas *montium summitates ascendere, &* Jovi *hostias ibi immolare, omnem* Cœli *gyrum* Jovem *appellantes*. Bamoth interpretatur heic ὑψηλότατα quæ LXX. Senioribus ὑψηλὰ dicuntur, sed vero commune erat etiam Asiaticis & Europæis, montium summitatibus Jovem colere. Unde Ἐπάκριος Ζεὺς dictus, quod docet Hesychius. Jupiter ille apud Herodotum Belus est, & Assyrius, nam eo nomine Jovem in Persarum vetustissima theologia dictum scribunt Berosus, Athenocles, & Simachus apud Agathiam lib. II. An in Deo Omano, seu Amano (nam varie legitur) cujus meminit Strabo, quid sit τῶν *Chamanim* seu *Hammanim*, viderint eruditi. Opinatur ita Scaliger; Achæmenem item & Achæmenios, qui Persas denotant, inde ducit. Amanus sane Sol erat, ni fallor, ut Anaitis Luna, quæ etiam Diana & Venus nuncupabatur. De ea Plutarchus in Artaxerxi, Pausanias in Laconicis, Agathias lib. II. consulendi, vide de Chamanim, si vis, Isaiæ cap. XVII. Ezechielis cap. VI. alios scripturæ locos. Solem autem in Igne coluisse Persas nemo nescit, atque inde est, quod Datis præfectus classis sub Xerxe Delum insulam intactam reliquerit, utpote Soli seu Apollini sacram, ex Herodoti septimo id retulit in I. Act. in Verrem Cicero, Cæterum de alio τῶν Chamanim genere a Josia Rege comminuto, necessario est observandum comma undecimum

mum cap. XXIII. ſecundi Regum, verba ſunt: *Abolevit denique (Joſias) equos quos dederant Reges Jehuda* Soli, *in introitu templi Domini, juxta tabernaculum Nethanmælech Eunuchi qui (princeps) in ſuburbiis, & quadrigas Solis, combuſſit igne*, hæc etiam Chamanim forſan dicenda. RRR. Kimchi, Salomon Jarchi, & Levi Ben-Gerſom eum locum explicant de equis & curru, quibus, dum Orientem adorabant, a Templi introitu uſque ad Tabernaculum Nathanmœlech ſolennem pompam ducebant. Intelligo magis equorum quadrigarumque fuſas imagines & Soli ſacratas. Nam Equus Soli ſacer apud Perſas, & mactari ſolitus. In Græcos idem mos translatus, ut Pauſanias ſcribit in Laconicis. Quadrigæ etiam eidem antiquitus dicatæ, velut τὸ τάχιστον τῷ ταχυτάτῳ θεῶν, ut verba ſunt Heliodori Æthiopicorum x. tantundem habes apud Sextum Pompejum in *October*, & ſi placet, conſulas Xenophontem Cyropæd. VIII. verum de equis illis & quadrigis ἐπέχω. Ad oſtium autem Templi Veri Dei illorum locus erat. Intra oſtii veſtibulum, Orientem verſus, Solem Judæi venerabantur. Ezech. cap. VIII. *Et ecce juxta oſtium Templi Domini, inter veſtibulum & inter altare erant quaſi viginti quinque viri, quorum terga erant ad Templum Domini & facies eorum ad* Orientem, *adorabantque* Solem *ad Orientem*. Nam Sanctum Sanctorum parte Templi Judaici Occidentali collocatum erat, uti Chriſtianorum altaria verſus Orientem. Templi oſtium ab Orientem, contra quam Chriſtianorum mos eſt, qui ab Occidente Sacraria introeunt, & in Orientem verſi, more ab Apoſtolis antiquitus tradito, Deum Verum & Chriſtum ſuum publice invocant, non ſolum quod Chriſtus Crucifixus occidentem, id eſt, ab oriente ſpectaret, atque ita ab adorantibus in orientem quaſi ſuſpici poſſit, verum etiam quia uti fulguris ab Oriente in Occidentem motus, ita magno illo, quem omnes expectamus, die, erit adventus filii hominis, quod docetur a D. Matthæo cap. XXIV. comm. XXVII. Viſendi ſunt, de plaga in quam ſe convertebant priſci & Judæi, & Chriſtiani Deum invocantes, Clemens Alexandrinus Stromat. VII. Reſponſ. CXVIII. eorum quæ Juſtino Martyri tribuuntur, Damaſcenus de Orthodoxa fide IV. cap. XIII. & Dionyſius Areopagita in Cœleſtis Hierarchiæ cap. II. ubi qui ſacro lavacro ſuſcipiendus eſt, Diabolum, occidentem verſus, ter ſolenni ritu, & quæ ſunt ejus regni ejurat, ac ſtatim Chriſtum in Orientem tem adorat, qui mos etiam in Severo-Patriarcha Alexandrino de ritibus Baptiſmi, occurrit, item in Ordine Baptiſmi ſecundum uſum Æthiopum. Uti Chriſtianus ita & priſcis Idololatris Fana ad eum modum extructa erant, ut ſupplicantes Orientem ſpectarent quod docet Vitruvius Architecturæ lib. IV. cap. V. Illud etiam Pythagoram in mandatis reliquiſſe legitur. Sed vide Aſclepium Triſmegiſti prope finem, at in mandatis reliquit Mahumedes, ut ſui ad auſtrum converſi ſupplicarent, quod ait Zygabenus in Panoplia. Quid ſibi velint Rabbini quum Nergal aut Gallinam ſylveſtrem, aut Gallum gallinaceum fuiſſe ajunt, prorſus ignoro, illud dixit R. D. Kimchi ad citatum ex Regum libro locum, hoc S. Jarchi. Ex Talmudicis ſcilicet hauriunt, quos ad hanc rem item citat autor Baal Aruch. Gallum Solis avem optime norunt omnes, maxime ii, qui Luciani Alectryona legerint, ſed id non ſufficit, ut delirare quis ſani judicii minus autumet Rabbinos, qui commentum heic aliud porro habent de Jacobo & Joſepho Patriarchis, quaſi nempe vocabula illa in Geneſis cap. XXX. 27. ubi de Jacobo ſermo eſt, & in cap. XXXIX. 5. ubi de Joſepho verba fiunt, vocabuli & idoli conditores maxime ſpectaſſent. Alluſio mira eſt, videſis Gemaram capitis כל הצלמים in Talmudico libro *ſy* dicto.

## CAPUT IX.

Aſima. Hircus. *Samaritanos de eo traducunt mendacio contumelioſiſſimo Judæi*. Doſitheus. Nibchaz. Tarthac. *Hic* Aſinus, *ille* Canis. Adramelech *mulus*. Anamelech *equus*. *Sed hæc Rabbinorum fide*. Genus fœmininum *horum pleriſque a* LXX. *tributum*.

HAmathitarum Deus Aſima quid fuerit, non capio. Hebræi plerique Hircum fuiſſe volunt, & Aben-Ezra in præfatione ad Eſter, Pentateuchum ſcribit Samaritanos ab his verbis auſpicari; *In principio creavit* Aſima. Cæterum ob inveteratum in Samaritanos odium calumnia hæc, atque ejuſdem farinæ aliæ, a Judæis conſarcinatæ ſunt. Verum eſt, Doſitheum Samaritanum ſacras literas impie interpolaſſe, nec tamen, ut quid tam ridiculum attexeret, eo ſive ſtultitiæ ſive dementiæ deveniſſe. De Doſitheo quædam Tertullianus libro de Hæreſibus, Origenes adverſus Celſum lib. I. alii, ſed ſi de eo velis non ita vulgata, conſulas Eulogium Alexandrinum

apud

apud Photium Codice cccxxx. Vide, si placet, Drusium de tribus Sectis III. cap. II. Scaligerum de Emendatione lib. VII. Fl. Josephum Orig. Judaic. IX. cap. ult. Et de Samaritanorum Pentateucho, vide prolegomena nostra, ad Marmora Arundelliana. D. Hieronymus in locis Hebraicis: *Asima oppidum in terra Judæ* (hoc nomine Samariam includit) *quod ædificaverunt hi qui ad eam venerant de Emat*, id est, *Hamath;* sed vero & Deum fuisse Asima & sacra Scriptura & citatus Josephi locus ostendunt. *Nibchaz* Avitarum Numen Canis imaginem retulisse ajunt RR. D. Kimchi & Jarchi. *Tarthac* figuram Asini, *Adramelech* muli, *Anamalech* equi, putant ejusmodi nugatorum aliqui. Sed ex antiquis refert Cimchi Adramelech Pavonis effigie, Anamalech phasiani aut coturnicis esse cultos, unum Numen utrosque putamus nos, & ad Molechum jam retulimus, & si totidem fuerint numina, quot gentes, Nibchaz & Tarthac idem censeri etiam & unum debent, totidem autem fuisse numina vult diserte Josephus Ἀρχαιολογ. IX. cap. XIV. Ob quam rem vero Græci interpretes & Succoth Benoth, & Nergal, & Asima, & Nibchaz, & Tartach genere pronuntient fœminino, & τ cuilibet eorum adjiciant, nihil habeo omnino dicere, prærerquam quod εἰκόνα forsan merito subintelligas. Vix est enim ut quæ de sexus communione diximus, locum hic possint habere.

## CAPUT X.

Nisroch *Assyriorum Numen*. Μεσοράχ. Ἀσαράχ. Rimon. ῥάμα.

NIstroch Deus memoratur 2. Reg. cap. XIX. com. ult. & Esaiæ c. XXXVII. Numen erat Assyriorum, templum ejus, ut videtur, in Nineve. In libro Regum vocant eum LXX. Seniores Μεσοράχ, in Isaia Ἀσαράχ. De eo prætterquam quæ in his locis leguntur, me nec quidquam scire nec hactenus legisse fateor; uti nec de Rimmon, cujus item nomen & templum tantummodo scimus apud Syros fuisse; ex 2. Reg. cap. XV. רמון *Rimmon* lingua sancta malum Punicum significat, & Venerem denotari putat N. Serarius, quod poma Veneri dicata, ejusque simulacra non sine illo fructu sæpissime sacrentur, quasi Pomona aut Pomum cognominaretur. Ego velim Rimmon magis a רום dictum quod *exscelsus* sonat, atque hoc modo idem foret quod *Elioun* Phœnicum numen, quod in prolegomenis meminimus. Unde, ex Philone habet Stephanus περὶ πόλεων in Λαοδίκεια: ῥάμαν τὸ ὕψος denotat, & Hesychio Ῥαμὰ est ὑψηλή, & Ῥαμὰς ὁ ὕψιςος θεός.

## CAPUT XI.

Thammuz. Θαμμὺς. Θαμὺζ, *quid de eo Rabbini. Propheta* Thammuz. *Tekupha* Thammuz. Adonis *dictus*. Adonis Κῖρις, *&* Κῦρις *vocatus*. Venus *&* Adonis *Syris ante alios culti*. Abobas *Persæorum*. Judæos *a vicinis sive* Assyriis *sive* Phœniciis *accepisse*. *Ritus* plangentium *&* reperientium Adonim *apud* Alexandrinos *&* Byblienses. Adonis *a* Venere *&* Proserpina *alternis vicibus in deliciis habitus*. Osiris, Adonis Thammuz *idem*. Εὑρέσεως *festum Ægyptiis*. Vagus Ægyptiorum annus. Ζητήσεως *festum*. *Cur* Thammuz Adonis *nuncupatus*, *conjectura*. Solem *cogitabant ii*, *queis hæc sacra primum in usu*: Manilius *explicatus*. Thammuz *nomen* Ægyptium. Thammuz, Mars. Thamud. Thamuz *Rex*. *An* Pharaoh, *qui sub* exitu *regnavit*, Thammuz *dictus*. *In* occulto Pantheo *colebant omnigena numina Israelitæ*, *quæ* Troglodytæ *Philastrio dicti*.

AD portam Templi aquilonarem, mulieres confidentes, solennibus lamentis, *Thammuz* plangebant. Ezech. VIII. comm. 15. *Et introduxit me ad ostium portæ domus Domini*, *quæ est ed Aquilonem*, *& ecce sedebant ibi mulieres plangentes* Thammuz. Scribitur תמוז & a LXX. interpretibus Θαμμὺς aliis Θαμὺζ. Codices aliquot Arabici pro Thammuz habent, nescio quo pacto, Judam, ut notat Ribera. Certe in Arabica Bibliothecæ Arundellianæ versione لياموز الصنم *Liamuz idolum* legimus, proculdubio pro التاموز *Althamuz*, quod ibi depravavit librarii negligentia. Variæ de Thammuz sunt opiniones. Putarunt nonnulli imaginem fuisse, in cujus oculos plumbum imponeretur, & quæ admoto igne & plumbo liquefacto, flere videretur, refert D. Kimchi. Cæterum, ex vetustissimis Orientalium monimentis, narrat Rabbi Moses Ægyptius, in More Nebochim prophetam Idolorum fuisse qui dictus est Thammuz, fallit Latinus Codex qui Tamut habet. Thammuz, ait ille Moses, *Cum prædicaret cuidam regi*, *ut serviret septem Stellis*, *& signis duodecim*, *præcepit Rex eum interfici gravi morte*. *Nocte vero mortis*

*ipſius convenerunt omnes imagines ab extremis terræ in palatio Babylonis* ( ſeu templo) *ad imaginem auream* (magnam) *quæ ſcil. erat* imago Solis ; *& pendebat inter cœlum, & terram, & proſtravit ſe in medio Palatii, & omnes imagines circumquaque, & narravit eis quicquid contigerat* Thammuz. *Imagines vero flebant & lamentabantur per totam noctem, mane autem facto evolaverunt omnes imagines ad Palatia ſua uſque ad extremum terræ.* Ab hac, ſive hiſtoriam ſive fabulam dicas, origine planctum τȣ̃ Thammuz petit ille, ſubjungitque. *Et conſuetum eſt quotannis in principio diei menſis* Thammuz *lamentari & flere ſuper* Thammuz. *Nunc ergo appone cor tuum & vide cujus intellectus erant homines in tempore illo. Hæc autem narratio de* Thammuz *eſt antiqua minus in gente Zabiorum.* Menſis autem Thammuz eſt qui Latinis Junius; ratione diſcrepantis Juliani & Judaici anni habita. Et Solis in Cancrum introitus Aſtronomis Judæorum *Tekupha Thammuz*, id eſt, revolutio, ſeu periodus Thammuz. Latinorum plerique D. Hieronymum ſecuti, Adonim in eo Ezechielis loco intelligunt, quaſi Adonidis luctus, poetis celebratiſſimus, iis in more fuiſſet. Certe D. Hieronymus in Commentariorum III. ad Ezechielem, Adonim interfectum ab apro, e fabulis notat, idque menſe Junio; atque inde Adonim Thammuz nominatum, revixiſſe autem & anniverſariam ei celebratam ſolennitatem eſſe, *in qua*, ait ille, *plangitur a mulieribus quaſi mortuus, & poſtea reviviſcens canitur atque laudatur*. Et autor Chronici Alexandrini; Θαμὼζ ὅπερ ἑρμηνεύεται Ἄδωνις, ubi de Ezechielis prophetia loquitur. Aſſyriis & Phœniciis Numen habitum Adonim nemo ignorat; vide quæ de eo, & Venere Aphacitide, ſupra notavimus. Ipſum nomen item eſt a Syrorum dialecto. Adonis enim Dominus, uti Adon, denotat. Heſychius Ἄδωνις, δεσπότης ὑπὸ Φοινίκων, unde Laconibus Κίρις & Κῦρις Adonis dictus, id eſt Κύριος, eodem teſte, & Ptolemæus de Orientalibus qui Trigono ſubſunt Aquilonari. *Venerem adorant & Martem Adonim ſeu aliter eum appellantes*, καὶ μυςήρια τινα μετὰ θρήνων ἀποδιδόντες αὐτοῖς: id eſt, *Et myſteria eorum cum planctu celebrant*. Martis ſive Adonidis incerta ſatis nomina ait recte: nam Perſæi hunc ipſum Abobam vocabant. Heſychius Ἀβωβᾶς ὁ Ἄδωνις ὑπὸ Περσαίων. Perſæi autem, a Perſa urbe ad Euphratem ſita. Lamenta item Phœniſſarum, dum quærebant, & gaudia, poſtquam reperiebant Adonim, luculentis ſervantur teſtimoniis. Non mirum igitur Judæos a vicinis & traxiſſe, & nomen in Thammuz mutaſſe; maxime cum ſolennis etiam idem fuerit ritus in Ægypto, plurimique in Judæa, ſub id tempus Ægyptii, & Judæi Ægyptienſes. Alexandrini enim eo ipſo die, quo feſtum Planctus ſive Ἀδωνιασμȣ̃ apud Byblienſes in Phœnicia eſt celebratum, quotannis epiſtolam Olla ſeu vaſe junceo aut papyraceo incluſam, peractis rite ceremoniis, in mare mittebant, quæ ſponte Byblum ferebatur, & repertum Adonim nunciabat. Hoc quam primum acceperint Byblienſes, quæ expectabant, mulieres, gemitus & lamenta ob amiſſum Adonim & jam denuo repertum in ſacra commutabant gaudia, miraque lætitia quod reliquum erat feſti, Deum excipientes, peragebant. Idem Procopius in Eſaiam, ad cap. XVIII. Κεραμὸν λαβόντες (Alexandrini) ἐνέβαλλον ἐπιςολὴν πρὸς τὰς ἐν ΒΥΒΛΩ γυναῖκας, ὡς εὑρηθέντος Ἀδώνιδος εἶτα σφραγίσαντες ἐνέβαλλον τῇ θαλάττῃ τελετάς τινας ἐπ᾽ αὐτῷ ποιησάμενοι, καὶ, ὡς οἱ πέμποντες ἔλεγον, αὐτομάτως εἰς Βύβλον ἀπεκομίζετο καὶ πέρας θρήνȣ τῶν ἐκεῖ γυναιξὶν ἀπειργάζετο: eiſdem fere verbis rem explicat D. Cyrillus lib. II. tom. II. in Eſaiam. Vas illud ſeu ollam caput papyraceum vocat Lucianus libro de Dea Syria; Βυβλίνην κεφαλήν: eamque diebus ſeptem ex Ægypto Byblum, ait, mari ac vento divinitus præparatis, transvehi ſolitam. Adonim autem ab apro occiſum adamavit Proſerpina, uti ſuperſtitem Venus, quæ cum inferos enixe deprecaretur, ut vivus reſtitueretur amaſius, ac ejus amplexibus ipſa denuo bearetur, invidente Proſerpina, tandem eſt tranſactum, ut alternis vicibus utraque Dea juvenis amore frueretur. An tamen, ut ii volunt, qui ſex menſes Proſerpinæ, totidem Veneri, aut ut alii, qui utrique totum tribuunt annum, non ſatis conſtat. Has habet opiniones Scholiaſtes ad Theocriti Eidyll. III. & ad Adoniazuſas ubi Poeta.

> -- Ἄδωνιν ἀπ᾽ ἀενάω Ἀχέροντος
> Μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακάποδες ἄγαγον
> Ὧραι.

Adonim ſcribit ab inferis reducem, menſe duodecimo, & in Orphei, qui dicitur, hymnis ad Adonim,

> Σβεννύμενε λάμπωντε καλαῖς ἐν κύκλοισιν ὥραις.

Quod Scaliger vertit, *Occaſe & redivive ſtatis vertentibus annis:* vide Bionem Idyll. α. Ovid. Metamorph. X. Atqui & mors ejus quam ἀφανισμὸν appellabant, & reditus quem εὕρεσιν, uno eodemque men-

mense Ægyptiis celebrabantur, & semel quotannis; mense nempe Athyr, qui post annum Nabonassareum, ab Augusto fixum, in Novembrem Julianum incidit. Eundem enim Osridem & Adonim intelligunt omnes. Mortem autem Osiridis & reditum item eo tempore celebrata scriptum reliquit Plutarchus, & vetus Rom. Calend. in Nov. *Heuresin* festum habet, repertum Adonim sive Osiridem denotans & ab Ægyptiorum moribus propagatum, Athyr Ægyptiorum fixus, procul, ut vides, abest ab Hebræorum mense Thammuz, id est, Junio, in quo, luctus & εὕρεσις (ita certe videtur) τοῦ Thammuz. Nec tamen impingat hic annorum quis imperitus, quasi ob festorum apud has gentes distantiam, tamque diversa tempora, Planctus Ægyptiorum, dum Osiridem inveniebant, lamentaque Judæorum nil omnino commune haberent, alia res est. In anno enim vago Ægyptiorum nullum erat festum, nullus mensis, ut docti sciunt, qui non unumquemque non mensem solum Julianum, verum & diem totius anni pertransibat in magna illa cIↃ.CD.LX. annorum periodo, de qua re jam diximus, postquam autem figeretur ab Augusto annus festa sua unusquisque mensium retinuit, ea serie, ea anni tempestate qua tunc erant peragenda, fixo anno, figebantur menses, & festa, Judæorum autem annus non ita vagus mensem Thammuz ab æstivo Solstitio nunquam disterminabat. Eadem igitur sacra, &, ob eundem, planctus ille utriusque videntur fuisse; & Ægyptiis, mense Athyr vago, ad morem patrium, Judæis mense fixo Thammuz: vide Plutarchum de Iside, & Lucianum libello, quem jam laudavimus. Ab Ægyptiorum autem more de literis junco inclusis & per mare Byblum transmissis, interpretatur Procopius illud Jesaiæ cap. XVIII. com. I. *Mittens per mare legatos & in vasis junceis per superficiem aquarum.* Ἐπιστολὰς βυβλίνας habent illic Seniores septuaginta. Festum erat aliud Ægyptiis, quod ζήτησις Osiridis dicebatur, atque in mensem Paophi, qui nimirum Athyr antevertit, incidebat, circa æquinoctium autumnale. Ut hæc omnia plangentibus Thammuz satis aptemus, priscorum monimenta non suppetunt, quæ potuimus de hac re, scripsimus. Cur vero Adonim Thammuz vocarint non satis scio. Cum tamen Adonis pro Sole sumatur, qui tunc maxime suas exercere videtur Aquilonaribus vires denuo reparatas, dum Cancrum mense Thammuz peragrat, a mense ad numen, an a numine ad mensem translatum nomen videatur? Neque aliud cogitarunt ii, qui primum has nænias instituerunt, quam Solis accessum & recessum, quem ut amissum nunc lugebant, & renatum lætis excipiebant auspiciis. Ita rudiores olim & qui simpliciorem vitam degebant, priusquam ab Astronomis leges siderum didicerant. Manilius lib. I. hoc idem vult:

> *Nam rudis ante illos nullo discrimine vita*
> *In speciem conversa, operum ratione carebat,*
> *Et stupefacta novo pendebat lumine mundi,*
> *Tum velut amissis mœrens, tum læta renatis*
> *Sideribus, variosque dies, incertaque noctis*
> *Tempora, nec similes umbras, jam Sole regresso,*
> *Jam propiore, suis poterat discernere causis.*

Vide, si placet, Firmicum de mysteriis cap. II. Utrum Thamud propheta sæpiuscule in Alcorano memoratus, Tzaledi frater (חמוד exaratur, & Θαμώδ Euthymio Zygabeno) an item Thamus Ægypti rex, tempore Theut, ad hunc nostrum spectent nescio, hujus meminit Plato in Phædro, idque etiam nominis haud Ægyptiis inusitatum fuisse ostendit Thammus ille in historia Panis demortui apud Plutarchum in περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων. Macedonibus forsan ex Orientalibus hisce sacris Thaumus pro Marte innotescebat, hoc nomine enim Martem eos vocasse scribit Hesychius. Temere affirmat Philastrius Thammuz (ita enim lego non Thamur, quod depravatus nimium in quamplurimis aliis Codex ejus in lucem editus habet) *filium fuisse Regis Gentilium cujus Judææ mulieres simulacrum cum fletibus adorabant, impietatemque gentilium colentes, ei offerre sacrificia non desinebant.* Adjicit autem quasi ex Ægypto nomen peteret; *Thamuz enim Pharao ille dicebatur rex Ægyptiorum, qui sub beato Mose Ægyptiis præsidebat illo tempore.* Atqui nonnullis Chencheres appellatur, qui sub exitu, in Ægypto Pharao regnabat, undecimus nempe decimæ octavæ dynastiæ Diospolitarum. Acherres aliis, ejusdem dynastiæ duodecimus. Aliis Petisonius (qui Petessontius nominatur in excerptis illis barbare versis ex Eusebii Chronico & inter Scaligerani editis) Tuthmosis denique sive Themosis etiam nuncupatur; vide, si placet, Manethonem apud Josephum, Eu-

Eusebium, Theophilum Antiochenum, Ptolemæum Mendesium apud Tatianum, & Cedrenum: verum a Themosi (uti vocatur in Josepho adversus Appionem) id, quod de Pharao Thammuz adfert, Philastrius hausit, haud ita distant vocabula, sed Themosin aliquot sæculis Mose priorem fuisse volunt Chronologi accuratius putantes. Eodem, quo memoratur Thammuz, Ezechielis capite, singularis etiam cultus mentio fit, quæ ægre, ni fallor, alibi reperitur: id est Troglodytarum, uti eos appellat Philastrius, ita illi dictos quod sive in subterraneo specu seu occulto antro omnigenas Numinum effigies, velut in Pantheio, adorabant. Verba sacra sunt. *Duxit igitur me ad ostium Atrii, & vidi, & ecce erat foramen unum in pariete. Et dixit ad me, Fili hominis, fode quæso parietem, &* perforavi *parietem &* ecce ostium unum: *& dixit ad me; ingredere & vide abominationes pessimas, quas ipsi hic faciunt. Ingressus igitur sum & vidi, & ecce* omnis similitudo reptilium *&* animalium *abominabilium, atque* universa idola *domus Israel* sculpta *in pariete circumcirca. Et septuaginta viri de Senioribus domus Israel & Jaazaniahu filius Saphan stabat in medio eorum, qui stabant coram idolis, & unusquisque habuit* thuribulum *suum in manu sua, & vapor nebulæ de* incenso *ascendebat*, picta autem animalia illa in templi parietibus esse intelligit B. Hieronymus. *Non solum*, inquit, *idolum zeli* (quod paulo ante Ezechieli memoratur, & Militiæ, ni fallor, Cœli erat statua a Manasse Rege dicata in II. Reg. cap. XXII. comm. 5.) *Stabat in introitu portæ Aquilonis, sed & omnes templi parietes diversis idolorum imaginibus pingebantur, ut nulla esset bestia, quam non parietis pictura monstraret.*

## CAPUT XII.

Nebo. *Mons cognominis. In Assyriorum reperitur nominibus. Pro eo habent* LXX. Dagon. Νεβὼς. Ναβὼ. *In* Dibon *cultus* Nebo. Mardocompad.

NUmen erat etiam *Nebo* seu *Nabo*. Esaiæ cap. XLVI. *Cecidit Bel, succubuit Nebo*. Nebo autem in Jerem. cap. XLVIII. com. I. est Moabitidis regionis urbs & Deut. XXXII. com. 40. montis Abarim cacumen. Ab urbe an a monte cognomine dictus Nebo? ad designatum Esaiæ locum D. Hieronymus. *Nabo & ipsum Idolum est, quod interpretatur* prophetia *&* divinatio, *quam post Evangelii veritatem in toto orbe conticuisse significat:* vestigia hujus numinis item habes in Nabuchadnezar, Nabuzardan, Babyloniorum Nabonito, Nabonassaro (quem meminit Ptolemæus in Mathematica Constructione) Nabonabo & hujusmodi aliis. Supra enim admonuimus Deorum nomina Principum nominibus uti bona omnia sæpissime adjecta. Quam ob rem pro *succubuit Nebo* in Esaia LXX. habeant *συνετρίβη Δαγὼν*, mihi non constat, sed post ea quæ attulimus D. Hieronymi verba, sequitur. *Sive juxta* LXX. *Δαγὼν qui tamen in Hebraico non habetur. Et est idolum Ascalonis, Gazæ & reliquarum urbium Philistim*. Assyrium autem fuisse numen, ea quæ citavimus nomina ostendunt. Symmachus Νεβὼς, Aquila & Theodotio Ναβὼ eum vocabant. Verum & Nebo alibi in veneratione habitus, quam in cognomine monte seu urbe esse videtur. In Dibon inquam Moabitarum item urbe de qua Num. XXI. com. 30. & Jesaiæ cap. XV. com. 2. ubi Fanum in Dibon memoratur & planctus על נבו *Agbal Nebo*, id est, propter Nebo, atque inde est quod Hesychius habet. Δεηβὼν, τόπος ἔνθα ἵδρυται ἱερὸν Μοαβιτῶν. Id est, Debon *locus ubi fanum Moabitarum sacratur*. LXX. autem Seniores in Esaiæ loco jam dicto: *ἀπολεῖται γὰρ καὶ Νεβῶν, ὃ ὁ βωμὸς ὑμῶν*. Id est, *Vastatur* Nebon *ubi altare vestrum*. An Δεβῶν legendum ibi? videtur sane, nam Nebo, in eodem commate, iis est Ναβὰ τῆς Μωαβίτιδος. Certe haud alium Nebo a Chamos & Belo phegorio jure forsan putes: vide, quæ ex D. Hieronymo citamus ad extremum capitis v. superioris Syntagmatis. Inter Babyloniorum item Deos censetur Merodach Jesaiæ cap. L. ubi LXX. habent *μαιωδὰχ*, quid fuerit Mero aut Merodach, nondum est compertum. Reperitur in Regum nominibus; in Evilmerodach, Mardocempad, Mardocente & similibus. Mardocempad, apud Ptolemæum in Mathematica Constructione, is est, qui Merodach Baledan Jesaiæ cap. XXXIX. I. appellatur.

## CAPUT XIII.

Sesach. *Σακέαι ἡμέραι Festum* Saceum, *uti Saturnalia*. Locus *mensis*. Zogana *unde*. Athbasch *Rabbinorum* Diana Persica. Sacæa, *&* Saceia *a* Saceis *devictis, ut alii volunt*. Βαάγις Festum Assyriorum.

SEsach Numen est apud Jeremiam cap. XXV. comm. 26. & LI. comm. 41. Ab eo (sic volunt viri doctissimi) Sacea, Festum Babyloniorum, dicta, seu ἡμέρας Σακέας, uti apud Romanos Saturnalia a Saturno. Atque ut Saturnalibus, servis epulantibus famulabantur Domini, ita & in diebus Saceis; qui quinque erant continui quorum primus erat dies XVI. mensis Loi. De prisco autem hujus in anno loco satis incerta tradunt autores; videsis Josephum Scaligerum in I. de Emendatione Temporum pag. 45. & Dionysium Petavium de Doctrina Temporum lib. I. c. XXVI. De Festo autem & mensis, quo celebrabatur, die, testimonium Berosi Chaldæi ab injuria temporis servavit Athenæus Dipnosoph. XIV. Βήρωσος, inquit ille, ἐν τῷ πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν, τῷ Λώου μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ φησὶ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέαν προσαγορευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε, ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τοὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαί τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ, ὃν καὶ καλεῖσθαι Ζωγάνην. μνημονεύει τῆς Ἑορτῆς καὶ Κτησίας ἐν δευτέρῳ Περσικῶν: hoc est, *Berosus in primo Babylonicorum refert*, XVI. *die mensis Loi festum* Sacean *dictum Babylone dies quinque celebrari. In his morem esse, Dominos parere imperio servorum, præesse autem familiæ eorum unum vestem regiæ similem indutum. Hunc* Zoganen *nuncupari. Festum memorat etiam Ctesias in secundo Persicorum*. Classici mehercule autores Berosus & Ctesias de rebus Asiaticis, servi autem nomen, qui festo præfuit & Zogana heic dicitur, Chaldaicam petit originem. Nam סגן *Segan præfectus* est in ea dialecto. De Sacæis item locus insignis est apud Dionem Chrysostomum in Oratione IV. περὶ Βασιλείας. Idolum, ut videtur, Babyloniorum erat Sesach aut Sach, atque inde est, quod regem Sesach & ipsam urbem, eodem nomine, meminerit Propheta. *Quomodo*, inquit, *capta est Sesach*? Nam Bel, Merodach, Melcom, & qui sunt id genus alii pro ipsa gente, seu populo, a quo in veneratione habiti sunt capitibus tribus præcedentibus sæpe accipiuntur: ita de Babyloniis Sesach capio, & magnus ille Scaliger in notis ad Berosi fragmentum, festa illa quæ comm. 39. & 57. cap. LI. memorantur, sacros, quos diximus dies putat denotare, non epulas Baltazaris (de queis Danielis historia) uti sentit vulgus Chronologorum. Prophetiam enim illam ad Babylonem refert a Cyro captam, cum scilicet, ut testis est Herodotus, tota urbs choreis & oblectationibus occupata festum ageret. Optime sane convenit, stragem & gentis captivitatem a S. Sancto sub ejus numinis vocabulo designari, cui, dum flagellum illud Dei Opt. Max. erat merito expectandum, celebrarent sacra vide Herodotum lib. α. Sed vereri possit quis merito, ut aliud omnino quid de Sesach satis innotescat, quam Numen duntaxat hoc nomine Babyloniis fuisse cultum. Sacros dies ei sacros constanter adserere non ita facile est. Judæi tantummodo ad modum quem *Athbasch* vocant, Sesach denotare volunt Babel. Sesach enim scribitur ששך, Babel בבל. A Tau regrediendo, ordinata elementorum serie, si pro ב bis sumas ש, & pro כ, ל, ex *Babel*, *Sesach* fiet, sed vix risum heic forsan teneas. Atqui etiam *Athbasch* isthoc meminit & ad hanc rem amplectitur D. Hieronymus in Comment. V. ad Hieremiam. Dies vero Sacei mirum est quin idem fuerint cum festo illo Persarum *Sacæa* dicto, quod ob victoriam in Scythas, qui universi Sacæ Persis appellabantur, Cyrus memoratur instituisse & Anaitidi (hoc nomine vocabatur Diana Persica; quæ & Zaretis nuncupata) Numini Patrio sacrasse. Ipsum enim victoriæ diem Anaitidi dicasse eum scribunt, & ubicunque Deæ fanum esset, ibi & sancivisse ut Sacra celebrarentur, velut bacchanalia interdiu noctuque ad morem Scythicum ordinata, compotantibus viris fœminisque, & lascivientibus, refert Strabo lib. XI. cui festum τὰ Σάκαια & τῶν Σακαίων ἑορτὴ nominatur, atque idem fere habet Eustathius ad Periegeten, qui diem ipsum victoriæ, unde festi initium, Σακέαν dictum ait a Cyro. Babylonios sane, postquam Orientis imperium obtinuerant Persæ, cum Dea ipsa festum etiam, ad sacram autoris imperii item memoriam, in mores suos recepisse, & numerum dierum quinario (quemadmodum *Caligula Cæsar Saturnalia*) terminasse, & scenicum servorum imperium, alia, ut fit, rituum cumulo adjecisse non absonum est: atque ex his Sacæis forsan Berosi & Ctesiæ Σακέας ἡμέ-

ἡμέρας potius intelligendas qui existimet, quæ ad Sesach ita non possunt referri, quippe quod Cyro antiquius est nomen in sacris literis, verum ex Assyriorum seu Babyloniorum antiquissimis ritibus originem Sacæorum dierum & Cyro longe vetustiorem petendam esse, ipsis Beroso & Ctesia autoribus, mihi est persuasissimum, inde colligo, quod non modo Berosus libro primo, ubi scilicet de reconditissimis Babyloniorum monimentis egit, eos collocasset, sed etiam Ctesias diu ante quam ad Cyri imperium aut res Persicas devenerat, inter Babylonicas & Assyriacas enumerasset, ex hujus enim quinto citatur quod habet supra Athenæus. Cæterum nihil de Cyro ille, nihil in prioribus sex libris scripsit, sed tantummodo ea, quæ Persicum imperium præcesserunt. Id qui integram ejus historiam, quæ temporis injuria periit, diligenter perlegit, testatur Photius in Myriobib. Cod. LXXII. Sacarum etiam cladem sub Cyro libris succidaneis meminit, neque tamen de hoc festo occurrisse quid ibi observavit Photius, nec in eadem historia apud Herodotum quid ejusmodi reperitur. Liquido mihi hinc constare videtur Σακέας ἡμέρας & Σάκαια Cyro multis sæculis, si fides hisce scriptoribus, vetustiora esse, nec sine ambigua de ea re sententia, Strabo quod habet, retulit. Non igitur tanti sunt, quæ habet ille aut exscriptor Eustathius, quin ad Sesach, id est, originem Assyriacam seu Babyloniam, atque multo vetustiorem Σακαῖαι ἡμέραι referantur. Ab hac forsan Dea, Sacas nomen est Babylonicum apud Jamblichum Syrum, non Juliani παραβάτε præceptorem illum, sed qui CC. circiter annos ante eum floruit. Ipse & Babylonios Σακχύραν vocare ἐγγαστείμυθον scribit, quemadmodum Græci Euryclea nominant. An quod ab hoc numine vaticinia fuerint, ideo Sacchuran vatem dixere? viderint doctiores: habet, adnotamus, Jamblichus in rebus Amatoriis de Rhodane & Sinonide apud Photium in Myriobiblo Cod. XCIV. Tanquam a Scythis tantummodo aut Sacis (qui Scythæ etiam merito dicti sunt) originem habuerit festum Sacæa, id etiam Σκυθικὴν ἑορτὴν appellat Hesychius. Neque aliud fortasse erat festum illud Βαάγις Assyriis dictum, quod a פג *Pag* deduci potest, id est, *lætari*. Mira enim summaque & quæ festum, ante alias animi relaxationes, denominaret lætitia celebrabantur dies Sacæi. Βαάγιν memorat, quem laudamus, Hesychius. Utrum cum diebus Saceis quid fuerit τῷ Σεχὲς nempe Babyloniorum Mercurio commune, statuere nequeo, certe vocabulorum soni satis adfines sunt, & liberum esto cuique suum heic judicium. Hesychius: Σεχὲς τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ, Βαβυλώνιοι.

## CAPUT XIV.

Ciun Saturnus *Arabibus*. Raiphan. Rephan Remphan. Rompha. *Adfini elementorum figura hallucinati sæpe Græci Bibliorum interpretes*. ἀμαύρωσις. τύφλωσις. Chon. Hercules *Ægyptius*. Gigon.

CIun imago occurrit apud Amos v. comm. penult. *Portastis tabrnacula Molech vestri* (seu *Milcom*) *&* Ciun *imaginem vestram*, *stellam Deorum vestrorum* (seu Dei vestri) *quas* (aut quam) *fecistis vobis*. Notat Aben Ezra Persis & Arabibus (lingua Ismaelitica) כיואן *Civvan* dictum eum quem Hebræi *Sabbathi*, id est, Saturnum appellant, Hebraice exaratur כיון. Sed D. Stephanus Protomartyr *Ciun imaginem vestram &c.* Apud D. Lucam Act. VI. com. 43. ita vertit καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, quæ eadem habent LXX. Seniores, præterquam quod nonnullis exemplaribus Ῥαιφὰν substituitur, & προσκυνεῖν omittitur. Novi instrumenti Codices sunt etiam queis Ῥεμφὰν legitur, & Origenes lib. v. locum illum citans habet Ῥομφᾶ, & Remphan seu Romphan volunt aliqui, quasi a רעם פעם *Ragham Phagham* id vocabuli deduceretur, & tanquam *Jovem altitonantem* significaret. Pro Ῥεφὰν stant plerique codicum vulgatorum, atque ita legebant & Syrus & Arabs interpretes. Joannes Drusius audacter. *Esset*, ait ille, *Chevan* (sic legit כיון) *nisi manus aberrans maluisset scribere* Ῥεφὰν *ρ pro κ, aut forte ipsi interpretes legerunt* ריון *pro* כיון. Sane interpretes Græcos sæpius hallucinatos elementorum Hebraicorum sive adfini figura, sive mala scriptione, quædam ita vertisse, ut ob eam solummodo rem ab Hebraica veritate aberrasse videantur, plurimis potest demonstrari. De elementis ו pro י, ד item pro ר ab iis subinde perperam sumtis & id genus aliis monet D. Hieronymus ad Oseam sæpius, & alibi, sed piaculum esto tale quid de iis, qui Spiritu sancto dictante, ex veteri instrumento ad rem Christianam promovendam quid adduxere. Aquila & Symmachus retinuere vocem *Ciun*. Theodotio transtulit ἀμαύρωσιν, & Theophylactus ad Acta, τύφλωσιν. Hic *Cæcitatem*, ille *ob-*

*obscuritatem*. In loco autem isto Amos Prophetæ obscuro me tam cœcutire sentio, ut nihil omnino videam. Quod afferunt nonnulli de Hercule Ægyptiorum lingua Chon dicto, haud ita placet ut in eo τ̃ Ciun repertum esse opinemur. De Hercule illo ex Antiocho Syracusano Xenophanis filio Lilius Giraldus in X. & ad signatum Actorum locum Theodorus. Neque vero ita constat Herculem Ægyptium ea voce denotari. Qui primus tradidit, Chon forsan male a mutilato τῦ Γιγῶν (quod nonnullis veterum Hercules Ægyptius est) Syracusis accepit. Hesychius: Γιγνῶν, οἱ δὲ Γιγῶν, Πάταικος, Ἐπιπάταικος Τραπέζιος, οἱ δὲ Αἰγύπτιον Ἡρακλέα, id est, *Gignon nonnullis* Gigon, *Patæcus*, *Epipatæcus*, *Trapezius*, *aliqui* Herculem Ægyptium *intelligunt*. Nobis quid Gigon, quid Patæcus heic fuerit, satis innotescere diffitemur. De hoc Hesychii loco vide Syntagmatis hujus extremum.

## CAPUT XV.

*Acervus* Mercurii Margemah. Ἑρμαῖοι λόφοι Ἑρμαῖα. Mercurius Ἐνόδιος. Ἕρμακες. *Unde primitus apud Græcos* acervi Mercurio *sacri*. Merkolis. Margemah *quid & unde dictum*.

IN Proverbiis Salomonis cap. XXVI. com. VIII. nimirum editione veteri: *Sicut qui mittit lapidem in* acervum Mercurii, *ita qui tribuit insipienti honorem*. Hebraica veritas habet, במרגמה id est, *in Margemah*, ex qua voce Mercurium formarunt, uti vides, prisci; tametsi Græci interpretes, Chaldæus paraphrastes, recentiorumque plerique fundam ibi intelligant. De versione, non hic disputandum. Gentium sacra ibi intelligit Beda, & ita explicat. *Qui insipienti*, id est, *hæretico honorem docendi confert*, *non minus delinquit*, *quam qui Deos ac delubra gentilium cultu venerantur inani*. Videsis item Joannem Sarisburiensem lib. v. de Nugis Curialium, c. VII. Quid autem acervus Mercurii ibi denotet, breviter enarrandum. A sacro enim ritu erat id, ad quod interpres digitum intendit, & ab Orientali cultu. Erant apud priscos Ἑρμαῖοι λόφοι sive lapidum acervi Mercuriales, seu Ἑρμαῖα, viis publicis & compitis ad itinera demonstranda congesti, quos transeuntes viatores crebro lapidum jactu in Mercurii honorem augebant. Mercurius enim, id est, Hermes, Viarum præses erat & ἐνόδιος dictus, quem maxime Superum fore iratum si quis viam erranti comiter non monstraverit, canit Theocritus Idyll. κε.

> - - κεχολῶσθαι,
> Εἴ κεν ὁδὸν ζαχρεῖον ἀνήνηται τις Ὀδίτῃ.

Dicuntur acervi illi Ἕρμακες Nicandro, & de eis Epigram. est Antholog. IV. cap. XII. intelligendum.

> Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παρασπέχοντες ἔχευαν
> Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν -

Cultus eorum exprobratur Oraculis Sibyllinis, in proœmio:

> Κἂν παρ' ὁδοῖσι λίθων συγχώματα ταῦτα σέβεσθε.

Fabulam ad hanc rem habent Græcorum Commentarii, cum in consessu, ajunt, Superum Mercurius esset Deorum calculum subiturus, accusatus nimirum a Junone ob patratam Argi cædem; in gratiam Jovis, Deorum turbam Mercurium quidem absolvisse, calculos sed omnes, pro singulari cœlestis fori ritu, ad ejus pedes jactu coacervasse; quo scilicet facto execrandam sibi etiam cædem illam in Junonis gratiam manifesto narrarent. Hinc in Mercurii honorem mos ejusmodi hominibus usitatus: ὅθεν (scribit Didymus ad Odyss. π.) καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἄχρι τοῦ νῦν εἰς τιμὴν Ἑρμοῦ κατὰ τὰς ὁδοὺς διὰ τὸ τ̃ θεὸν εἶναι τοῦτον καθηγεμόνα, καὶ τρόπον τῶν ἐκδικούντων, σωροὺς ποιεῖν λίθων, καὶ διάγοντας, προβάλλειν λίθους καὶ τούτους καλεῖν Ἑρμαίους λόφους. Inde etiamnum, inquit, in usu est homines in Mercurii honorem, eo quod viarum sit præses, &, ad morem Deorum eum absolventium, lapidum acervos viis publicis congerere, hos autem prætereuntes crebro jactu augere & Ἑρμαίους λόφους, id est, Acervos Mercuriales nuncupare. Plura ad eam mentem apud Eustathium, Suidam, Hesychium & Magni Etymologici autorem. Voluit igitur sapientissimus ille hominum, eum qui stultum honestaverit, tantundem facere, perinde ac si λόφον Ἑρμαῖον, seu acervum Mercurii, lapidis jactu augeret, collata & stulto, & acervo quasi beneficia, huic lapidis accessione, illi honoris. Neuter autem gratum reprehendit animum, non stultis magis quam lapidum acervus, neuter beneficium conferri satis agnoscit. Adagium vero est Hebraicum זורק אבן למרקוליס, id est, *spargit lapidem in Merkolis*, eodem sensu usurpatum quo a Salomone *Margemah*. De Merkolis R. Nathan autor Baal.Aruch, ex Gemara Capitis *Rabbi Ismael*, in libro ע Talmudis. *Lapides fani* Merkolis *sic dispositi erant*, *ut unus hinc*, al-

*alter illinc*, *tertius super utrumque collocaretur*. Alius a Johanne Drusio citatus Decuria VIII. Adag. Hebraic. VI. *Merkolis*, *binis lapidibus sibi mutuo adjacentibus*, *tertius lapis imponebatur*, quod habetur in Sepher Æmana cap. XX. Sed de Merkoli plura occurrunt in Talmudis capite quod diximus. Habetur pag. 49. in editione Veneta. Nam in Basileensi deest totus ille liber. Meminere etiam hujus & λιθοβολίας Rabbi Moses Ben-maimon in Misnah Torah lib. I. part. עכום, id est: de cultoribus stellarum cap. III. & Elias in Thisbi. Margemah autem a רגם *Ragam*, id est, *lapidibus obruit*, deduci volunt, qui ibi *Merkolis* intelligunt, & lapidum jactum interpretantur. Et Rabbi Nathan loco jam citato עבודתה רגימת אבנים, inquit, *cultus ejus est lapidum jactus*, seu *Ragemath*, cui Margemah cognatum esse volunt. Delirium Goropianum de etymo Mercurii & Margemah ex Teutonismo petendo quæras in Hermathenis lib. VII. si nugis plusquam Beccefelenicis delecteris.

## CAPUT XVI.

*Numina Syra*, *quorum* gentilia *duntaxat* nomina *comperimus*. Pattæci Phœnicum. *Navium proris picti*, insignia *tantum erant*, puppibus, Dii Averunci *seu* Tutelæ. *Navis quæ Europam vexit*, *an* Jovis *fuerit* Tutela. *Inter* insignia *navium seu* τὰ παράσημα *&* tutelas *accurate distinguitur*. Philoxenus *Glossarii autor notatur*. *Unde* Pattæci *dicti*. ἐπιπάταικος. Epitrapezius Patæcus. *Conjectura in* Hesychium. Hercules Epitrapezius *seu Mensæ genius*.

QUÆ veterum monimentis & sacris & prophanis peculiari vocabulo & velut proprio indigitantur numina Syra, hactenus animadvertimus. Ne diligentiæ nostræ quis temere detrahat, etiam quæ gentium, quibus colebantur, nomine tantummodo innotescunt, non omnino præterimus. Deus Hamath, Deus Arphad, Deus Hena, Iva, alii memorantur II. Reg. cap. XVIII. comm. 34. Ita Rabsake. *Ubi est Deus* Hamath, *&* Arphad? *& ubi est Deus* Sepharvajim (de eo supra diximus) Hena *&* Iva? *si liberaverunt Samariam de manu mea*. Hamath autem & Arphad Syriæ urbes, constat apud Jeremiam cap. XLIX. 23. Eadem autem os illud impurum, apud Jesaiam cap. XXXVI. 19. Sed vero cap. XXXVII. 12. *Nunquid liberaverunt eos Dii gentium quos perdiderunt patres mei*, *nempe* Gozan *&* Haran, Raseph *atque filios* Eden, *qui fuerunt in* Bithlassar? *ubi est Rex* Hamath, *& Rex* Arphad *atque rex Civitatis* Sepharvajim, Hena *&* Iva, hic Reges dicuntur, qui in Regum libro Dii, quod referas licet ad ea, quæ in capite de Molocho indicavimus. Deos autem Seir, id est Numina Idumæa occurrunt II. Paralip. cap. XXV. com. 14. *Et factum est postquam rediisset Amaziahu a cæde Ædomæorum adduxit* Deos Seir, *statuitque sibi in Deos*, *& procubuit ante eos*, *atque suffitum exhibuit eis*. Neque importune heic damus Phœnicum Pattæcos; quod nomen etiam est, sed ab alia causa, generale, & Diis omnibus Phœniciis, forsan & Syris commune. Patæcus Deus nunc erat Baal, nunc Astarte, sive alius Syrorum, quem cubitali figura, aut Pigmæi statura in navium & proris, & puppibus circumferebant. Παταΐκους appellat Herodotus in Thalia, ubi de Vulcani statua, quam derisit Memphi Cambyses; & proræ tantum meminit. Patæcos, inquit, οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι τῶν τριήρεων περιάγουσιν. Alii etiam in puppe collocant. Hesychius. Πάταικοι. θεοὶ Φοίνικες οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Et Suidas: Πάτταικοι θεοὶ οἱ Πάταικοι Φοινικικοὶ (ita legerem) ἐν ταῖς πρύμναις ἱδρυμένοι. Qui vero in prora pictus, navis insigne; qui in puppe, tutor erat seu Deus Averruncus, sive Deus Tutelæ, uti veteres loquuntur. Ejus Dei tutela navis dicebatur. Hinc aliqui fabulam raptionis Europæ ad prædones trahentes, navem, ajunt, Jovis tutelam, effigiem tauri habuisse atque inde a Jove raptam veteres esse nugatos, sic & de Ganymedis aquila statuunt, videsis Sextum Pompejum in Europa, Lactantium de falsa Religione cap. XI. ut cæteros præteream. Heic, si illi non male interpretantur, Belus sub Tauri effigie tutor erat navis & Pattæcus in puppe collocatus. Nam Belus Phœniciorum est Jupiter. Sic Virgilius:

> - - - *aurato fulgebat Apolline puppis*.

Quæ Apollinis tutela erat, & Persius Sat. VI.

> - - - *jacet ipse in littore*, *& una*
> *Ingentes de puppe Dei* - - -

Alia ejusmodi apud veteres. Cæterum cum haud taurina figura apud Phœnicios coleretur Jupiter, sed magis Astarte quæ curvos, ut ait ille, imitata est Lunæ ignes, male conjectant qui ea, Tutelæ Deum, in Europæ raptu, ita signatum volunt, accedit, propria Numinum simu-

mulacra pro tutoribus olim navium (ut sæpe jam Sanctorum effigies apud Christianos) habita, animalium autem figuras in Proris & pro παρασήμοις seu insignibus naves tantum denominantibus esse adhibitas, ut de Æneia nave, quæ tenebant rostro leones ἀντὶ τȣ͂ παρασήμȣ: testis est Maro lib. x. Nomen etiam semper accipiebant naves a signis illis sive animalium, sive heroum, seu rei cujuspiam alius in proris pictæ, aut cælatæ; nunquam, ni fallor, a numinibus, quorum in tutelis ipsæ fuerint. Et rectius multum ii, qui insigne navis, quæ Europam vexit Taurum fuisse, uti & Arietem ejus quæ Phryxum, scribunt, sic Eusebius in Chronicis, sic equos dictas Gadarensium naves, quorum proræ insculptis equis insignes, refertur apud Strabonem; cui ἐν ταῖς πρώραις ἐπίσημα hujusmodi insignia nuncupantur, obvium est libro β. De hujusmodi intelligas D. Lucam in Actis Apost. cap. XXVIII. com. 11. ubi Syracusas a Melita vectus est D. Paulus in navi Alexandrina, cui παράσημον Dioscuri (hoc est Castor & Pollux, sive Gemini; ut Syrus & Arabs vertunt. Sed tamen alii etiam sunt Dioscurorum sub nomine in veterum indigitamentis) ad quem locum bene Theophylactus: ἔθος γάρ, inquit, ἀεὶ πῶς ἐν τῷ Ἀλεξανδρέων μάλιςα ναῦσι πρός γε τῇ πρώρᾳ δεξιά τε καὶ εἰς εὐώνυμα γραφὰς εἶναι τοιαύτας: semper enim Παράσημον in proris, ut in puppibus Tutela. Sunt magni viri, qui & locum illum aliter, sed male intelligunt. Sed doctorum nonnulli veteris Glossarii Latino-Græci autorem, qui Philoxenus putatur, secuti, discrimen hocce non capiunt. In Glossario legitur: Tutela παράσημον τȣ͂ πλοίȣ, male omnino, sed peroptime distinxit hæc primus, quod sciam, V. Cl. Daniel Heinsius in notis ad XIV. Silii Italici, & post eum heros ille Jos. Scaliger in Eusebianis, qui ad Festum tamen satis incogitanter παρασήμȣ & Tutelæ discrimen non animadverterat. Recte vero ibi doctorum phœnix ab Hebræa lingua Patecωn petit originem, vocabulum denotare ait cælaturas sive ἐκτυπώσεις, certe τὸ פתוחים *Pittucim* idem in sacris literis significat, quod ut per Græcanicam orientalium vocum depravationem in Παττωίκȣς migraret, non erat difficile. Quod Dii isti sive picti sive aliter ficti in prora puppive erant, ideo Pattæci dicti. Πάταικος item & ἐπιπάταικος habentur apud Hesychium in Γιγνῶν. Verba ejus jam addidimus capite de Ciun. Alibi item ille: Εὐφράδης, Πάταικος Ἐπιτραπέζιος. Quid heic Εὐφράδης, non intelligo, sed ex hoc loco hariolandum esse æstimo, apud eum in Γιγνῶν, τὸ Ἐπιπάταικος a librariorum incuria irrepsisse & Πάταικος Ἐπιτραπέζιος Hesychium ibi etiam scripsisse. Patæcus autem Epitrapezius, Herculis, ni fallor, statua erat, quæ mensæ apud veteres Genius & Tutela, ut alii, quos diximus, Patæci erant navium. Inde enim titulus ille in Papinii Sylvarum IV. *Vindicis Hercules Epitrapezios*, de quo idem ipse

> - - - *castæ Genius Tutelaque mensæ*
> *Amphytrioniades* - - -

Etymologici autem autor. Παταικός, κατ' ἀφαίρεσιν τȣ͂ α, ἀπαταικός, Ὦρος. Non omnino capimus, quid sibi velit heic Ὦρος. Grammaticum celebrem eo nomine frequentius citatum in Etymologico agnoscimus, atque ad hunc modum post Expositiones vocabulorum, velut autorem adjectum. Sed nemo nescit etiam Orum non vulgarem inter veterum, maxime Ægyptiorum, numina locum obtinuisse. Si Grammaticum heic intelligas, quid sibi voluerit ipse Grammaticus planissime intelligere nequis. Quid cedo Ἀπαταικός? quorsum ἡ ἀφαίρεσις τȣ͂ α? Qualisnam omnino τȣ͂ Παταικός explicatio? prorsus nulla. Sed somnium ridiculum. Neque τὸ ἀπαταικός ipso Παταικός (quod tamen vetusti Scriptoris apud Plutarchum in Solone nomen est) minus ignotum, aut a Græcismi analogia alienum minus. Propensius igitur olim existimabamus nos, non tam Grammaticum quam ipsum cognomine Numen ad enarrandum τὸ Παταικός ibi allatum esse. Ac si dixisset Etymologici autor, nescio unde edoctus, Παταικόν & Ἀπαταικόν fuisse nomina (quorum primum ex secundo per aphæresin sit) Ori numen designantia. Ita certe sensus erit aliquis & orationis ejusmodi contextus ut saltem aliquid ibi, rationi non undiquaque dissonum innui videatur. Orum scilicet ait, qua Deus erat, inter Patæcos numeratum esse, immo ita acceptum ac si ipse & Patæcus synonyma fuissent, quod scriptum fortasse repererat ab aliquo, qui Orum Patæcum dictum (quo nomine Dii omnes in puppibus cælati) vocabuli vim minime assecutus alicubi legisset. Ita certe Καβείρȣς idem Etymologici autor esse scribit nomen aliquot Deorum, Cereris nempe, Proserpinæ & Plutonis &, secundum alios, Jovis, Bacchi, cum interim certissimum sit nomen illud ab Hebraico seu Phœnicio כבר *Cabar*, (quemadmodum supra monitum est) formatum, *potentes* generatim *Deos*. uti sunt universi, seu δυνατὲς revera denotare; utcunque ab

an

antiquorum nonnullis, qui ne id quidem suspicati sunt, aliis præter autorem hunc, singulares duntaxat aliquot Dii eo nomine indigitentur. Atque ita, ni fallor, evenit in hoc τῦ Παταικὸς exemplo. Utrumque enim ab Orientali, Hebræa nimirum, origine emanavit. Utriusque *Par* apud Græculos plerumque ignorantia. Et utrumque demum, ut fit, male ad singularia restrictum est. Atque ut illud sive ad tres illos, sive illos binos Deos designandos (quoniam scilicet Κάβειροι erant & potentes) satis indocte velut proprium usurpabatur, ita hoc in loco, ad denotandum unum Orum, qui item Patæcus erat, seu puppibus celari solitus, uti Dii, pro vario gentium ritu, ceteri. Ita כוכב etiam, quod stellam generatim significat, pro Lucifero antiquitus acceptum. Et compluria sunt ejusmodi. Ceterum dubitanter hæc de Etymologici loco scribimus, uti etiam in prima editione scripsimus, sed sermone multo contractiori. Me tamen, quia Orum Deum magis quam Grammaticum eo loci hæsitans intelligebam, pluribus ante septennium insectatus est, Diatriba adversus unum & alterum Historiæ nostræ Decimarum ante decennium Anglicano idiomate editæ caput conscripta, Theologus Cantabrigiensis, Græce sane & Latine doctus, sed non nobis solum, verum & sibi ipsi multo, quam par erat (quod nec me solo judice dictum est) inter scribendum passim iniquior, ne quid gravius dicam. *Non omnino capimus* (sic se habent verba nostra primæ editionis) *quid sibi velit heic autor. Neque enim Orus magis Patæcus dicendus est quam quivis alius Deus. Et quod de aphæresi τῦ α habet, nobis prorsus inauditum est, nec alibi compertum. Neque ex iis sumus quos putet nescire quod nescimus*. Satis modeste sane (absit invidia verbo) scriptum! Sed exclamat ille, me hisce Grammaticum in Divos retulisse; crassæ insimulat inscientiæ. Et ac si nescio, quam ex mustaceo heic laureolam nactus fuisset, de nobis apud Vernaculos sibi triumphare visus est. Quam juste censeant judices æquanimi! Sed adjiciendi plura de homine locus hic non est; uti nec plura aperiendi de lite illa Decimarum acriter nimis, non dico quam feliciter, a compluribus contra nos, manum interea de tabula, non sine jussu Prtncipali, cui libentissime parebamus, secure retinentes disputata. Numerosus sane est libellorum, quos ea occupat, cumulus. Sed diu est quod annosa satis, & satis vexata, prudenter, puto, sopita est.

## CAPUT XVII.

*Æneus* Serpens. Serpentes *in sacris*. Beli & Draconis *historia apocrypha unde*. Belus *Deus gulosus*. Suem *cultum Judæis scribunt veteres*. *Item* Asinum, & Asini *caput*. *Unde eæ sive nugæ, sive calumniæ*. *Ex* Gnosticorum *forte disciplina*. *Cur* Cœlum *Judæis numen fuisse tradatur*. Cœlicolæ *in codice dicti*. *Rejecta quæ nonnullis sunt* alia Syrorum numina.

Sunt autem, quæ consulto hactenus omisimus. Neque enim locum dedimus Ænæo serpenti a Judæis adorato, quippe qui jussu Dei Opt. Max. conflatus est, neque restat, quod ad rem de eo dici posset, præter ea quæ in Ezechiæ historia scripta relinquuntur, somnia quæ de eo & columnis, nescio quas, incisis junxit Philastrius, ut pluria ejusdem figmenta fastidit stomachus noster. Neque si Hesychii presbyteri Constantinopolitani libri IV. fictis ad Deum Opt. Max. Mosis de eo orationibus, Dei vicissim ad Mosem, turgescentes, ad manus nostras pervenissent, inde quid operæ nostræ sperandum fuisse existimamus. Memoratur ille Hesychius in Photii Myriobiblo Cod. LI. Deum Maozyim, seu robustum & potentem quod מעזים Danielis capite undecimo, com. 38. & Μαωζὶν Senioribus dicitur prætermisimus ut plane ignotum, aliter ac locus ille unicus sacræ historiæ indicat. Sed vero & heic corolllarium de *Draconis* & *Beli* historia apocrypha, & de *Sue*, *Asino*, & *Cœlo*, quæ velnt numina Hebræis olim habita immerito exprobrantur, seorsim adjicimus, neque alium ut sortirentur locum voluimus, ne indubitata vetustatis monimentis aut fictas improborum, in gentem a Deo Opt. Max. electam, calumnias aut imperitorum sive male feriatorum nugas misceremus. Quod ad *Draconem* Babyloniorum in Apocryphis celebratum attinet, poema sacrum historiolam illam quis magis nuncupet, quam inter signatæ veritatis testimonia numeret. Serpentes, seu Dracones inter recondita gentium mysteria inprimis habita scio, & docent Clemens Alexandrinus, Julius Firmicus, Justinus Martyr, alii, & quanto honore Ægyptiis & Phœnicibus olim Serpens fuerit habitus, qui Ἀγαθοδαίμων & Κνὴφ & Ophineus dictus, videre est apud veteres, quos laudat Eusebius in προπαρασκευῆς α. cap. ult. Neque in Mesopotamia esse Serpentes, qui indigenas non lædant, advenas au-

autem vehementer infestent tradidisse Aristotelem libello περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ignoro; unde satis esse potest verisimile & incolas & accolas, hos, ut malum averruncarent, ut gratias rependerent, illos Serpentem adorasse, ejusmodi enim cultus nec veteribus infrequens, neque novi orbis incolis. Veruntamen cum duo tantummodo inter vetera monimenta, sint commentaria, neque ita probatæ fidei, quæ Draconem illum Babyloniorum numen asserant, ea vero etiam adinvicem, haud parum dissideant; non omnino potis sum animum inducere, ut istinc numerum Deorum Syrorum augeam. Scriptor enim eorum, quæ Apocrypha dicuntur Danielis, & Josephus consarcinator nuperus Ben-Gorion dictus, sunt hujusce rei autores bini qui restant. Hic sub Dario, ille sub Cyro collocat. Hujus de Daniele parante Draconi deleterium verba Latine sunt ex Hebræo versa: *abiens vero* Daniel *a conspectu Regis paravit instrumenta ferrea instar pectinum quibus lina repurgantur, & conjunxit ea interius, tergum conjungens tergo, aculei autem eorum extra prominebant per circuitum limati & acuti, quibus undique adhibuit varias ciborum species, præsertim adipem, pinguedinem, & alias res pingues. Lituram quoque sulphuris & picis apposuit ei, quibus fomentis absconditi sunt aculei ferrei & dentes illi serrati, habuitque formam demensi* ( Hebraice מנחה *Mincha* quod est munus Deo oblatum. ) *Cumque* Daniel *illud projecisset in rictum* Draconis, *suscepit ipsum* Draco *& devoravit cum desiderio animæ suæ, at ubi descendit ad interiora ventris ejus, dissolvebatur adeps & pinguedo a ferreis aculeis, & ingrediebantur acumina serratorum dentium in viscera* Draconis, *atque perforabant ea, & illico cœpit* Draco *sentire ingentem dolorem, corruensque mortuus est sequenti die*. Ita Ben-Gorion lib. I. cap. x. Atqui in Apocryphis, pix solummodo, pinguedo, pili, & ex iis massæ factæ memorantur: quarum esu Draco disruptus. In iis Idem ob interfectum numen, Daniel in leonum lacum conjectus est, de qua ne γρῦ quidem apud Gorionidem; qui nihilominus probabiliora adfert de tempore, quam Apocryphωn autor. Nam in leonum lacum Daniel detruditur sub Dario, testis est omni exceptione major ipse Propheta capite VI. & sub eodem, Draconem interfectum vult ille Josephus. De *Belo* insuper uterque refert, quæ non alibi apud veteres comperias. Cæterum, quæ ingluviei ejus quotidiana erant sacra, sunt Apocryphωn autori, σεμιδάλεως ἀρτάβαι ιβ. καὶ πρόβατα μ. καὶ οἴνου μετρηταὶ ς. Josepho autem Gorionidi, Juvencus, x. arietes C. Pulli columbarum, & LXX. panes subcinericii & x. amphoræ, ( id est כדי *Caddai* ) vini. Tam male huic cum illo convenit; tam subsidia veterum utrisque desunt, ut fidem neutri habere simus ausi. Cæterum quisquis ille fuerit, qui adeo gulosum hunc Deum esse primo, enumeratis obsoniis, finxerit, id omnino non absque sacrarum literarum autoritate voluit, nam apud Jeremiam cap. LI. comm. 44. cultum Beli notatum legerat. *Visitabo quoque* Bel *in Babylone, & extraham de ore ejus id, quod devoravit*. Neque autem Hebraicis, quæ Danieli adscribuntur, codicibus, *Beli*, *Susannæ*, aut *Draconis* commenta sunt reperta; sed ex Apocryphis cujusdam Habakuc Ben-Jesu sunt desumpta. De ea re D. Hieronymus. *Eusebius & Apollinarius pari sententia responderunt* ( nempe Porphyrio ) Susannæ Belisque ac Draconis *fabulas non contineri in Hebraico* ( Porphyrius ille adversus θεόπνευστον Danielis prophetiam scripserat ) *sed partem esse prophetiæ* Habakuc filii Jesu *de tribu* Levi; *sicut juxta* LXX. *interpretes in titulo ejusdem Belis fabulæ ponitur*. Homo quidam erat sacerdos nomine *Daniel* filius *Abda*, conviva regis Babylonis: *cum Danielem & tres pueros de tribu Juda fuisse sancta scriptura testetur, unde & nos ante annos plurimos, cum verteremus* Danielem, *has visiones obelo prænotavimus, significantes eas in Hebraico non haberi. Et miror quosdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quasi ego decurtaverim librum: cum &* Origenes *&* Eusebius *&* Apollinarius *aliique Ecclesiastici viri & Doctores Græciæ has, ut dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere* Porphyrio *pro his, quæ nullam Scripturæ sanctæ autoritatem præbeant*. Hactenus Pater ille. De Sue ab Hebræis, culto, Petronius in Catalectis:

> *Judæus licet &* porcinum numen *adoret*.

De Asino seu aureo Asini Capite & Zabido spurcissimas ad hanc rem fabulas habes, quas Appion objicit apud Fl. Joseph. Tacitus Hist. v. *Effigiem qua monstrante errorem sitimque repulerant, penetrali sacravere*. Asinum intelligit. Eandem ob causam animalis apotheosin tradit Plutarchus Sympos. IV. c. v. Suem velut sementis atque arationis magistram coli putat. Ἴσως, inquit, ἔχει λόγον τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν, οὕτω καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην. Verum, an quod carne-

ne suilla abstinerent, ideo porcinum numen eos veneratos esse, creduli nimis æstimarunt? De abstinentia sane tantum, non cultu loquitur Tacitus, alioquin ut historicorum optimus, ita de Judæorum ritibus nugator summus. Unde vero fabulæ Asininæ origo? plusquam ridicula sunt, quæ blaterat Appion apud Josephum. Nec minus impium est, quod de statua habent lapidea in Templi Hierosolymitani aditis ab Antiocho Epiphane reperta, figura humana, barba promissa & quæ teneret manibus librum, Asinoque insideret. Mosis esse putabat nefarius ille Tyrannus. Historiam legas in excerptis e Diodori Siculi lib. XXXIX. Atqui in Gnosticorum libris de hac re nonnihil. In iis unus erat ἡ γέννα Μαρίας dictus, in quo mira de Zacharia peremto ob Asininum numen, inter sacrificandum, ab eo conspectum & vulgo proditum, scelesti ostentabant. Et quem Sabaoth inter nominum portenta, vocitabant, eorum nonnulli Asinini, alii Porci figuram habere prædicabant: φασὶ δὲ (scripsit Epiphanius) τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν, Ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. Hinc forsan Porcini numinis falso Judæis tributi ratio; si enim quod carnem porcinam non comederent, ideo porcum adorare dicerentur, quid obstabat quo minus etiam de camelo, cuniculo, corvo, struthione & id genus aliis, saltem non tantum de Sue similia olim ficta fuissent? De Judæis autem id affirmasse nonnunquam profanos, quod hæretici somniabant Christiani, non est mirum; neque versatus qui in veterum monimentis nescius est, cum de Judæis urbe pulsis verba fiunt, Christianos interdum intelligi. Qui enim, licet vario cultu, Deum Opt. Max. venerabantur, nec idolis faciebant, eos, sive Judæi, sive Christiani fuerint, cum scilicet Christianorum nomen, primis nascentis Ecclesiæ seculis, haud ita esset profanis seorsim cognitum, Judæos omnino nuncupabant. Hujusce rei locus est insignis apud Arrianum in Epictetum lib. II. c. IX. sed commento illo Asinino Christianos etiam orthodoxos, onustos ac *Asinarios* dictos scimus, atque in eorum opprobrium figuram pinxit olim spurcissimus nebulo, quæ auribus erat Asininis, altero pede ungulata, librum gestans, & togata; ejusmodi adjecta inscriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITIS vide, si placet, Tertulliani Apologetic. c. XVI. & adversus Nationes lib. I. cap. XI. præter Minutium Felicem. Cœlum porro a Judæis cultum, ut numen pri-



marium, traditur. Petronii, quem laudamus, versum, sequitur:

*Et* Cœli *summas advocet auriculas*.

& Juvenalis Satyr. XIV. de iis:

*Nil præter* nubes & Cœli *numen adorant*.

Sic Strabo lib. XVI. ex Mosis doctrina, sed falso docet. Constat autem apud Hebræos τὸ שמים id est, *Cœlum* sæpe pro Deo Opt. Max. accipi, & in Novo Testamento Οὐρανὸς ad eorum morem, ita usurpatur. D. Matthæus cap. XXI. com. 15. ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων, & D. Lucas c. XV. com. 28. ἥμαρτον εἰς τὸν Οὐρανόν: scimus Militiæ Cœli aras in veteri Judæorum superstitione dicatas, sed vero ea huc non trahenda. Male intellectum Judæorum idioma seu phrasin in causa fuisse putavi, cur summum iis Numen Cœlum esse impii calumniarentur; tametsi Christianorum Imperatorum edictis sub nomine Cœlicolarum coerceri videantur. Qui enim Cœlicolæ in codicis titulo *de Judæis & Cœlicolis* vocantur, Judæos fuisse quis autumet, edoctus ex Codicis Theodosiani lib. XVI. tit. VIII. l. 19. Unde lex duodecima Justiniani sumta; sed vero Honorius & Theodosius ibi: *Cœlicolarum nomen inauditum quodammodo novum crimen superstitionis vindicavit*: certe si Judæi intelliguntur, nomen tunc temporis non erat Romæ inauditum; nec crimen novum. Judæi enim Cœlicolæ dicti, saltem re ipsa designati, etiam sub Augusto, uti ex Strabone liquet. An Gnosticos igitur aut Saturnilianos qui innumeris Cœlis non sine ænigmate fictis, supremum eorum, ipsum esse Deum O. M. nugabanrur, intellexere; atqui harum etiam neutra hæresis sub Theodosio inaudita dicenda erat. Utraque diu antevertit. Cæterum liras ejusmodi liras, quales de *Sue*, *Asino*, *Cœlo*, calumniæ sunt, in gentem a Deo primum electam, ab imperitis & profanis conflatas, non magis quis æstimet, quam eorum Sabbathum Saturno dicatum esse; ipsos primum Idæos ab Ida monte, aucto in Barbarum cognomento, Judæos vocitatos; sacerdotes eorum tibia tympanisque concinere, hedera vinciri solitos; vitem auream in templo esse sacratam, idque uti cætera in Liberi Patris seu Bacchi honorem fieri consuesse, & hujusmodi innumera alia, quæ veteres somniasse videre est apud Tacitum, Plutarchum, Strabonem, Diodorum, Trogum. Nec sibi constans Tacitus miram de eorum sacris prodit incogitantiam: *Asini effigiem penetrali sacrasse*



*eos*,

*eos*, *cæso ariete*, *in contumeliam velut Hammonis*, futilem vulgi opinionem amplexus dicit; dein vero paucis intercedentibus periodis, *nulla simulacra urbibus suis nedum templis esse* scriptum reliquit. Libenter ea Chaldæorum missa facimus Numina; quæ ad Danielem quidam commentantes obtrudunt, lectoribus imponentes. *Rach* inquam quem pro Sole adferunt, ut *Nego* pro igne. Et nescio quæ Hierophantarum nomina inauditis Diis peculiaria adjiciunt. Fatemur nos in veterum monimentis ista non adhuc comperisse; Quæ ibi destituunt indagantem, frustra est, qui sive pro certo, sive pro verisimili adducere quid in hujusmodi indagine properet, scimus Astronomis Judæis Veneris stellam נוגה *Nogah* dici: & legimus apud Plinium lib. VI. cap. XXVI. sed verbis depravatis, ubi de Orchenis agit Chaldæorum, *Ab iis Notitæ*, *& Ortophantæ & Græciochantæ*, quæ etiam varie in vetustis exemplaribus exarantur. Hinc opinor ansa datur male conjectantibus nova illa numina & Hierophantas fingendi. Geographi nil ibi præter gentes designatas agnoscunt, tametsi nec Ptolemæus nec Antoninus, neque Strabo, nec, quod sciam veterum quis alius ad λέξεις illas, ni fallor, vere μονηρεῖς, neque alibi occurrentes, satis explicandas, suppetias ferant. Nos ibi nihil omnino sacrorum videmus, nec recentiorum autoritati tantum tribuimus, ut quorum in priscis scriptoribus nulla extiterint vestigia, ea, velut prisca, in nostrorum classem temere recipiamus.



AN-

# ANDREÆ BEYERI ADDITAMENTA

ad Prolegomena, & Syntagmata

# JOHANNIS SELDENI DE DIIS SYRIS

## ANDREÆAS BEYERUS LECTORI BENEVOLO S. P. D.

MUlta forent, quæ Te *benevolentissime Lector*, præscivisse, mea interesset; sed tamen paucis volam, eo vero omnium primo, me non proprio; sed, postquam semel atque iterum recusaram, nescio qua de causa, (fortasse quia *Indices* ante septennium in utilissimum hunc libellum me confecisse norat,) iterato instinctu *Bibliopolæ, Viri & Amici Candidi*, ad hæc aggressum, inque iisdem ita versatum esse, ut sæpius *alterius & oculis & verbis* (præprimis ab initio) me uti necesse fuerit: *Illis*, quia curta mea suppellex non sufficeret, nec, quæ aliquando in oratiori notaram, repetere in hoc angulo liceret, *His*, *tum* ut declinarem invidiam, honoris quidem, ut creditur, comitem, quam vero sicuti nemini invideo; ita eandem, (non tamen innocentiæ testem inevitabilem, alias non raram,) quam potui, sedulo cavi, præprimis in minutiis, quas nimis curiose sectantes plerumque crabrones irritant; *tum* quoque ut temporis penuriæ succurrerem; nec enim prius scivi rogatusque a Bibliopola fui, quam jam denuo typis exscriptus Autor esset, hinc eidem tandem gratificaturo quævis pro more ad marginem mei Exemplaris notata, convasanda fuerunt, pleraque vel sine ullo, vel Autoris ordine retento. Constitueram propterea subinde ad loca quædam Autoris, ipsius *sententiæ vel explicandæ, vel ampliandæ, imo nonnunquam corrigendæ* gratia, sola bonorum quorundam Autorum verba notare, quod & quandoque factum esse animadvertes, sed coiere illa in plerisque; & ex iisdem quicquid hic vides, natum est, *benevolentiores*, quam vel meretur, *oculos* me interprete, (cui nec ipsi satisfactum est,) eblandiens. Fatendum est, doctiorem hunc decuisse laborem, & hæc nostra esse, si non omnibus, certe peritioribus nota, hiulca, extemporanea, (nec enim relegi, nedum secundas curas expectare potuerunt) & quod suspicor, propter absentiam, non satis correcta, quinimo tanto Autori indigna ἐπιβλήματα: Verum doctiores majores occupant labores, & *erunt fortasse, qui, dum in hoc genere congesta malint, hic, equidem non omnia, multa tamen ostensa, quamque attendi pero, voluntatem se reperisse dicant. Ea mihi mens est, ut semper æquius de aliorum laboribus judicem, quam de proprio;* si eadem Tibi est, quicquid displicet, conniventi ocello quin transmittas, quidni sperem? *Compendii loco vastissimorum de hac materia Voluminum esse poterit, & quæ hinc inde latius sparsa sunt*. Plus operæ impendere potuissem, si citius monitus fuissem, & nisi jam diu cum Auctario hunc Autorem recusum in Catalogis Librorum legissem, quæ & causa fuit, cur pauciora, ut in aliis, juxta Consilium Cl. Ruperti

in

in Ep. quadam de Philologiæ ſtudio recte inſtituendo datum, ſoleo, ad hunc libellum ex qualiquali lectione notarim, certus, ut videbar, de alterius opera, quæ cum nondum extiterit, præſenti interea utere mihique fave.

*B. C. D.*

## ADDITAMENTA

### ad Cap. I. Proleg.

UNO *Syrorum*, latiori apud profanos quam ſacros ſcriptores ſive *nomine*, ſive *titulo*, quicquid olim *Phœniciæ*, *Palæſtinæ*, *Meſopotamiæ*, *Babyloniæ*, & *Aſſyriæ vicini æque* Deorum fuit, complexo, vid. Guilielm. Poſtellus de orig. cap. XXII. pag. 116. ſuccenturiare Autori, & in ſubſidium deſignare viſum eſt, ejuſdem nationis & gloriæ Virum *Brianum Walton*. Proleg. 13. ad Biblia Polygl. de *Lingua Syriaca* & *Verſionibus Syriacis* §. 1. quem, quia illuſtrat noſtrum, totum, & ejus verbis (ut conſtitui tantum non omnibus additamentis facere,) quam meis adſcribere malo, ita vero ille: *Syria* & Aſſyria, *inquit*, licet diverſam ſortiantur vocis originem, ſæpe tamen apud Auctores, *pro una eademque* habentur, eaſdemque regiones ſuo ambitu comprehendunt: *Syrorum* enim nomen, quod primum Phœnicibus, a *Tyro*, ipſorum metropoli nomine deducto, proprium erat poſtea gentibus circum vicinis factum eſt commune: *Tyrum* enim Hebræi צור *ſor* vel *ſur* appellant, unde *Surim* vel *Sorim*, qui iidem cum *Syris*. Ex *ſorim* autem annotante *Bocharto*, præfixo articulo, fit השורים *haſſorim*, 1. Chron. 22. 4. Nehem. 13. 10. quo nomine ſæpius *Tyrios* vel *Phœnices* deſignant auctores veteres. *Aſſyrii* vero plane diverſi ab his: (v. Georg. Horn. *Arca Noæ* pag. 57. imprimis 81. 82. ſeqq.) Nam ab *Aſſyr* ſunt אשורים *Aſſyrii* trans *Euphraten* & *Tygrin*, qui & primo *Aſſyres*, quorum nomen omnibus ſub imperio Aſſyriorum olim erat commune, unde apud multos veterum *Syrorum* & *Aſſyriorum* nomina eadem, ut apud *Juſtin.* lib. 1. *Strabon.* lib. 11. & XVI. & alios, quos adfert Vir doctiſſimus. At Uſus tandem invaluit, ut in *Syros* & *Aſſyrios* imperium diviſſum eſſet, *Aſſyriorum* nomine iis, qui trans Euphrateu erant, appropriato; *Syrorum* vero reliquis a Phœnice ad Euphratem, unde *Heſychius Syriam* vocat, *terram quæ eſt a Phœnice*, *Babylonem uſque*. Ante diviſionem Imperii in *Aſſyrios* & *Syros*, *ab Aram* Semi filio dicti erant *Syri Aramæi*. Sic enim *Joſephus*, Ἀραμαίους ἔχεν, οὓς ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι, & *Strabo lib.* 16. οἱ ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν, ἢ Αρίμους. Græci vocabant *Syros Aramæos*, *Syri* etiam ſe hodie *Aramæos* vocant. Vid. Grot. Annotat. ad lib. 1. de Ver. Rel. Chr. pag. 197. Hoc etiam nomen apud ipſos deſiiſſe poſtea ex hac cauſa quidam conjiciunt, *quod Nomen Aramæi pro Gentili Idololatra uſurpatum fuit*, ut in Gemara *Thalmud Babylonici*, *de Idololatria*, ubi *Samaritanus* ſive *Cuthæus*, medius ponitur inter *Judæum* & *Arameum*, vel *Idololatram Gentilem*. Sic apud *Onkelos*, Lev. XXV. 47. *Aramæus* ponitur pro *Idololatra*, & N. T. Syriaco, Gal. II. 14. & III. 2. pro *Gentili* & *Græco* legimus *Aramæum*. Hoc vero inde erat, quod primi Idololatræ, quorum ſcriptura meminit, ſcil. Cham, Nachor, & Laban, Joſ. 24. 2. Gen. XXXI. 19. erant patria *Aramæi*. Hæc laudatus Walton, quæ cum prolixius deducit & accuratius penſiculat, *Mayerus* part. 2. Philol. S. cap. 1. comitem, ſi non majoris, certe non minoris eruditionis, dabo, ita tamen ut ſine ambagibus (quas, uti ipſum decuit, declinabo) incedat. Is igitur, contra Myricæum diſputaturus ſtatim evolvit *Homonymiam* vocabuli *Aram*, *Aramæus* ſive *Syria*, *Syrus*, dicitque *latiſſime* ſumtam vocem, *Aramæus* ſive *Syrus* in Paraphraſi Chaldæa veteris, & Syra N. T. *gentilem* ſive Ethnicum denotare, qui nunquam factus fuerit *Proſelytus*. Sicque Levit. XXV. 48. עקר משפחת גר h. e. *indigenam e familia peregrini*, vel qui ex ſtirpe proſelyti eſt ortus, & radices quaſi egit in populo Dei, ab Onkelo reddi: ארמאי מזרעית גיורא *Aramæum*, h. e. *gentilem ex proſapia Proſelyti*, & Talmudicos quos ſequatur *R. Salomon*, exponere hunc locum de *Gentili*, qui *venditus ſit ipſimet Idolo*, *ut ei miniſter ſit*, dictumque ejuſmodi עקר, quod ſit *eradicatus ab omnibus negotiis ſuis*, & idolo inſerviat, ad cædendum ligna, & hauriendam aquam, ea de cauſa citat R. D. Kimchi in Radice עקר. Pergit deinde, non raro occurrere, aſſerens, hanc voculam in N. T. (vid. *Hackſpan.* part. 3. Notarum pag. 213. ad v. 26. Marc. VII. de *Syrophœniſſa*, *ab ortu* & *Patria* ſic dicta, quæ a Spiritu S. ἑλληνὶς *Græca ſive gentilis*; ſicuti *quilibet Gentilis profanus*, & *Idololatra* ἕλλην ſive *Græcus*, in oppoſitione ad Judæum, verum Dei cultorem, Gal. III. 28. &c. a *Syro* vero *Aramæa*, quia *Aramæi* ac *Syri* proximi & con-

contigui Iſraelitis, adeoque primi Idololatræ erant ,| ob religionem dicitur ) v. g. Rom. I. 16. ubi *Evangelium* nuncupatur *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Ἰουδαίῳ τε πρῶτον καὶ Ἕλληνι, quod Syrus: ſive ex Judæis primum, ואו מן ארמיא *ſive deinde ex gentilibus*, & ſic Act. XVI. I. 3. Gal. I. 3. cap. III. 28. Col. III. 11. vertat, addita ratione: *Quemadmodum*, inquiens, *ergo omnes populi, qui alieni erant a Politica Iſraelis ab Helleniſtis nomine Græcorum indigitabantur*, quod quidam inde factum autumant, quia ante illa tempora Monarchia Orbis penes Græcos fuit, vel, quod convenientius eſt, quia lingua Græcorum fuit omnium communiſſima, ipſo teſte *Cicerone*, *in Oratione pro Archia*, quam rationem exponit Auguſtin. his verbis: *In linguis Gentium Græca ita excellit, ut per hanc omnes decenter ſignificentur, unde Apoſtolus nomine Græcorum gentes intelligit;* ita *Syrus* Interpres cum *Onkelo* omnes gentiles & idololatras vocat *Aramæos* ſive *Syros*, non ideo, quod primi idololatræ in ſacris commemorentur Syri, ut Thare, pater Abrahæ, Laban Syrus, & Naaman Syrus, quam rationem nimis longe petitam *Schindlerus* affert, in Rad. ארם; ſed quia Judæi viciniores non habebant gentiles & Idololatras, quam *Syros*, a quibus etiam contagio idolomaniæ gentilis inficiebantur ante captivitatem Babylonicam, ( nam poſt egreſſum e Babylone, ſi truculentiſſimam perſecutionem *Antiochi Illuſtris* excipias, idola non amplius coluerunt ) ut videre eſt, Judic. 10. verſ. 6. *Coluerunt Baalim & Aſtharoth* & אלהי ארם *Deos Syriæ*, & 2. Paral. 28. v. 23. Evoluta *Homonimia* vocis Syrus ipſam *Syriam* attingit, quam cum noſtro *ita lato* accipit *ſignificatu*, ut *Aſſyriam*, *Meſopotamiam*, *Babyloniam*, *Phœnicen & Palæſtinam* includat, indeque nonnullos decurtata voce, & per aphæreſin *Syriam* ex *Aſſyria* autumare, dictum eſſe, diſſerit, ( inde *Hieronymus* in cap. 19. Eſaiæ, *quos veteres Aſſyrios*, ait, *nunc vocamus Syrios, a parte totum appellantes* ) Jer. 22. verſ. 24. 28. *Conia pro Jechonca* &c. quod tamen rejicit, ( ſicuti & Hornius, & antea Walton. vide ſupra, ) & ἐν παρόδῳ monet, commodius a צור, h. e. *a Sor* vel *Tyro*, Phœniciæ Metropoli, quam שרין *Schirion*, alias *Hermon* dicto, *Syrorum* nomen derivari. Nam licet mons ille altiſſimus, quem Deuter. 3. 9. Sidonii *Sirion* h. e. juxta Targum Hieruſchal. & Jonathanis, *montem fructus producentem*, Emorræi autem *Schenir* vocarunt, h. e. juxta Targum Jonathanis: *Montem nivis*, quod neque hyberno, neque æſtivo tempore nive deſtitutus fuerit, licet, inquit, mons ille Damaſcum uſque Syriæ perveniat, ibidemque ſe Libano copulet, teſte Brocardo in deſcriptione Terræ ſanctæ, ab eo tamen *Syros* nomen ſuum accepiſſe, neminem facile dicturum eſſe credit. Ut porro quam communem cum Seldeno habet, *latam & diffuſam Syrorum ſignificationem*, obtineat, ex profanis æque ac ſacris probare annititur autoribus, *Strabone & Plinio*, ( quem tamen non allegat ) aliiſque, *qui Babylonem olim Syria comprehenſam fuiſſe teſtentur*. Ex profanis adducit *Strabonem* lib. 16. quem quoſdam ἰδίως Syros annotaſſe, ac inter alia hæc ait referre: οἱ ἱστοροῦντες τὴν Σύρων ἀρχήν. ὅταν φῶσι Μήδους μὲν ὑπὸ Περσῶν καταλυθῆναι, Σύρους δὲ ὑπὸ Μήδων, οὐκ ἄλλους τινὰς τοῦτο Σύρους λέγουσι, ἀλλὰ τοὺς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ κατασκευασμένους τὸ βασίλειον h. e. *qui de Syrorum imperio ſcribunt, cum Medos a Perſis everſos dicunt, Syros autem a Medis, nullos alios Syros intelligunt, quam qui Babylonem ac Ninum regni caput effecerunt* &c. *Herodoti* deinde verba in *Polymnia* fol. 407. ſed plura adducit, quam noſter. *Juſtini* tamen, qui ſatis clarus habetur locus cap. 2. l. I. & inverti poſſe: hoc modo: *Syri, qui poſtea Aſſyrii dicti*, judicio Salmaſii, *quo nihil verius ſit*, ſcribit ad loc. citatum Berneggerus, plane omiſit. *Situm Syriæ* cum Diodor. Siculo lib. 18. Biblioth. Hiſt. f. 592. deſcribit *Babylonem inquiens, Syria, quæ ſuperior vocatur* ( ἡ ἄνω καλουμένη ) *quam proxime attingit, & regiones maritimæ illi adjacentes, Cilicia, Pamphilia, Syriaque cava, qua etiam Phœnicia comprehenditur*. Concludit denique verbis *Hieronymi* Tom. 5. Comm. in c. 19. Eſaiæ fol. 64. *Doctus lector* ( ajentis ) *veteres revolvat Hiſtorias, & ab Euphrate uſque ad Tigrim, omnem in medio regionem Aſſyriorum fuiſſe cognoſcet. Ergo quos veteres Aſſyrios, nunc nos vocamus Syrios a parte totum appellantes*. Ut vero ex *Profanis*; ſic quoque ex *ſacris* Scriptoribus extenſum Syrorum nomen probare aggreditur, cujus loco, quum in ſacris non extet ארם de quamplurimis regionibus ſeu provinciis, adjecto tamen plerumque ab urbe principali cognomine, uſurpari oſtendit. Et I. quidem *Meſopotamiam*, omnium Syriæ partium antiquiſſimam haberi in ſacris, dicique ארם נהרים *Syriam duorum fluviorum*, ſive *inter amnem*; LXX. μεσοποταμίαν, quaſi μέσην τῶν ποταμῶν, *mediam inter amnes*, h. e. inter Euphratem & Tigrin. *Eupbra-*

*phrates* enim κατ' ἐξοχὴν Judæis dictus sit נהר fluvius, quia eo majorem noverint nullum Gen. 15. v. 18. Jos. 24. v. 2. quod vel exinde constet, quod, cum Abrahami famulus, Isaaci Pronubus in ארם נהרים *Syriam duorum fluviorum*, ad urbem Nachor abiisset, Onkelus & Jonathan reddiderint: דער פרת ארם *Syriam*, quæ est juxta Euphratem. Et hanc alio nomine nuncupari פדן ארם *Paddan Aram* Gen. 25. v. 20. &c. 28. v. 5. Hoc confirmat Hornius in Arca Noah p. 83. *ubi* inquit, *Regna Aram*, *fuerunt Damascus*, *Mesopotamia & Soba*, *sex quidem in sacris recensentur*: *Aram Naharaim*, *Aram Paddan*, *Aram Soba*, *Aram Damasck*, *Aram Bethrehob*, & *Aram Maacha*. *Sed Aram Bethrehob & Aram Maacha Cananæorum potius oppida sunt*, *quam Syriæ*, *Paddan vero & Naharaim*, *pro eodem sumuntur*, *unde tria tantum*. Quid de his duobus Rabbini sentiant, non satis constare ait Majerus, eo eorum commentariis. R. Salomon duas afferat expositiones, quarum prior juxta sensum sit: *Paddan Syriæ dicitur*, *quia divisa fuit in duas provincias*, *scil. in Syria Zoba*, & *in Syriam duorum fluminum*; *Paddan* autem in Targum seu lingua Chaldaica notat *par & copulam*, nam מר בקר par boum, 1. Sam. 11. vers. 7. reddatur in Targum פדן תוריא Altera: *Paddan quidam exponunt agrum*, *quia in Lingua Ismaelitica* (i. e. Arabica) *Paddan agrum sive regionem denotat*. Hanc explicationem sapiens *Abenesra* quoque ingerat: מבדו שדה בלשון ישמעל juxta priorem explanationem, hunc sensum esse vult: *Cum dicitur de Paddan Syriæ aliquis venisse*, *idem esse*, *ac si diceretur de Mesopotamia*, *quæ Syriæ Zoba confinis est*: Secundum posteriorem vero hunc: *fuisse certam quandam portionem terræ aut regionem in Mesopotamia*, *quæ peculiariter Paddan dicta sit*. Cujus appellationis vestigium certum esse putat nomen *Aphadana* apud Ptolemæum, duobus oppidis tributum, quorum unum ad Euphraten, alterum ad Saboram esse situm. Ablegat præterea hic ad Kimchium in Lib. Rab. & addit, *aliis simpliciter Paddan Aram exponi jugum Syriæ*, vel *Syriam Jugatam*, h. e. sub duorum fluviorum jugum missum. Digreditur ab hac Syria ad reliquas jam tactas, puta ad ארם צובה *Syriam Zoba*, cujus metropolim *Zobam & Sophonem* Plinii l. 5. c. 12. l. 6. c. 13. (vid. Bertram. in præfat. Gramm. Syro-Chald.) esse volunt: ad ארם מעכה *Syriam Maacha*, *a Metropoli Maacha*, cujus mentio 1. Sam. 10. 6. ad ארם בית רחוב, non procul ab antecedente, & loco illo ad Euphratem, qui רחובת Rechoboth dicitur Gen. 36. 37. ad ארם דמשק *Syriam Damasci*, sitam inter Libanum, unde Brocardus vocet *Libanicum*, & *Antilibanum*, Græcis κοίλη Συρία i. e. *cava Syria*, dictam, de quibus omnibus autores varient; apparere tamen liquido, *Syriam late sumi in sacris literis V. T. permiscerique* v. g. Ezech. c. 1. v. 3. *Chaldæam cum Syria* vel illam hujus partem quasi constitui, cum manus Dei super Ezechielem in terra Chaldæorum ad fluvium *Cebaris*, qui ut & *Saocara* fluvii sunt *Mesopotamiæ* in Euphratem defluentes, fuisse legitur. Quale quid ex c. 7. v. 1. & 4. Actorum colligatur. Hæc & talia in medium & subsidium Autoris nostri prolixius afferentem, nunc, sed Judicium Lectori relinquimus, & *cum Judæos* quoque *Syros* nuncupatos esse dicat, *quærimus*, *quis per illa verba Deuteron. 26.* v. 5. ארמי אבד אבי *Syrus periens vel perditus* (i. e. *pauper*, & ad miseriam summam sive incitas redactus) *erat pater meus*. Certe *Abenesra* in h. l. *Pagninus* in Thesauro L. S. in rad. אבד, *Tremell. & Junius* in h. l. *Drusius* Comm. in Genesin. c. 74. p. 91. & in Deuter. c. 88. p. 618. seq. & Com. posterior. in Appendice, indici annexo, *Majerus* Philol. Sacr. part. 2. pag. 343. seqq. *Fuller.* Miscell. Sacr. l. 3. c. 20. *Amama* in Censura vulgatæ Versionis sup. Pentateuch. p. 297. *Judæorum & totius Israeliticæ gentis Autorem Jacobum*, non tantum *Matre Syra natum*, sed etiam per 20. annos, *in Syria Pastorem*, *uxorum Syrarum maritum*, & *liberorum omnium suorum in Syria*, si unum Benjaminum exceperis, *Parentem*, *Syris denique opibus in Canaan regionem Syriæ nomine contentam*, *reducem*, *intelligi malunt*, quam ullum alium; quanquam alii afferant, *Mosen de Syro locutum*, *Syro-Chaldæam Vocem adhibuisse*, cum אובר Chaldæis, אוכר Syris transitivum verbum, in tertia Conjugatione Aphel, & *perdidit* significans, & simile vocis Syriæ exemplum sit 2. Reg. 6. vers. 9. ubi pro נחיתים propheta Syriaca voce נחתים, ex forma Nominis participalis passivi Chaldaici & Syriaci utitur, dum de Syris loquitur; *Alii* vero dicunt, איבר in Kal pro מאבד *perdens*, in Piel, permutata Conjugationum significatione poni, & *de conatu perdendi* interpretandum esse, juxta morem Hebræorum, quorum *verba Activa sæpe significant affectum & conatum tantum*, *non autem affectum*. Vid. Glassius Gram. Sacr. pagin. 250. unde cum Chaldæo Interpret.

לבן

לבן ארמאה בעא לאבדא i. e. *Laban Syrus quærebat perdere patrem meum*, per *Syrum Labanum* intelligunt, qui Genes. 28. v. 5. dicitur ארמי & in Mesopotamia Syriæ habitabat, duriter habens Jacobum & persecutus tandem abiturientem. Ita statuit Menasse ben Israel, & quos longo ordine citat Cl. Fesselius t. 2. Advers. sac. l. 8. c. 2. §. 11. pag. 239. utrum igitur quis velit, ex adductis rationibus concludat.

Ad Cap. 2. Proleg.

CAp. I. de *Syrorum lato nomine*, nunc c. 2. de *Syrorum priscis Linguis sive Dialectis* agens, *eas omnes primum unam*, *eamque Syrorum vetustissimam Hebræam* fuisse indicat, (p. 22.) qua in assertione nemo fere non est, qui non applaudit, e quibus innumeris iterum unum atque alterum saltem, qui quasi familiam ducunt, ut res eo clarior fiat, adjungemus, & primo quidem loco *doctissimum Christianorum Rabbi*, *Buxtorfium*, *magni Parentis non minorem Filium*, qui satis justa Dissertatione id probatum ivit, e qua pauca quædam libabimus, cum omnia & totam huc trahere prolixitas vetet: *Ephodeum* itaque de Hebræis scriptoribus in fronte sistit, qui c. 3. scribit: &c. הנה ראיתי h. e. *vidi interpretes omnes Legis consentientes in hoc*, *quod Lingua illa creata*, *& a consensu Dei profecta*, *sit Lingua Hebræa a Prophetis dicta Judaica*, 2. Reg. 18. v. 26. Nehem. 13. 24. Ita vero rem habere fidem facient sequentia illustria Hebræorum testimonia & eorum omnium primorum, *Interpretis nim. Jonathanis* v. 1. c. 11. Gen. ita: והוה כל ארעא לישן חד וממלל חד ועטא חדא בלישן קודשא הוו ממללין דאיתברי ביה עלמא מן שרויא: id est *& fuit universa terra Linguæ unius & sermonis unius*, *& Consilii unius*: *Lingua sancta erant loquentes*, *in qua creatus mundus fuit ab initio*; *Et alterius Hierosolymitani* scil. qui fere eodem modo transfert; nec reliqui dissentiunt. Adstipulatur R. *Simon ben Jochai*, in libro famosæ magis, quam fumosæ antiquitatis, Legis arcanorum Indice צוהר *Zohar*, in fine sectionis *Toledoth Noah* superiorem locum declarando, ita scribens: ראיתי מא &c. *si dicas*: *Lingua ipsorum cur divisa fuit*, *& quare confudit eam* Deus sanctus benedictus? בגין דכולהון ממללין בלשון הקדש וההוא לישנא קא עביד לון סיועא: *Ideo quia omnes illi loquebantur Linguam sanctam*, *& ista lingua præstabat ipsis auxilium*, *eo quod in opere & sermone oris pendent res istæ*, *quæ ad conjunctionem animarum pertinent*. *Et hoc ipso afferebant auxilium illi loco*, *quem cupiebant erigere*. *Hujus rei causa confusa est lingua ipsorum*, *ne possent in effectum deducere voluntatem suam in Lingua sancta*. *Quamprimum fuit mutata Lingua ipsorum*, *non prosperabantur in opere illo*, *quia virtutes & exercitus superiores* (Angeli) *non intelligunt neque noscunt nisi linguam sanctam*, *& cum confusa fuit lingua*, *debilitata fuit virtus illorum*, *& confracta fortitudo ipsorum*. Et mox infra ibidem: *Ecce quid scriptum est? En populus unus*, & *labium unum omnibus illis*, Gen. 11. 1. *propterea*, *quod ipsi fuerunt animo uno & voluntate una*, וממללין בלשון הקדש *& loquebantur linguam sanctam*. Et Talmud Jeruschalmi in libro *Megillah* Cap. 1. ubi legitur: *scriptum est*: & fuit universa terra labii unius, *& verborum eorundem*, Genes. 11. v. 1. *R. Eliefer & R. Jochanan super hoc disputantes*, *unus dixit*, *ipsos locutos fuisse 70. linguis*; *alter dixit*: היו מדברים בלשון יחידו של עולם לשון הקדש: *locutos fuisse Linguam Unici in mundo*: (Dei scil. quem sic aliquando vocare solent) *nempe Linguam Sanctam*. In *Midrasch* sive commentario Legis *Tanchumah*, quem & Jelammedenu vocant *hujus linguæ primatus* exponitur his verbis: *Confudit Linguas ipsorum*, *ut non intelligeret ullus ipsorum linguam proximi sui*: שהלשון הראשון היו מדברים בלשון הקדש וכו בלשון נברא העולם: *Nam lingua primæva*, *qua locuti sunt*, *fuit lingua sancta*, *in qua eadem lingua creatus fuit mundus*. Et in libro *Bereschith rabbah* sectione in Genesin 18. non multum dissimilibus כשם שנתנה תורה בלשון הקדש כך נברא העולם בלשון הקדש: id est *sicut data Lex est in lingua sancta*: *Sic quoque creatus est mundus in lingua sancta*. In Libro *Cosri* Orat. 2. sect. 68. multis verbis adstruitur hunc in modum: והעברית בעצמה החשובה שבלשונות מקבלה וסברא הקבלה שהיא הלשון אשר דבר בה ה' יתברך עם אדם וחוה ובה דברו שניהם וכו': h. e. *Linguam Hebraicam per se esse præstantissimam omnium linguarum*, *habetur tum ex Kabbala*, *tum ex recta ratione*. *Kabbala enim sive traditio est*, *quod sit illa Lingua*, *in qua locutus est Deus cum Adamo & Eva*, *quaque illi ambo sunt loquuti*. &c. R. denique *Salomon Jarchi* in comm. שפה אחד *labii unius* l. c. exponit לשון הקדש *linguæ sanctæ*, & quæ R. Abraham Aben Esræ saltem Lingua Sancta in l. c. Gen. esse videtur, R. *Levi Ben Gerson* ad eundem locum, *Linguam sanctam fuisse*, apparere commen-

mentatur, *quam Adam primus locutus eſt*, quæ & ſententia eſt *R. Moſis Ben Nachman* ad Exod. 30. v. 13.

Inter *Chriſtianos veteres* juxta ac *recentiores* ſi non omnes, certe plurimos tantum eſſe conſenſum, pergit ut *R. Gedalia*, in Schalſchelet Hakkabala ſcripſerit. *Sapientes Chriſtianorum indagarunt, quænam fuerit lingua prima*, ולבסוף כולי עלמא מודו כי מאדם עד דור הפלגנההיה הגיונם לשון הקדש: *tandem totus mundus*, h. e. *omnes confeſſi ſunt, ab Adamo uſque ad diluvum Lingua ſancta locutos eſſe*. Certe *Hieronymus* in Soph. c. 3. v. 18. *Ebraicam omnium linguarum Matrem*. *Origenes* Homil. 11. in Num. *Linguam per Adamum primitus datam Hebræam*, Auguſtinus de Civit. Dei lib. 16. cap. 11. *Linguam* & quidem *unam*, *eamve humanam*, ut vocat, *mox prius humano generi communem*, *Hebræam poſtea nuncupatam eſſe* dicit *multiplicatis linguis*. *Ambroſius* in cap. 3. Epiſt. ad Philipp. *primam linguam prius* ἀνώνυμον, *Hebero redditam, ex eo nomen accepiſſe* affirmat: videantur præterea *Lyra* in Gen. c. 11. *Mercerus* in eundem loc. *Santes Pagninus* in Inſtit. Hebraic. c. l. *Cornelius Bertramus* in præfat. Gramm. ſuæ. *Pererius* l. 5. in Gen. *Franciſcus* Junius ad hunc locum, qui omnes cum multis aliis ſuum calculum adjiciunt. Vid. *Mexia Hiſpalus in Sylva* de *Varia Lecion*, cap. 25. como al principio del mundo todos los hombres hablavan *en una lengua*, *y qual lengua fue eſta*, y en que gente quedo, porque vino la confuſion de las lenguas, quetal y donde fue la tore de Babilonia, y ſi dos niños ſe criaſſen ſin les hablar nada, quál lengua ſe cree que hablarian. fol. 50. *Walton*. Prolegomenon de *Lingua Hebræa* §. 11. qui in antecedentibus paragraphis id fere multis & egregiis rationibus probatum dedit, quarum.

I. Et *præcipua*, & maximi ponderis ipſi eſt, *nomina primis hominibus lociſque*, quæ in hiſtoria ſacra habentur, ab initio mundi uſque ad diſperſionem Babylonicam *impoſita*, *eorumque reddita ratio* ex Hebraicis Radicibus. Cujuſmodi Etyma Abarbanel in Geneſ. fol. 28. מופת הכיחי ומחוייב *Demonſtrationem neceſſario concludentem* vocat. Ut Adam ab אדם quia de *terra* אדמה factus Gen. 2. vid. D. Sebaſt. Schmid. Tractat. de Imag. Dei p. 36. ſeq. Eva חוה a *vivendo* חיה Gen. 3. 20. Vid. Lutherus in Comm. ad h. i. Kain. קין *ab acquirendo* קנה Gen. 4. 1. non a קנא zelando, quo derivaſſe videtur Euſeb. de Præpar. Evang. l. 11. c. de nominibus Hebr. *Kain* ζῆλος *reddens* &c. & quanquam tale quid *Georgius Amyra* pro Chaldaicæ ſive Syriacæ prærogativa attentarit, ut in ſolium Antiquitatis evehat; *Syri* enim ſuam Linguam faciunt antiquiſſimam, Kircher. Oedip. Tomo 2. Claſſ. 2. p. 51. mentionem facit verſionis Maronitarum, ubi inter alia; *& confuſæ ſunt Linguæ, & diviſio facta eſt linguæ eorum Syriacæ*. Ita *Ephremus* vocat *Syriacam* Linguam fontem omnium linguarum antiquarum (quod fortaſſe non negaretur, ſi vox Syrorum ad Hebræam extenderetur. Vid. Hotting. Smegm. Orient. p. 268.) infelicem tamen ejus rei ſucceſſum, & quod non in omnibus procedat, nec procedere poſſit, oſtendit Walton cit. Proleg. §. 4. imprimis hanc rationem urgent Raſchi, ut אישה ab איש; quamque ab *Etymologia deſumtam firmiſſimam eſſe pronunciat*, *Præceptor nunquam ſine laude commemorandus*, *Scherzerus* Trifol. Oriental. p. 95. ſive ſpectes *adpellativa*, ſive *propria nomina*; quorum *hæc* R. Abarbanel in Gen. f. 28. 3. 4. & laudatus Scherzerus ex ejuſdem diſcurſu, *quatuor concluſionibus ponderoſiſſimis; illa*, Raſchi merito, ut dixi, urgent. Vide & lege l. c. in Trifolio citato. Citatus Walton. §. 5. Grotio, qui in notis ad l. 1. de Veritate religion. Chriſt. p. 211. ſeqq. mihi v. pag. 186. ſeqq. & ad Gen. 11. cum *aliis mutationem omnium Nominum in primæva lingua* (*quam plane interiiſſe*, non Hebraicam eſſe cum aſſeclis aliis, ut & hic aliam ſententiam, cujus eſt alias, etiam cum neglectu veritatis ſtudioſus afferat, aſſerit) ad genium Hebraicæ ita ut Nomen & derivatio conſentiant, factam eſſe contendit, quod id gratis dicatur, & probabili ſaltem ratione, nec quod *quandoque* ex *cauſa ſpeciali*, & *in quibuſdam* ad exprimendam ἐνέργειαν factum eſt, ad omnes & totum corpus inque Exemplum contra morem ac conſuetudinem, imo legis boni hiſtorici trahendum eſſe, reſpondet, Vid. Glaſſ. Phil. Sacr. l. 4. tr. 3. Obſ. 6. p. 778. Et tantum abeſt, ut mutarit veterum Nomina, ut potius retinuerit, quod patet ex *multis propriis*. Sic *Pharaonem* commune Regum Ægyptiorum nomen, ſi mutaſſet ſecundum Genium ſuæ linguæ מלך ſ. *regem* efferre debuiſſet, qualem *Ægyptiorum* lingua ſignificaſſe notat Joſephus, & notare oſtendit Kirch. in *lingua Coptica* reſtituta, Suppl. c. 6. p. 589. licet *Rivetus* ad cap. 12. Gen. improbet, a verbo פרע *liberum eſſe*, & ex uſu Chaldaico, *ulciſci*, deducens. Nam in *Copt. Ægyptiaca* lingua, a priſca illa quidem

dem multum mutata, non tamen plane diversa adhuc extat ουρο *Rex* cum *Articulo* πι vel φι φιουρο, & cum *infixo* φαυρο, *rex meus*, uti reverentiæ ergo locuti videntur & adhuc dicimus, mein gnädiger Herr/ oder König. sic *Titulus Josephi* צפנת פענח Ægyptiacus *futurorum vates*, est ex ψονθον vel ψοντομ *futura* & πανηχ sive φανηλ augur. Kirch. Prodrom. Ægypt. p. p. 152. seqq. idem obtinet in aliis linguis & scriptoribus sacris, qui primæva Nomina retinuerunt, ut (Esth. 2. v. 7.) *Esteris* quod Persicum, nam שתארה stareh vel *sitareh stella* vel *astrum* est, (ut videtur a Græcorum ἀϛρον acceptum, vid. *Ursin.* de *Zoroastre* sect. 4. p. 23. ubi verisimile esse ait, *Græcos*, *Latinos*, *ipsosque Germanos nomen hoc astri* ein Stern/ a *Persis* & Chaldæis, vid. *Gravii* Element. Ling. Persicæ, p. 91. hos vero omnes *ab Hebræis*, eorumque סתר accepisse; licet mediante *vel Saturno*, *stella*, quandoque latente, habent enim & stellæ præsertim Planetæ sua latibula; vel *Astarte Dea*, propterea, ut videtur vultu tristi, & capite obnupto culta, sed hinc derivata, ) & *transfertur ad animum*. Hinc Musladinus Sadus in *Kulestahn* (quod cum Germanico, ut multa nomina Persica, vid. *Walton.* in Proleg. de Lingua Persica. *Olear.* in Itiner. qui talia recensent, & *Mich. Piccart.* Oratione de Ortu & Migrat. Veter. Germ. in Küßlenstan oder stand/ qualis statio in *Rosario*, ut interpretantur, est, convenire dixeris ) *sive Rosario* p. 58. ex Editione Gentii, *in capite illius*, ait, *ob singulare ingenii acumen spendebat* שתארה בלנדי *stareh Bolendi*, *magnitudinis astrum*, (si conjecturis locus ein blendendes scil. fulgore, ut sol, Gestirn ) vel *pulcra stella*, qualis ipsa erat etiam ob externam formam, inter reliquas. *Orientales* alias *pulcras astrorum* nomine vocare solent, ut Cantic. 6. v. 9. *pulcra ut luna*, *electa ut sol*, dilectissima dicitur; sic nomen אחשורוש *Ahasveri* Persicum est, ex אחש *Majestas* & ור vel ואר *possessor*, ut Ahasverus sit *Majestate præditus*. Ex quo, omissis gutturalibus, & ש, quod fieri solet, ( puto ego cum ch, vel ח) in ξ mutato, fiet *Xvverx*, itidem duriore Græcis pronunciatu litera W. relicta, *Xerx*, & addita terminatione Græca Ξέρξης, juxta *Scaligerum* apud *Keuchen.* notis ad Corn. p. 30. qui & ille celebris in sacris, in Esther & Esdra *Ahasverus* fuerit, notante Ruperto in notis ad Besold. p. 150. sed non a *Xerxe*, verum *Oxiare*, privato ejus nomine primo, ( quod Hebræos vix aliter atque *Ahasberos* scribere potuisse, ) alterum nomen factum esse conjicit. Vid. Mayer. Philol. Part. 2. p. 187. ubi de *Artashasta* itidem nomine Persico, sed, cum tantum non omnibus, retento in sacro textu, quod non decuisset, si immutata nomina fuissent. Sed ea tamen responsione non obstante eandem cum Grotio sententiam amplectitur Clarissimus Kippingius Exercit. 40. §. 13. p. 353. quam de primæva lingua Exercitationibus suis doctissimis, de Creationis Operibus inseruit, dicitque in Responsione ad Instantiam Buxtorfii Diss. sup. cit. num. 40. *multa ejus generis apud Historicos passim occurrere*, & nos Latine scribentes, urbem Brabantiæ sive Herßogenbusch vocare *Sylvam-ducis*, aut Borussiæ urbem Königsberg Regiomontum. Græcos interpretes librorum sacrorum nomina urbium haud pauca Græce ponere. Quærit, quomodo *Moses legislator Hebræo nomine sit a Rad.* משה? *neque enim verisimile est*, *pergit*, *quod Regis filia sermone patrio usa hoc ei nomen indiderit*, *quamvis simile haberet Exod.* 2. 10. Verum hoc quod nomen concernit, ignorare πολυμαθέϛατος vir non potuit, quod Eruditiores non tam ab *extractione*, quam *aqua* in Lingua Ægyptiaca id accepisse statuant, sane Moses ὑδατογενὴς, *aquigena*, natalibus aquosis ortum debens post primum, alterum nomen ex Lingua Ægyptiaca sive Coptica, & quidem ex Coptico μω ( quod nomen in Pentateucho Copto repertum *aquam* significare Athanasius Kircherus in Prodromo Copto cap. 5. p. 137. testatur, ) & υσης i. e. juxta eundem Kircherum, ex *aquis servato* ( vid. tamen hic Hotting. Smegm. Orient. p. 398. seq. ) accepisse dicitur, confirmante id Josepho l. 2. ἀρχαιολ. c. 5. Clem. Alexandr. l. 1. Strom. p. 129. Procopio & Rabano. Non vero alienum nomen μω sive μωυσ esse videtur ab Hebræo מים aquæ, a quo Chald. מיא it. Syrorum ܡܝܐ, Arab. & Æthiopum מא, cumprimis vero Chaldæorum מוי est. sæpius, & hoc loco Exod. 2. v. 10. scil. ab Hierosolymitana Paraphrasi usurpatum, itidem *aquam* significans. Consulatur variarum linguarum & multiplicis eruditionis ταμιειον, Gerh. Disp. de sepult. Mosis. c. 1. §. 9. quanti momenti porro sit ejus retorsio, doctioribus dijudicandum relinquo.

2. *Vetusta Gentium & populorum iterum nomina*, quæ plerunque *originem habent Hebraicam*, aliis vero linguis nihil significant, quod apud eundem Grotium Libro 1. de Verit. Christ. Religionis p. m. 194. 195. seq. maxime apud Bochar-

tum Geogr. Sacr. part. 1. probatum, a Kippingio vero in antecedentis argumenti solutione comprehensum est.

3. Iterum *Antiqua Gentilium Deorum nomina*, quibus apud Gentes nihil antiquius, quæ uti a Vicinis regionibus ad Assyrios & Græcos derivata fuisse ostendit Doctissimus Vossius libris de origine Idololatriæ, ita citius ab Hebraica, quam ab ulla alia voce in alia lingua derivaveris, v. g. *Saturnum* סתר *latendo*, quem latebræ, parentes cœlum & Terra, imperium pacatum, & aureum seculum Adamum ipsum fuisse arguunt, vide Ruperti observ. in Synopsin Besoldi minorem cap. 1. p. 11. & Voss. citato lib. 1. c. 18. p. 139. seq. c. 35. pag. 262. *Vulcanus* nomine & omine *inventione ferrariarum* artium, de qua & quo Diodorus Siculus l. 5. c. 47. *e Tubalcain* Lamechi ex Salla filius. Imo ipsum Deastrorum creditum Patrem *Jovem* יהוה deducunt multi Belum a בעל Baal Dominus, quod infra in aliis patebit. Et hac in data responsione Kippingii latent, utpote omnia nomina propria complexa.

4. *Reliquiæ Hebraicæ Linguæ* in omnibus aliis conspicuæ, & a Doctis observatæ, vid. Waser. in Notis ad Mithrid. Gen. c. 1. p. 87. 113. præprimis vero in vicinis Chaldaica, Syriaca, Arabica, Persica, Phœnicia, Chananæa. Vid. Postellus lib. de 12. Ling. in Mithrid. Gesn. passim p. 6. 7. ejusmodi voces offeruntur, & tantum non omnibus linguis, vid. Walton. Prol. c. §. 8. & Buxtorff. Differt. l. num. 42. 43. *cui Kippingius* respondet, l. c. p. 354. *multa in illis conatibus* (deducendi scil. reliquarum linguarum voces ab Hebræa) *esse coacta nimis, quæque fortuna & conjectura valent non etiam studio & secundum rei veritatem*. Quærere hic posset Buxtorfius, quid de illis fiat, quæ sua sponte Hebraicam originem produnt, cujusmodi in singulis linguis obvia sunt, imo si urgeatur illud Tritum. *Literæ unius Instrumenti facile inter se permutantur*, ut docent & cum jucunditate Grammaticæ Harmoniæ, sed doctoribus iterum trado.

5. *Puritas & Simplicitas*, qualis in nulla alia appareat, *jam vero quo simplicius quid, eo origine propius & prius est*. Mixtura & compositio, qua squalent reliquæ, arguit simplicius quid, ex quo constant. His perfectionem ex Buxtorfio Diss. laudata §. 33. p. 25. seq. & locum primi cultus primævæ linguæ, quam Hebræi occuparunt, annectere possem, una cum responsionibus Kippingii l. c. pag. 357. sed ad ea, quæ restant in Waltono, argumenta properandum, quorum

6. a Cajetano mutuo acceptum est, *conjectura* I. de nomine *Tetragrammato* הוה *Deo proprio*, & in nulla alia eadem facilitate & felicitate explicabili, de quo infra. II. de nomine *Babel* in omnibus linguis durabili voce. Datis utcunque rationibus, adversariis respondet & *Amiræ* quidem primum, Chaldaicæ Linguæ Patrono, qui quia Hebræa gens originem debet Chaldæis, ita quoque Linguam Hebræam, Chaldææ debere concludit. Verum non animadvertit diversa hæc esse, cum appellatio Hebræorum demum postea cœperit, ut Waltonius vult, cum Abrahamo, quem ut & Isaacum una cum avo & reliquis Abrah. secundum computum vulgarem *Semus* superstes Hebræam docere potuit, nec oportet statui, qui inter populos quosdam habitat, non propriam habere linguam, sufficit si juxta propriam in vitæ usum & commercium incolarum noverit. *Nec* Amiram juvat Chaldæos antiquam & a seculo Jer. 5. vocari gentem, cum non soli nec omnium antiquissimi sint, & cum ipsis aliæ æque antiquæ gentes extiterint. *Nec* denique rationi consentaneum, linguam communem & primam post confusionem, remansisse in ullo loco, ubi contigit, & qui Babel sive Chaldæa fuit, *contrarium potius congruit* & intentioni divinæ qua ab insana structione turris abarcere volebat, propius removere linguam illius loci, ne denuo conspirent, vel suis cultoribus, piis Patriarchis saltem relinquere, quos vesanitatis pudebat. Kippingius l. c. p. 350. & quos suæ sententiæ sive autores sive consortes vocat Joseph. Scaliger Animadversionibus ad Eusebii Chronicon n. 1617. & Epistolis ad Thomsenum ac Stephanum Hubertum, Joh. Gerh. Voss. lib. 1. de Arte Gram. cap. 10. Ludov. Capell. in Phalego, Grot. Not. ad Gen. 11. v. 1. Philipp. Cluver. l. 1. Germaniæ antiquæ p. 74. Georg. Horn. notis ad lib. 1. Sulpitii Severi p. 22: *quibus primæva* lingua cum dispersione gentium adeo desivisse videtur, ut vix scintillæ & reliquiæ in reliquis appareant, quales tamen non ostendunt, & *ostensa fortasse de Matre* & primigenia luce, Hebræa scil. testarentur. Sed nec hanc litem meam facere volo. Ad

*Nomen Hebrææ sive gentis sive Linguæ* potius propero, quod alii *ab Abrahamo* deducunt, & hujus sententiæ patronos citat Cl. Hotting. in Thes. p. 4. Euseb. Præ-

Præparat. Evangel. l. 9. c. ult. Auguft. Quæft. in Gen. q. 24. & lib. 1. Confenfu Evangel. c. 14. Matth. 21. v. 28. *Hos* vero, fi Hebræos quafi Abræos dictos velint, tum Grammaticæ ratio, tum clarorum virorum autoritas refutat. Vid. Paul. Epifc. Burgens. Matt. 21. Auguft. Steüch. Eugubin. Genef. 14. *Sin vero primum velint, qui gefferit, veneritque* hoc nomine, alia effet ratio. Dicebatur enim Abraham primo a *Chananæis* עברי quafi tranfitor. Gen. 14. v. 13. quia de regione trans Euphraten patria fua in *Chanaan* venerat. *Inde* funt, *qui vel ab* עבר trans uti עברי fit transfluvialis, vel ab עבר tranfiit, derivant, ut עברי *Tranfitor* fit five περάτης, ut lxx. expreffferunt. Sic Origen. in lib. Num. Homil. 19. Hieronym. Jef. 19. 18. & in Ezech. c. 7. Theodor. in Genef. q. 60. Chryfoft. in Gen. homil. 35. Arias Montanus in can. c. 9. Nofter Seldenus: quos omnes refutat Buxtorf. differt. 3. quæ eft de linguæ Hebrææ confervatione *in* & *a* Confuf. §. 31. & paffim Differtationibus reliquis. Sed iterum refutatus a Waltonio in Proleg. laudato, qui longum catalogum Rabbinorum, Patrum & Clariffimorum virorum nectit, quem, cum non in omnium manu fint Prolegomena, & ad ftabiliendam noftri Seldeni opinionem faciat, defcriptum annectere non pigebit. Inter *Hebræos* plurimi ex Rabbinis, inquit Genebr. Chron. 1. 1. Azar. l. 3. Meor enajim, R. Salom. Gen. 10. 21. R. Mofe Bar Nachm. in Com. ad finem fect. נח. R. Bechai in Exod. aliique in Berefchith Rabba fect. 41. Aben Ezra in Exod. 21. dubitat. Inter *fcriptores Chriftianos* veteres, Africanus & Eufeb. Chron. l. 1. Orig. in Num. Hom. 19. & Hom. 35. in Gen. & in Matth. c. 5. Hieron. Ef. 19. 18. & in Ezech. 7. Chryfoft. Hom. 35. in Genef. & Hom. de Nomine Abraham Theod. in Gen. q. 60. Inter *recentiores* Capnio de verbo mirifico, l. 3. Paul. Burg. l. c. Eftius in 2. Cor. 12. 22. Ribera in Jonam l. 9. & 2. Mont. in Chanaan cap. 9. Jof. Scal. ep. ad Tomps, & ad Ubertum. Munfterus Præf. in Gramm. Chald. Lud. Capell. Chronol. Sacra p. 110. & ut alios prætercam, Magna illa Belgarum lumina Nobiliff. Grotius in Gen. 14. & Gerh. Joh. Voff. de Idolol. l. 3. c. 44. En Exercitum Doctorum! Sed nec hoc contentus, rationibus armatus defenfum it fententiam, quas meliori occafioni refervamus. *Alii* denique, (quam *receptiffimam authorum qua Judæorum qua Chriftianorum fententiam* effe ex Buxtorfio dicit Hottingerus l. c. p. 5. & Smegm. pag. 262.) *Hebræum* nomen & *Hebræos* deducunt *a Patriarcha* עבר *Ebero*, qui pronepos fuit Semi Patris, ut fcriptura loquitur Gen. 10. 21. filiorum omnium Eberi, i. e. Ebræorum, paterni cultus linguæque tenaciffimus Doctor ac Præceptor fuorum pofterorum pro longævitate & pietate, tum in cultus, tum in Linguæ puritate fideliffimus, nec hujus fententiæ Patronos pauciores adducit Eruditiffimus Kippingius, licet alienus ipfe ab eadem in Exercit. non femel commemorata §. 1. p. 340. 341. e quibus faltem, quos mihi confulere licuit, fubjiciam, Auguftin. fcil. de Civitate Dei, c. 11. lib. 16. & c. 39. l. 18. Hutterum in LL. CC. p. 35. Calov. Critico facro, p. 307. feq. Barth. Mayer. P. 1. Phil. S. p. 19. Chamier. Panftrat. Cathol. Tom. 1. l. 12. c. 1. num. 2. Joh. Pifc. quæft. ad Genef. num. 162. Buxtorff. & Hotting. l. c. In *Cognatione*, quam nofter Seldenus afferit, *Linguæ Hebraicæ cum Phœnicia*, vel Chananæa, & poft fugam Didus in Africa, Punica iterum ὁμοψύχως habet doctiffimos fere quofque Viros, interque eos Principem Eruditorum Scaligerum Epift. citatis ad Tompfonum & Ubertum, Gerhard. Voff. Lib. 1. de arte Gramm. Grotium, Brerevvodum &c. imprimis Bochartum in Geograph. Sacr. p. 2. l. 2. Dilherr. in Apparatu Philol. p. 21. feq. Reinefium ἴςορεμ, de Lingua Punica, qui c. 4. §. 1. 2. vel ex voce *phalanga* (palanga) qua Afri apud Plin. l. 7. cap. 56. fuftem (qualem etiam notet juxta Athenæum l. 5. f. 204. & Poliucem l. 7. c. 33. cumque rotundum navibus in mare deducendis aptum) appellaverint, fed Dalechamp. ad Plin. l. 2. *Cananæorum* effe credit, probat, deducendo ab Hebræo, פלך, *fcipione*, baculo 2. Sam. 3. 29. unde & Græcorum φαλλος fit, a quo Scalig. l. 1. de Re poet. c. 10. palaneum deducit. Vid. Voff. in lexic. Etym. in voce palanea; aliofque. Præfertim *propugnat id* Waltonius l. c. §. 14. *tum nominibus propriis urbium, regionum, montium, fluviorum*, &c. in terra Chanaan, v. g. *Hiericho*, *Salem*, *Sichem*, *Bethlehem*, *Segor*, *Coriath arbe*, *Coriath Sepher*, & *Kiriath Sanna* Jof. 15. 15. vocata quæ 49. Debir. Jud. 1. 50. dicta legitur, *Melchifedeck*, *Adoni Befek Abimelech Rabab*, quæ non demum a Judæis impofita, fed jam dum recepta fuerunt Cananæis, & perinde utrique genti communia, licet deinde unum vel alterum, hujus vel illius urbis pro lubitu novi incolæ Judæi mutarint,

rint, Rubenitæ, Num. 32. 38. *tum colloquio* absque interprete Abrahami dum Hebronitis Gen. 14. v. 13. *exploratorum*, observante etiam Drusio lib. 4. Præterit. ad Jos. 12. v. 3. & deinde *Legatorum* ad Josuam *Gibeonitarum*, imo Es. 19. 18. *Ægyptiorum* ad fidem Christi conversione, quæ *usu linguæ Chanaan* sive Judæorum innuitur a Propheta; *accedit*, quod Phœnicia *nomen* acceperit *ab uno ex posteris Ebraicæ linguæ participibus* Esavo scil. qui *Edom. s. Ruber*, sive eodem significatu ὁ φοινιξ, nec non ὁ ἐρυθρὸς est, & oceano nomen ים ארום sive *Maris rubri dedit*, vide imprimis *Kipping.* in *Dissertat.* l. *maritima*, §. 3. p. 715. seq. Recensus antiq. & ibi farraginem Autorum citatorum, quod ignari *ex rubore vel aquæ* (a cæteris non discoloris) *vel arenæ* (bolidis jactu tamen a reliqua non dissimilis observatæ) vid. Ludovicus Vartomanus libr. 1. Itinerarii Orientalis c. 21. Christ. Furer. in Itinerar. 34. Philipp. Caroli notis ad Curtium p. 644. Servatius Gallæus in Notis ad Lactant. p. 374. & ex Golio id. ibid. esse putarunt, *sed falso*, vid. Keuch. in notis ad Cornel. Nepot. p. 262. seq. & sententiarum farraginem apud Raderum Comm. ad Curtium p. 526. seq. Freinshem. notis ibid. l. 3. c. 9. sect. 14. Joh. Brodæum l. 3. Miscell. sacrorum c. 20. Drusius ad loca difficiliora Exod. p. 187. *Tum denique reliquis Punici sermonis*, qui cum Phœnicio idem est, ejusdemque gentis in Libyam appulsæ, & condita urbe regnoque famosæ, quod ex Historia Didonis pueris ex Virgilio notum esse debeat, recte dicit Seldenus noster, & ulterius probat Walton. §. 16. cit. Proleg. cui quicquam addi vix potest, & totum transcribere nimis prolixum foret, legesque constitutæ migrarentur, quare manum de tabula removebimus, si Lectorem, *quod locum ex Plauto* concernit, ad eundem remiserimus, qui §. 17. ex adductis Clarissimorum Virorum interpretationibus curatius, vid. Taubm. ad Act. V. scen. 1. p. 1092.) adeo vexatum locum (ut in proverbium abierit hæc Punica sunt, legi non possunt) evolvit & illustrat, cui addas velim Mayer. part. 2. Philol. S. p. 31. Samuel. Petitum Miscell. l. 2. cap. 1. p. 61. seq. Samuel. Bochartum geograph. Sacr. P. II. s. Canaan c. 16. p. 800. Hug. Grot. Epist. 113. p. 237. Clar. Salmas. l. 1. Ep. 18. ad Grot. Thom. Reines. ἱστορεμ. Lingu. Pun. Fullerum Miscell. Theol. l. 4. c. 4. Ebert. Poet. sacr. c. 3. p. 81. Paræum Comment. in l.c. Plauti, tetigit quoque Joh. Vorst. Philol. sacr. part. 1. cap. 11. p. 285. Melch. Goldastus Præfat. in Lexic. Plauti Paræi, *Pfeifferus* multæ Eruditionis & Spei Juvenis in notis ad elegantissimum Tractat. de Lusu, ubi de Poesi Orientali agens, *nec Phœnicum* prætermisit, huncque locum adduxit, reliqua quę addi possent, commodum quæque locum repererint infra.

*B. C. D.*

ad Prol. 3.

Esse Deum, *esse unum*, *summum*, quo non sit alius prior, esse præterea boni remuneratorem, & mali vindicem ex *libro naturæ & Conscientiæ humano* ingenio elicitur, & fide *humana* creditur, inquit *Theologorum accuratissimus* B. Hulsem. Brev. c. 2. Thes. 1. Præceptor non ita pridem oculis charior, juxta Augusł. in Ψ.34. *duo esse* dicentem, *quæ in cognitionem Dei ducant*, *creatura & scriptura;* idque repetiit lib. 3. *Casuum Conscientiæ M.S. Ctorum*; sect. 3. generali, quæst. 4. cum omnium confessorum exemplo patere, *ait*, Hebr. 11. Ipsiusque Abrahami, quem Deus ex *Idololatrico Ur* eduxit, *unius veri Dei cultum ab initio creaturæ per naturam fuisse necessarium*, *quia natura non pateretur duo vel plura numina infinita*, *immensa & coæterna*, quod eodem libro 3. sect. 1. §. 1. 2. 3. clarius deduxit. Radiis enim quasi solaribus scriptum extat Gentium Doctoris Rom. 1. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερὸν ἐν ἀνθρώποις, idque φανερῶσαι *naturali* probat, ut omnia, ita hoc accurate *Dorsch.* Theolog. Zach. Part. 2. Dissert. 6. quæst. 1. p. 228. inde *Damasceni* l. 1. de O. F. c. 1. πᾶσιν ἡ γνῶσις, τοῦ εἶναι Θεὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται, assertio hausta vel ex *Origenis* in Epist. ad Rom. l. 1. c. 1. *qua veritatem*, inquit, *de Deo agnovisse credendi sunt homines naturalibus, & a Deo animæ insitis rationibus*; vel ex *Chrysostomo* qui hom. 3. ad Rom. ait, τὴν περὶ αὐτοῦ γνῶσιν ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἀνθρώποις ἐνέθηκεν ὁ θεός. Conferantur *Athanas.* Orat. contra Gentes Tom. 1. oper. fol. 29. *Basil.* Magn. Comm. in c. 8. Esaiæ fol. 526. *Gregor. Nyssen.* fol. 210. Oper. *Hilarius* lib. 1. de Trin. col. 3. a. F. B. *Luth.* in Explic. c. 1. Jonæ, Tom. 3. Jen. Germ. fol. 199. & fol. 204. *Chemniz.* Loc. Theol. loc. de Deo cap. 1. fol. 19. seq. D. *Ægid. Hunnius* Tom. 5. Oper. Disp. 5. Col. 45. *Hutter.* in LL. de Deo c. 1. quæst. 1. prop. 1. 2. fol. 89. & nemo non tam orthodoxorum, quam sequio-

quiorum Theologorum. Conferatur *Robertus Scharrockius de officiis* secundum jus naturæ. *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 20. §. 45. p. 341. seq. & 361. quibus locis omnino videndus, sed cum Correctione, quam justissimam in notis ad Grotium, & quidem ad cit. §. 45. seq. apposuit, *seculi nostri & Germaniæ decus Caspar. Ziglerus*, p. 472. seq. *Johann. Frid. Hornius* de subjecto Juris naturalis p. 16. &c. *Scholastici triplici via*, *Causalitatis* scil. ut vocant, *eminentiæ & negationis*, ex lumine naturæ cognosci Deum statuunt, laudatus *Ziglerus* l. c. p. 474. Si quis enim hanc universam mundi machinam & corporis & animi oculis percurrit, illam admirabilem innumerabilium stellarum sine ulla erratione decurrentium varietatem saltem notet, facile intelligit (ut cum *Mureto* dicam Oratione 3. part. 2. p. m. 17.) præpotens aliquod numen esse oportere, immensum, infinitum, æternum, quod illi tantæ moli præsideat, a quo & hæc rerum universitas a principio constituta sit, & ejus consilio ac voluntate regatur; non enim capit humanæ mentis cogitatio, *differit Joh. Ludovicus Vives de Veritate Fid. Christ. l. 1. c. 9. p.* 48. rem nullam fecisse semetipsam: factam igitur oportet ab alio, neque vero extitisse fortuito & casu quodam, ut Epicurum ejusque gregem delirasse volunt, cui tamen, commento, ordinem & constantiam universitatis magna voce reclamare, & consensum generis humani hoc attestari videmus, eum qui summus sit mundo, autorem parentemque esse omnium. Ratione, sunt certe condita omnia, & maxima ratione, qualis est in eo Solo, qui est maximus. *Sapienter M. Tullius*: Non solum ea, quæ sunt in mundo, ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi, qualia sint, sine summa ratione non possent. Hunc, qui hæc omnia confecit, par est, esse æternum, a nullo editum, & immensæ potestatis. Etenim eum, qui omnia hæc, quæ intuemur, in hanc faciem & pulchritudinem produxit ex nihilo, virium esse oportet infinitarum; quippe a nihilo ad aliquid interminabile est sive spacium sive intervallum: sicut vicissim terminabile est ab aliquo, quantumcunque majus sit, ad aliquid quantulumcunque minus. Quo autem res est separatior & longinquior, hoc majore opus est vi ad eam perducendam, quo agens destinavit: ut major est vis adhibenda ad lignum crassum & viride vel accendendum vel secandum, quam stipulam arentem. *Quocirca præter divinam potestatem nulla omnino potest de nihilo aliquid producere, quod nostri creare vocant*. Sed ea operatio, qua ens a non ente prodit, ut maxima & summa, ita est etiam summi agentis ac potentissimi. *Videatur toto hoc capite, imo libro*, qui viam causalitatis luculenter & concinne probat, & *Grotius* de veritate Religionis Christ. l. 1. p. 2. seq. deinde *ex æstimatione perfectionis* in creaturis in unam & solam perfectionem deduci fas est, cum nihil in iis sic pulchrum bonumque sit, quin in creatore emineat. Ps. *94. 9.* Es. *66. 9.* θεὸς ὅλος ὢν ὀφθαλμὸς καὶ ὅλος ἀκοὴ, καὶ ὅλος νοῦς, ait Cyrill. ut enim homo se comparans cum Deo suam imperfectionem melius novit; nec magis sensit Moses se blæsum esse, quam cum Deo loqueretur Exod. 4. 10. ita Deum ad nos, nostraque conferentes, ex defectuum remotione altius in ejus notitiam prevehimur. Vid. *Danh. in Hodos.* p. 188. noviss. edit. veteris vero p. 137. ita tamen, ut εἰ μὴ δυνατὸν καταλάβεσθαι τί ἐςι θεὸς (ἀλλὰ) ὅμως δυνατὸν εἰπεῖν τι οὐκ ἔςιν, οἴδαμεν γὰρ ὅτι οὐκ ἄνθρωπος ἐςι, ut Athanasius loquitur Tom. 1. p. *627*.

Quanquam vero hæc omnia ita se habeant, & revera ita habere *contra Adversarios* defendant orthodoxi Theologi v. g. *contra Photin.* Gatech. Racov. cap. 1. pag. *26. 27.* *Caramuelem* (qui Theolog. Moral. p. 325. dicere non veretur: *posse aliquem hominem per totam vitam suam Deum invincibiliter ignorare*) contra *Socinum* prælect. c. 2. p. 3. Ostorod. c. 7. Inst. p. 10. *qui Dei cognitionem naturalem negans, ex fide* Hebr. 11. v. *6. Ergo non ex natura esse*; sed falsa *colligit*, cum ex utroque sit, *ex natura* Rom. 1. 19. seq. *quatenus scitur*, *ex fide* vero *quatenus creditur*. Inde & Enochus Deo placuit, non quatenus ex natura *scivit*, sed quatenus *credidit* Deum; *nec* ψ. 10. v. 4. 14. v. 1. 53. 2. *Dei existentia*, sed *providentia & omniscientia* ab impiis ex philautiæ studio vel obducto callo negatur, nec ulla gens sit tam barbara (ut Cicero ait, lib. 2. 1. §. 43. de Legibus,) neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non etiam, si ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat, vid. Cic. l. 2. de Natura Deorum §. 15. confer. 1. Tuscul. quæst. lib. 1. Tom. 4. Oper. Col. 171. licet de *quibusdam Indis Socinus l. c. neget*. *Deum enim quendam coluisse, ubicunque venerit, testatur Joh. Lerius* de Navig. Brasil. c. 16. *Josephus de Acosta* in America lib. 5. c. 3. p. 153. *Benzo* in Navig. *Fabronius* in Georg. Hist. *Urbanus Calvetonius* in descript. novi orbis.

bis. *Barth. de la Casa. Boterus Relation. Universali Parte* 4. *lib.* 1. *p.* 1. qui de Peruanis Indis sita. *Ma venendo a popoli alquanto più civili e politi*, ait, *i Cuzcani, e gli abitatori del Però confessavano un facitore dell' universo, e un supremo principe, e'l chiamavano Viracoca e Pacacamac e Pacayara, cioè Creatore del cielo, e della terra;* quem toto illo s. capite s. paragr. vide, quia egregia in hanc rem habet, & differit. Sicuti & Part. 3. l. 2. p. 104. seq. ut & antea. *Gerardus Mercator* Atlante minor. p. 975. a. & passim. *Joh. Lod. Vives* l. 2. de Ver. Fid. c. 1. pag. 206. seq. *Olearius* in Itiner. passim. *Janua Reserata* Rogeri cum *Appendice doctissima Christoph. Arnoldi*. Alexander Ross in 'smereldts Godsdiensten / Vossius & innumeri alii, quanquam hanc notitiam naturalem (licet non salutarem) dari asseratur, tamen ea justa Dei desertione & diaboli potentia sic potest elidi, ut possibile sit *dari ad tempus tamen quosdam speculative atheos, non per naturam, sed per excæcationem*. Vid. *Hulsem. Casuum* l. 3. sect. 3. q. 3. de quibus *Mornæus* l. 1. de Veritate Relig. Christ. c. 1. p. 13. Petavius Tom. 1. de Ecclesiæ dogm. l. 1. c. 1. videri possunt, qualis erat *Luciolus Vaninus, de quo Grammont.* l. 3. Histor. & ex eodem *Joh. Christoph. Hoffmeisterus* in Dissertat. Politicis p. 66. legatur, quod se Tholosæ exuri propter atheismum passus, sed antea *Deum esse naturam convincere*, confessus sit. Vide de Atheistis *Spizelium*, peculiari sed erudito tractatu, & *Voetium* Parte 1. Disp. sel. fol. 143. & 196. Lege his quoque *D. Joh. Micræl. Ethnophroni* l. 2. Dial. 2. c. 1. p. 27. 28. *Adam Contz.* l. 1. Polit. c. 18. p. 44. *obscurari* igitur quidem pietatis illa cura naturaliter homini insita, sed ut penitus extingui potuerit, tantum abfuit, ut potius degeneraverit, & nefario ausu incrementa sumpserit. Crassi enim & rudes homines, Deum illum naturæ dominum, ad quem tamen sensibus ducebantur, prætereuntes, quæ intuitu pulcra, atque admirabilia in Orbe spectarent, aut utilia deprehendebant; imo *noxia* ne nocerent, & turpia quandoque sine ratione ope Diaboli, judicioque illo suo hebetissimo, tardissimo, nequissimoque in Deorum censum assumebant. Vid. *Pineda* in Job. cap. 31. vers. 26. p. 381. seq. & *Reines.* Epist. p. 50. & l. 4. Variarum Lect. c. 2. cui addatur *Philippus Caroli* Notis ad Curt. l. 9. Animadv. 1. p. 645. Inde πολυθεότης undique fere vires sumpsit, licet *emunctioris naris unum saltem esse Deum non ignorarent*, *vid. Dorsch.* l. c. ut *Socrates, Plato, Aristides, Lycurgus, Cato, Sacerdotes multorum Deorum &c.* qui tamen cum aliis suorum temporum Machiavellistis *contra conscientiam* populum seducebant, *hominum sapientum & prudentum quasi negotium æstimantes populum in religionibus fallere*, ut loqui amat *Augustinus* lib. 8. de C. D. c. 32. imo *tota ipsorum Theologia civilis* erat, i. e. ad ridendum & regendum populum comparata, juxta effatum *B. Hulsem.* in aureo libello *de Auxiliis Gratiæ* p. 105. Interim receptum πολυθέιας errorem, & subinde novum errabat mundus *suscepto in numerum Deorum fere quocunque sive delectabili, sive utili, sive etiam admirabili*. Noster ad *duas species* refert, quæcunque in divinitatis censum venerunt. *Eum licet non optimum, tamen non pessimum ordinem observantem sequemur*. Occurrit *primo* loco *Uranolatria*, sive cœli & Astrorum, eque iisdem Principum *Solis & Lunæ* cultus, de *Cœli* infra dispiciatur, de *Solis* (quanquam & subinde recurret) inpræsentiarum quædam & in limine vel propylæo constituti quidem tangemus, invitante *tam* ejus, ut videtur, omnium *primo cultu;* Ex cunctis enim naturæ partibus *primum Solem* delegisse superstitiosos mortales credere par est, cui divinos honores deferrent, quod publicæ lucis fontem, mundique totius animum mentemque, Rectorem siderum, tempestatum moderatorem, cuncta audientem, cuncta videntem, cernerent. Vide *Pricæum* in notis ad Apul. Milef. 1. p. 45. adde *Magnum Barthium ad Zachariæ Scholastici dialogum* de opificio mundi pag. 270. 280. & proinde magis excusabiles Phœbilatras pronunciant *Pineda & Bolduccius* in locum citand. ex Jobo: *tum* quoque nostro Seldeno loco Jobi 31. v. 26. 27. quo uti & mox subjectis ad fere *communem ritum colendi* non *solem* solum, sed *reliquos deastros* deducimur. *Jobi* igitur verba quod attinet, quibus se *divitiarum, lucis*, id est, *auri splendentis* & *lunæ* i. e. *argenti* præsentis abusus, juxta prolixam interpretationem *Bolducii* in l. c. & *Pinedæ* in l. c. vel juxta *Lutherum* in vers. Germ. *felicitatis blandientis & propriæ confidentiæ, gloriæ*, &c. utpote quam non admiserit; Ita Joh. *Ferus* Con. 69. in h. l. p. 215. vel juxta *communem Philologorum* (*quam* quia sensus simplicior est, phrasique magis convenit, ut vult, num vero recte, docti judicent, *a plurimis interpretibus ante haberi dicit Sculterus* Analysi Typica concionum habitarum in Job. 31. Conc.

Conc. 175. pag. 238. secutus D. *Hieronym.* Tom. 7. Com. in Job. 31. fol. 101. Tom. v. Com. l. 3. in Ezech. c. 8. fol. 22. & fol. 189.) *Idololatriæ religionisque in Solis & Lunæ superstitioso cultu violatæ, se excusat, si*, inquiens *aspexi* (אור) *lucem* (i. e. ut LXX. reddiderunt ἥλιον) *Solem* (κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicitur, ut & Job. 36. v. 32. c. 37. v. 21. Habac. 3. v. 4.) *cum splendesceret, aut Lunam nobiliter incedentem, & seductum est in abscondito cor meum* (ותשק ידי לפי) *& applicata est manus mea ori meo*, vel per hypallagen ut Glass. Gram. Sacr. p. 742. h. e. *si osculatum est manum meam*, (pro more scil. tum temporis) *os meum*, &, hoc sensu: *Si, cum vidi solem & Lunam, adoravi eam, manu* vid. *admota & ad osculum relata*, sicuti simul in vastis Comm. ad Jobum explicavit *Pinedæ* pap. 382. seq. uti fere allegat, quæ in bonam partem citanda restant pro re nata, & evolvendos subjecit *Muret.* l. 10. Var. c. 1. *Jacob Durantium* l. 2. variar. c. 16. *Joh. Durantium* de ritibus Eccl. lib. 1. cap. 3. vide & *Joseph. de Acosta* l. 5. cap. 4. p. 155. LXX. habent: εἰ δὲ καὶ χεῖρά μου ἐπιθεὶς στόματί μου ἐφίλησα, *si manum meam ori admotam exosculatus sum*, Symmachus: καὶ προσεκύνησε ἡ χείρ μου περὶ τὸ στόμα μου, *& adoravit manus mea circa os meum: ritum* nobis sistit Idolis dementatæ Gentilitatis, quæ adeo *osculabatur simulacra*, eorumque ora, manus, pectus, imo dabat

*Sacratis oscula liminibus*, ut

Sæpe *salutantum tactu præterque meantum* Idola *mento* essent *attritiore, & dextris attenuatis*. Quia vero multi, ut videbantur ore tanquam parte corporis pudenda Deos contingere verebantur, eminus stantes manus porrigebant, eamque velut augustiorem factam verentes ad os suum referebant, conformatis labiis suaviabantur, ac manu basia jactabant, ut *Phædrus* fab. 88. pag. 108. effert. vid. *Freinshem* ex editione *Henr. Holstii* in indice in voce *Jactare*, & meminit hujus ritus tribus in locis *Lucianus Samos.* qui lib. περὶ θυσ. Tom. 3. Editionis Basileensis p. 92. ita ait: ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὑτοῦ δεξιάν, *at si quis pauper est, is ita Deo litat, ut dextram duntaxat suam ipsius exosculetur*, deinde luculentius περὶ ὀρχήσεως Tom. 4. p. 105. καὶ ἰνδοὶ, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχωνται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν. *Indi postquam mane surrexerunt, solem precibus venerati sunt, non quidem ut nos deosculata manu perfectam precationem arbitramur:* & denique in *Encomio Demosthenis* Tom. 1. p. 904. *Mart.* l. 12. Epig. 78. Plin. l. 28. c. 2. p. 500. *in adorando*, inquiens, *dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus. Minutius Felix* l. 8. pag. 285. *Brisson.* 1. Formul. 35. *Barth.* Advers. 32. 13. *Lips.* 2. Elector. 6. *Drus.* 1. observ. cap. 20. *Turneb.* 12. c. 5. Murmure vero pavido pacem & veniam deorum deprecabantur, ut *ritum* ipsum & *verba precantium* declarat *Ovidius* l. 6. Met. fab. 4.

*Restitit & pavido, faveas mihi, murmure dixit.*

*Dux meus: & simili, faveas mihi murmure dixi,*

ab *hac manus ad os relatione*, noster cum multis, *Varrone* nostri seculi *Buchnero*, Thesauro Fabri. p. 688. & *Pithæo* in advers. subcisiv. l. 1. c. 7. p. 151. part. 2. Thesaurus Critici *adorationem* & verbum *adorare* esse vult, quod tamen *Batavorum Phœnix, Vossius, tum Institut. Orat.* l. 4. p. 115. *tum Lexico Etymologico* in voce *Adoro*, improbat, ab *oro* verbo, ex nomine quidem *ore*, facto, cum *Ludovico de la Cerda* in Apolog. Tertul. c. 16. & *Laurent. Valla* l. 5. Eleg. c. 11. derivans, ut idem origine sit, atque *ore precor, adprecor, vel alloquor*, & *Servius* ad Æneid. 10. v.677. explicat, ut approbat *Joh. Andr. Bosius reconditæ ac politioris literaiuræ ταμιεῖον* Disp. Edocumata de *Adoratione* c. 1. deinde pro *Numinis alloquio usurpatur*, ita ut *adorare* idem sit, quod *precibus venerari*, Plaut. Rudente Act. 1. scen. 4. *veneror* pro *adoro* usurpat, quod & *salutare* dicebant; *saluto* enim veteribus idem erat atque *adoro*, inquit Fessel. Tom. 1. Advers. sacrarum lib. 3. cap. 7. §. 3. p. 270. ex *Plauti Stich.* Act. 4. Scen. 1. qui *alloquor* in eodem sensu, *Amphitr.* Act. 4. Scen. 1. (vers. 29.) adhibet, quæ *Arnobius* l. 6. *affari deos, & cum Deo venerationem* (*item supplicationum & orationum*) *colloquia miscere. Græci* προσαγορεύειν. Et Euripid. Herc. furent. θεοὺς προσειπεῖν dicunt, Taubm. in l. c. Amphitr. Sic *Varro, Deos ad venerationem vocare* dixit, & Festus verbum ipsum *venerandi* a *venia* & *orando* compositum esse scribit Briss. 1. form. p. 47. *Nepos* quoque *venerari* Regem per προσκυνεῖν explicat Conon. c. 3. vid. Clariss. Bos. in Ind. Autoris citati. *Conjuncta* vero erat *incurvatio* corporis, προσκύνησις (vid. Bos. in Comm. ut & Jan. Gebh. in notis ad l. c. ex Nepote) *& circumactio dextrovorsum* (*Plaut.* in *Curcul.* Act. 1. sc. 1. v. 20. *Taubm.* ad l. c. p. 352. quo nomine & hæc conver-

ſio *dextratio* dicta eſt, obſervante *principe literatorum Salmaſ.* in Exercit. *Plin.* fol. 936. vid. & *Roſin.* l. 2. Antiquit. c. 33. ) *manuum earumque lavatarum levatio ac complicatio*, *capitiſque apertio*, vel in aliis ſacris *opertio*, *calceorum depoſitio*, *genuflectio*, & id genus alia, quorum veſtigia hinc inde in ſacris obvia ſunt, vid. nunquam ſatis laudati *Boſii laudata Diſſertatio Wihelm Stuck.* de Gent. Saeris *Hildebrand.* elaboratiſſimus tractatus, *Ritual. Orantium*, & *Feſſelii* l. 3. c. 7. de oſculis lectu digniſſimum. *Saubert de Sacrif.* c. 12. p. 281. ſeq. ibidem pro more lectu & notatu plurima offert digna. Sic. *Pſal.* 2. v. 12. quæ & Seldenus noſter habet *ad religioſam adorationem cultumque divinum* ( cujus oſculatio indicium erat ) & *proinde Deum colendum*, ( qualis erat revera ) *Filium Dei invitamur*, vid. *Rittersh. ad Salv.* 379. 380. & *Koppen eruditas notas in* Pſalm. p. 39. *Pfeiff.* de *ritibus* Ebr. poſit. 6. §. 1. 2. juſſi *oſculari* ( *i. e. adorare* ) filium, non excluſo tamen, ſed *maxime incluſo oſculo*, *tum benevolentiæ*, quo *vel* in V. T. *advenientes* excipere ſe conſueverunt, ut Jacobus Rachelem, Gen. 20. v. 11. Laban Jacobum, ibid. v. 15. Eſavus Jacobum reducem ex Meſopotamia Gen. 33. v. 4. quanquam & hoc *oſculum reconciliationis* dici poſſit, & rem non ſerio egiſſe, ex punctis ſupra ſcriptis dictioni Ebrææ, *ſed perperam*, colligunt Judæi; convicti *ex circumſtantiis textus*, *lacrymis* ejus, conſtanti amicitia ſervata; vel *cognati* cognatos, ut Joſeph fratres Gen. 45. 18. Jacob nepotes ex Joſepho adductos Gen. 48. v. 10. Aaron Moſen Exod. 4. 27. Ragael Tobiam Tob. 7. 6. Gabel eundem c. 9. v. 8. Tobias cum Hanna Tobiam Juniorem c. 11. v. 11. *vel* hunc morem a Patriarchis ( vide Auguſtin. quæſt. in Gen. c. 7. *docti itidem redeuntes vel adventantes* excipere ſoliti ſunt, & *Chriſtiani*, vid. Chryſoſtom. in 2. Cor. hom. 39. *finitis enim precibus ante adminiſtrationem Euchariſtiæ oſculo, tanquam pacis & fraternitatis ſymbolo ſe mutuo ſalutabant*, *quod oſculum a Gentium Doctore vocatur* φίλημα ἅγιον *oſculum ſanctum* Rom. 16. v. 16. 1. Cor. 16. v. 20. 2. Cor. 13. v. 12. 1. Theſſ. 5. 1. 26. ad *differentiam oſculi mundani* & carnalis, a *D. Petro* φίλημα ἀγάπης 1. Epiſt. c. 5. v. 14. *dilectionis*. Vid. *Clemens Conſtit.* Apoſtol. l. 2. c. 11. *Juſtinus Martyr* in orat. ad Anton. Imper. *Clemens Alex.* l. 3. *pædagog.* c. 11. *Origenes* in c. 16. ad Rom. *Ambroſ.* in cap. ult. 2. ad Corintb. *Hieronymus* ad Theophilum, Auguſt. in libro de anima c. 16. &c. & alii, *Gentiles*, teſte Xenophonte in oratione de laudibus Ageſilai, *Alexand. ab Alex.* l. 2. Genial. dierum c. 10. *Herodot.* l. 7. *Zenodot.* in Proverb. νόμος καὶ χώρα. *Orpheo* in Argonauticis: ubi refert, *Chironem Heroas hoſpites advenientes oſculo excepiſſe*; *Muſcovitæ oſculo mutuo hoſpites recipientes*, teſte *Sigiſmund. in Heberſtein*, in Comm. rerum Muſcovitarum, *Oleario* in Itinerar. & *Romani tum veteres*, vid. Feſſel. loc. cit. pag. 281. *tum* Romano-Catholici, quod divini honoris prodigum verſum eſſe oſtendit idem p. 276. & *Laurent.* Banck. Rom. Triumfante p. 447. ſeq. & p. 161. 171. *Tum obedientiæ* vel *obſervantiæ*, quale Samuelis, Davidi datum, 1. Sam. 10. v. 1. homagii ſuo totiuſque Iſraelis nomine præſtandi quaſi pignus, in Thanchuma *oſculum* גדלה *magnitudinis* ſeu *dignitatis vocatur*, vid. David. Kimchi Com. in h. l. & *ſuis Regibus Perſæ* ( & *Romani ſuis Imperatoribus*, *Lamprid.* ex editione *Boxhornii* pag. 344. *Eunap.* Edit. Col. Allobr. p. 41. de vitis Philoſoph. & Sophiſt. ) vel *eorum manibus*, vel *pedibus* vel *purpuræ* vel *majeſtatis teſſeris*, imo *pavimentis regio calcatis veſtigio*, & *proſtratis corporibus*, ut de *Perſis* oſtendit *Valer. Maxim.* l. 7. c. 3. ex *Herodot.* l. 7. vid. *Pancirol.* p. 1. rerum memorabil. titul. 46. p. 311. *Curt.* l. 5. c. 10. & adde *Philipp. Caroli* animadverſ. ad h. librum p. 614. & *Curt.* l. 8. c. 6. 7. *figebant*, vide jam *citatos Autores*, & *Xenoph. Cyropædia p.* 715. *edit. Francof. & adde Ruben.* Elect. l. 2. cap. 30. quorſum referunt locum Eſ. 49. 23. *quo pulverem pedum Eccleſiæ in perſona Capitis Jeſu Chriſti* ( ὁ γὰρ ἐκκλησία προσκυνεῖται, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴ ὁ Χριστός, ) *Reges linctUros*, prædicit propheta. Ita *Magi* venerunt ad Chriſtum, προσκυνῆσαι ἕνεκα, ut *Eum tanquam Regem* i. e. more illo, quo Reges ſuos ſolebant perſæ, *adorarent*, Matth. 2. 2. Vid. Mich. 7. v. 11. pſal. 72. 9. & Gen. 41. v. 40. quo *ad os Joſephi oſculari*, i. e. mandatis honorem ut proregis exhibere jubetur; hanc civilem adorationem Regibus & ſuperioribus præſtitam, ſæpiuſcule in religionem abiiſſe videtur. Vid. Voſſ. l. 1. de Idolol. c. 4. in fine; *tum precum fragrantiæ*, de quo tamen vide ſæpius citatum Feſſ. l. c. p. 287. *tum* denique *oſculo indigentiæ*, quam teſtamur, auxiliumque eadem precemur; ſicuti καταφιλεῖ χεῖρας αὐτοῦ, ἕως οὗ λάβῃ indigus Sirac. cap. 29. 5. licet enim *Druſius* Com. in h. l. de *adoratione* accipit, *ultra civilem* tamen non eſt extendendum, & *blandientis urbanita-*

*ratis symbolum*, quo moris erat benefactoris manus exosculari, ut constat ex illo Macrobii l. 1. *Saturn. invenies Dominum spe lucri oscula alienorum servorum manibus infigentem*. Apul. Apol. 2. *Pontianus ante pedes nostros advolutus, flens & manus nostras osculabundus* &c. *Tacitus* l. 11. *ad genua ipsius advolvi, & dextram osculis fatigare*. *Vopisci* in Aureliano, *surrexit atque ad manus accessit, agens gratias*, eaque de re plures sunt loci apud Arrianum Epictet. De *reliquis ritibus* vide diligentissimum *Kipping.* Recens. Antiqu. Rom. l. 1. c. 9. nos occasione hac de osculatione manuum, quam quoque lucem lucrari loco Ose. 13. v. 2. recte dixit Seldenus noster. Propheta enim quando זבחי אדם עגלים ישקון *sacrificantes homines*, ut Glass. Gramm. sacr. vult, p. 120. *vel sacrificia offerentes hominum, vitulos osculentur* ( *Molochum*, scil. *facie vituli* &c. juxta Clarissimum Dilher. Dialog. Philol. 147. p. 48. ubi plura de hoc ritu suppeditat ) habet, Aquila *καταφιλῦντες exosculantes* reddidit, *quia*, ut dictum est, *Idola adorantes, manum solebant deosculari, seque incurvare ac caput submittore*, inde Theodotio: *προσκυνῦντες*, & Symmachus: *μόσχοις προσκυνήτωσαν*, *vitulos adorent* h. e. ut B. *Hieronymus* interpretatur in Apologia, i. e. adversus Ruffinum ad Pammach. *venerentur: ponunt enim Ebræi juxta Linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione*, & *osculari fere ad Deum vel Deastrum relatum significat omnem cultum*. Ad hunc morem respiciens vetus interpres 1. Reg. 19. v. 18. sic eloquutus est: *Quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum, osculans manum*, *Imo eundem* interdicturus *cum cultu Idololatrico Solis & Lunæ*, *primorum* fere inter Apostatas *numinum* severissime Deus prohibuit, Deut. 4. v. 19. de quo loco vide Doctissim. *Hackspanium* in *miscell.* l. 1. c. 3. 45. usque ad 53. ubi in ultimis verbis loci citati: *& servias eis*: אשר חלק יהוה אלהיך אתם לכל העמים תחת כל-השמים: *quos partitus est Dominus Deus tuus omnibus populis sub omnibus cœlis*, חלק non de *ipso actu divinæ divisionis* ( quasi huic & illi suum planetam & Astrum Deastrum tribuisset ipse ) sed *permissione*, dum scil. gentes, permittente ex justo judicio Numine, *aliæ alios ex astris Deos aut Deastros*, in objecto cultus errantes, sibi adoptarunt, exponit, preæunte ipso Spiritu sancto, qui Act. 14. v. 16. diserte dicit: *in præteritis generationibus εἴασε permisit vel dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quanquam intestatum se non liquit, cœlitus dans pluvias*. Confer. de *Judæis* simile quid Psal. 81. v. 13. *Judæi* Talm. cod. Schabb. in eodem dicto, *Scopum rei esse volunt, ne aspiciat homo cœlum* &c. *oculo cordis ad cognoscendas astrorum vires & rationem cultus*, vel quemadmodum alibi dicitur, *ne inquirat de Diis gentium, dicendo, quomodo colebant gentes illæ Deos suos, & faciam sic ego etiam* Deut. 12. v. 30. prohibuit autem, subjicit Hottingerus in de Jure Hebræorum p. 337. *modum cultus illorum*, quia *hæc omnia in errorem inducere possent*. Vide eundem ibid. p. 41. & adde Manuale Legum Mosaicarum Josuæ Arndii Class. 2. Domus l. præcepto negat. 5. 6. & *quæ colendi ratio solius Dei est* Exod. 20. v. 5. puta hactenus *commemoratam*, *inprimis vero προσκύνησιν, communis fieret cum Gentium Diis*; quare fuit *denegata Colosso Babylonico*, Dan. 3. v. 18. *Hammano* Esth. 3. 2. *recusata* a *Daniele* c. 2. 46. ( interprete Maldonato ad h. l. & Casp. Sanctio ib. p. 99. *quam* tamen non tam de λατρευτικῇ quam πολιτικῇ & *simili Davidis coram Jonath.* 1. Sam. 20. v. 21. & *coram* Saulo, Sam. c. 24. 9. *Abigailis* coram Davide c. 25. 23. Mephibosethi coram eodem, 2. Sam. 9. v. 6. &c. *Magnificus Geierus* Com. in Dan. l. c. p. 216. seq. sine rigore accepisse videtur cum *Luth.* in Glossa marg. in l. c. ) *a Petro* Act. 10. 26. *Angelo* Apoc. 19. 10. *affectata* a Satana Matth. 4. v. 9. *occupata* a Regibus *Persarum*, ut ostensum est, vid. & Serarius in c. 3. Eph. 4. 3. & *Parthorum*, vid. quæ diximus, & denique *recepta* a gentilibus, & *communicata* cum suis idolis, non *sole* solum & *astris*, sed *reliquis quoque*. *Maxime astra cum hoc universo* Gentiles induxerunt, qui *orbem* omni ex parte absolutissimum videlicet, immensum æthera, *summum Deum dicerent*, ut Africanus apud *Ciceronem* in somn. Scip. licet aliud deinde professus. Macrob. l. 1. in somn. Scip. c. 17. Inde ( ut nunc taceam reliquos, quos infra tangemus, *cœlicolas* ) ex animi sententia *maximum Deum*, aut ad minimum *secundum post solem* profitentur *Chinenses*, Dresserus apud Arnold. in Appendice ad Joan. Reserat. p. 595. *Guant* sua lingua appellantes, primo suorum charactere pingentes *Ortel.* p. 201. ex *Bernardino* Scalanta, *M. Henning.* III. 13. p. 200. *increatumque & absque principio corporis expertem spiritum opinantes*, *Henning.* II. 2. p. 73. seqq. una cum *Japponibus* cœlum duntaxat itidem venerari solitis, *Varen.* de rebus Jap. c. 1. p. 7. ex Epist. Lud. Froii Je-

Jesuitæ, l. 4. Maffæi, Linda. p. 1137. Ejus *artificio*, ut dictum, fortasse *impulsis*, sed tamen humana diligentia *tentato*, puta *Cornelii Drebelii* Chymici & Mechanici celeberrimi, ( vide de eodem *Gotfred. Hegenitium*, in Itinerar. Frisio Holland. cap. 72. 73. apud *Christophorum Pellerum* in impugnatione Politici scelerati p. 37. ( qui *Jacobo*, non solum, *sapientissimo Britonum Monarchæ* ( in epist. ad eundem, editore Joach. Morsio) *globum promisit*, *perpetuo secundum cursum ætheris singulis* 24. *horis semel circumrotatilem*, *qui vel mille annis ne semel falleret*: *ostendentem annos*, *menses*, *dies*, *horas*, *cursum solis*, *Lunæ omnium planetarum & stellarum*, *quarum motus hominibus notus*; *sed & Eidem & Imperatori Gloriosissimo Rudolpho* II. prout descripserat *præstitit*, *tradiditque opus supra mortalium naturam*, *singulis conversionibus idem efficiens in sole & luna*, *& quinque stellis errantibus quod in Cœlo singulis diebus & noctibus efficitur*. Valer. Saledin. de perpetuo mobili p. 24. Ejus honoris quo Planetæ culti, participes facti sunt *stellæ*, Cœligenæ, simplex & sapphirinum cœli dorsum alma & sacrata lucis amænitate coronantes, quarum splendor oculos ut spectatorum mortalium ferit; Ita earundem *tum multitudine* innumerabili, *tum ordine & constantia* in admirationem raptis, *sensum inesse sideribus & intelligentiam* Cicer. 2. de N.D. vota nostra cognoscere, & exaudire *non solum suasit*, Cœl. Rhodig. Lect. Antiq. l. 18. sic *Menasse Ben* Israel Prol. 25. *Cœlos secundum* R. Mosen ( de Fund. Leg. c. 3. §. 11. *More Nevoch.* part. 2. c. 5. ) *& rei veritatem habere animas proprias rationali vita præditas scripsit*, confer. *Hornb.* חי IV. c. 1. a p. 310. ad 319. *Hotting. Hexaem.* p. 32. seqq. CL. *Scherz.* Disp. de Cœlo. *Sed & divinitatis quandam opinionem instillavit*, vid. *Ursin. Zoroastre* p. 42. seq. ab Ænoschi tempore, tradente *Maimonide* de Idolol. c. 1. p. 1. ( qui tamen male eundem istiusmodi Ἀϛρολάτροις annumerat, vide Dionys. Vossii notas in eund. p. 5. ) per decursum seculorum subsecutorum vid. *Hotting. Hist. Or.* l. 8. p. 153. *Thesauro* p. 53. ad nostra usque tempora propagavit; *Cœli* enim *militiam* adhuc multæ nationes colunt. de *Septentrionalibus* vid. *Michovv* l. 2. tr. 2. c. 2. *Ortel.* p. 101. *Henning* 12. p. 73. *Alexand.* Roß in 's wercids Bodsdiensten p. 154. & passim alios.

Inter *reliqua minora sidera* uti *Sol & Luna* eminebant, vid. *Sol mystagog.* Ursin. in Miscell. l. 2. p. 11. seqq. Natal Comes. Myth. l. 1. c. 6. p. 10. ita, inter *Deos* ex istis effictos, maximus *Sol erat*, nec tantum *Sabæis*, *Majmon.* l. 3. *More Nevochim* c. 29. sed *aliis* etiam gentibus, certe Romanis, quibus inde in *Inscriptionibus Omnipotens* audit fortasse, quia ut *Homerus* Iliad. l. 3. cecinit: ἠέλιός τε τὰ πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει.

Et *Ovid.* Lib. 4. Metam. v. 235. *Ille ego sum &c. Omnia qui video*, *per quem videt omnia tellus*, *Mundi oculus*; quare *Capite Solis* in *Antonini Caracallæ* nummo *Provientia* effigiata fuit, vid. Anton. Aug. Dial. 2. p. 25. *Maximus Deus* & *omnipotens*, ceu dictum est, & legitur in illa ibter Fuggerianas a Petro Appiano editas p. 123.

OMNIPOTENTI. DEO. MITRÆ. APPIUS. CLAUDIUS. TARRONIUS. DEXTER. V. C. DICAT.

Est vero *Mitra* idem, *qui Sol*, qui iisdem *& Dominum* dicitur, ut in illa inter Fugg. pag. 253.

DOMINO. SOLI. V. S. TI. CLAUDIUS. AMERINUS. LICTOR. CURIATUS.

Sic & Arabes *Dominum Magnum* אלרב רב אלביר & *Dominum Boni*, אלעטים dicunt, vid. *Muhammed ben Isaac de ritibus Sabæorum* p. 18. citatus Hotting. Hist. Orient. l. 8. p. 176. seqq. *prisci Arabes* κατ' ἐξοχὴν *Deam* vocant juxta *Golium* in *Lexico* Arab. p. 144. Videtur, *unum solem*, tot & tam multorum Deorum nomina exinde gessisse, *omnesque Gentium Deos ad unum solem referri*, at *tantæ sub uno numine in nominibus diversitatis rationem esse*. Equidem *Macrobius Deorum cohortem*, quos recenset a c. 17. usque ad 30. lib. 1. Saturnal. *Unum & solum solem sub diversis nominibus fuisse* mavult, videatur & Alex. Rossæus, qui a p. 695. usque ad 710. des Wereids Gods-Diensten *de tantum non omnibus Diis Deabusque probat*, *& ad unum solem refert*, *pro diversis operationibus aliud atque aliud nomen nactum esse asserens*; Multum *claritas* & *puritas* lucis præstitit, vid. *Cornel. ab Hogelande* Cogitationes p. 21. 22. 45. seq. unde Romanis etiam *Sanctissimus* dicitur in Inscriptione ap. Appian. in Fugg. p. 245.

SO-

SOLI. SANCTISSIMO. SACRUM. TI. CLAUDIUS. FELIX. ET. CLAUDIA. HELPIS. ET. TI. CLAUDIUS. ALYPUS. FIL. EORUM. VOTUM. SOLVERUNT. LIBENS. MERITO. CALBIENSES. COH. III.

& sæpius *invictus* v. g. in illis, quarum hæc iterum Fugg. p. 299.

DEO. SOLI. INVICTO. MYTHRE. FL. SEPTIMUS. ZOSIMUS. V. P. SACERDOS. DEI. BRONTONTIS. ÆCHATE. HOC. SPELEUM. CONSTITUIT.

altera apud *Reinef.* in Epist. p. 334. *ex Piccarti* transmissis ad Gruterum habetur n. 80.

C. JULIUS Cæsar DEO soli invicto altare, & *alia* p. 644. ibi in *Reinef.* Epist.

SOLI. INVICTO.
MITHRÆ.
VESTALIS.
CÆS. N. SER.
ET. C. VESTIUS.
AUGUSTALIS.
D. D.

ubi subjicit inter alia: *id singulare est, hominibus Romanis Mithræ tanquam extero a Persis accepto, solem veluti proprium & indigenam jungere solenne fuisse: sic enim interpretari oportet* 12. XXII. Deo. Invicto. Mithræ. ET. SOCIO. SOLI. quasi dicere vellet *σωύθρονον*, *σύνναον* *κὴ σύμβωμον*, & paulo ante, de Mithre *τῷ ἡλίῳ παρὰ πέρσαις*, inquit, per quem jurare solebat Cyrus teste Xenoph. in œcon. quem sub *symbolo divino Ignis ἀκοίμητον* seu perennis venerabantur *ἐν παραθείοις* vel *πυρέιοις*, historicum opus confecerat *Pallas* quidam, teste Porphyrio L. II. *περὶ ἀποχῆς* apud *Euseb.* l. 4. *Præpar. Evangel.* c. 16. olim autem tradita omnia pene occupaverunt *Johan. Quintinus Heduus* c. 40. schol. in Tertull. l. de Præscript. adversus hæreticos, *Gyraldus Syntagm.* 7. histor. Deor. Jul. *Cæsar Capacius* l. 1. hist. *Neapol.* c. 14. quod est de antiqua Neapolitanorum religione. *Voss.* l. II. de Orig. & Progr. Idol. c. 9. *Salmas.* ad Hist. augustam. *Gutherius* de vet. Jure Pont. lib. 1. c. 25. *Buleng.* lib. 1. de Mag. lic. & vet. c. 4. 5. 6. *H. Grot.* annot. ad Lev. c. 26. v. 30. quare & nos hic mittimus, præsertim cum de *Mithra* denuo occasio dicendi dabitur, saltem id annectimus, *solem non ita pridem* & fere *adhuc* in nullo *non terræ tractu honore divino coli* ac *adorari*. Inter *Persas*, quorum Rex Sapor olim Solis fratrem se appellabat, epist. ad Constantinum Imperat. *Crinit.* II. H. D. c. 9. p. III. & cui sacrificia *Cyrus* instituit, referente *Xenophonte* lib. 8. de Pædia Cyri fol. 149. adhuc hodie solis cultores reperiri, *Vossius* toties laudatus & laudandus auctor est, de Idol. II. app. p. 9. Deus maximus putatur *Sinensibus Ortel.* p. 101. *Henning.* II. p. 73. & contagio correptis *Japponensibus* Varen. de Relig. Iap. c. 1. p. 15. ex *Xaverio* p. 191. & *Almeid.* in Epist. Ind. p. 168. Talem & *Americani* agnoverunt, Ross. l. c. p. 197. & multi *in Africa*, ut *habitatores torridæ*, & *Angolanorum* aliqui in Kirch. Tom. I. Oed. Æg. s. 5. c. 4. p. 416. nec *Insularum* æquior mens, memorantur præ cæteris *Java Major*, *Maluccæ*, *Fhilippinæ*, *Zeilenses* & aliæ fere multæ *solis cultrices*. Vid. Nobilissimus *Mandelslo* l. 3. p. 233. *Benj. Tudel.* Itiner. p. 107. Interprete Ar. Mont. & Confer. *Urs.* Theolog. Symbol. 40. *l'Empereur* in Notis p. 214. ad Benj. Tud. longum nimis foret tot gentes, populos, insulas, terras, quibus Sol adoratur, recensere, & hac opera nos sublevavit *Umbra* in luce *φιλολογικωτάτε* Theologi *Joh. Ernesti Gerhardi* quæ consulatur c. 2. §. 29. cui nos multum debere ingenue fatemur una cum *Arnoldo*, viro *literis melioribus promovendis nato*, in Appendice ad Januam reseratam Rogeri, ubi passim enumerantur *Heliolatræ*, *Schedium* syngr. l. de Diis Germ. c. 3. Pier. l. 44. *Hieroglyph.* c. 2. & sexcentos alios.

Tenderemus nunc ad *Lunam* recta, sed remoras ponit, quod occasione Originis deducendæ in medium noster attulit, & multis exposuit, *Dictum Gen.* 4. vers. ultimo, in quo inprimis vox הוחל *interpretibus crucem fixit* inque diversas & tantum non contrarias partes traxit: sunt enim, *qui per cœptum est*; & sunt, *qui per profanatum est*, exponunt: *posterius* noster & cum eodem fere multi Judæi amplectuntur, *non cultum* Dei, qui protritus restaurari cœperit, sed *Idololatriam loco & nomine veri Dei e textu elicientes*, quo sensu invento & attributo, nimium est, quam glorietur & insultet versioni Luth. ( quæ priorem sententiam tuetur ) *Ritangelius* in solennitat. Festivit. Jud. p. 283. *Sel-*

*deno* cum ſuis ſe opponit *CL. Dilh.* Tom. I. Diſp. p. 83. *textus*, inquiens, *cohærentiam*, *profanandi ſignificationem* (licet concedatur הוחל ſeorſim, *per profanatum eſt*, exponi poſſe) *retinere inficiamur*. *In Targum Onkelos ipſe diverſam agnoſcit lectionem*, *ubi* לצלאה *pro* מלצלאה *legitur de Jonath. fide dubitant viri CL. Schick. Bech. Happ. Diſp.* 2. *p.* 29. *ſeq. Mayeri Phil. Sacr. p.* 2. *c.* 1. *adde Buxtorf. in Abbreviat.* רשבי & לת *Druſ.* de quæſitis per Epiſt. 70. *cum aliis*, *quamvis diſſentiat Helvic. de Chald. paraph. c.* 2. *Galatin. de Arc. fid. Cathol. l.* 1. *c.* 4. & quos addit, (omnino videndus eſt de hac re *Walton.* Proleg. de *Targumin* & *Chald. Lingua* §. 11. *Poſtellus*. *Fagius*, *Serarius*, de Rabb. l. c. 16.) *ſaltem hoc fateantur neceſſe eſt ipſum aliquam plurimas Judæorum fabulas textui ſolere affingere*; *quid igitur mirum*, *ſi & h. l. nugamentis ſuis paulo indulſerit? idem nonnulli de Raſchi ſ. Rab. Sal. Jarchi aſſerunt*, *Majer.* p. l. Phil. S. p. 417. *l' Empereur* ad Dan. p. 228. *Druſii* commentar. in Ruth. p. 30. *Schickardi* l. c. Addit porro, *Seldenum* de הוחל *in profanandi ſignificatione non probaſſe*, *quod tamen interpretibus probandum ſuſcepiſſet*. Qui litem dirimat diverſorum hujus dicti interpretum, *inſignem Philologum & Theologum Auguſtum Varenium* in Decad. Moſaicis p. 411. ad hunc locum audiemus, interpoſitis tamen ſubinde aliorum vel noſtra quandoque quali quali ſententia, is vero certis formatis concluſionibus ait: Concluſ. 1. Turbant illuſtrem locum commentatores Hebræi, ambiguitate verbi הוחל in errorem delapſi. Equidem *Chaldæus Onkelos*: בכין ביומוהי חלו בני אנשא מצלאה בשמא דיי: id eſt *in diebus illis profani fuerunt filii hominis*, *ut non precarentur in nomine Domini*: quomodo etiam Junii & Tremellii editionem priorem editam Londini anno 85. habuiſſe. (*Tunc cœptum eſt profanari invocando nomen Domini*,) teſtis eſt Druſius. At cum *Targum Onkelos* ex edit. Complut. & opere Hiſpanico Venetæ editionis errorem correxerit ſcil. i. e. בבן שריאו בני אנשא לצלאה בשומא דיי *tunc cœperunt filii hominis precari in nomine Domini*; idemque Junius & Tr. in poſteriori editione præſtiterint, illos in jus vocare nolumus.

Concl. 2. Ad tribunal autem Linguæ S. vocamus *R. S. Jarchium*, & *Jonathanem Chaldæum*, ipſumque *Davidem Kimchium*, qui omnes de *invocationis nominis divini pollutione* & *cultus publici* per idola profanatione locum interpretantur, tantum quod *Jonathan & Raſchi* de *nominibus idolorum ex nomine Domini* ſ. uti habet Jon. משם מימריה דיי ex *nomine ſermonis Domini denominatione idololatrica*, *ſpecialiter interpretentur*. Ita Raſchi: הוחל לקרא את שמות הארם ואת שם או העצבים בשמי של הקנה לעשותן עז לקרותו אל אלהות: *verba ſatis clara*.

Concl. 3. Quibus *opponimus* hanc concluſionem: Vox הוחל a rad. חלל non eſt מגזרת חילול ſed מגזרת תהלה i. e. *non notat hoc loco cultus divini profanationem*; ſed *ſolennem ejus redinſtaurationem*, & qua ritus, amplificationem, Docet id 1. *radicis* חלל in conjugatione tertia ſ. בניז הכבד הנוסף non niſi *in ſignificatione incipiendi*, unde Chaldæi interpoſito ת ſuum התחיל mutati ſunt (הוחל autem *in Hophal* nunquam habet *aliam*, *quam incipiendi ſignificationem*) uſurpatio: uti 2. *vocum deſpoſitio*, ſcil. in ſignificatione profanandi neceſſarius plane fuiſſet poſitus vel particulæ מ poſt הוחל in infinitivo: vel שם יי *ſ. nominis Domini*, *immediate* & ſine כ particula poſt verbum הוחל. 3. *Accentuatio*, maxime τȣ̃ *Sakephkaton diſtinctio*: cæterarumque vocum per analogam accentuationem conjunctio. 4. *Verbi* הוחל cum intercedente ל *infinitate* cum *infinitivo conſtructio*, quæ neceſſario vocem poſteriorem ſubordinat priori. 5. illius: קרא בשם יי *famoſa de publica nominis divini celebratione in Scripturis Hebraicis uſurpatio* & verbi קרא conjuncti cum nomine שם interced. particula, a ſimplici verbi kara & ſchem conjunctione, *diſtinctio*, vid. jam Geneſ. 12. v. 9. c. 13. 4. c. 21. 33. &c. Hic addas velim, *non minorem Theol. & Philol. Hakſp.* in Notis Philol. part. 1. p. 118. qui hanc *ſententiam probans* utpote textui commodiorem, in ea confirmatur, *quia* 1. *Moſes* hic loquitur *de Juſtorum*, non de impia Caini familia: 2. הוחל quando, cum ל ſequente conſtruitur, ut hic *in ſenſu initii*, *non profanationis accipiatur*. *Subjicit vero idem*: phraſin לקרא בשם *de invocatione Dei*, quæ totum cultum alias notare ſolet, ſed *de denominatione filiorum* Dei cum *Bonavent. Corn. Bertramo* in Lucubrat. Franckenthal. p. 2. 3. ſe exponere, ut ſit ſenſus: *tunc cœpiſſe filios generationis juſtorum a Deo denominari*, *quemadmodum ex collatione c.* 6. 2. *apparet*, (ubi tamen non vox יהוה ſed אלהים habetur, ut fortaſſe inde aliquis dubitandi anſam habeat & probandi, quod 4. concluſ. ſequitur) *ſic vocari nomine alicujus Eſ.* 48. *v.* 1. *& Geneſ.* 48. *v.* 8. *accipitur*. *Hactenus L. Hackſpanius*; *pergit Varenius*.

Concl. 4. *Verſionem Luth. hic aliis præ-*

*præferimus*: zu derselben Zeit fieng man an zu predigen vom Nahmen des HErrn / *vel in nomine Domini congregari*, *publiceque prædicare*, *Syrus*: תירין שרי למקרא בשמיה דמריא: *tunc cœpit invocare nomen Domini*. *Arabs* & *Samarit.* rectius: *cœptum est*: cum quo convenit *Græcus*: τότε ἤρχθη καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου, quasi *tum pii* ex *familia Seti* id quod prædicabant, nomen, sint professi, *& inde filii Dei vocati*: quod *primario* tamen hic notari, pernegamus: *subordinari*, qua rem *concedimus*. Trem. Tunc cœptum est invocare nomen Jehovæ, quasi dicat: *eo tempore ritus certos Deum colendi institutos esse*, *quos observarent Filii Dei* h. e. membra veræ Ecclesiæ. Profanatoribus Rabinis, Rabbinum sapientem (Abenezra, cujus verba Hebræa ap. Dilh. leg. l. c.) opponimus, ita ille: הוחל, inquit, est מפעלי הכבל *ex forma verborum defect.* 2. & litera *He*, nisi esset gutturalis, esset dagessata: *significationem autem habet incipiendi*, & sensus est, *quod inceperint publice prædicare s. precari in nomine Domini* &c. Vulgatum qui reddidit: *Iste cepit invocare nomen Domini*, corrigit *Lyranus*: *Litera*, inquit, *Hebraica sic habet*: *Tunc ceptum est* &c. scil. non dicitur זה החל sed אז הוחל *sic expedita sunt omnia*. Manet ig. id quod specialiter Enoschi nativitati Spir. S. subjicit, non est (1.) *horrenda* nominis divini per Idololatriam profanatio, (2.) *nec* prima cultus instauratio, *nec* (3.) ejusdem per Caini facinus turbati redinstauratio: sed *solemnior & frequentior amplificatio*. *Enoschum peculiarem aliquem cultum*, *& sublimiorem quam esset religio vulgi instituisse*, *ex illa primitate invocati nominis Divini probare conatur Bell.* 2. *de Mon. c.* 4. cæterum licet illud demus: *a cultu tamen alio*, *ad specialem solisque Votariis proprium*, *non valet consequentia*, & adeo *nec* exinde sequitur antiquitas, & quoad essentiam identitas votorum Monasticorum. Sed tam *facile* fuit Bellarmino ex Enoscho facere Monachum h. l. quam alibi ex Psal. 68. 7. probare Monachos l. 2. de V. D. c. 13. quia ibi illos יחידים per Μοναχοὺς voce generaliter sumta reddidit Aquila: *ita scil. soboles multa Monachis continentibus a Bellarm. vindicatur*. Pulchre nisi blaspheme. *Sic ex Enoscho* Bellarm. facit *Monachum*; Sanderus l. 4. de vis. Mon. cap. 3. 4. *Monarcham*: Pulchrum certe somnium *Monacho-Monarchicum*.

*Socino* verba hæc, de *publico Ecclesiastico cœtu*, *qui hic initium sumserit*, *explicanti Epist. p.* 411. *Epist. secunda* ad Arcissevium *Hacksp.* l. c. respondet, dicens: *non probabile videri antea non fuisse conventus sacros*, *quamvis a Mose non commemoratos*, *cum Abel & Cain*, *a parentibus edocti*, *sacrificia obtulerint*, *neque id credo*, *sine precibus*. Vid. præt. de hoc loco *Sixt. Amama* Antibarb. Bibl. p. 360. *Drus.* in Gen. c. 15. & ad fragm. vet. Interpret. Græc. *L'Empereur* ad *Kimchi* ὁδοιπορ. p. 215. Glass. Gram. Sacr. p. 235. & 304.

Nec adhuc ultro progredi possumus, novis subinde offendiculis ad divergia invitantibus, quæ intacta, si vel levi fiat digito, relinquere, nefas esset, postquam semel propositum est nobis Autoris ordinem sequi. *Cabala* itaque nos excipit, *quam justo latius*, dum scriptum quoque verbum complectitur; *accepisse* fortasse dixeris. קבלה enim, Græce, διδαχή, παράδοσις, ἀκοή, δευτέρωσις, ut definit Joh. Buxtorf. in Lexic. Talmudico p. 1953. *ratione Etym. acceptionem a* קבל accepit, *vi* vero sua מסורת *Traditionem divinam ἀγράφως acceptam* a Majoribus μακροβίοις, *profundissima legis Mysteria indagantem*, *de rebus divinis*, *angelicis*, *humanis*, *cœlestibus*, *idque variis rationibus symbolicis*, notat. *Hacksp.* Miscell. & de Kabb. Judaica p. 288. seqq. confer quoque *Gedal. Schal. Hakkab.* p. 6. f. b. & *Cosri* pag. 236. citante Hotingero, in Thesaur. p. 82. *Chemniz. Exam. Conc. Trid.* p. 1. p. 23. 29. 114. *Rivet.* Cathol. Orthod. p. 49. neutiquam *perfidum quendam hominem* & *diabolicum*, qui *multa contra Chistum scripserit*, *& a quo Cabbalistæ dicti fuerint*, ut nonnulli somniarunt apud *Joh. Pic. Mirand.* in Apolog. p. 116. *Capnion. s. Reuchl.* de arte Cabbal. p. 7. vel *scientiam materiæ primæ*, ut quidam *Patavinus* voluerit, *Thom. Garzon.* in Theatro p. 295. Hotting. thes. l. 1. cap. 3. sect. 5. p. 435. seq. qui (ut in transitu quædam libemus) קבלה *in specie* acceptam, sumi dicit ap. Hebræos (1. *pro* τρόπῳ παιδείας, quo Deus ab incunabulis mundi penes longævos, & Patriarchas, orali institutione salutaris suæ doctrinæ fuit usus, vid. Theophyl. initio Com. in Matth. Chrysost. Homil. 1. in Matth. (2. *pro lege ἀγράφῳ in monte Sinai* Mosi ad explicationem scriptæ data, seu ut ipsi Doctores loquuntur, תורה שבעל פה *lege ore tenus propagata*, a Mose scil. primo, deinde a reliquis Majoribus, quomodo *Joseph.* l. 13. c. 14. dicit νόμιμα πολλὰ παρέδωκαν τῷ δήμῳ ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται. *Multa tradiderunt legalia populo ex Patrum doctrina*, *quæ non scripta erant*: & a *R. Juda S. in unum corpus*, quod משנה i. e. δευτέρωσις *dicitur*, *compilata*, Talmudis non

ul.

ultima parte ( 3. *pro ſcriptis Propheticis*, vid. Buxtorf. in lexico l. c. ( 4. *pro ſcriptura divinitus accepta*, & oretenus aliis tradita. Scientia hæc arcana myſtice & ænigmatice proponitur. ( 5. *pro* סתרי תורה *Arcanis Legis*, *ſ. abſtruſioribus fidei capitibus*, quæ cuivis committere tutum non ſit, de quibus Maim. More Nevoch. p. l. c. 34. ex ſcriptis Rabb. ait *non tradunt ſecreta Legis niſi* ליועץ *Conſiliario* וחכם חרשים *ſapienti artificum* ונבון לחש & *perito Eloquentiæ*, & diſtinguitur in מעשה מרכבה *Maaſe Mereavab* ( non Marcona ut ap. *Cornel. Agrip.* de vanitate Scientiæ c. 47. p. 98. legitur ) *ſ. opus currus*, cujus ope Moſes omnia ſua miracula patrarit, vid. l. c. *Cornel. Agrip.* & מעשה בראשית *ſ.* κοσμολογίαν vel *Magiam Naturalem*, qualem noverit Salomo Rex. ( *6. pro Medicina Magica*, quæ juxta Sixt. Senenſem Bibl. l. 2. p. 60. parum aut nihil a Necromantia diſtat. vid. *Rabb. Mylleri* p. 55. *harum Cabbalæ ſpecierum originem* oſtendunt *quidam* in Paradiſo; Sic Reuchlin. libr. c. p. 8. 10. *alii in Moſe*; Sic *Joh. Picus* in Operibus p. 116. ſeq. vide *Bech. Happ. Schick* p. 90. quod tamen negat *Cunæus* de Rep. Ebr. p. 464. de putridis & deliris Judæorum nugis. *Alii Eſræ tempore* Paul. Fag. in Targ. Deut. 5. v. 27. quod tamen non niſi ſuppoſititiis libris probant. Vide de Cabalæ Autoribus Biblioth. Buxtorf. diverſis locis, non ultimus eſt liber יצירה *ſ. de Creatione*, qui opera Rittangelii prodiit Amſtelodami. Quicquid vero hujus ſit, Kabbala Judæis maximæ fuit autoritatis, unde in Talmude: דברי הקבלה כדברי תורה דמי *verba Kabbalæ æquiparantur verbis legis*, vide lib. *Ikkarim* Orat. 4. c. 44. *Gentibus non ignota*, quod *Reuch.* l c p. 22. 23. ex doctrina Pythagorica, cum Kabbaliſtica fere eadem patere ait, & noſter *Seldenus* libr. de Jure Gent. p. 14. ſeqq. teſtimoniis probat, Pythagoram, Platonem alioſque Philoſophos vel inter ipſos Judæos aliquamdiu habitaſſe, *vel ex doctrina eorum multa hauſiſſe aſſerens*. vid. *Grotii* in Notis ad de Veritate Relig. Chriſtian. Librum primum paſſim *Chriſtianis* vero in *veram* & *falſam diſtincta* per *veram alii ſcripturæ explicationem Anagogicam* eamque ſummam & innatam, non obtorto collo illatam: *alii Myſteria* de Regno Chriſti, ore ad os per ſucceſſionem tradita, quorum tamen ne apex quidem vel conjectura extat, & proinde perperam intelligunt, *omne enim quicquid ſcitu dignum fuit, in ſacris manifeſtum eſt*. *Falſum* aperte talem ( nec enim multo melioris conditionis eſt, quam veram dicere malunt ) Theurgicam illam Magiam ſuperſtitionis ῥαψῳδίαν, inventum Dæmonum, adeoque fontem & originem omnis Idololatriæ eſſe dicunt, *Cornel. Agrip.* l. c. *Conrad. Graſſ.* Exerc. 2. in c. 9. Daniel. p. 16. *in Practicam* porro ſ. מעשית Reuch. p. 64. l. c. quæ prorſus Magica & damnabilis, Exorciſmis, incantationibus, ἀμυντηρίοις &c. pleniſſima eſt, *Myll. in Rabb. p.* 55. Buxtorf. Lexic. p. 1851. & עכנית *Theoreticam* & hanc iterum in *tres ſpecies* dividunt, *quarum* I. גימטריא γεομετρία *quæ rerum ſymbola e dictionibus numero paribus* elicit, ut cum יבא שילה Gen. 49. 10. *veniet Schilo*, conficiat numerum 358. & משיח totidem valeat, *de Meſſia*, ac ſi dixiſſet, *donec veniat Meſſia* interpretantur: ſic quia צמח *Zemach*, Zach. 3. 8. & מנחם *conſolator*, ( quod eſt unum de nominibus Meſſiæ, vid. *Lexicon Buxtorfii* in Rad. נין ) itidem 138. valeat, *iterum de Meſſia* accipiunt, quomodo & *Chaldæus* in utroque interpretatus eſt. Vid. Buxtorfium in Lexico Thalm. p. 446. Bibl. Rabb. 62. & Autores jam citatos; hujus Cabbalæ *ſpeciem quandam eſſe volunt Ap.* 13. 18. *ubi Beſtiæ* ( Anti Chriſto juxta *Corn. a Lapid.* in comm. ad 2. Theſſ. 2. num. 69. ſeqq. *Suarez* l. 5. de Anti-Chriſto c. 19. num. 11. & 29. ) *nomen fore 666.* quem numerum olim Irenæ, l. 5. p. 335. in voce ΛΑΤΕΙΝΟΣ, calculo Græco adhibito oſtendit, ut λ. 30. α. 1. τ. 300. ε. 5. ι. 10. ν. 50. ο. 70. ς. 20. conjunctim. 666. efficiant. Vid. *Liſ.* Diſp. de Anti-Chriſto habita Witteb. 1643. *Wittaker.* in Reſp. ad Demonſtr. Sanderi, p. 675. 798. *quem numerum* etiam producunt רומייש *Romana* it. παράδοσις Gerh. de Antichr. p. 787. it. Ἐκκλησία ἰταλικὰ, *Wittak.* l. c. *& alia*, de quibus vide Theol. paſſim, imprimis *Clariſſ. Theol. Joh. Meiſn. Magnum Academiæ Wittebergenſis decus* in Diſputat. de Anti-Chriſto p. 132. ſeqq. *H.* נוטריקון *Notaricon* ( a notando ) *quæ circa literarum Myſteria* verſatur, *tum initialium* ( quæ vocatur ראשי תיבות ſ. *capita dictionum*: ) ut in reſponſo Abrahami Gen. 22. 7. אלהים יראה-לו initiales literæ dant איל arietem. Sic Geneſ. 49. verſ. 10. in citato יבא שילה ולו iterum initiales dant ישו ſ. *Jeſu*, quod obſervant *R. Paulus Elchanon* ex Judæo Chriſtianus *in Myſterio novo* & ante ipſum *Galatinus* l. 3. de A. C. V. *aliique*: *tum finalium*, ( quæ vocantur סופי תיבות ſ. *fines dictionum* ) ut in Exod. 3. 13. לו מה-שמו מה *mihi quodnam eſt nomen? quodnam? fi-*

na-

nales responderunt יוהה nomine Essentiali Dei III. תמורה *permutatio*, *cum Literæ dictionum transponuntur*, ut Exod. 23. 23. ait Deus מלאכי *Angelus meus Te præcedet* transpositis literis fit מיכאל *Michael*, *Angelorum princeps*, ut docet *Abenesra* Com. in h. l. vid. Ant. *Cregut Revel. Arcan.* c. 17. pag. 671. 679. & rectissime quidem, si, qui *Daniel* 10. v. 21. &c. 12. v. 1. adest, ὁ λόγος *Dominus cœli & terræ intelligatur*, indice *Kippingio in Auctar.* ad Pap. Hist. Eccl. p. 285. seqq. & *Exercit.* 47. descript. p. 431. *Sed priorem locum e Daniele nim. c. 10. v. 21. allegatum, non de Angelo increato intelligi posse ostendit*, ut omnia præclare, *Magnificus Geierus* ad cap. 10. vers. 13. Danielis & *Danh. Hodosoph.* p. 251. de v. 1. c. 12. alia est ratio, *quippe qui omnino de Messia in seculo benedicto intelligendus erit*. vid. *Laudatus Geierus* ad eund. l. p. 964. Sed *hæc de Cabala in transitu* dicta sufficiant, qui plura cupit, citatos autores adeat, & præterea B. *Danhauer.* in *Hermineutica* Sacra 36. 37. 38. seqq. *Idea Interpr.* p. 53. *Anti-Christosophia* p. 18. ubi in ludicram illam & aleatoriam invehitur, quæ ex quolibet fingit. *Glass.* part. 2. Philol. p. 402. seqq. *Petrum Crinitum* de honesta disciplina l. 25. c. 5. *Tholosanum lib.* 12. de Rep. c. 5. *Hornbeck.* disp. contra Judæos libr. 1. p. 90. seqq. *Joh. Leusden* in Philol. Ebræo Dissert. 26. *CL. Kipping.* in Exerc. 47. de Script. S. p. 435. *ubi longum horum Autorum Catalogum recenset*, postquam antea rem latius ipse diduxerat. Nobis hæc sufficiant, præsertim cum incidenter saltem in hanc rem a nostro proposito fere alienam lati simus ab autore nostro, *qui ex male intellectis*, vel *potius invidia Diaboli* & κακοζηλίᾳ *subinde errores, idola* & *id genus alia orta esse dicit*, cujus generis unum atque alterum adhuc addere animus est.

De natis ex *Thohu* Judæorum sapientibus materia, juxta *Michlol Jophi* apud Eruditissimum *Scherzerum* in Trifolio Orientali, p. 86. & *Bohu forma*, Phœnicum Nominibus ipse noster egit. An ex iisdem vero *Ægyptiorum quoque* & *Veterum Germanorum Theuth*, *Totht*, *Wotht*, *Wothan vel Wodam* (Ross. p. 203. seq.) nata sint, judicent eruditi, & videatur *Philip. Cluver.* lib. 1. Germ. Antiq. c. 19. p. 65. seqq. c. 23. pag. 159. seqq. c. 26. p. 182. 184. & perpetuo nobis citandus *J. G. Voss.* Idol. l. 2. c. 13. p. 374. *quo vix quisquam studiosius rem de Originibus Deorum gentilium congessit*, *is Wodam*, *Guodam* eundem monstrat esse cum Gode vel Gott/ Deus, derivatque acute a *Theut*, *Thot*, *Thoyt*, *Thout*, *sive Thuot*, unde *Wodam*; ut proinde parum recte derivaverit, alias acutissimus *Lipsius* qui *Wodam* quasi *Wonsdam a* Winst vel Wonst/ *lucro* dictum velit, apud *Doctiss. Saubertum* de sacrif. elimato Tract. p. 49. seqq. videatur & *Glandorpius* in lib. 6. Cæsar de Bello Gall. pag. 291. & de iisdem Idolis *Rich. Verstegan in the Restitution of Antiquities* Chap. 3. & diligentissimum *Georg. Kirchmayerum* in *Tacit. de Germ.* c. 9. p. 148. seqq. quibus hunc Deum Mercurium fuisse probat, quid porro effinxerint, docet *Interioris literaturæ illustre Decus Bœclerus*, Exercitatione in Flavii Joseph. Antiquit. Jud. Caput 2. libri 1. quæ 9. est in Diss. Acad. p. 420. seqq. Clarissimus *Georg. Hornius Hist. Phil.* l. 2. c. 11. quo fraudem diaboli complexus est in adulteranda sana & sacra historia, quid præterea nugentur de his vocibus, tangit magnus Philologus Hacksp. in notis ad Nizzach, p. 303.

Sic quæ *Exempla sacrificiorum* Gentilium conspiciuntur, sine dubio Gentes a Patribus accepta imitatas esse, Luth. asserit in c. 4. Genes. conferatur quoque Tom. 4. Jenens. Germ. fol. 336. & ostendit de tantum non omnibus sacrificiis Gentilium longa sed doctissima Disputatione CL. *Dilherr.* Tom. 2. de κακοζηλίᾳ Diaboli, cap. 2. *A pio parente Cainum Agricolam & Abelem pastorem sacrificandi modum didicisse*, nec ausu temerario injussuque Dei, (cui omnis ἐθελοθρησκεία exosa est,) *hunc primitias frugum*; *illum primogenita* de pecudibus earumque adipem, *tanquam figuras unigeniti Dei filii pro nobis mactandi*, obtulisse; nec tam absurde quosdam Patres *ex pellibus ovium* ob promissionem mactatarum Protoplastis *factas & indutas fuisse vestes* (*cujus coloris? Ursinus* conjicit, lib. 6. c. 15. p. 351. vol. 1. Analect. μηλωτῆς purpurei coloris fuisse) vel *propterea*, *ut deinde omnes sacrificiales pecudes typos esse*, *nec sine indumento innocentiæ Messiæ quenquam salvari posse discerent*, credibile videntur, vid. *Micræl. Syntagm. Histor.* Eccl. part. 1. lib. 1. sect. 1. quæst. 9. p. 12. de sacrificiis Cain & Abelis vide *J. H. Ursin.* l. 5. Miscell. a p. 250. 281. seqq. & quos citat longo Catalogo *J. L. Ruel.* in Tract. de Relig. *Gent. circa festa* pag. 68. *ab Exemplo igitur horum in genus humanum manasse Sacrificiorum varia genera* haud immerito existimant viri celebres, Vid. *Noster Seld.* l. 3. *de jure Naturali* juxta discipl. Hebræorum cap. 280. *Ex* Κακοζηλίᾳ, inquit, Rivetus Exercit. 42. in Ge-

Genes. *qua mundus in quibusdam* ( imo fere multis ) *solet imitari Ecclesiam*, *partim instigante Diabolo*, *varia sacrificia & ritus* ( sed depravati ) *etiam apud Ethnicos observari cœperunt*. Videatur Theologus de Orthodoxa Ecclesia meritissimus *Dorschæus in Messaria* contra Herbor. cap. 1. *Joh. Fabricius* in Cacozel. Gent. p. 2. c. 1. & CL. *Frischmuth*. Diss. de Sacrif. c. 2. qui *Bellarminum* l. 1. de Missa c. 20. cum Sociis ex lege naturæ orta esse sacrificia statuentes, acute refellit, citati modo *laudato Sauberto* l. c. p. 25. penes quem *jussu Dei*, *tum veri*, *tum falsi apud Ethnicos* sacrificia instituta reperies, & adde modo citatum *Ursinum* imprimis l. c. p. 272. seqq. sic *ex præcepto Dei ad credentium* Patrem Gen. 22. 2. ἀπὸ τῆς μαντέιας videntur sacrificia quæ ob certas causas, voluntate & jussu oraculi cujusd. peragebantur: *jussu* Apollinis Pythii, impietatis auctor Cyanippus; Pluti exorto hiatu illo pestifero & repentino in foro Romano nobilissima victima oblata, apud Plutarch. in Parall. *Curtius* scil. Vid. etiam *Valerius Max.* l. 5. c. 6. n. 2. pag. 483. Succidanea illa victima loco cervi occisi, Eurip. in Iphig. Ovid. l. 12. Metam. fab. 1.

Sic *Serpentis & seducentis* Gen. 3. & *sanantis* Num. 21. 8. memoria apud posteritatem superstitiosam culta & multa fuit, de qua infra. Vid. interim *limatissimum librum B. Danh. Theol. Consc. Part.* 1. p. 5. 6. ubi quod omittere coacti fuimus, doctius & pluribus ostendit & præclaræ diligentiæ Libellum de *Sacrificiis* crebro nobis citandum cap. 14. p. 331. seqq. *Sauberti* de Gentilium audacia in fingendis talibus, antiquum Scriptorem *Eusebium Pamphilum* sub initium l. 5. Opusc. p. 205. ex edit. *Jac. Sirmondi*; de maligno eorundem studio sacras pervertendi historias, *Mericum Casaubon*. in Tract. singulari Anglico, The Original Cause of Temporal Evils. p. 27. 28. Ignem ἄσβεστον, tabernaculum, arcam, propitiatorium &c. gentiles fuisse imitatos vidit *Edm. Dikinson in Delphi Phœniz. cap.* 11. Sic ex Mose in aquis servato, Exod. 2. 5. 6. per mare rubrum cum populo transgresso, Exod. 14. 16. radiantis ( & ex prava interpretatione Vulgati, vid. *Antibarb. Bibl. Amam.* p. 163. ) cornuti vultus, Exod. 333. 11. c. 34. 29. seqq. ignibus innocuis corruscante, cum suis inter serpentes illæso, Num. 21. 5. 6. cum serpentibus in Ægypto ludente, gentis suæ quasi matris ex tenebris, tribulationibus, & ergastulis Ægyptiacis, in terram melle & lacte fluentem, uvaque felicis soli teste invitantem vid. Num. 13. 18. 19. Deuter. 8. 7. c. 11. 10. Ezech. 20. 6. Duce, aquam e petra eliciente, tot victoriis cruentis illustri, hostibus panico quodam metu in fugam actis &c. *Bacchum Gentilium effictum accuratius hæc conferens credet*; Equidem ita *Vossius* censet lib. 1. Idol. c. 30. J. H. *Ursinus* vol. 2. Anal. p. 75. & *Kipping*. Recens. Antiq. p. 98. *Ursinus* quidem quendam *Magum* multa Mosis per meras præstigias imitari conatum, autumat; quicquid tamen sit, mira sunt, quæ de *Baccho Thebano* referunt, *& fere cum iis*, *quæ de Mose diximus conveniunt*. Meminit *Pausanias in Laconicis*, *Bacchum* cum matre Semele (quam ut *idem* refert in *Corinthiacis* ab inferis deinde reduxerit, vide Hygini Fabul. 251. ) statim post partum arcæ inclusum & in mare abjectum, sed divinitus servatum: in *Messenicis*, fontem Dionysiada e tellure thyrso percussa elicuisse; in *Eliacis*, Deum omnium maximum cultum, festo suo a sacerdotis sacello, cujus fores annulo obsignarent, vacuas illatas tres lagenas implevisse vino, quod quotannis sponte sua apud se per festos Liberi Patris dies manere referant *Andrii*. Cornu aureo decorum canit Horatius l. 2. Od. 19. Sidonius *Apollinaris* in Burg. Pontii Leontii, *cornua* addit, dum

*caput aurea rumpunt*
*Cornua*, *indigenam jaculantur fulminis ignem*,

canit, *aurea* vero, quia *radiantia*. Mare barbarum flectere Od. cit. *Horatius* cecinit præterea, quod *vetus Commentator Indicium esse vult*, quod superaverit Dionysius. Sed ille ad fugam ejus respexit, qua *Lycurgum Arabiæ* Regem, qui in Nyssa Baccho Bacchisque insidias struxit, effugit per *mare Erythræum*, quod & *Indicum* dicitur, ut *Antimachus* apud *Diodor. Siculum* l. 2. cap. 65. & Nonnus in Dionys. prodidere. Vide totam Od. Horatii, & confer cum Commentatore vetere, aliisque. Inter serpentes Ipsum Bacchasque sine noxa versantem, *vinique fontem lactis & uberes rivos atque truncis lapsa cavis mella*, reperies, *Euripides* in Bacchis Act. 3. *Ejusdem Mænadas petra thyrso percussa rorulentum laticem elicuisse*, *vini fontem excitasse*, *lactis flumina produxisse*, *passim ex hederaceis thyrsis mella fluxisse*, *ignem crinibus implexum* non *combussisse*: & Act. 2. *Captivas & carceri inclusas cum suo Baccho teneri nequivisse*, *compedes sponte de pedibus defluxisse*, *& patuisse fores custodiæ nulla mortali manu*: Sic

Bac-

Bacchum ipsum Act. 1. ait *quaqua pedem poneret, e terra fontes lactis, vini & mellis educere* ( ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι, Συρίας δ' ὡς λιβάνου καπνός, *manat niveo lacte solum, manat vino dulci & apum nectare: Syriæ thuris odor fragrat*) hostes denique panico metu fugare &c. vid. *Danb. Theol.* Consc. p. 8. seqq. ubi aliis Exemplis rem illustrat ex assumta e Paradiso *arbore scientiæ*, *Quercum Dodonæam* per columbas fatidicam; ex Mirjam, Debora, Hulda aliisque fatidicis mulieribus *Sibyllas*, ( de quibus nemo non scripsit ) factas esse probans. Ex Hebræorum *Ischa*, Ægyptiorum *Isidem* factam esse, & alia ex aliis, declarat *Maresius* in Refutat. Fabul. Præ-Adam. quæst. 1. §. 30. confer quæst. 3. §. 3. 4. 25. cæterum quid Præ-Adamitarum parenti respondeat *Danhavver.* vid. ipsius *Præ-Adamita*, ut pag. 101. de *Columba Noæ*, & *Siritu Sancto* Matth. 3. v. 16. *Dorsch.* Differt. 1. Hept. Diss. *Dilberr.* Disp. Tom. 2. Dissertatione de Cacozelia Gentilium, qua ex professo hæc μιμήματα ostendit. J. H. *Urs.* l. c. qui vol. 1. Anal. p. 219. ex singulari Diaboli artificio concinnandi scil. ex veris sanctorum virorum historiis mendacissimas fabulas ad seducendos homines & Dei gloriam labefactandam *Davidem* apud *gentiles* & *Turcas* Hotting. Histor. l. 1. c. 3. *in Orphea* transformatum *eademque eidem tribui, quæ Davidi spiritus S.* ostendit egregie, & mox p. 221. seqq. *Ex Sione* eadem μυελοτεχνίτου fraude factum esse *Parnassum*, quod non minus docte, quam late diduxit. Sic *Saturnus Dei simius*, ut multa alia mysteria ita & *summum Pontificem* imitando consectatus est in Ægypto, nam Ælianus lib. 14. 34. scribit Ægypti *sacerdotem eundem fuisse, summum Judicem*, ex cujus collo pependerit ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου quod vocatum fit ἀλήθεια. Simile *Diod. Siculus* l. 1. narrat de *summo Judice Ægyptiorum*, hunc nempe ex auro torquem de collo suspensum habuisse ζώδιον, hoc est, *sigillum* e *gemmis* pretiosissimis quod vocaverunt ἀλήθειαν. Adde Herod. l. 6. Nec meliori fato *initiandi modus sacerdotes* apud Judæos Lev. 8. 18. 19. 20. 21. 23. 28. &c. ( circa enim id tempus instituta esse Taurobolia refert Jonston. Polyhist. p. 59. ) *imo Christianos in baptismo* jussu divino institutus, a Diabolo inquinatus est & imitatus *in Tauroboliis* nefario isto orgiorum & initiorum ac consecrationum ritu, *quo vel expiandi & lustrandi mergebantur aquis, vel homo in scrobe profunda defossus taurorum, arietumque super pontili strato mactatorum sanguine proluebatur, eoque capite, ore, auribus, naribus, totoque adeo corpore excepta taurobolatus purus & in æternum renatus habebatur*, Vid. Saubert. de sacrif. cap. 22. 557. quod suo tempore Tertullianus notat l. de Præscript. advers. hæreticos c. 40. *Diaboli partes esse intervertendi veritatem*, scribens, *qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, in Idolorum mysteriis æmuletur: & hinc fingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lavacro promittit* ( vid. *Dausquejus* id adnot. ad Corinth. Calabr. p. 8. ) *& sic adhuc initiat Mythræ: sinat illic in frontibus milites suos*; & 1. de Baptismo c. 5. *Nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium sacris quibusdam per lavacrum initiantur Isidis alicujus aut Mythræ*, addere poterat *Cereris* aut *Proserpinæ*; nam & *Eleusinia minora* προκάθαρσις καὶ προάγνευσις τῶν μεγάλων, ad *Hilissum* flumen Atticæ fieri solita inter alios ritus etiam lotione constabant, hinc ille ὑδρανὸς Hesychii, ὁ ἀγνιστὴς τῶν Ἐλευσινίων, ait Reines. Epist. p. 621. 622. inde βόθρεια ἱερὰ intelligi posse, extra urbem ( Romam ) in *Circo Flaminio* celebranda in fovea ad id facta, quorum meminit Aristid. serm. sacro 2. nim. in cavum istud fossæ descendebant consecrandi & sanguinem tauri in superstructo tabulato multifori cæsi toto corpore excipiebant. *Julius Firmicus l. de* errore profan. relig. c. 28. meminit his verbis: *Taurobolium* vel *criobolium scelerata te sanguinis labe perfudit: lavantur itaque sordes istæ, quas colligis: quære fontes ingenuos, quære puros liquores, ut illicite post multas maculas cum spiritu S. Christi sanguis incandidet*, & *Ambros.* ad Val. de ara vict. *sacrificii vestri ritus est bestiarum cruore conspergi*. Sic & Ipsius *initiationis ritum* apud Judæos, *circumcisionem* sc. depravatam vid. ap. *Grotium* in notis ad Libr. 1. de V. R. Christ. p. 203. seq. in *Kippingi Recens. Antiqu.* p. 104. dum vates *semivir* ideo dictus.

> *Devolvit ipse acuto sibi pondera silice*,

scil. ut *Judæi* præputium Exod. 2. 25. Jos. 5. 2. 3. *cultro lapideo*, unde *Choulius: les Juifs en leur circoncisions usoyent de cousteaux de pierre* pag. 321. Vid. Saubert. de Sacrif. cap. 6. p. 135. *Mas. Comm.* ad h. l. *Maldon.* Tom. 1. Controvers. Theol. p. 35. De *Ægyptiis* aliisque populis, & qui ab his Canopi vernis accepisse dicuntur, *Colchis*, *Æthiopibus*, *Phœnicibus*, *Syris* &c. idem tradit sæpius citatus *Kippingius* in Auctario ad Pap-

Pappi Hist. Eccl. p. 229. 230. hæc & hujusmodi *plura* πιθήκων μιμήματα, ut Gregorius Naz. Orat. 1. πολιτ&τ. rituum Christianorum, Gentilibus propriam adfectionem vocat, peperit nequitiarum & mendacii Pater *in genuini sensus scripturæ S. depravatione*, ut si severo non liceret, fucato vultu θανάσιμα sua μελίκρατα incautis propinaret, mutatis historiis veris in meras fabulas, & mendacia, imo ipsum Deum. Inde ex *Jehova Zabaoth*, noster vult esse factum *Jovem Zabazium*, cujus *Valerius Maximus* meminit l. 1. c. 3. num. 2. p. 41. *Romanæ Inscript.* apud Gruterum in Volum. p. 22. *Appian.* in Fugg. p. 247. *Pighium* notis ad h. l. p. 6. quas repetit *Thysius notis* ad l. c. ex Valer. *M. Elmenhorst. notis* ad *Arnob.* l. 5. p. 165. nec perperam; de *Chaldæis vel ut* Thysius loco jam cit. exponit, *Assyriis* expulsis sermo est, quorum lingua *Zebaoth* sonabat, vel non multum diverse. Facile igitur *Sabatius* fieri potuit: consentit *Cl. Saubert.* de Sacrif. p. 335. & fortasse quoque verbum σαβάζω *cum ululatu grassor*; a quo tamen Clarissimus *Kippingius* Recens. Antiqu. p. 99. *contra nostrum Seldenum*, & *Schedium* de Diis Germ. p. 233. factum esse judicat *Sabazium*. Nisi quis a סבא, quod est οἰνοφλυγεῖν *vino se ingurgitare* (unde *sobe* סבא *perdite ebriosus*, & *Saba* seu *seba* h. e. סבא fit ut *Hebræis* dicatur, ac *Pœnis*, qui Indorum regionem primus expugnavit) cum *Heinsio* derivare velit, *Aristarcho* seu *Exercit. sacr.* p. 11. ubi latius & scitius totam hanc historiam de *Baccho* (a בכה *ululando* seu *lamentando* sic dicto,) exponit. Vid. & *Urs. Anal.* Vol. 2. p. 62. de Sabazio.

Ad Ἀνάστασιν digreditur, quam homini in *suscitando* (sicuti *nascenti* alium, alium *vagienti* &c. & actionibus longe levioribus *peculiarem Deum* ipsi præfecerant, exprobrante August. de Civit. Dei c. 11. l. 4.) *a Paulo Deam præfici* Athenienses suspicatos esse, refert *Danhavver. Polemos.* p. 221. seq. De *Astris* jam antea quædam diximus: quod vero *per eadem juraverint*, noster probat. De *sole* teste advocato *Apulejus* testis est *Metamorph.* I. pag. m. 4. *Ovid.* lib. 3. Metam.

> *Per tibi nunc ipsum (neque enim præsentior illo*
> *Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre*
> *Quam veri majora fides.* *Æschylus.*
>
> Καὶ παντόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ.

& *Julianus Misopog.* καὶ τοῦτο μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοῦτο ἀπιστοῦντας. *Philostr.* 6. 4. καὶ ἐς τὸν ἥλιον καταβλέψας, ὄμνυ αὐτὸν &c. *apud Orphea* etiam legas οὐρανόν σε ὁρκίζω, *Cœlum Tibi juro*: *Euripides* Ægeus præeunte Medea:

> Ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς,
> Θεούς τε πάντας, ἐμμενεῖν ἅ σου κλύω.

*Latinus* apud *Virgilium* l. 12. *Æn.* omnia sidera jurat.

> *Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:*
> *Hæc eadem Ænea*, inquiens, *terram, mare, sidera, juro.*

Sic impurus *Muhammed* in *Alcorano* suo *per solem jurat, per lunam, astra, igneum splendorem* &c. cujusmodi *jusjurandum* permittit *Philo* libro περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων allegante *Dilberro* Tom. 1. disp. p. 187. quem omnino videas, verum severissime Deus tali interdixit, & omni temerario apud *Matth.* c. 5. 34. 35. 36. & jam ante *Exod.* 23. v. 13. licet *nihilo secius per Deos alienos*, *per Molochum Deum* Soph. 1. v. 5. Vid. Drus. l. 9. observ. 10. add. *Nicol. Henelii Otium Wratislaviense* c. 15. p. 114. ubi de solennitatibus, elevatione manus in cœlum & aliis docet.

Hæc cum nostro Seldeno, cum quo quam *de Cœlo in terram* descendamus, prius *Lunam* juxta *Solem Germanis* (ut refert *Jul. Cæsar* de Bello Gall. l. 6.) & *multis aliis nationibus* cultam, quod supra fecissemus, nisi ex transverso quædam interjecta nos retinuissent, lustrabimus. Est vero *hæc eadem quæ Diana* & *Proserpina*, & ut Rossæus in 's werelds Godsdienst. p. 192. addit, *Hecate triceps*, pro *triplici ejus facie*, & *in decremento*, *Juno*, *Ceres* & *Venus*. Vide eundem p. 207. & pag. 204. ubi de Germanis ait: Op eerden de Maan onder de gedaante van een een Djow met eenen hoeden Roth, en een Hap met lange Doren, met de af beeldinge van de Maan op hoeren hoost, &c. Vid. *Apulei. Metamorph.* l. 11. p. 238. seqq. & propterea *Diana* in *manu facibus*, *ad Cereris matris exemplum* & *Luna infra vel supra picta* ostenditur in *Thesauro* numismatum Tab. 39. n. 3. 4. 5. ab *Abrah. Gorlæo*, & *Joh. Jac. Chifletio in descript. Vesontionis* p. 1. cap. 23. *Tyriis* est *Astarthe*, quæ cum *Astaroth* Jud. 2. v. 19. 2. Reg. 23. v. 13. coincidit; *Babyloniis* μύλιττα, *Persis* & *Medis Anaitis*, *Arabibus Abilat* seu *Alitta*, κατ' ἐξοχὴν *Dea*, Gol. Lex. p. 144. *Ægyptiis Isis*, *Aug.* de C. D. l. 18. c. 5. adde ibid. *Vivem*, *Pierius* l. 39. Hierogl. cap. 3. *Casal.* lib. *de Vet. Ægypt. ritibus* c. 14. *Græcis* ἄρτεμις vid. *Lucian.* de *Dea Syria*.

*ria*. *Herod*. l. I. *Strabo* lib. II. *Pausanias* in Laconicis Diod. lib. I. Bibl. de qua *infra* pluribus noster agit, & quædam fortasse addita visenda erunt. Quod defectum ejus attinet, quantus tum fuerit *gentilium timor*, quantaque trepidatio, vel ex *Tacito* I. Annalium constare poterit. Et quando deficiebat, ejus lumen æris sono & tubarum, cornuumque concentu revocari posse, gentiles sibi persuadebant. Vid. Jac. *Andreas Crusius* de nocte & nocturnis officiis, cap. 4. p. 106. 107. præter *Comment in Virgilium*, & fere multos veterum hanc consuetudinem prodentium. Hic saltem, quod sicuti stulta mortalitas olim juxta *Diei præsidem noctis* quoque *Lunam*, utpote inter planetas terræ proximam, vid. *Hevelius* in *Selenographicis* p. 202. & influxu suo notabilem coluit; ita etiamnum a multis fere omnium terrarum partium colatur, notabimus. Ut mittam nunc *Irlandos* seu *incolas Hyberniæ*, qui, referente *Autore* de *statibus Imperiorum de Hybernia* p. 44. *se mettent a genoux en voyant la Lune nouvelle, & disent en parlant a la Lune:* Laisse nous aussi sains que tu nous as trouvez. *Ita nos salvos degere sinas, sicuti nos invenisti &c. Ab Indis* adoratur sub nomine *Schendra*, *Roger*. in Jan. p. 331. *visibilis* in capite *Esvvara* Dei, fortasse ad imitationem *Dianæ*, vel *Turcarum*, vel *Moabitarum* olim, Jud. 8. 21. & 26. a quibusdam *Goensibus Arch. Cosma*. l. I. p. 249. vid. de *l' Estat du Roy d'Espagne* p. 236. ubi dicitur, *quod plusieurs adorent le soleil & la Lune, recognoissans toutefois un seul Dieu, Createur de toutes choses, &c. Guzaratensibus, Mich.* Herz Nov. orbis c. 140. *a multis insulis*, *Java Majore*, *Moluccis*, *Philippinis*, *Vartom*. VI. 20. *Mandelsl*. l. 3. p. 223. *Ross*. 172. *a Sveciæ populis* subpolaribus *Nova Zembla*, *Catainis Tartaris*, & *Samojedis*, *Olaus* Magn. III. 2. *Olear*. Itiner. Pers. III. 3. pag. 163. *Arnold*. Append. 558. c. 3. *Boem*. II. 10. p. 105. *de Africanorum & Nigritarum maritimorum* vid. Kirch. Tom. I. Oedip. Ægypt. f. 5. c. 4. p. 416. *Barlæus* de rebus gestis sub Maur. pag. 62. de *Conganorum*, *Anzicbarum*, *Americanorum*, *Floridanorum*, *Mexicanorum*, Selenolatria, vid. *Lind*. p. 1151. *Ross*. 169. 197. & 208. *Kirch*. l. c. p. 422. *Gottfr*. *Historia* Antipod. P. I. p. 30. *Laet*. IV. 16. pag. 218. 316. & nemo non Geographorum, *Lunæ* & *siderum* cultorum affatim afferentium: nec enim *reliqua astra*, inprimis *stipatores* seu *Planetas*, plane ex Templis Deorumque numero deturbatos esse produnt iidem. Ut nihil dicam de *Cometa*, in Cæsaris nummis *Divinitatis ejus*, ut volunt, *indice*, vel *cum effigie ipsius*, *vel sine ea*; ut *Svetonius* refert in *Vit. Cæs*. c. 88. vid. & ibid. *Bernegg*. p. 232. pro *Cæsaris anima habito*, & hac de causa simulacro ejus *in vertice* addito, *vel solo in nummis posito*, cum inscript. *Divus Julius*, quem etiam sistere debuit, vid. Plin. l. 2. cap. 25. *in deliciis* hanc stellam deinde *Augusto* fuisse, argumento est, quod & in *Galea*, teste *Servio* ad Virg. l. 8. & *in Clypeo* depictam habuerit, teste nummo quodam *Augusti*, in quo *Venus Victrix hastam puram & galeam tenens columna innititur* adjacente *Clypeo*, qui *pro insigni* habet *stellam*, cum Inscr. *Cæsar*. *Divi F*. incidit hic *stella de Jacob*, meliores deliciæ Numer. 24. v. 17. sed ad *Planetas*, qui *Hispaniolæ* incolis quibusdam & *Canibalibus*, *Magellanicis* &c. adorentur, testibus *Martyr*. l. I. dec. I. p. 7. *Acost*. l. 5. c. 4. p. 145. seqq. *Moseman*. l. 3. p. 86. *Saturnus* sub nomine *Maglente*, q. d. *fulmina vibrantis Philippinorum* cuidam Sectæ. Vid. Kirch. l. c. cap. 4. p. 413. & *Lucifer* quorundam opinione *Americanis* Gottfr. l. c. De *sideribus* progredimur, sed passibus citis ad *Elementa*, *quorum quadrigæ* sacra faciunt *Tartari Cataini* & *Siamenses* Vid. Boem. de iisdem l. c. *Boterum*, l. citando. *Ross*. 157. *Principi-Igni* Persarum incolæ *Garoyazdy*, ut olim, *Schick Proœm*. *Tarich*. p. 25. & p. 126. 128. *Gentius* notis ad *Rosar*. p. 533. citat. *Hotting*. Hex. p. 132. certe *Regibus* prælatus Curt. l. 3. c. 3. *in aris argenteis*, *castris* quocunque moverent, pro more regibus Asiaticis communi, quo ignem sacrum præ se ferri receptum erat, *Ammian*. *Marcell*. l. 23. derivato ad Romanos *Imperatores* ostendentibus eundem *numismatis* veteribus, in quibus *ante faciem Regis vel Imperatoris* R. *flamma ardens conspicitur*, cujus generis me vidisse memini apud *Insignem Antiquarium*, & *horum doctum æstimatorem*, *plurimum Reverend. Dn. M. Heinricum Meierum*, Symmistam Lipsiens. e cujus singulari in hac re supellectile me nihil ob penuriam temporis & absentiam in præsens schediasma conferre posse doleo. Loca quædam animadversa sunt ap. Herod. lib. I. 2. 7. vide *num allusum sit ad hoc*, *vel ab hoc ad illud Joel*. 2. v. 3. *ante faciem ejus ignis vorans*, *Ægyptii* statuebant ignem θηρίον εἶναι ἔμψυχον καὶ πάντα ἐσθίειν Herodot. l. 3. vid. Urs. Vol. I. pag. 72. Sic *hodie*, *Hotting*. Thes. p. 57. Dn. *Pfeiffer*. *in fasciculo Dissert*. pag. 91. seqq. *Roger*.

*Jan*.

*Jan. Reser.* p. 184. ubi in notis conjiciendum relinquitur, *an error sit*, *ex Deut.* 4. 24. Deus *vester ignis consumens est*, & *Append.* ad Jan. *CL. Arnoldi* pag. 860. ex Procop. l. 2. de bello *Pers.* & *Strabone* l. 15. addatur *Petr. Greg. Tholos.* Syntaxis Artis mirabilis lib. 35. c. 5. quod tamen *Olearius* negat oculatus testis, unde, si quæ adhuc, reliquias Pyrolatrarum irridere hoc *Persico proverbio*, dicuntur moderni אנר כר כאל אחש פרוזר אבר יכרם אנררו אצחר בסוזר: *Liber Gaber* ( sive Kebber juxta Olearium l. c. *Ignicola* ) *per centum annos accendat ignem*, *tamen si vel semel in eum incidat*, *comburitur*, *Levin. Warner.* in Prov. Pers. §. 2. cit. *Hotting.* l. c. *certe adhuc Virginienses*, *Laet.* III. 18. p. 84. *Lappi*; *teste Damian. a Goes* in descript. Lappiæ: de Chersonesi aureæ incolis disputatur & dubitatur. Vid. *Constant. L'Empereur* notis ad *Tudel. Itiner.* p. 215. seqq. Ipse *Tudel. Itiner.* p. 108. seqq. *Ross.* 193. Nec *aeri* divinitatis honos negatus, datus a *quibusdam Gentibus*, Voss. II. 84. p. 729. & quibusdam *Chilensibus*. Lind. pag. 1134. Huc *pertinet Ventorum* cultus, non solum *veteribus in Æolo* aliisque Diis; sed *citra hos frequentatus*. Vid. Euseb. l. 1. de Præp. Evangel. de *Persis* & *Phœniciis*, & templo in honorem ventorum extructo, de *Græcis Herodotus* refert, quod τοῦτο ἀνέμους ἱλάσκονται, sic βωμὸς ἀνέμων, in *Sycioniorum* urbe *Titane*, & sacerdotis ἐμερομένης ἢ πνδαμάτων τὸν ἄγελον *Pausan.* l. 2. & *aræ Boreæ extructæ*, Plato in *Phædro*, *Circio Deo* aræo, ab Augusto erectæ *Senec.* l. 5. *Quæst. Nat.* cap. 17. *Zephyro* oblatæ victimæ Virg. lib. 3. Æneid. primi apud Orientales, Sanctorum, *Seraii Hachim*, ventorum compotis *Thom. Roe*, regius Legatus ad *Magn. Mogul.* destinatus *Jurnael* pag. 14. meminerunt, vid. Voss. l. 2. de Idol. cap. 1. *nedum Aquæ imperiosissimo Elemento*, & ut Thales voluit, nec procul absunt Stoici, *omnium rerum* primo, vid. *Senec.* lib. 3. *Quæst. Nat.* cap. 13. *Rog. Jan. Reser.* p. 222. *Ægyptiis* in Canopo non tantum, Suid. in *Canopus*. *Gyral. Syntag.* l. de Diis Gent. cujus imago ex Ægyptio silice facta gemina, *altera* in palatio Farnesiorum; *altera* in ædibus *Jac.* & *Anton. de Bosiis* ostendatur, narrante *Casalio* lib. de vet. Ægypt. ritu. c. 14. & *depicta in Arnold. Append.* p. 899. visitur; sed & *in Nilo* & alias superstitiosissime culto, testibus *Plutarcho* lib. de Is. & Os. *Jul. Firmico* de error. prof. relig. *Ægyptii incolæ*, inquiente, *aquarum beneficia percipientes*, *aquam colunt*, *aquis supplicant*, *aquas superstitiosa contentione venerantur*, & *Athanasio*, qui: ἄλλοι ποταμοὺς καὶ κρήνας, καὶ πάντων μάλιστα αἰγύπτιοι· τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι καὶ Θεοὺς ἀναγορεύουσι, ait, orat. *contra gentes*. Quiritium populus *in fontibus* suspiciebat, Horatius l. 3. Od. 13.

> *O fons Blandusiæ, candidior vitro*
> *Dulci digne mero; non sine floribus*
> *Cras donaberis hœdo*,

*quia*, ut ejus rei causam non rejiculam dat Lipsius notis ad c. 26. Panegyr. Plinii, *opinio prisca erat fluvios* & *fontes minores esse Deos* i. e. *genios*. Unde in *Inscriptione Vescaniæ* in Hisp. *Fonti Divino* apud *Grut.* p. 95. & *Petr. Appian.* in *Fugg.* p. 175. in hac egregia.

LIMPHÆ. MARI. SACRUM.
SI. HUMANO. INGENIO. PERPETUO. VIATORIBUS. PARARI. VINA. POTUISSENT.
NON. AMOENUM. QUEM. CERNITIS. FONTEM. QUARUM.
FONTEM. C. LEPIDUS. MAGNA. IMPENSA ADAUXISSET.
POTA FELIX.

ut videtur circa ultima verba minus dextre expressa, legitur; Et poetæ *fluvios appellant sacros*. Vid. *Horat.* l. 1. Od. 1. *Juv.* Sat. 3. *Sen.* Ep. 41. *magnorum fluviorum capita veneramur*, *subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet*: *coluntur aquarum calentium fontes*, & *quædam stagna*, *vel opacitas*, *vel immensa altitudo sacravit*. *Et in quibusd. navigare vetitum &c. Plin.* lib. 8. *nulla in hoc navis* ( sacer enim est ) *sed insulæ innatent.* Vid. Tacit. l. 14. Annal. & Edecumatum *Saubertum* de sacrificiis p. 118. c. 5. ubi propter Nymphas fontium præsides, fontes sacros dicit. Sic in loco *originis Rheni* posterioris in monte *Avicula* quondam sacellum *Nymphis dicatum* fuisse, cujus adhuc vestigia cernantur, refert *Joh. Bap. Plantini* in *Helvetia* Antiqua Nova pag. 58. & *de Rheno* a Germanis veteribus teste Tacito in Historia honorato; CL. *Rupertus* Diss. ad Valer. Max. p. 69. seq. *Sacra* igitur *aqua* erat Romanis; nec tamen *Persis* neglecta, qui θύουσι καὶ ὕδατι καὶ ἀνέμοισι, ut *Herod.* l. 1. vel τιμῶσι δὲ καὶ ἀνέμους καὶ ὕδωρ, ut *Strab.* lib. 17. loquitur, & *Romanorum Neptunus*, *Scytharum* & *Celtarum Thamimasades*, sed uterque *Deus aquæ fuit Herod.* l. 4. sacra quoque veteribus *Saxonibus*, qui, juxta des *Estats du l'Empire*, *adoroient les arbres fort verds fueillez & chargez de branches*, & *pareillement les belles fontaines*, &c.

Pe-

*Peruani* vel in *Mari honorarunt* aquam Deum ſub nomine *Mammacocha* vel *in fontibus* & fluviis *Joh. Acoſta* l. 5. c. 2. &c. Harum Larvarum aſpectu horrendarum umbras, inque iiſdem Indorum ſtoliditatem mirare *depictas* in ſæpius citata *appendice* pag. 954. ſeqq. *Bengalenſium* flumen quoddam quaſi paradiſo flueret, & fontem, *Roſſ.* p. 160. *Virginenſium* aquam ipſam *Laet.* III. 18. p. 84. *Mexicanorum* itidem fluentem quoddam Roſſ. 202. *adorantium impiam pietatem* referunt, refertur & ab aliis, ſc. ut *Sapiens* jam ſuo tempore exprobravit ſuperſtitioſo orbi ( Sapient. ) cap. 13. verſ. 1. 2.

*Ad terram trahimur*, propter eximia merita *matris nomine* honoratam, Plinius H. N. 2. c. 65. *cur non & Terram*, inquit *Plotinus*, *ſentire dicamus*? omnino ſciendum *Terræ animam non cenſeri abjecti cujuſdam eſſe corporis*, *eam proinde intelligere*, *atque inſuper eſſe Deam*, *Cœl. Rhodig.* l. 18. p. 18. neque *Matris* ſolum, ſed *Magnæ* quoque ( alio nomine *Veſta priſca*, *Apis*, *Cybele Bona Dea* dicta, ut plurimæ Inſcriptiones teſtantur, ap. *Janum Gruterum* in Volum. p. 27. 28. 29. 30. 31. ) *ob nimiam*, quam præſtat, *utilitatem*, quid? ortum diverſorium dum vivimus, & dormitorium poſt vitam feſſi corporis, ad quod divertitur, *Syrach.* cap. 40. verſ. 1. donec ad meliorem vitam reſuſcitatur. Unde παμμήτωρ gentilibus, *μήτηρ πάντων Appoll. Tyan. ep. ad Aſpendiorum dardanarios*, & *ſacris Scriptoribus* Eccl. l. modo citato *Syneſ.* ep. 147. *hominumque æterna creatrix Statio* l. 8. Theb. v. 304. qualem etiam *Mexicanos* habere ſcribit *Boterus Relatione Univerſali* Part. 4. l. 1. his verbis: *I Mecioacani, popoli della nuova Spagna, anno notitia del principio del mondo, della formazione dell' uomo di creta, e del Diluvio, ma con mille ſciocchezze. Credono che li Dei ſuperni, fecero le coſe celeſti, e gl' inferiori le terreſtri: e pongono una Dea Madre di tutti li Dei*, *unam matrem omnium Deorum*, qualis hic eſt Statio: ſed *alma parens Virgilio*, & *Summa Parens* ap. *Reineſ.* in Inſcriptione hac quam exhibet & exponit Epiſt. 630.

MATRI. DEUM. MAGNÆ. IDÆÆ.
SUMMÆ. PARENTI. HERMÆ
ET. ATTIDI. MENOTURANDO.
INVICTO. CLODIUS.
HERMOGENIANUS. CÆSARIUS.
V. C.

*ſic & in alia* quam a *Felice Oſio* Prof. Eloquent. Patav. acceptam *Laur. Pignorius* Diſſert. de Magnæ Matris Deum & Antidis initiis inſeruit: item *Salmaſ. Comm.* ad *Lamprid. Heliogabal.* in qua *priore* num recte conjectura aſſecutus fuerit, *Hermæ* pro *Hertæ* poſitum eſſe, errore facili, non dijudicato, haberent fortaſſe ( qualem & ipſe ſufficit ibidem ) docti anſam dubitandi. Certum interim eſt, *Hertham nomen Telluris* eſſe. Gentes enim poſtquam a vetuſtiſſima vera religione Patriarcharum, vero Deo ex fide in promiſſum Meſſiam ſacrificantium, ad Idolomaniam, cum cæca ſacrificiorum κακοζηλίᾳ, defeciſſent, & primævam connatæ de Deo Uno vero notitiæ puritatem infeciſſent, *elementa* e quibus omnia coaluiſſe arbitrabantur; & *inter hæc* quoque maxime Terram πρεσβυτάτην θεῶν, *Procl.* in Platon. Tim. l. 4. *naturæ partem*, *cœlis ſuppoſitam*, *e qua origo ipſis*, *& in quam ſoluta revertereentur omnia*, *vel pro Numinibus*, *vel pro Numinum ſymbolis coluerunt*, *ſed quævis ſub appellatione ſibi propria*, inquit Magnum nuper Lumen & Decus Germaniæ *Reineſius* Epiſt. l. c. *Nomina Deorum diverſa: pro diverſitate linguarum*, *ſed res eadem*, *Boxhorn.* Quæſt. Rom. l. Græci, Romani, Barbari ſub *Rheæ*, quod Latinæ *Opis* eſt, *Lact.* l. 1. Inſt. c. 13. p. m. 73. *Cybeles* & *Iſidis* nomine, Bocat. l. 1. genial. Deor. c. 8. *Germanicarum gentium natio*, Suevi Aquilonares ſub *Herthæ* vel *Herthi* ita *Tacit.* l. de moribus Germ. & , ſive poſteri horum, ſive ſucceſſores in portubus trans-Codaninis *Dani*, ſub *Erdtæ*; unde prope *Lethram regionis Selandiæ*, *inſulæ* fertiliſſimæ locum, regum Balthæorum ſedem, hodieque in luco amœna vallis Ertethal/ ut putatur, dicata olim Deæ Erthæ, ipſo nomine ſupereſt. Worm. l. 1. Monum. Daniæ c. 5. igitur potius ab Erd/ Terra, quam Herz dominus, quæ eſt frigida, ut vocat *Reineſius*, Viri docti apud Belgas ſuſpicio. Euſtath. eo collimare interpreteris, qui ῥέαν vult ἔραν, ὅ ἐστι γῆ, quaſi Eram, quod eſt terra, ſive ab *Hebræo* ארץ, ſive *Chald.* ארעה; vel *Germanorum* Erd/ formatam, aliam tamen adfert *Roſſ.* p. 194. qui *Rheam* ἀπὸ τοῦ ῥέειν *a fluendo Cererem* a גרש a fructu &c. dictam, & ſedentis, coronatæque virginis imagine, antiquis cultam dicit. De ejus in urbe Roma æde lege *Plin.* l. 39. c. 9. *Val. Max.* l. 6. c. 3. *Lactant.* Inſtit. l. 1. pag. 131. eam *Perſas* coluiſſe, *Herod.* in Clio; *Scythas*, *idem in Melpomene*, penes quos magnum jacere *Zlota vaba* i. e. *auream anum ſ. vetulam*, Michovv. l. 2. tr. 2. c. 1. Olaus Mag. de Gentibus Septentr. l. III.

c. 1. narrat. *Borerus Relationis Univerſ. Part.* 3. l. 2. non procul ab initio p. m. 101. hæc de hac vetula narrat. *Alla bocca del fiume Obio, ſi vede un idolo antichiſſimo in forma d' una vecchia, con due fanciulli, uno in braccio, e l' altro a piedi, che i Paeſani chiamano in lor lingua, Vecchia d' oro. Lo adorano i Jugri, gli Obdoranii Condorani, e gli offeriſcono pelli pretioſe, e li ſacrificano Cervi, aſpergendo del lor ſangue la bocca e gli occhi dell' idolo*. Germanice verſa hæc legi poſſunt apud *peritiſſimum Arnol. Append.* p. 542. ubi tamen id notare debeo; aut virum doctiſſimum alia verſione uſum eſſe, cum ibidem liber 3. partis ſecundæ citetur, ſed contra reperitur, ſicuti & alia pagina apud me; aut mendum incuria irrepſiſſe typothetarum. *Evam an Tellurem* dixeris dubitandum, adoratam tamen eſſe ab accolis & terram a variis aliis adhuc coli *Voſſio* de Idol. p. 283. & dictis autoribus aſſerimus: confundi cum Luna patet e *Reineſ.* Epiſt. 65. quicquid hujus rei ſciri potuit, congeſſere *Gyrald* Syntagm. de Diis, 4. pag. 139. *Natalis Comes* in Mytholog. Collector antiqu. Rom. *Roſinus* l. 4. c. 4. *Demſterus* ad l. 2. cap. 4. *Vinc. Cart. le imagini de gli Dei de gli Antichi* pag. 190. *Pignor.* l. c. *Voſſ.* l. 1. c. 20. l. 2. c. 52. ſeqq. *Alard. ad* l. 8. Val. Flacc. Ad hujus culturam, *Montium* quoque pertinet, qui Dii exiſtimati *Carmelus*, *Amanus* & alii, vid. Voſſ. l. c. cap. 5. *flores*, *arbores*, cap. 38. 39. *Stuck.* f. 23. *Maim.* lib. *Akom.* c. 8. §. 1. הגוים העובדים את ההרים ואת הגבעות האילנות הנטועין מתחלתן לברוח ואת המעינות הנובעין לרבי: *Gentiles venerantur montes, colles, arbores primo fructuum cauſa plantatas, fontes in publicum fluentes*. Conjungendi hic eſſent Dii Deæque ab his ortum trahentes. Nam ut *Aurel.* l. 1. contra Symm. cecinit.

> *Quicquid humus, pelagus, cœlum mirabile gignunt,*
> *Id dixere Deos, colles, freta, flumina, flammas.*

Et *Boxhorn.* Oratione de Theolog. paganorum ait: *tot prodiere Dii, quibus recenſendis non ſufficiunt omnes numeri arithmeticorum*. Sacerdos illa apud *Virgilium* l. 4. *Æneid. tercentum tonat ore Deos*: *Heſiodus* teſte *Euſebio* 3000. ut Auctores ſunt *Cicero & Lactantius* vid. *Hotting.* ex Schalſch. hakk. pag. 94. b. *in Smegm.* Orient. p. 323. *Auguſtinus* 300000. *idolorum* numerat, adeo ut numerus ſemper *Zifra* creverit, nec temere quis poſſet

> *Vatibus ut mos eſt centum ſibi poſcere voces,*
> *Centum ora, & centum linguas optare.*

*Lapides, & ligna, & truncos, & metalla, & herbas, & beſtias, & alios terrigenos Deos*, *Deaſque* quibus tot ſacrificarunt gentes, tot populi, tot civitates, tot familiæ, tot homines, recenſiturus, quod ut vires has, ſic paginas, propoſitum & tempus excederet, vid. interim *D. Gerhard.* Umbra in Luce, c. 1. §. 35. ſeqq. ubi de his omnibus ſingulis agit; Nec enim omnia perſequi datum & conſtitutum fuit, & noſter Seldenus ipſe, quem ſequi par eſt, ad *alterum Deorum* genus contendit, *locoſque Levit.* 16. *v.* 7. imprimis *Deuter.* 32. v. 17. expendit, de quibus præter *commentatores*, *Calov. Crit.* Sacr. pag. 534. *Bangius Cœlo Orient.* p. 62. *Hornbeck.* contra Judæos p. 305. quo loco *Menaſſe confutat*, qui שרים a שדה campo derivat, ( quo reſpexiſſe noſter Luth. videtur hic, & Eſ. 34. verſ. 14. Feldteufel at Eſ. 13. verſ. 21. Feldgeister / textus, in quibus tamen non eadem vox eſt, reddens, niſi *Satyros*, *Ruſticanos Deos intendiſſe* putes, de quibus *Kipp. Recenſ.* Antiq. p. 130.) quia plerumque agunt in locis deſertis, quare & in *Probl.* p. 89. & 90. שרים ſcribit, aliter ac ubique & in Bibliis a ſe impreſſis legitur, שרים: cum שדה punctum habeat in ſiniſtro cornu, ש; שרים vero in dextro, ut oſtendit. In *priori loco Dæmones hircis* exprimuntur interpretibus, quorum forma imprimis *Majeſtatem aliquam ſibi apud ſuos conſtituturi*, ut in nocturnis ſagarum miniſteriis comparere ſolent, vid. *Nicol. Remig. de Dæmonolatr.* l. 1. c. 23. an fortaſſe, *quia ſtulta mortalium eaque pervetuſta erat opinio, Pana, Deum heſſe naturæ*, unde τὸν τῆς ὕλης κύριον, *herum materiæ* & κόσμοιο τὸ σύμπαν *totum hoc univerſum* dicebant, vid. *Macrob.* l. 1. Saturn. c. 22. *Natalem Comit.* l. 5. c. 6. *is vero bipes & piloſus hircus pingi ſolebat*: *hac hirciformi* apparitione *ſe Dominum mundi* ( quam gloriam alias affectavit Matth. 4. vid. Danhaveri Polemoſoph. p. 138.) jactare tentet, conjectura eſt non plane vana. Certe vix credibile eſt, nec ad quæſitum de imagine Majeſtatis quicquam facit, quod vulgo aſſertur. Vide Delrium Diiquiſ. Magic. quæſt. 28. ſect. 3. *ideo capriformem apparere, quia hircorum ſit ſimilis qua graveolentia, qua obſcœnitate &c. vel quia hircorum ad ſiniſtrum* Matth. 25. 33. *locandorum ſit caput*; niſi dixeris fieri διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον, qua de cauſa quoſ-

quosdam *Ægyptiorum* pro Numine *hircum habuisse* putat Diodorus l. 2. τ̄ δὲ τράγον ἀπεθέωσαν, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγουσι τ̄ Πρίαπον, ut & *libidinosis & impuris vetulis plus*, *placeat*, τὸ μὲν γὰρ ζῶον εἶναι τοῦτο καταφερέστατον πρὸς τὰς συνουσίας, τὸ δὲ μόριον τοῦ σώματος τὸ τῆς γενέσεως αἴτιον τιμᾶσθαι προσηκόντως ὡς ἂν ὑπάρχον ἀρχέγονον τῆς τ̄ ζώων φύσεως. *Mendesios* celeberrimos caprorum & caprarum cultores, refert *Herodot. in Euterpe*. Confirmat *Clemens Alexand.* admonitione ad gentes, adeo ut τράγος καὶ ὁ Πὰν αἰγυπτιστὶ Μένδης vocetur, ut *Herod.* l. c. ait. Vide *Gallæi notas ad Lactant.* p. 700. seqq. quibus de aliis villosis animalibus agit. Accurate *Satyros* describunt cum *Silenis* Casaubonus l. 2. de *Satyr. Græcorum & Romanorum cap.* 2. *Euseb. Niremberg.* l. 5. Histor. nat. c. 9. 10. *Casp. Schott.* Physica Curiosa l. 3. p. 396. seqq. & qui de monstris scripsere multi alii.

Ad *Incorporeas* quoque res, *Urbium*, & earum quondam & nunc, nescio qua superstitione & fato, *Capitis & principis Romæ* divinos honores venit, quales huic tributos fuisse, docet *e Fabricio* Rom. c. 2. Cl. *Saubertus*, elaboratissimo Tractatu de Sacrif. c. 5. p. 116. & Veterum *Inscriptiones & Nummi*, & *templa* erecta: *Romæ Victrici: Romæ & Libertati: Romæ & Saluti: Romæ & Veneri*, i. e. *Romanæ Veneri*, cui non *thure* solum; sed & *victimis*, auctore Servio, sacrificabatur, vid. *Mammertini Paneg.* ad Maxim. *Sacerdotes etiam* constituti, quæ Urbis sacerdotes vocantur in *marmoribus*. Vide Occon. in Numism. a Pompejo M. ad Heracl. *Quales hodiernos honoris Ecclesiæ Romanæ non Dei defensores jure meritoque diceres.*

Ad *Idolorum originem* properat autor quam *Sepulcris*, *Cippis*, *Stelis*, & *Columnis*, longo alio fine antea positis, *debere bonam partem*, *recte ait*: vid. *Lilius Gregor. Gyrald.* de vario sepeliendi ritu, p. 1. & 2. ad quod mox quædam addemus, quum paucula *de Idolorum nominibus* ap. *Hebræos* usitatis præmiserimus.

Vocantur vero, *a cultu vel*: אלהים *in genere Mascul.* q. d. σεβάσματα اله אלה, *veneratus est reveritus* est, apud Arabas adhuc in usu, vid. *Hotting.* προσφώνησ: ad Lectorem Thes. præmissa, *Smegm.* Orient. p. 120. *Lexico* p. 44. & apud alios passim. *Vel* quandoque in *genere fœminino* לגנאי, in contemtum, quod noster supra ostendit diversis locis. Et Vid. Jarchi ad Gen. 4. v. 26.

2. *a Forma* modo צלם sive *expressa imagine*, sive *obscura*, & *ad obrussam facta*; vel velo tecta, a Rad. צלם quæ *Syr.* conj. 1. & 3. *Imagine expressit*, ut in *Lexico Syro-Arabico MSCto Isabar* Ali, teste *Hottingero*, extat, *Rabb. figuravit*, *Æthiop.* vero *tenebris* obductus fuit, quanquam Maim. More Hannev. p. 1. c. 1. *imagines* sive *Idola* צלים propter *virtutem illam*, quam cultores ipsorum in Phantasia sua eis tribuunt, non autem *propter figuram* vel *formam* externam, sic vocari putet. Modo פסל *sculptile*, modo דמיונות *similitudines*.

3. *Ab effectu*, sive κατ' ἀλήθειαν sive κατὰ δόξαν, *tum* און *molestia* ex Idolorum cultu & in mentibus & corporibus hominum nata: *tum*, quod cum hoc convenit עצב *dolor*, de quo ipse *Seldenus* p. 42. *Calov.* Cric. Sacr. p. 288. seqq. *sive* quod memoria defunctorum violenta præsertim morte interemtorum *dolor recrudesceret*: *sive* quod *cultus Idolorum* v. g. *Molochi*, cum *dolore & cruciatu esset* conjunctus: *sive* quod æternorum dolorum & cruciatuum causa existeret. Et צירים *Tormina*, *dolores*, quanquam a צור deductum, *formam*, *etiam figuram*, *imaginem* notare possit, *Chald.* enim *Sir. Arab.* c. 2. *formavit*, *figuravit*, *figuravit* significat *tum* טעות *error proprie*, & quidem *mentis*, ita enim *Elias* in *suo Tisbite* a תעה distinguit, *quod corporis* est, in cujus generis perniciosos & exitiales Idolum hominum abripit. *Tam* יראה *timor*, אימה *terror*, *terriculamentum*, *vel Ironice*, ut vult Kimchi Jer. 50. v. 38. *vel* ab *effectu* proprio. Vid. *Fag.* Num. 22. 38. *Lexicon Talmud. Buxtorf.* Rad. ירה *Chaldæi* eodem sensu vocant דחלא, quæ vox pro *vero etiam Deo* sumitur: huic nomini affine est מפלצת *horror*, nisi malis δογματικῶς sic dici, *quod mysteria Idolorum* suis cultoribus essent φρίκτα tum בשת *pudor*, vel *quod pudeat* homines superstitionis talis, qua ratione *Abrahamus exprobrasse traditur* in Schalsch. Hakk. p. 8. *Idola apud Tarachum Patrem horum artificem quærentibus*, *futilitatem*, explorata *cujusvis ætate*, *quod vel* σύγχρονον, *vel ejusdem diei opus adorarent*. Vid. *Smegm.* Orient. p. 292. *vel* quod præpostero *pudore* colerentur. Nunc *ad originem Idololatriæ*, de qua *Autores* dubitant *in quænam tempora collocent*. *Alii* in *Ænoschi*, ut *Maim. de Idol.* c. 1. בימי אנוש טעו בני האדם טעות גדול ונבערה עצת חכמי אומי אותו הדור ואנוש עצמו מן הטועים: *Tempore Enoschi errarunt homines errorem magnum*, & *obbrutuit consilium generationis illius*, *imo ipse etiam Enoschus* ex

*ex errantium numero fuit. Hic autem fuit error eorum, ut dicerent, ecce Deus creavit stellas istas & Sphæras, ut gubernarent mundum. Autor Schasch.* Hakk p. 926. *eidem* inventionem tribuit צורות *Imaginum*, consentit *liber Nizzach.* p. 115. ut videntur, *falsa interpretatione Loci* Gen. 4. v. ult. *qualis Judæorum* & aliorum quorundam est, ut supra ostendimus, Inde sunt *nomina* apud *Seldenum* p. 46. 49. *ex Azoara* 81. ( alias *Surata* Noachi 69. citantur ) satis portentosa. nim. ود *Wodda Kelibitis P. Golius Lexico* pag. 2640. سواعا *Sevvaha, Hudeilitis*, Gol. l. c. p. 1237. نسرا *Neser, Dulkelaitis* in Hamsaridum terra. Id l. c. p. 2359. ex Greuh. يغوث *Jaguth*, Idem p. 2764. ex *Camus*; & يعوق *Jauk.* Id. l. c. p. 2763. aliis Arabibus recepta Idola, de quibus *Beidavi* p. 962. refert, *fuisse Nomina virorum bonorum, qui inter Adamum & Noachum vixerint. Cumque mortui fuissent, subjicit, figura expressi fuerint, ut ab iis benedictio haberi potuerit; tractu temporis coli cœperint, idque ad Arabes translatum sit, & quidem velint quidam Vodda* repræsentatum esse *figura* ود *amoris; sevaha mulieris* سواع primæ quietis, *Jaguth Leonis; Jauk. equi; Neser aquilæ* نسر Paulo aliter *Kessæus in vitis Patrum* p. 17. qui *filiorum Cain* 5. *Idola fuisse refert effecta a satan* ad *formam Kabel* ( i. e. *Cain* ) & *filiorum ejus, quorum hæc* 5. *nomina* sint, *super quibus sit maledictio.* Sed *Arabes Christiani* aliud de ipso testimonium perhibent Ænoscho. *Elmacin.* p. 7. ait, *Enosch. gubernavit populum suum; & cum iis institit viæ justitiæ & timoris, imo morti vicinum posteritati suæ serio injunxisse, ut ne quid corruptionis Kaini posteris affricarent.* Verba Arabica vide in *Smegm.* Orient. pag. 231. quo in dissensu consentientes habere interpretes alios jam dictum est, qui vel *de publicis cœtibus*, vel *certa precandi formula* exponunt, vel de nomine Jehovah ab Enosch primum usurpato intelligunt locum citatum Geneseos. *Quanquam vero Enoschum* autorem quis neget, *credo tamen non facile negaturum, extitisse jam dum inter Cainitas si non crassam & externam, interaam tamen quandam Idololatriam, in Caini imprimis familia*, primi in orbe Machiavelli & providentiam Dei negantis, ut docet *Targum Hierosolym.* in cap. 4. Genes. v. 7. vid. *Waltheri Harmonia* ibidem & totam religionem ad Politiam, ut inserviret, obliquantis: Consule hic *Paralipom. Joh. Heinr. Ursin.* l. 1. *Melet.* conc. 4. pag. 93. seqq. quæ deinde incrementa, ut Zizania solent, sumsit Eberi *ætate*, ( *de familia* non statim dicere ausim ) ad quam tamen alii referunt, ut *Arabes Christiani*, & alii. *Alii vero Chamum primum Idololatriæ inventorem* nuncupant, Kirch. Oedip. P. II. Tom. II. Syn. 3. p. 169. vid. imprimis *Lactant.* l. 2. qui est de origine Erroris c. 13. pag. 214. & de falsa Religione l. 1. Institut. 22. p. 129. cum notis Gallæi. *Saruchi tempora substituunt alii*, vid. *Hotting.* thes. p. 55. alii *Arami* posteris hoc malum *ferunt acceptum*, quod vel *inde constat*, licet non satis firme, *quia post captivitatem gentilem κατ' ἐξοχὴν quemlibet appellarunt* ארמאה *Syrum. Adeo ut hujus pessimæ & nequissimæ sobolis varii Parentes referantur*, id nisi ex diversis ætatibus foret ( quanquam nec sic apud diversos ) adeo impugnandum non foret, verum sic multi *educationi succurrere potuerunt, qui tanquam autores venditantur*, sint igitur quicunque velint ( *Sabæis* non male adscribi putat *Hottingerus Thes.* p. 56. 57. & *Analect.* Philol. pag. 212. mallem tamen *Educatores & expolitores Idoli jam inventi* dicere ) multum rem adjuverunt *simulacra, cippi, stelæ, statuæ, & id genus alia irritamenta*, longe alio fine, quod optime noster monet, posita ab initio, *supremi* scil. *perennisque memoria monumenta*, cujus generis prior ætas dubio procul vidit. equidem *populo Dei non fuisse insuper habita*, a *Jacobo* testatur erecta *statua* super *Rachelis* sepulcro *Genes.* 35. 20. in perpetuam tam insignis matronæ memoriam, 12. lapidibus, pro numero filiorum, & testudine tecta quatuor columnis innixa, adscriptis prætereuntium nominibus, ceu refert *Benj. Tudel. Itiner.* p. 47. a *l' Emper.* edit. nec plane dissentit *Brochartus* p. 1. c. 7. §. 56. *pyramide ejusque basi* 12. *lapidibus* dispositis conspicuam describens, vid. & *Breidenbach.* ap. *Adrich. Theatro* T. S. 5. f. 19. n. 101. *Quaresmius* l. 6. peregr. 1. cap. 11. ostendit depictam *Cotov.* l. 2. *Hin.* c. 10. p. 245. nec abludunt *tentamina Absolonis* liberorum, famæ, & nominis traducum expertis, in subsidium gloriæ comparandæ & perpetuandæ מצבת statuam adhuc inter vivos erigentis, de qua 2. *Sam.* 18. 18. *Josephus* l. 7. c. 9. & *Adrichomius Theatr. Terræ sanctæ* fol. 147. *Cotov.* l. c. p. 295. confirmant *ornamenta sepulcrorum propheticorum*, quorum

rum meminit *Salvator Matth.* 22. v. 29. *Luc.* 11. v. 47. 48. & *cujus generis forfaſſe Prophetæ.* 2. Reg. 23. v. 17. extructum oculi ferium *Joſiæ*, vid. *Sanct.* ad h. l. ubi *Titulos*, *Scripturas*, *monumenta*, *imagines*, &c. *inter alia memoriam tueri eorum dicit*, *quibus alioquin ætas oblivionem obduceret*, *utpote inter vivos eſſe ceſſantibus*. Et μνημεῖον μέγιστον θαυμαστόντε ἰδεῖν &c. εἰς ἔκπληξίν τε καὶ ἕνεκα κάλλους a *Simone Patri Fratribuſque* ex prædalto lapide erectum, vid. lib. 1. Macc. cap. 13. 27. *Joſeph.* l. 3. Antiq. c. 11. *Menoch.* l. 8. reip. Hebr. cap. 4. quæſt. 6. *Sopran. David.* digr. 2. f. 510. ſeqq. 513. 515. Sic ap. *Virg.* l. 6. *Æneid.* in Miſeni Sepulcro Æneas *remum poſuit & tubam*, ut oſtenderet pro more, qualis fuerit, ut *Tullius* in *Archimedis* ſepulcro *ſe ſphæram* inveniſſe dicit. Vid. *Kirchm.* de fun. l. 3. cap. 18. ſeq. *Fileſacus* l. 1. Select. pag. 275. ſeqq. *Hebræi* vero conſueverunt ſua *Sepulchra* ſignare certis *lapidibus* vel inſcriptionibus, qualis meminit *Schick.* מה p. 174. & *Buxtorf. Lex. Talm.* fol. 971. *Hotting.* l. 3. Hiſt. Eccl. p. 539. Confer inſcript. Monumenti, quod *Duci Damaziæ* Regis Judæ erectum vidit R. *Moſ. Schem. Toſ.* ap. *Cl. Buxtorf.* Diſſert. de Lit. Hebr. θ. 27. itemque Inſcriptionem ſepulcrorum patriarchalium. זה קבר אברהם אבינו ע״ה *hoc eſt ſepulcrum Abrahami patris noſtri* p. m. apud *Benj. Tudel. Itin. p.* 49. Hujuſmodi vero ad monumenta abiiſſe ut vel *viſitarent* vel *flerent*, vel *parentarent*, ut noſter Seldenus ait, ut credamus invitant Judæi, Mariam viſitantes Joh. 11. verſ. 31. ipſamque comitantes v. 33. quod *probabile eſt prævio inter ipſos aliquo ritu feciſſe*, ut *Turcæ* non *ſolum Muhammedis*, ſed *ſuorum quoque defunctorum ſepulcra viſunt*, *mortem amicorum lugentes*, *ac monumenta floribus & aqua conſpergentes*. *Schvveigg.* l. 2. Itiner. cap. 39. *orationes recitantes*, quarum formulam apud Judæos ex præſcripto Salomonis *Bar. R. Nathan*, aſſignavit *Pocockius* in notis miſcell. *ad Portam Moſis* pag. 124. ſeqq. 227. Vide de his *Theologum & Philologum inſignem Gejerum de luctu* Hebræorum pag. 171. ſeqq. *nec a ſacrificiis* abſtinuerunt, donec *ipſæ ſtatuæ in admirationem venirent*, & *conſiderationis eſſe cujuſdam inciperent*, & *ſepulcra mortuorum in templa gentilium* abirent, ipſi vero *in Deos Deaſque*, *Origine* enim ſua pleraque *Templa gentilium* ejuſmodi *ſepulcra* fuiſſe, patet ex *Gentilium Theologia tum* μυθικῇ, *tum* πολιτικῇ, iiſque qui adverſus Nationes ſive Gentes ſcripſere, quos inter *Clem. Alexand.* adverſus Gentes p. 22. 29. qui προσκυνουμένους τάφους ναοὺς τῶν νεκρῶν, τάφους Θεῶν dicit, *Euſeb.* expreſſo cap. l. 2. Præp. Evangel. c. 6. *Lact.* l. 2. Inſtit. qui imprimis de hac re & ex profeſſo agit, vid. cum notis Gallæi 2. p. 139. ſeqq. *aliiſque:* Inde Apoſtolus 1. *Tim.* 3. *v.* 15. *Eccleſiam* θεοῦ ζῶντος *Dei viventis* vocat. *Vid. in oppoſitione ad Numina*, *templaque & ſimulacra Gentilium*, *quæ mortuis non ſolum ab initio conſecrata*, *ſed & ipſæ res omnino mortuæ*, *vanæ & nihili erant*, *& tamen* οἴκοις θεῶν *ſtantes*, ut Dii colebantur; unde Apoſtolus 1. *Theſſ.* 1. verſ. 9. ἐπεστρέψατο πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων δουλεύειν θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ; & idem Paulus cum Barnabæ *Act.* 14. *v.* 15. jubet ἀπὸ τούτων ματαίων ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τὸν θεὸν ζῶντα, *ex eadem oppoſitione* ad μάταια *ſive inania quæque Gentilium*, *præſertim falſorum*, *fictorum*, *ex mortuis in Deos conſecratorum Numinum* cultum, quorum quodque ſuam ſingularem ἐκκλησίας πανήγυριν habuere, ut *Ceres & Proſerpina Eleuſine*, *Diana Epheſi*, *Apollo Delphis*, licet non viverent, & mera commenta hominum eſſent. Nam quamvis ζεὺς vel ζῶ Gentilium ſententia dictus fuerit, quaſi *vitæ autor datorque* τὸ ζῶ παρεχόμενος ἀνθρώποις *vel* quod primus ex Liberis Saturni vixerit, vid. *Lactant.* l. 1. c. 2. *Platonem*, *Ariſtotelem*, *Heraclidem*, in Allegoriis alioſque, *meræ tamen erant fabulæ* & extra cerebellum veſanum Idololatrarum nihil extabat tale, ſed *ſolus Deus verus vivus* erat, quod *Attributum* Dei frequenter vel propterea certe multis in locis Scripturæ reperitur, ac nominatim ll. cc. it. 1. *Tim.* 4. v. 10. *cap. ultimo* v. 17. 2. *Cor.* 3. verſ. 3. c. 6. 1. Cor. 3. v. 16. c. 6. v. 19. ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐστε ζῶντος Rom. 9. v. 26. Hebr. 3. 12. & aliis locis, quos non incommode hac ἀντιθέσει expoſueris. Quod *ſepulcris evenit*, id quoque *ſtelis* στύλοις στήλοις (promiſcue enim accipit, quanquam deinde diſtinguat pag. 38. & recte quidem) eveniſſe, oſtendit *Godofredus Exercit.* l. *de Eccl.* ad 1. *Tim.* 3. verſ. 15. p. 29. ſeqq. quem omnino conſuli hac de re velim, cum multa Scripturæ loca non infeliciter ibidem explicet, & ad rem præſentem maxime faciat, *ſtelæ enim ejuſmodi in & extra templa gentilium collocatæ*, *ſive ut leges appenderent iiſdem*, (*qualem* στύλον *Eccleſiam Dei* p. 34. eſſe dicit, quia velut columna Oracula Dei & eloquia fœderaque Dei cum populo ſuo, Scripturam denique S. quam etiam Irenæus, fundamentum & columnam fidei noſtræ vocat, velut ἐπιγρα-

φῆ, omnium oculis ſpectanda & ſequenda, unde de plano ea legi poſſint, longeque lateque conſpiciantur, hominum mentibus proponit, ϛηλιτεύει, δημοσιεύει, poſteritatique commendat: *cognoſcibilis ſi vera Dei inſcripta gerat* &c. ) *ſive ut Imagines imponerentur*, tandem majore honore dignatæ fuere. Κίονας ἱϛάντες οἱ παλαιοὶ, ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ Θεοῦ. *Clem. Alexandr. l.* 1. *Strom.* pag. 255. ſeqq. ad *gentes*, p. 22. ait, & *Euſeb.* l. 1. *de Præp.* 9. & *deinceps ſigna quædam columnæ figuram aliquam habentia, pro Diis quandoque habita, cultaque eſſe dicimus* ex *Pauſan. Corinth.* p. 52. in fine *Lacon.* p. 101. denique ἀκατασμένοι θεοὶ κίονι erant *Pauſ.* l. c. ut omittam quæ de *informi ſeu* ἀβήμῳ *lapide ab Arabibus culto* notat *Chryſoſtomus*, *Clemens Alexandrinus* ad gentes l. c. *Maximus Tyrius* ſermone 38. *de ſaxo rudi*, ἀργῷ pro ſimulachro etiam apud Veteres Græcos. *Pauſan. Achaic.* p. 228. *Bœticis* pag. 300. 301. 311. Vide Laudat. *Conſulem Godofredum Exercit.* dict. p. 44. & *Salmaſ.* in *Hiſtor. Auguſt.* p. 154. ſeqq. 422. ſeqq. nec referri hic opus eſt, quomodo *Dæmones ſortiti ſint ſtatuas*, cum e *Tertulliano*, *Arnobio*, *Lactantio* perhibeat *Fileſacus* in Diſſ. de Idol. Mag. §. 4. pag. 20. nec quod *de ſtatutis Baalzephon*, quas contra fugitivos veteres ( Exod. 14. v. 2. ) *Ægyptii & Turcæ erexerint*, apud *Gaulmin* l. 2. Not. in Libr. Vit. & Mort. Moſ. cap. 1. vid. *Edmundus Frigelius* lib. de *ſtatuis Illuſtr.* Rom. c. 3. apud *Chriſtoph. Arnold. ſpicilegio p.* 58. *ad Zoroaſtr. J. H. Urſini*: nec tangam *Imperatorum*, *tum* conſecratorum, & in numerum Deorum relatorum, *ſtatuas & imagines*, *coronas radiatas* ( a ſole Deo illuſtriſſimo petitas ) *haſtas*, *fulmen*, *templa*, *aras*, cum flaminibus v. g. *Julii Cæſaris*, *Flor.* l. 4. c. 2. Vid. *Rupert.* Obſ. ad h. l. plane ſinguleres pag. 677. ſeqq. *Auguſti* apud *Sveton.* l. 2. c. 94. vid. omnino Diſp. *Doctiſſimam Juvenum M. Chriſtiani* Knorii, *M. Benedicti Hopferi Amicorum Dulciſſimorum* de *Conſecrationis ritu* ex antiquis numiſmatis, c. 2. *tum vivorum*, & divinitatem affectantium, ut *Alexandri* δικεράτις ſive *bicornis arietis*. Vid. *Urſin. Analect.* Vol. 1. p. 33. & p. 50. ſeqq. ad quem *Spiritus S.* digitum intendit, *Dan.* 8. *v.* 5. *&* 21. Nec referam quid *cruci* cruentæ paſſionis *Salvatoris Symbolo* in multis rebus conſpicuo, multiſque ſine ſuperſtitione pieque adamato &c. videatur, *non minus pius* quam *Eruditus*, *Otto Benevvizius Patholog. Paſſional.* Præfationes maxime vero *Cruci Aræ Domini* evenerit, & poſtero tempore *efformatis Sanctorum imaginibus*, & annon ſimili proceſſu & progreſſu a ſuperſtitioſis in Deorum cœlum evecti ſint, quod docebunt Celeberrimus quondam *Theol. Dorſch.* Diſſ. 2. & 3. *Hept. Diſſ.* & crebro commemoratus *Gallæus* notis ad Lact. p. 143. ſeqq. quibus contra Iſſæum diſputat. Singulorum Deorum ſtatuas, imagines, habitum egregie oſtendit *Kipp.* l. 1. c. 7. *Recenſ.* ex antiquis monumentis, *Ortelio* de Capitibus Deorum Dearumque, *Abrahami Gordæi Promtuario annulorum*; *Theſauro Numiſm. Antonii Auguſtini* Tabul. & Dialog. &c. Sic igitur *Deorum numerus* & hiſce auctus, & quod natura & prima intentione tale non erat, in Deum mutatum, ſtatuiſque, ſimulacris, & imaginibus uti cœptum eſt. *Perſis* ſat diu, *Dei magni ſolis Symbolum pervigil ignis* ſolum ipſique ſine ſimulachris erant, vid. *Kipp. Recenſ.* antiquit. p. 165. *Judæos Moſes* docuerat, & Strabo refert l. 16. τὸ θεὸν τιμᾶν ἄνευ ξοάνου vel potius Deus, Decalogo aliiſque præceptis, Exod. 20. 4. Deut. 4. 15. 16. Vide *Seld. noſtrum* lib. 2. de Jure Nat. c. 7. fol. 216. ſeqq. quod modo a profanis ſcriptoribus in iiſdem laudatum, ut a *Tacito l.* 5. Hiſt. *dum Judæi*, inquit, *mente ſola*, *verumque numen intelligunt* &c. Sed mox ab ambitioſo Politico pro more Politicorum atheorum ( quibus religio & pietas, modo finem ſuum conſequantur, magni æſtimanda non eſt, docente *ſcelerato Politico* cap. 2. p. 16. apud Pellerum, qui impugnavit, ) publico errori favente reprehenſum, & ſuperſtitionis poſtulatum, *quod numen ſuum citra ſimulachrorum figuras venerarentur*: ſic *Auguſtus* laudabat, teſte *Sveton.* l. 2. c. 93. *quod Cajus Agrippæ filius Judæam prætervectus apud Hieroſolymas non ſupplicavit. Judæam gentem contumelia numinum propterea inſignem*. l. 13. c. 4. *Plinius* vocat, qui tamen ipſe l. 2. cap. 2. *effigiem Dei formamque quærere imbecillitatis humanæ eſſe dixerat*, nec poterat *ipſum* ſicuti & *Tacitum* latere *tum Varronis* dictum, quod *Auguſtinus* nobis ſcriptum reliquit, l. 4. de C.D. c. 36. *qui primi ſimulacra Deorum populis poſuerunt*, inquientis, *ii civitatibus & metum demſerunt & errorem addiderunt*, *it.* *quod* ( nullas Deorum ſtatuas habere ) *ſi adhuc manſiſſet*, *caſtius Dii obſervarentur*, *tum quod Numa Pompilius* diſcipulus Pythagoræ *nefas dixerat*, *imaginem aut effigiem aliquam Deo attribuere*, & narrat *Plutarchus in Vitis illuſtr.* p. 38. confer *Seldenum*, ipſum l. 1. de J. N. & G. ſec. Hebr. cap. 2. noſtros *Theologos* paſ-

ſim

sim e Calv. *Hugonem Grotium* annotatis ad Decalog. p. 31. seqq. *Mornæum* libr. de veritat. Relig. Christianæ cap. 21. & e *Criticis nostri seculi celeberrimis aureolum Musarum caput*, *Joh. Heinricum caput*, *Joh. Henricum Bœclerum* annot. Polit. ad lib. 5. Tacit. Hist. p. 183. 184. *Kipping*. Auct. ad Pappi Hist. p. 116. seqq. Melius inter Græcos & æquius pietatis *Stoicorum* secta fecit, *quæ simulacra & templa Majestate Numinis indigna vetuisse legitur* apud *Zenonem* Citticum libro de Rep. allegatum *Theodorito Cyrenensi* Serm. 3. ad infideles. *Sicuti & veteres Saxones apud Autorem des Estats de L'Empire* discours de l'etat de l'*Empire Romain Ancien* & *Moderne* p. 659. *qui ne trouvoient nullement convenable a la Majestè de leurs Dieux, qu'on les enfermast dans les temples, ou qu'il y eust aucune statue pour les representer, jugeant, qu'il estoit impossible a l'homme de comprendre ce qui est de la divine Majestè*: Videatur de iisdem & tota German. natione Eruditissimus & πολυπειρότατος *Lentulus* in *Germania* cap. 7. de Religione Germanorum, p. 154. *Sophoclis* verba in eundem sensum adducit, Autor *Parænefeos* ad *Græcos*, ubi reprehendit θεῶν ἀγάλματα ἐκ λίθων τε καὶ ξύλων, cujus commatis dictum etiam apud *Eusebium* l. 3. *præpar. Evangel. c.* 3. habetur, quorum alias plurima pars cultrix facta templa & imagines fovebat, quamquam ut videri nonnulli volebant alio fine. Equidem autore *Athanas. Oratione contra gentes p.* 17. *ut* Magnus eheu! non ita pridem Theologus *Canhavverus Christeide* Act. 1. Opticæ dram. Theat. 1. Phænom. 1. p. 36. & deinde *Theolog. Consc.* Part. 1. p. 8. adducit *sese Philosophi gentilium excusabant, se imagines fovere*, ἵνα διὰ τούτων τὸ θεῖον αὐτοῖς ἀποκρίνηται, καὶ φαίνηται, οὐκ ἄλλους γὰρ αὐτὸν τὸν ἀόρατον δύνασθαι γνῶναι, ἢ διὰ τούτων ἀγαλμάτων καὶ τελετῶν, adde *Arnob.* l. 5. advers. gentes p. 65. fortasse juxta vulgatum.

> *Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa*
> *Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.*

quod etiam veteres Idololatras errori notorio obtendisse velum, locus adductus, & vel sola *Zabæorum* testatur *praxis*, de qua videri possunt *Analecta Phil. Hotting.* p. 212. ubi aliorum testimoniis id probatum ivit, quibus addatur *Kircherus Oedip. Ægypt. Tom. III. Syntag.* 17. *p.* 495. ubi observat *Ægyptios statuas suas averruncas appellasse* μεσίτας *Mediatrices*: Imo Tom. II. Syntag. 3. probare nititur, totum Ægyptiorum apparatum, a πολυθεΐα alienum, *pædagogum ad res abstrusissimas fuisse*. Et quod majus est nihil tam absurdi Ægyptiorum superstitio excogitavit, quod non ad sublime aliquod Christianæ Theologiæ mysterium referat. *Isis*, *Horus*, *Typhon*, ex mente ipsius *moralis Philosophiæ Hieroglyphica* expressio est, & providentiæ mundum gubernantis. *Inficiatur veteres* πολυθεΐαν *credidisse*, Ægyptios diversitate nominum, quæ Deo affingebant, *nihil aliud nisi diversas unius Dei in mundo producentis effectus significasse*. *Sic Maximus* suo gentilium nomine scribit ad *Augustinum*: *Equidem unum esse Deum summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus, neget esse verissimum? hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas, multis vocabulis invocamus*. Vid. *Lactant. Inst.* l. 2. c. 2. p. 141. Voss. l. 1. de Idol. cap. 2. *Et Schedius* de Diis Germ. Syngr. l. cap. 12. *Rittershusius Com.* in XII. Tabb. Class. 1. p. 16. *Franciscus Mendoca Viridar.* p. 818. seq. & innumeri alii, *quod quidem de emunctioris naris & sapientioribus*, qui populum ut dictum supra est, decipiebant, *non adeo negandum; Sed de vulgo stupidioribus, non æque affirmandum*, quippe qui sine mente in statuis, lapidibus, gemmis, auro & argento suos ita habuisse oculos defixos omnino credas, ut altius non ascenderint, *ut vulgus hodie plerumque inter Christianos*. Vide *Gallæum* ad l. c. *Lactantii*, non improbantibus nasutioribus, ut testantur ipsorum scripta, & orthodoxi ubivis ostendunt. *Hulsem.* in *Man. contra Hagerum*, Breviar. *Danhavverus* Hodomor. Spiritus Pap. & alii qui adeantur.

Redimus ad nostrum *Seldenum*, quem reliquisse videmur, & quidem ad *locum* illum *celebrem Genes.* 6. 2. in quem *multi offenderunt*; *multi quoque commentati* sunt, quos recensere nimis longum foret, præter *commentatores* tetigerunt & exposuerunt quoque locum *Glass.* Gram. S. p. 186. *Rhet. Sac.* Tract. 1. cap. 19. Ut explosa jamdudum illa, antiqua licet, inficeta tamen *Judæorum tum* quoque *nonnullorum* sanctorum *Patrum*, philtro recutitæ fabulæ effascinatorum *sententia*, de *Angelis incubis sive bonis sive malis cum mulieribus*, ut finxerunt, rem habentibus, gigantesque gignentibus, de qua nemo non docebit, vid. vel solus *Dilberr.* Tom. 2. *Disp.* pag. 31. seqq. *Hornbeck.* contra Judæos p. 305. *Hacksp.* Disputat. de Angelis §. 33. 34. Kippingi Auctar. H. E. Pappi pag. 44. *Amama* Anti-barb. p. 244. *Bangius*

*gius* Cœl. Orient. p. 32. ſeqq. qui ex profeſſo tractarunt. *Gemina imprimis eſt ſententia adhuc veritati vicinior*, in quarum *altera* ejus ſectatores *Judices*, *Magnates*, *proceres* tam *ex Sethi* quam *Caini familia* intelligunt per *filios Dei*, ut vox *Dei* אלהים non ſit לשון קורש *ſignificationis divinæ*, ſed *intenſionis* & *exaggerationis*, & quaſi *nota magnitudinis*. Vid. *Glaſſ.* Gram. Sacr. p. 62. quod vel ſolus *articulum* ה ſpecificans hic *Elohim viſibiles*, quales ſunt *Principes populorum* ſive *Judices*, & *verſiones*, *Chaldæa*: בני רברביא *filii magnatum*, ſive *veræ doctrinæ potentia* ſive *eloquentia*. Vid. *Andr. Rivetus* in Geneſ. Exercit. 50. cum *Arabica* hoc verſu: *filii illuſtrium viderunt filias plebis pulchras*, & *Aben Eſræ expoſitione*, per בני השרים והשופטים i. e. *filii Principum* & *Judicum*, ut & *propoſitio* האדם & לאלים, αἱ ἐξουθενημέναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ *&* Raſchi בנורז האדם verborum interpretatio, per *Uxores ex infima plebe*, *ſive unius*, *ſive diverſæ religionis fuerint*, luculenter indicent, ita limatiſſimus *Theologus Varenius Decad.* Moſ. pag. 422.) in *altera* vero ejus *aſſeclæ Filios Dei interpretantur ſanctos*, i. e. *poſteritatem Sethi*, non tam quia *Sethus* illius *ætatis hominibus* Deus, *tum* ob rerum cœleſtium ſiderumque cognitionem & ſcientiam; *tum ſummam pietatem*, juſtitiam & ſanctitatem appellatus, ut videre eſt apud *Suidam* in Σὴθ *Seth*, Adami filio; *quam ab ipſo Deo vero*, cujus filii, *boni & juſti* ſanctique paſſim in ſacris audiunt, *quales & hi profeſſione potius*, *quam re ipſa*, vide notas cit. ad *Lact.* Inſtit. l. 1. c. 14. p. 216. *Etenim* cum primum ſtirpis Cainicæ matrimoniis contaminari nollent, illaqueari ſeſe paſſi ſunt tandem, & earum nuptias ambierunt; *dotis loco nil niſi mores idololatricos recipientes*. Inde poſteris eadem de cauſa interdixit conjugia cum alterius Religionis, *Deuter.* 7. 3. 4. Nimirum occurrere voluit Moſes poſt futurorum curioſis *quæſtionibus*: *Quibus ex cauſis excepto uno Noacho*, *etiam tam late per orbem terrarum diffuſa Sethi*, *tam ſancti Viri poſteritas diluvio abſorpta fuerit*? & docet, quod & ipſa nefariis affinitatibus ſe polluerit. Hanc ſententiam *CL. Rupertus* in *notis Hiſt.* ad *Beſold.* p. 23. magnorum Theologorum eſſe dicit. *Autor Chronici Alexandr.* p. 49. *Hi ergo filii Seth damnatis Caini filiabus adhæſerunt* ſcribit, *numiniſque iram in ſe provocarunt*. Vid. *Raderus* in animadverſ. ad dict. Chron. p. 21. De *Sethi ſeceſſu*, cujus itidem meminit autor, Vid. *Hott. Smegm. Orient.* ubi textum Arabicum & prolixum affert cum verſione Latina p. 229. ſeqq.

De *Neptuno*, ejuſque *derivationibus*, quarum peſſima non eſt, ſi non optima, qua *ab Ægyptiacæ* veteris Linguæ vocabulo, Νεφθὺν quo τῆς γῆς τὰ ἔσχατα καὶ παρόρια καὶ ψαύοντα τῆς θαλάσσης *terræ extrema & attingentia appellarunt teſte Plut.* de Iſ. & Oſir. vel *alteram* qua a כפתח *quod dilatatus* eſt, *ab amplitudine totum orbem ambiente* derivatur, vid. *Reineſ.* p. 174. *Ep.* De *Dæmonibus* deinde agit, *quos* quaſi δαήμονας i. e. *peritos* ac rerum ſcios, eoſque Deos dictos refert *Lact.* l. 2. Inſt. c. 14. p. 217. *quod Etymon Platoni placuit in Cratylo ex ſententia Heſiodi*: ait etiam, *Viros probos magnis honoribus affectos Dæmones fieri*, *juxta hoc prudentiæ & ſapientiæ nomen poſt mortem*: *eique ſententiæ libenter ſe aſſentiri*, *ut optimus quiſque ſive ſit vivus*, *ſive defunctus*, *recte vocetur Dæmon*, *a qua acceptione* non multum abeſt *Seldenus* noſter. *Poſſidonius* teſte Macrob. Saturn. 2. ἀπὸ τοῦ δαίειν i. e. *urendo*, Euſeb. ἀπὸ τοῦ δαιμαίνω *ab exterrendo*. Auguſt. Steuch. ab Ebr. שרי vel די *ſufficientia & omnipotentia*, & quaſi *Sdaimonas* vocatos eſſe putat. Vide eruditas notas *Gallæi* ad l. c. Lact. p. 218. ſeqq. & l. 4. c. 27. quo loco *Jovem & Deos reliquos eoſdem atque Dæmonas*, quos vulgus vocat Deos, *eſſe opinatur*. Sic *Eurip. in Prolog. Hippol.* de Diana: φοίβου δ' ἀδελφὴν Ἄρτεμιν Διὸς κόρην τιμᾷ μεγίστην δαιμόνιον ἡγούμενος. *De Jove* Cleanthes editus a F. Urſino: οὐδέ τι γίγνεται ἔργον ἐπὶ χθονὶ σοῦ δίχα δαιμόνων. *Arrianus* l. 6. Αναβάσ: ταῦται μὲν δὴ ἐν ὑστέρῳ ἔσται τυχὸν, ὁπότε θυμός τε μὲ καὶ ὁ δαίμων ἄγῃ ταύτῃ: *Vulcanius* Fortunam fecit, cum *Juppiter* O. M. intelligi poſſit *cenſente Barthio*. De *Dæmonibus* in corpuſculo Philologiæ Joannis Werneri ſive Philolog. Weizii pag. 240. ſeqq. leges. *De ſtatuis*, cum nunc recurrant, & ſupra fere multa dixerimus, nihil hic ulterius adjiciemus quam quod politiſſimus *Sanbertus* Tract. *de ſacrif.* c. 5. p. 100. habet, nim. *de Statuis* & Imaginibus Deorum citari *librum Porphyrii*, ap. *Stobæum*, item *Euemeri Meſſenii & Jamblichi* apud *Diodorum Siculum*, *Athenæum & Euſeb.* videndum eſſe *Holſtenium* in vita *Porphyr.* c. 9. & etiamnum de iiſdem extare *Alberici libellum &c. Boum cultus*, ad quem autore præeunte devolvimur, plurimos faſcinavit. Notus eſt *Apis* bos Ægyptiorum *Memphiticus*, vel *capite bovino* cultus, *ex Auctore* noſtro, it. *Plinio* N. H. l. 7. c. 46. & conferatur *Dionyſ. Voſſius* ad Maim. p. 116.

Kir-

*Kircherus* T. 1. Oedip. ſ. 3. cap. 55. pag. 199. *Leonard. Marius* Proleg. in Lev. n. 64. p. 686. *ejuſmodi bovinum* geminum caput exhibet *Caſalius* Lib. de Vet. Ægypt. Ritibus c. 17. & *Arnoldus in App. ad Jan. Reſ.* p. 897. de quo infra c. 4. Synt. 1. plura. *Mnevis* alter eorundem *Heliopolitanus*, & ſoli ſacer & *Iſraelitarum vituli* ut nonnulli volunt, *parens*. Vid. *Dilberr.* Tom. 1. Diſp. 7. ad Ezech. 32. v. p. 121. *nec deinde; nec adhuc exolevit*, ſicuti de *Cathainis*, *Boem.* l. 11. 8. p. 93. de *Japponibus*. *Kircherus* Tom. 1. Oed. Æg. ſ. 5. c. 3. p. 409. *Varenius de Relig.* Jap. c. 1. p. 27. confer. *de Regn. Japo.* p. 158. quod *Xaverius* p. 191. apud Varen. tamen negat. De *Indis* reliquis, quibus *boum cultus curæ eſt*, *Rogerus in* Jan. *Reſ.* part. 2. cap. 4. p. 280. & adde *notas* ibid. & c. 9. p. 330. *Villet.* p. 47. apud *laudatum Arnold.* p. 877. apud quem p. 830. etiam vide & ride *ſumptuoſas boum paris nuptias* in urbe *Diu a Baneane* ut nonnullis creditum eſt 30000. *ducatonibus* inſtitutas, das laß mir einer vor eine Ochſen-Hochzeit paſſiren / de *Guzuratenſibus*, Mich. Herz *Nov. Orb.* c. 140. de *Maliaporis*, *Venetus* l. 3. Hiſt. Or. c. 28. *Cuchinenſibus Scalig.* Exercit. 208. ſ. 1. p. 794. & de aliis alii referunt; ſicuti & de *reliquis indigitamentis* ab Autore poſitis videri poterunt *Geographi*, &c. & ſupra commend. *Gerb. in Umbra in luce* c. 2. §. 36. Ad *Invocationes & Hymnos* accedo, quos Diis ad aras dicebant, *Scal. de re poetica* lib. pag. 119. ſed aliis atque aliis honorificis titulis novorum Deorum male informatis Autoribus, *quales* ſunt *illi Apollinis ab Alexandro Braſſicano* alphabetica ſerie adornati, a *Clariſſ. Sauberto* repetiti pag. 294. ſeqq. *Bacchi ex antiquitate* depromti *a* Joh. *Sòter.* in Epigr. l. 1. pag. 96. nec infeliciter expreſſi *ab Illuſtri Scalig.* de *Re poet.* l. 6. p. 781. ſeqq. vide quoque *Nonnum* l. 40. *Veneris* quoque congeſti a Catullo Phaleucis in Voluſii Annales. *Jòvis* ap. *Lucianum* mordaciſſimum ſcurrum: ὦ Ζεῦ φίλιπε κὴ ξένιε καὶ ἑταῖρε καὶ ἐφέςιε &c. apud *Rycquium in Comment. de Capitòl. Ròm.* c. 20. *Philipp. Caròli* Notis ſive animadverſ. ad Gell. pag. 173. *Roſſ.* lib. 2. c. 3. *Dianæ* ſive *Lunæ apud Apulejum Metamorph.* l. 11. ſtatim ab initio p. m. 239. *Junonis* apud eundem l. 6. p. 117. &c. Vid. *Boxhorn. quæſt. Rom.* 1. *&* *Dilberr.* Tom. 1. *Diſp.* p. 192. qui plura ejuſdem furfuris e gentiliſmo affert; *& verbis ad nauſeam uſque repetitis*, quibus ἐνέργειαν ineſſe quandam opinabantur, *iiſque vel decantatis*, *Baruch.* 6. 31. Confer *Natal. Com.* l. 1. c. 16. *vel ſine ſenſu* annumeratis meteoricis ac battologicis, *Matth.* 6. 7. a Chriſto interdictis ſuis aſſeclis, dum μὴ βαττολογήσετε *ne ſitis multiloqui*, ait i. e. βατταρίζετε, *balbutite* more bleſæ linguæ hominum: vel *blaterate*, confuſe & odioſa & otioſa *repetitione garrite*, ut *Baalitæ* 1. Reg. 18. 26. *vel* σπερμολόγοι multiloqui, ut *Tremellius*, *a* הפיק *protulit verba* ſcil. *vel muſſitantes* ut *Guido Fabricius* & Regia Syriacum מפקקין a פקק, vel *ſcaturientes*, puta *ineptis & inconditis verbis*, a נבה, poſita ק pro כ, juxta doctiſſimum *Caſaub. Exercit.* 14. ſect. 8. in *Bar.* Vid. *Hildebr. Ritual. Orant.* c. 4. docte hæc ex antiquitatibus deducens, *Dilberr. Elect.* l. 2. c. 1. p. 167. c. 5. *Eraſm.* de modo orandi Deum. *Utrumque enim* βαττολογεῖν *ſignificat*, vel *a Batto* principe Syreniacorum, τραυλῷ κὴ ἰσχνοφώνῳ, blæſæ & garrulæ linguæ: vel *a Batto* inepto quodam Poeta ταυτολόγῳ derivatum. Vid. *Bert.* in l. c. Matth. pag. 162. mavult tamen *CL. Danb.* Chriſteid. Act. I. opt. Dram. Theatr. l. p. 38. *ba*, *aba*, *ba*, *batt. voce blæſis ſermonem inchoaturis uſitata*. Herod. l. 4. 55. quam vel a jam dictis *Propriis* nominibus, vel cum *Fullero* l. 2. *Miſcell.* c. 16. aliunde derivare. Volebant vero Ethnici ſua πολυλογίᾳ *vel nominum multitudine iiſdem præcipue placere* ( hinc poeta Callimachus inducit *Dianam petentem a Patre Jove cum dono Virginitatis* τὴν πολυωνυμίην, & *eadem*, *Iſis*, ab hoc ritu μυριώνυμος dicta eſt, quod noſter Seldenus oſtendit, & *Inſcript. Fugg.* pag. 443. ) *vel multis verbis* ceu *hominibus vota perſuaderet*, quibus *in paſſibus ne hilo meliores erant Phariſæi*. Vid. *Lightfootius* oleum olentibus notis, *ad Matth.* l. c. p. 117. *vel denique neminem Deorum præterire*: nam in ſumma rerum divinarum ignorantia, quem potiſſimum Deum aut Dearum adorarent, neſciebant, quare addebant precationibus: Sive tu Deus es, Sive tu Dea. Vid. *Macr.* l. 3. *Arnob.* adverſ. Gentes l. 3. cum notis *Elmenhorſt. Meurſ.* in Caton. de R.R. c. 139. *Gell.* l. 2. c. 28. adde notas *Philippi Caroli* p. 172. ſeqq. *non igitur prolixitatem*, a qua nec ipſe alienus fuit adhuc βροτῶν δὶς *Salvator*, Luc. c. 6. 12. c. 18. 1. c. 12. 44. Joh. 17. nec *Paulus* Theſſ. 3. 10. cap. 5. 17. Eph. 6. 18. 1. Tim. 5. 5. *ſed vanitatem* & ſine mente ſonos verborum carpit, quale præceptum & *Siracid.* c. 7. v. 5. propinat. Vid. *Chriſteid.* l. c. De *Diſtinctione Theologiæ Gentilis*, & *modis docendi apud eoſdem* paſ-

ſim

ſim Theologi videri poſſunt, & nonnulli multis rem tractarunt. Vid. *Theologorum Primicerius Calovius* in *Crit. Sacr. Syſtem. Pædiæ Theol.* p. m. 23. ſeqq. *Inſtit.* p. 40. *Gerhard. Chemn. Brochm. Danh. Hodos.* pag. 12. *Voſſius*, *Gyraldus*, *Schedius* & ſexcenti alii. *Naturalis ſcitum* compendium dedit *Urſin. Miſcell. Theol. l.* 1. qui & *Symbolicam* ſcripſit ſatis notam.

Ab hac ad Monſtra Deorum fertur Autor, quæ ſalſe rident, *Rhod. Anaxandrites* Comicus Poeta his carminibus: βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς, τὴν ἔγχελυν μέγιςον ἡγῆ δαίμονα, ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιςον παρὰ πολύ, ὐκ ἐσθίεις ὕεια, ἐγὼ δὲ γ' ἥδομαι μάλιςα τούτοις, κύνα σέβεις, τύπτω δὶ ἐγώ. *Bovem colis, Deis ego macto bovem, tu maximam anguillam putas Deum, ego obſonatum credidi ſuaviſſimum, carnes ſuillas tu caves, at gaudeo bis maxime, canem colis, quem verbero*: & *Juvenalis* Satyricus Sat. 15. *Quis neſcit*, canens, *qualia demens Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat, Porrum & cæpe nefas violare ac frangere morſu, o Sanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina.*

*Porrum & cæpe* nominat, quæ invocaſſe dicuntur Ægyptii, tanquam *Deorum Symbola*, *Dionyſ. Voſſ.* ad *Maim.* de Idol. c. 8. §. 6. p. 111. dubitat quidem *Varenius* de Relig. diverſitate, p. 234. *animalia & plantas ut adorarint, eo dementiæ veniſſe gentem, ſed ſine cauſa*, ſi modo tantam copiam Deorum reſpexerit. Equidem *Braſilianis* quibuſdam Dei loco fuit *fructus cucurbitæ* ſimilis, magnitudine ſtruthionis ovum æquans, *& baculo transfixus*, *Joh. Stathe* c. 22. *Annuli Straminei Guineæ* habitatoribus, *Roſſ.* p. 135. ut nihil dicam de *Arboribus*, *Sylvis*, & *lucis antiquis cultis*, de quibus alibi, de *arbore Aozza* Idolo Arabum vid. *Hotting.* H. O. l. 7. p. 154. *de mancipiis Livonum* nobiliſſ. Olear. Itiner. Perſ. lib. 2. c. 9. p. 109. Vid. *Gerb.* l. c. de *Auro* & *argento*, & *ære Diis*, vid. Petr. Martyr. dec. 3. l. 4. pag. 250. de *Smaragdo* eximii fulgoris & inenarrabilis pretii, *ovi magnitudinis Benzo* l. 3. c. 18. Lact. l. 10. 11. p. 415. de *vilioris pretii lapidibus*, ut de quodam *Xinxe* i. e. *ſpiritualis lapis dicto* (*Chriſtiazis Chriſtus rectius ſic audit*, utpote *lapis* dictus *Pſ.* 118. v. 22. *Eſ.* 28. v. 16. *Matth.* 21. 42.) quotannis *auro obducendo Neuhof* in *deſcript. Sin.* c. 8. p. 317. de *adoratis Elephantis Varenius* in deſcript. Reg. Sian. pag. 258. *Roſſ.* p. 174. quod adeo mirum non eſt, cum *animal ſit humanæ rationi proximum*, *teſte Lipſio* cent. 1. Epiſt. Ep. 50. p. 55. *De Equis* Brutorum generoſiſſimis, judice eod. *Lipſio* Cent. III. ad Belg. Ep. 56. p. 785. *cultu exceptis* divino, *Laer.* l. 3. c. 18. p. 84. *de Leonibus*, *Urſis*, *Tigribus*, *Godofr.* Hiſt. Antip. P. 1. p. 31. *de Capris Arcb. Coſm.* l. 1. pag. 267. *Cervis* apud Japp. *Almeida p.* 168. *cervorum pelle* extenſa *Hiſt. Nat.* de II. *Antill.* lib. 1. cap. 9. art. 3. *Vulpibus*, *ſimiis & ſimiæ dente*, *Cercopithecis*, *Jan Huygen van Linſchott. c.* 44. *Rog. Jan. Reſ. p.* 276. *Voſſ. de Idol.* l. 3. 75. *pag.* 1137. *Vulture*, *Onocrotalo* Rohrdommels & de piſcibus apud *Roſæum* & citatos Autores: *Veſpertilione Mexicanorum* ap. Paul. *Gryſald.* l. 3. Hiſtor. Ind. citat. Voſſ. l. c. c. 100. pag. 1272. *Serpentes*, *Dracones*, *Stelliones*, *Lacertas* olim & nunc cultos proferre poſſem, *ſimum* jumentorum terræ miſtum, aſperſioni ſacræ ap. *Ortel.* p. 99. *Alex. Gaguinum* in *Sarmat. Europ.* & initiationi inſervientem, da einer von der vortrefflichen Eſſenz der Kuhfladen und Kuhblümlein Waſſers muß 6. Monath genieſſen. *ap. Roger.* Jan. *Reſer.* p. 67. ap. *Arnold.* 844. *Stercutionem* ſive *Sterculionem* ex *Macrob.* l. 1. *Saturn.* 7. *p.* 161. de quo tamen infra, commemorare nolo invitatus a *nobilioribus Diis Deabuſque Virtutibus*, quas *Cicero* appellat *divas*, *propter quas datur aſcenſus in cœlum*, quales ſunt *Virtus ipſa*, cum filiabus, *Pietate*, *Religione*, *Concordia*, *Juſtitia*, *Æquitate*, *Clementia*, *Indulgentia*, *Conſtantia*, *Providentia*, *Liberalitate*, *Munificentia*, *Pudicitia*, *& ſociabus Pace*, *Spe*, *Fortuna*, *Abundantia*, *ſ. Ubertate*, *Annona*, *Moneta*, *Salute*, *Lætitia ſ. Hilaritate*, *Juventa*, *Fœcunditate*, *Nobilitate*, *Libertate*, *Amore*, *Contumelia* &c. e quarum numero de paucis quibuſdam *divinitatis conſequendæ inſtrumentis*. Quorum primum

*Virtus ſ. Fortitudo*, quæ a *Marcello* primum, deinde *Scipione* Numantino & C. Mario, teſtibus *Plutarcho* in Vita Marcelli, Vitruv. l. 8. Architect. & *Cicerone* l. I. de N. D. aliiſque, vid. *Gruterus in Opere Æterno*, *templo honorata*, varie exprimitur in *nummis*, *Neroniano* quodam, *figura militari galeata & paludata*, *dextra parazonium*, *ſiniſtra haſtam tenens*, cum *clypeo* ante pedem dextrum & *galea* ſub eodem: ſimili *Severi Alexandri* nummo, ſed cum *jaculo* & *tropæo*, it. cum *victoriola pilo & ſcuto*, it. cum *globo* & *haſta*. Alio vero *Neronis* eadem, ſed utraque manu *diſcum* tenens. In *Galbæ forma* Juvenis *nudi* cum *haſta* & *parazonio in globo*, vel *ſuccincta* cum *ſcipione militari* in *galea* ſtans.

In

In *Commodi eadem forma* sed *sedens*, ut & *M. Aurelii* & *Septimii Severi*, sed sine *galea*, *Decii* & *Tetrici Amazonis in spoliis sedens* cum *pilo & lauro* & inscript. Virtus Augusti. *Septimii Severi* pro lauro *victoriolam* habet. *Getæ* simili cum *victoriola* & *cornucopia*. *Philippi* duobus *equilibus dextras attollentibus*. *M. Aurel. Val. Maximiani: Herculis* cum *exuviis Leonis*. *Victorini*, *Seminudi Juvenis* figura, cum *pilo* & *clypeo*.

Pietas, *quam Justitiam esse adversus Deos & cultum erga majores, aut sanguine conjunctos*, ait, *Cicero* l. 1. de N. D. itidem *Ædem*, & *statuam*, quæ *prima* omnium *aurata* in Italia fuit, a *Marc. Acilio Glabrio* Duumviro in foro olitorio, eo loco, ubi quondam filia Parentem mammis suis aluerat, referentibus *Plinio* l. 7. c. 36. *Livio* l. 40. c. 34. pag. 1078: *Valer. Maxim.* l. 5. c. 4. n. 7. ( Vide Differtat. Rup. ad h. l. p. 332. ubi nota ex *Simplicio* citato *Scipioni Gentili* l. de bon. mat. & advent. c. 1. antiquiores leges adeo *veneratas esse Parentes*, *ut Deos eos appellare* non dubitarent ) consecuta, *in Nummis*, *Cæsaris capite velato*; *non velato* in quodam *Bruti*, adjecto nomine suo. *In alio Ejusdem velato & laureato*, cum *Tripode*, *Securi* & *Simpulo* in adversa parte: vel ad *denotandos* ludos *Apollinares* a Bruto editos, vel *ritum sacrificandi*, in quo Coronam sumebant, ( fortasse ob *id a Lepido coronata* in uno; in alio *Corona* cum *Simpulo* coronatæ apposita videtur. ) in *Tiberii* quibusdam ibid. *velato*, & *diademate ornato*: *in alio* itidem *velato*, *sed integra effigie*, & *sedens tenens pateram* adstante Camillo quodam; in *altera* parte cum *templo Divi Augusti* a Cajo dedicato. *In Hadriani* quodam *stans expansa* quasi *dextra* vota factura. *In alio stans velata cum patera* voventis ritu efficta, sic in *Antonini* quodam, saltem pro *patera acerram*; in alio *non velata canistrum tenens*, & *victimam attrahens*. In *Faustinæ thus ex acerra* incensæ aræ *velata* injiciens; item *altera manu tropæum* gerens, *pateram in aram effusura velata*. In *Lucillæ* modo *sedens* modo *stans* ad *aram* cum *acerra*: In *Diadumeniani quinque insignibus Pontificalibus*, *lituo*, *secespita*, *gutto*, *capeduncula*, & *asperugillo*, & sic quoque in *Decii Junioris* adjecta tamen *patera*, in alio ejusdem. *Mercurius Caduceo* & *Marsupio* instructus & Inscr. Pietas Augg. conspicitur, quo postremo *Religio*, eadem cum *Pietate*, indigitatur procul dubio, quia *Mercurius credebatur cultus & sacrificia ordinasse*, secundum *Diodor.* libr. 1. inde *Aurelii* nummus quidam *Mercurium* cum *Patera & Caduceo* exhibet cum Inscr. *Relig. Aug. Imp.* II. *Cos.* III. *Sc.* in alio vero *templum* cum *Deo suo* & hac *Inscr. Relig. Aug. Imp.* VI. *Cos.* III. *Sc.* & sic *pietas* in Deum: *in homines*, & quidem in *Parentes*, in altera facie *Sexti Pompeji Pii* quorundam *Denariorum*, *Amphinomi* & *Anapiæ Catanensium fratrum* ( quibus pietatem Antiqui significabant *Strabo* l. 6. ) *simulacro*; *in alio* quodam *Metelli Pii*, & *in alio Cæsaris* cum *Ciconia* ipsi adpicta exhibetur. *In fratres figura* cum *ciconia* ad pedes, *cornucopiæ* vero & *gubernaculo navis* in manibus; in *alio*, in manu *cornucopiæ*, cum *insidentibus duobus Ciconiis*, *in altera manu* acerram tenens. In *Galbæ* ipse *togatus*, in altera *Orbem* terrarum tenens, & *altera* Juvenis cujusdam caput contingens; & Inscr. Pietas, vel ad *Adoptionem Pisonis*, vel *pueros alimentarios* a Galba institutos respectu habito. Quorsum respicit *Pietas Pii Antonini* cum *infante* in ulnis & *duobus* ad pedes. Vid. *Observ.* ac Tabb. *Caroli*, & *Occo*. *Senatus erga Imperatorem Aurelium*, in ejus nummo *vir togatus Imperatori dextram porrigens* cum Inscr. Pietati Senatus Sc. Coss. II. P. P. & *Balbini in Imperat.* Gordianum, *junctarum dextrarum Symbolo*, & Inscr. *Pietas Mutua Augg.* vid. *Occo.* p. 243.

Fides sequitur, *constantia illa*, & *veritas dictorum & conventorum*, juxta *Cicer.* l. 1. Offic. itidem *Æde* honorata ut Plinius innuit. l. 35. c. 10. N. H. *a Numa* forte primum consecrata, & ab *Attilio Calatino* refecta, quemadmodum ex collatione *Dion. Halicarn.* lib. 2. & *Cicer.* l. 2. de N. D. colligit, *Rosin. Antiq.* l. 2. c. 18. & quidem Publica, vel *duabus dextris* junctis, cum *Caduceo*, & duabus spicis ut in *Vespasiani*, vel cum *Caduceo*, *spicis*, & *papavere*, ut in *Domitiani*: vel *figura mulieris stolatæ sinistra pateram* sive *vacuam*, sive *frugibus plenam*, *dextera spicas* cum *papavere* ( *symbolis*, ut videntur hæc omnia, *fructus ex pace*, *fide*, & *concordia* propullantis, vid. *Anton. August. Antiq. Dialog.* II. p. 18. ) tenens, in alio *Domitiani* Augusta, eaque vel *mutua*, iterum *duabus junctis dextris*, vel *populum concernens*; vel *figura stantis fœminæ*, *sinistra canistrum florum & frugum*, *dextra spicas tenentis*, vid. *Occ.* p. 428. & 221. *Militaris*, modo *stans* modo *sedens* inter *signa militaria* invenitur. In *Domitiani* quodam per *Milites* super aram fidem suam *datis dextris* obligantes.

*Concordia* 4. vel *quinque ædidus celebris* juxta *Rosin.* l. 2. c. 18. conspicitur, *tum in Symbolis dextris junctis concordiæ insignibus*, docente *Tacito* l. 1. Histor. vel *Solis*, ut in quibusdam *Tetrici* & *Macrini*; *vel in prora navis signum militare tenentibus*, terrestrium & navalium copiarum conjunctionem *indicantibus*. *Vel tribus junctis dextris*, ut in *Antonii* in *triumvirorum* consensum, vel *trium ordinum* quoque P. R. *vel faciebus junctis* cum inscript. *Concordia*. Vid. *Occo* p. 297. conjunctionis & *fidei* conjugalis *tessera*. *Politian.* Miscell. c. 65. vel *in pavone Junonis*, *Conjugum præsidis ave*. In quodam *Domitiæ* cum inscrip. *Concordia August.* vel *quæ exercituum* est *tribus signis militaribus*, in *Severi Alexandri* & *Antonii*. Vel *Marte dextra scipionem* aut *pilum*, sinistra *tropæum* tenente, in *Vitellii*: vel *Militem stantem* inter *signa quinque* vel *sex militaria*, in Septimii Severi & Getæ: vel per *victoriam* cum *palma* in *Probi*, vel *quæ bello parta* est per *Victoriam galeatam sedentem*, *dextra hastam*, *sinistra Clypeum* tenentem in *Theodosii*; aut cum *globo crucigero* & *scipione*, *in alio*. *Tum propria effigie vel Matronæ* stolatæ modo *sedentis* modo *stantis*, sæpissime cum *Patera*, *divinitatis*, & *cornucopiæ ubertatis* vel *hilaritatis*, & ubi *duplex* est *duplicis* ex eadem *noscituræ nota*, in L. *Æli Hadriani*, *Faustinæ*, *Severi Alex.* *Nervæ* &c. vid. Obs. ad Carol. Tabb. 44. n. 3. vel *sedentis* brachio a *spe* sustentato & digito in cornucopiæ intenso, in spem abundantiæ faciendam in *Hadriani* & *Veri*. *Vel Spei* habitu cum *duplici cornucopia*, vel *hasta roboris indicio*, in *Plautillæ* & *Vitellii*; vel *columna innitente*, ad *stabilitatem denotandam*, in *Faustinæ* quodam. Vid. *Occon.* pag. 273. *Ursin.* p. 168. de *Concordiæ æternæ Severi* & *Juliæ*, *faciebus conjunctis* & *Imperatoris* radiata iterum *Occon.* p. 371. Ipsius *Monimenta* in *Grut.* p. 100. num. 8. Justitia *dextra pateram* & *sinistra* hastam puram, in *Hadr.* Septimii Severi & Severi Alex. vel *loco hastæ ramum*, *aliquando bilancem tenens*, in *Nervæ*: semper *sedens*, quod *sapientem Judicem matura deceat deliberatio*: *forma severa*, *integra*, *vivida*, non *velato* capite, sed *diademate* ornato. Vid. *Anton. Aug. Dialog.* 2. *p.* 20. 21. *Car. Tab.* 17. n. 16. Sic & *Æquitas* observatur.

*Clementia*, honore templi haud secus atque *Dea* quædam digna *cum Æquitate*, *Libertate publica*, *Concordia*, *Felicitate*, *judicata*, testibus *Plutarch.* in *Cæsare*, & *Dio* lib. 43. sicuti & *patera* & *hasta pura divinitatis Symbolis* in Antonini P. & Albini &c. *benigno vultu*, & *diademate* ornata, apposito *oleæ* ramo, misericordiæ signo, in *aversæ templo* cum *statua* ramusculum *oleæ* & *hastam puram tenens* in *Cæsaris*: cujus ad pœnitentiam usque usurpata Clementia innui videtur eadem ap. *Plinium* l. 7. c. 25. vid *Occo* p. 15.

*Indulgentiam* huic vicinam, *Caracallæ* cum Patera ob divinitatem, & *Sceptro*, quod σκηπτῦχοις ea deceat, expressam; In *Hadr. Antonini* P. & aliorum *dextra* quasi e cœlo *oriunda*, in sublime *erigit*, quæ ad indicandam *vim suam hastam* tenet. *Septimius Sev.* & *Caracalla*, quod in *Carthaginenses* eam exercuerint, *Uraniam*, qualis *ab Afro* colitur, *Leone vectam repræsentarunt*, & in *Posthumi* ob remissa Galliæ tributa, quatenus *hominem procumbentem surgere jubet*, cum *Inscr.* Indulgentia pia postuma Aug. In *Gordiani*, ut refert *Ant. Aug.* Dial. 2. pag. 30. *fœminæ inter Leonem & Taurum stantis imagine*.

*Constantia* in *Claudii* frequens, *vel subsellio insidens*, *vel stans galeata* & *hastata* dextrum indicem attollens. Quo in jure dicendo & excubando pro Rep. vigilantia constans exprimitur. *Providentia* inter *divas relata* plerumque *cum globo*, sive *in dextra* ut in *Posthumi* sive *ante pedes* ut in aliis, Orbis terrarum curam gerendam designans: inde in *Antonini* P. quodam *eundem globum virga attendens*, quasi *versatura* eundem, aut *Leges illi consistendi præscriptura*; vel *dextra monstrans*, ut in *Hadr.* & *Septimii Severi*; vel ad hæc *hastam* tenens, in *Trajani* Ant. P. Hadr. &c. ad designandam summam providentiæ auctoritatem & robur perpetuum, cum adjuncta divinitate. In *Trajani*, *Commodi*, & *Albini*, *ramum oleæ*, *pacis potissimæ Imperatorum curæ*, Symbolum tenens. In quibusdam cum *spicis fertilitatis* & *annonæ tessera*, vel *papavere* Cereri sacro: eadem de causa, vel etiam *cornucopiæ*, communi ut omnium Virtutum; sic & *felicitatis* quoque *Insigni*, in Severi Alexandri, Gordiani, Posthumi, videtur.

*Liberalitas*, *Diva Militibus* & *populo charissima*, vel per *Congiarium* Imperatoris, ut *in Hadr. Ant. Pii*, *Maximiani*, &c. vel *per sedentes Imperatores*, ut in *Gordianorum* & *Philipporum*, vel *figura stolata* dextra *congium*, *sinistra cornucopiæ* in Hadr. Caracallæ, &c. aut etiam *Tesseram frumentariam* cum cornucopiæ, in *Commodi*. Aut etiam effusura *Cornucopiæ* in *Hadriani*, & quæ huic adfinis est *Munificentia*, in ludis potissimum oc-

cu-

cupata, per *Elephantem* in *Septimii Severi*, *Ant. P. Comm. Caracallæ nummis* conspicitur. *Pudicitia* Diva ara honorata, *a Virginia* teste *Livio*, *vel peplo velata* sedens, cum *hasta* in *sinistra*, in *Abstiliani*, *Sabinæ*, *Ottacillæ*, *Lucillæ*, *Salominæ*, &c. vel *dextram* quasi pudore suffusa ori admovens, *sinistra* stolam, quasi modestiæ causa levans, vel in *Vesta* observari potest. Vid. *Obs.* ad Tab. *Car.* 30. n. 24. & 33. n. 18. & hæc de hisce. De *reliquis sive Divis-Virtutibus*, ob quarum studium ipsis quoque Imperatoribus collata fuit divinitas, *sive* commemoratis *Sociabus*, quas insalutatas prætertire cogimur, consuli possunt *Antiquarii*, *scriptores rei numm. Hubertus Golz. Anton. Augustinus*, *Fulvius Ursinus*, *Æneas Vicus*, *Occo*, *Biæus*, *alii*, & *ipsi Nummi*, ex quibus multi apud supra *laudatum CL. Dn. Meyerum Symmystam Lipsiensem ut alias*, *sic hoc in negotio præclare de interioribus literis* (& ut addam, instigante gratitudine *optime de me*) *meritum*, *publico usui congesta in hanc rem pretiosissima Numismatum* & *antiquitatum supellectile*, *quam supra optavi*, *ut dum hæc scribo*, *consulere licuisset*, *sed intercapedo locorum & temporum obstitit*, *quo minus hac in parte nobis licuit esse beatis*, *sicuti nec*, quod ab initio monui, *ob penuriam* tantum non omnium rerum huc spectantium, nobis ipsis satisfacere potuimus, nedum aliis. *De una* atque altera quædam. *Paci* in *Atticis* primum *aras publicas* (juxta Lectorem Cod. *Basileens.* & *Coloniens.*) *factas*, *eique Deæ pulvinar constitutum esse*, *narrat Nepos* in *Timoth.* c. 2. n. 2. Nam *Ethnici* πάντα θεοποιοῦσι, præsertim τὰ νοητὰ *virtutes*, *vitia*, ut CL. Boeclerus notat. *Et Paci* monumenta posita esse, vid. Gruteri Monum. p. 104. n. 6. Spei vero pag. 102. n. 1. *de Ara* Anno & Mensi erecta Eustathius ex fragm. Æliani l. citando. *Sequiores* ipse *Seldenus* noster, quantum satis est, tractavit, & res notior est, quam ut multis a nobis ostendatur, sic *morbis* & *multis etiam pestibus*, *dum placandas esse trepido metu cupierunt*, *aras erexere*, *Plin. l.* 2. N. H. cap. 7. & *publice febri fanum in Palatio dicatum*, *Orbonæ ad ædem Larium ara*, & *malæ fortunæ ara Esquiliis* id. ibidem, & *Cicero* l. 3. de N. D. & L. 2. de Leg. de *Febri Numine* non in postremis placando, extat *inscriptio* in *Transylvania*, h. m.

FEBRI. DIVÆ. FEBRI. SANCTÆ.
FEBRI. MAGNÆ. CAMILLA. AMATA. PRO. FILIO. MALE. AFFECTO P.

vide *Gallæum* ad *Lact.* lib. 1. c. 20. (quo *Exercitus* ejusmodi *Deorum Dearumque* in aciem, vel opprobrium potius, inque illa, *pallor*, *pavor*, *Cloacina*, *Rubigus* sive *Rubigo* &c. producuntur) p. 107. imo *universas notas*, quibus ex antiquitate cultos, & notatos a Christianis hujus generis Deos ostendit luculenter, *hoc malos Vejoves* dictos esse, eo sensu, quo *vegrandia* poma, *vegrandes* messes, *vegrandes* oves appellamus, ostendit *Agellius lib. V.* c. 11. vide tamen *Vossium* de hac appellatione, lib. 2. de Analog. cap. ult. inter hæc *læva nomina* etiam *Caniculæ* sidus retulerunt, tanquam *frugibus inimicum*, vel ob varios hominum morbos, ac febres, ut medici veteres loquuntur, apud *Joh. Bainbrig. Astron.* in Oxon. Prof. in Canic. c. 2. Nec *Paupertas* hoc *honore* caruit, ob id *Diva* πενία *dicta*, & *Artem* dignati sunt, cujus ope quis illam effugeret, teste *Æliano* in perdito libro περὶ προνοίας ut affert *Eustathius* in Comm. *ad Dionys.* ut p. 65. *Sic nigram hyemi pecudem*, *zephyris felicibus albam*, Virg. l. 3. Æneid. & *libidinosum immolabant caprum* & *agnam tempestatibus*, ut *Horat.* 10. Epod. Huc spectant *Avverunci* i. e. malorum depulsores ἀποπομπαῖοι, ἀποτροπαῖοι, ἀλεξίκακοι; λύσιοι, φύξιοι &c. quos comprecabantur. Vid. *Douz.* Cent. 3. 9. *Herald. Advers.* 2. 6. *Taubm. Plaut.* Mil. Glor. Act. 2. sc. 4. *Sveton.* in Galb. c. 18. nil dicam de *Diaboli cultu* olim in V. T. de quo conqueritur ipse *Deus* Lev. 17. vers. 7. *Moses* Deut. 12. vers. 17. in N. T. penes *Manich.* in *malo principio*, vid. *Georg. Horn.* in H. E. p. 76. *Kron-Meyer*: aliosque a *Magis* in *altero Deo* (primus *LUX*) *Tenebris* nimirum, apud *Ursin.* in *Zoroastre* sectione 8. pag. 51. seq. ex specimine Historiæ Arabum *Eduardi Pocockii*, qui libro citato p. 150. de *Manis vesano* hoc errore plura habet ex *Josepho Albo.* vid. de his Αντιθέοις Diis *Vinc. Riccard.* ad *Procli. Orat.* 15. p. 440. v. 11. *Hornejus* l. 3. Conp. H. E. c. 9. *Job. Forbes. lib.* 4. *Instruct. Historico-Theolog.* c. 5. §. 7. videtur *a Pythagoreis* accepisse, notante *Jo. Horatio Scoglio* lib. 3. Eccl. Hist. A. D. 227. durat adhuc apud multos *Indos* vid. *Roger.* Jan. Ref. p. 389. *App. Arnol.* pag. 790. 855. ubi *de albo diabolo*; & p. 596. de *cultu* ob mali *declinationem* vel *ne noceat*, probat. fortasse ut ille *Hispalus*

*Joan. Hieronym.* qui in obsidione *Alcmariensi captus* & patibuli candidatus: *en cas qu'il vous plaise me donner la vie sauve, je suis* (inquit, ut verba Autoris habent,) *content de croire au Diable, & l'adorer comme vous faites*, i. e. *in omnem eventum, si vitam donare salvam illi placeret, se paratum esse Diabolum adorare, sicuti ipsi facerent*, vid. les Guerres de *Nastare Guillaume Baudant*, p. 129. nec *crepitum ventris* denuo commovebo, cujus meminit *noster*, & ab *Ursino* deridetur *Volum.* 2. lib. 3. cap. 9. pag. 126. quem omnino vide. Quicquid virtutum & vitiorum erat, ἀπεθέωσαν veteres, *neve quendam Deorum præterirent* vel *casibus dubiis* nescirent, cui potissimum Deorum sacra offerrent, v. g. tempore pestis, terræ motus. *Omnibus Diis* supplicabant, festa celebrabant, in universum omnibus Diis quæ *Theoxenia* vocabant, καὶ ἑορτὴ πᾶσι τοῖς θεοῖς erant, ut *Hesychius* ait, vid. *Casaubon.* in Athen. l. 9. c. 3. quibus par diceres *Festum omnium sanctorum* apud *Christianos*, καὶ ἐν κατειδώλῳ οὔσῃ τῇ πόλει, sed *nova*, *Romana Ecclesia*, vel *ignotis etiam aras ponebant*. Equidem plurium ararum *Diis ignotis consecratarum* meminit *Pausanias* in *Atticis* non uno loco, velut libro *Atticorum* p. 1. & *Eliacorum* l. 5. p. 162. *Vid. Epiph.* l. 1. contra hæres. *August.* de C. D. l. 5. cap. 12. 14. 19. maxime *Atticis* solenne erat, quare etiam *Atticam Idololatriam* vocat *ignotis Diis aras prostitutas*, sicut *incertis Diis Romanam superstitionem*, *Tertull.* advers. *Marc.* c. 9. & testatur Inscriptio apud *Seldenum* nostrum. *Atheniensium* ex Act. 17. v. 23. *sive* in *Plurali* facta dicatur, ut *Hieronymus* Comm. in Epist. ad Tit. c. 1. *Oecumenius* in Act. cap. 17. decepti fortasse l. c. *Pausaniæ*, & quod l. 4. Apollon. *ignotos Deos* refert, qui his adstipulantur, *Salmero* tract. 47. in *Act.* pag. 316. *Boxhorn. Quæst. Rom.* 13. & *legitur* l. c. in Seldeno: *sive in singulari, ut Ipse Apostolus* habet: ἀγνώστῳ θεῷ, & volunt *Chrysostomus Comment.* in h. l. & *Epist. ad Titum* hom. 3. *Glass. Rhet. Sacr.* tr. 2. cap. 7. p. 597. *nisi fortasse quasdam aras* cum *pluribus*; *hanc cum uno atque* Ignoto Deo fuisse conjiciatur, certe *Lucianus* in *Dialogo* qui Philopatr. inscribitur, *saltem* ἀγνῶστε ἐν Ἀθήναις bis meminit. *Eademque porro sive erecta sit occasione pestis* qua graviter pressi, frustraque *tum* Diis patriis invocatis, *tum* externis admissis aliis, timentes, ne aliquod numen prætermisissent, quæ *Chrysost.* est sententia ll. cc. *Sed* sine *suffragio Idonei* cujusdam Autoris, quanquam enim *Laertius in Vita Epimenidis* innuatur a *Lud. Vive* Comm. in l. 7. c. 17. *August.* de C. D. & eo propendere videatur *Kircherus* Jesuita celebris Tom. 2. Oedip. *Ægypt.* Syntagm. 3. c. 2. nullo tamen verbo Ignoto Deo, sed προσήκοντι (per quem tamen Vossium, ignotum intellexisse refert *Saubertus* de Sacrif. p. 5. 7.) oves sacrificasse scribit, *sive eadem cum Misericordiæ* fuerit, ut *Lira* Comm. in h. l. credit, sed probare non potest. *Misericordiæ* quidem quandam *Athenis* fuisse patet, e *Statii* l. 12. *Thebaid. ab Herculis* posteris *ab Euristhæo* pulsis, & Atheniensium auxilio defensis positam, vid. *Ursin. Analect. Sac.* l. 5. c. 39. *sed non ignoti Dei: sive occasione Eclipseos* solaris tempore Passionis Dominicæ & *verbis supposititi* & *famosi* illius Dionysii Areopagitæ (vid. *Patrolog. Gerhardi* p. 13. *Rivet. Crit. Sacr.* l. 1. c. 9. *Hotting. in Dissert. Miscell. Pent.* Elencho scriptor. suppositiorum, pag. 71. ubi plures consentientes citat. imo *Cocum* in Censura Scriptorum, *D. Dorschei Semestr. Tiburtio Dionys.* pag. 34. seqq.) cui ut rei novitate stupefacto attribuuntur: ἄγνωστος σαρκὶ (quam vocem Salmero Tract. 47. in Act. addit.) πάσχει θεὸς, δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται, καὶ σεσάλευται, apud *Suidam* in voce Διονύσιος. Vid. *Selnecc. Comm.* in cap. 17. Act. ex *Epistola* ipsius *ad Polycarp.* de qua tamen vide cit. *Patrolog. Gerhardi* pag. 24. & ibidem de omnibus ejus scriptis. *Nec præterea aræ* ullæ in ea mentio &c. *sive ex Sibyllis* & *Hebræorum monumentis*, Christum aliquando incarnandum, sed non satis claris verbis, & proinde non recte intellectis orta sit, *quæ Cornelii* a Lapide est opinio, in Comm. ad l. c. ex *Actis*: Sed *nullo vel fragili fundamento* nixa, *Hilduini* scil. qui IX. demum seculo vixit, nec ubivis satis congrue cum sacris locutus accurate examinantibus deprehenditur: deinde *nec directe & primario Deum* incarnatum, sed ποιήσαντα τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ &c. annunciavit. Quid præterea de *Sibyllis antiquis habendum* docent ubivis docti: Vid. vel solus *Hotting. celeberrimus Pentad.* Diss. de Script. *Suppositiis* p. 58. seqq. & 115. Wagn. Tubing. Theologus in Oracul. Sibyllina, & quos citat. *Danh. in Theol.* Conscient. pag. 9. *sive denique in honorem veri cogniti* quidem, *sed non semper vel recte culti*, postea & *propterea prædicati Dei Consecrata* extiterit, *quod textui & Apostoli verbis proxime accedit*, utpote quem deinde clarius proponit, & a *do-*

*ctio-*

*stioribus* probatur. *Clem. Alexand.* lib. I. *Strom. p.* 315. *edit. Parisiens. Augustin. lib.* I. *contra Crescon. cap.* 29. *Heins. Exercit. Sacr.* in cap. 17. Act. *Walth. Miscell. Theolog.* quæst. 90. Cognovisse enim Deum unum gentiles, & potuisse supra diximus, & patet ex ipsorum præterea scriptis. *Heraclitus* θεῦ μαρτυρίαν *orbem* vocavit, & porro in Epistolis ἐὰν δὲ μὴ ἱδρυϑῇ τῦ θεῦ βωμός, inquit, ὐκ ἔςι θεός. ἐὰν δὲ ἱδρυϑῇ μὴ θεῦ, θεός ἐςιν. ὥςε λίθων μάρτυρες ἔργα δεῖ μαρτυρεῖν, οἷα ἡλίυ. νὺξ αὐτῷ καὶ ἡμέρα μαρτυρῦσιν ὧραι αὐτῦ μαρτυρες. γῆ ὅλη καρποφορῦσα μάρτυς. Σελήνης ὁ κύκλος, ἐκείνυ ἔργον ὐράνιος μαρτυρία. *Ægytios unum* statuisse δημιυργὸν *Deum* ac Κνὴφ vocasse, *tradit. Euseb.* l. 3. Præp. Evang. c. 12. de *Platone & Socrate* hujus non ignaris supra quædam diximus, vide præterea *Prudent.* in Apotheos. vers. 268. seqq. *Senec.* l. 4. Benef. cap. 7. & 8. Jacob. *Uzelium* Animadvers. *in Minut. Felicem* Oct. pag. 80. ubi Poeta Hormesianax canit.

Πλύτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,
Τρίτωνες, Νηρεὺς, Τηθὺς, καὶ Κυανοχαίτης
Ἑρμῆς θ' Ἥφαιςός τε κλυτὸς, Πὰν, Ζεὺς καὶ Ἥρη,
Ἄρτεμις, ἠ δὲ ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς θεός ἐςι.

Similiter *Orpheus*.

Εἷς δὲ ἐς' αὐτογενὴς ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται
Ἐν δὴ αὐτοῖς αὐτὸς περιγίγνεται, ὐδὲ τις αὐτὸν
Εἰσοράει θνητῶν, αὐτὸς δε γε πάντας ὁρᾶται.

Et *Valerius Soranus*.

*Jupiter omnipotens, regum Rex, ipse Deusque*
*Progenitor genitrixque Deum, Deus unus & idem.*

Imo etiam vulgo *unius Dei confessio* in quotidianis sermonibus in buccam Gentilibus sæpe venit. Sic ap. *Plautum Captiv.* Act. 2. sc. 2. v. 63. *est profecto Deus, qui quæ nos gerimus, auditque videtque*. Adde *Liv. l.* 8. *c.* 6. verum proinde adhuc, quod & noster Seldenus ait, *nosse Gentiles, unicum Orbis esse moderatorem, in innumeris illis Diis cultum*, quem *tanquam Dominum* Christianis alias usurpato supplicationis publicæ initio Κύριε ἐλέησον, invocasse dicit *Arrianus dissert. Epictet.* l. 11. c. 7. *quam formulam* in castris ante prælium *cantasse constat e Maurit. Stratag.* l. 3. c. 19. apud *Rigaltium Glossar.* in voce Νοβίσκυμ p. 127. *Sed ignotum*, ut Peruani apud Boterum II. c. & *Comm. Royal de Garcilasso liv.* 2. Chap. 2. suum *Pachacamac*, animam & originem ac Dominum, sed *etiam Ignotum* dicant, non tam quia absconditus מסתתר *Esai.* 45. 15. (quod LXX. ὃν οὐκ ἤδειμεν, *convenienter* cum *Inscriptione* nostra reddiderunt) *ineffabilis*, ἀόρατος Exod. 33. n. 21. & *incomprehensibilis* in sacris; nec quia *nomen tetragrammaton ineffabile Judæis traditur*, ut quidem *Heinsius l. c. Boxhorn.* l. c. *Vossius* alii volunt, Saubert. l. c. pag. 58. sed quia, ut alias, vid. l. 2. Noct. Attic. cap. 28. Gell. *cujus nomen incertum esset, aut profari nefas*. Imo *cujus Sexus dubius esset, ignotus dicebatur Deus:* Sic *fortasse & hic* Ejusmodi *ignotorum &* ἀνωνύμων *Deorum* ubivis *larga messis*, *Strabo* l. 3. de ἀνωνύμῳ τινὶ θεῷ Celtiberorum, vid. *Lucian.* in Philopatre p. 466. *de Arabum Ignoto Deo Gyrald. in Histor.* Deorum *Syntagm.* 17. de *ara ignoti Dei Burdegalæ* jussu *Martialis* Episcopi Lemovicensis reliquis Dæmonum altaribus in pulverem redactis, Epistola ad *Burdegall. p.* 60. ex Edit. *Elmenh.* vulgo *Martiali* sed inepte tributa. Vid. *Spondanus Edit.* Annal. Eccles. ad ann. 34. 90. in margine. De *Persarum ignoto Deo*, *Wolff. Cent.* 1. rerum memorabil. p. 4. de *Græcis* dictum est: de *Romanis* itidem, vel *constat* sola *illa dubia* compellandi formula, in occursu ignotorum usurpata, & compellatione Deorum: Quisquis es, Brisson. l. 8. sic hæret *Ovid. l.* 1. *Metam.* fab. 2. *quisquis fuit ille Deorum*, adde *Virgil.* l. 4. v. 576. nefas non solum Judæis pronunciare nomen יהוה ut ostendit *docte Saub.* l. c. sed & *Angeronam*, cujus effigies erat ore obligato, *obsignatoque maxime Romanos propterea coluisse putant Plinius* l. 3. c. 5. N. H. & *Claudius Minos* in Alciati Embl. 9. qui *Romæ occultum* nomen *Anthusan* fuisse addit. *Dubii sexus denique Deos habuisse*, videre est ex illo Orphei.

Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη,

quod *Apulejus* ita vertit libro de Mundo:

*Jupitor & mas est, & fæmina nescia mori.*

Vid. *Serv.* ad 632. v. Virg. l. 2. Æneid. *Macrob.* l. 3. Sat. c. 8. quare invocaturi: *sive Tu Deus, sive Tu Dea dicere solebant, teste Arnob.* l. 3. advers. *Gentes & Inscriptione* illa apud *Buxhorn.* l. c.

SI-

SIVE. DEO.
SIVE. DEÆ.
C. TER. DEXTER.
EX VOTO.
Poſuit.

*Videntur* itaque *Athenienſes*, in *Ignoto Deo ſuo* non aliud numen denotaſſe, quam *a quo quodam beneficio eſſent mactati*, *ſed de nomine ejus incertos*, *ne offenderent*, *Ignotum nominaſſe*, & *tanquam Individuum vagum coluiſſe*. Vid. Dilh. Tom. 1. Diſp. p. 60. imprimis vero *Calov.* in Crit. ſacr. p. 95. & *Saubertum* P. in Prodromo Philol. S. p. 16. 17. ſeqq. Sic miſſa facere conſtituimus Prolegomena, quæ quaſi *Pars Generalis hujus Theologiæ Syriacæ* fuerunt, qui pluria deſiderat, *Voſſium*, *Schedium* & alios adeat, temporis nobis fuit habenda & pagellarum ratio, *quibus tamen in tantum parcere noluimus*, *ut non Abarbanelis locum adderemus*, *de Idololatria*, & ad *CL.* Heinrici *Schævii*, *viri vel ſola hac cura* de *juventute optime meriti Mythologiæ Deorum ac Heroum Partem Generalem*, *qua de origine*, *Diſtributione*, *ac attributis eorum ſuccincte egit*, *ablegaremus*, quam vero id faceremus, *prius quaſdam ſive regulas*, *ſive obſervationes interponeremus de veterum Idololatria recte intelligenda*, quarum

1. *Nomina quædam generalia ſunt omnibus tantum non Diis Gentilium communia* quale eſt בָּעַל de quo vide *Seld.* Syntag. 2. cap. 1. ubi primo *ſummi* & *veri Dei* nomen fuiſſe, *Deoque conveniſſe* ex *Oſ.* 2. 16. conſtare putat, *de quo* tamen *fortaſſe quis dubitare* poſſit, *cum Deus nunquam vel a ſeipſo* vel *alio appelletur Baal*, *nec in loco Oſeæ citra controverſiam*, & *dubium fieri videmus*, certe *peritiſſimus Urſinus* in Analect. Vol. 2. c. 13. ad *Idolum Zelotypiæ* juxta oſtium templi, vel *ſtatuam* ejuſdem *in templo Dei poſitam* 2. Paral. 2. c. 34. v. 4. & 36. 14. *inclinat*, & *κατ' ἐξοχὴν* hic *Baal dictum* putans, non *tam ob frequentem* ejus in populo Dei cultum, eumque publicum ſub quibuſdam Regibus Ahas, Manaſſe, & Joſiæ filiis, in ipſo templo *Dei* in apertam *deluſionem Domini ac Patrisfamilias*, & *Zeli provocationem Domini*, *Deuter.* 32. 21. *quam quod nomen hoc origine maritum*, *dominum*, notat, porro *is ſummus crederetur divum Pater atque hominum Rex*, denique *cultus* & *initia* aut *myſteria Baalis ſacra* quadam *deſponſatione conſtabant*, huic ſe oppoſuit *Dominus*, h. l. *non vocabis me Baali ſed Iſchi*, *vir meus*, & v. 17. *auferam nomina Baalim de ore ejus* v. 19. *ego*, inquit, *ſponſabo te mihi in ſempiternum*, myſtica ſcil. deſponſatione, unione ſumma & arctiſſima Dei cum fidelibus. De qua *Aquila Theologorum Hulſem.* Brev. c. 14. *Kunad.* Theol. Witteb. quadam diſputatione, & ex eo *Konigius Theolog. poſitiva* p. 209. *quam affectabat Diabolus* Dei ſemper æmulus, & corrivalis, in omnibus fere *myſteriis*, ut in *Veneris Cypriæ*, *initiabantur Dei ſecretis acceptis*, *grano ſalis* & *phallo*, *qui viciſſim aſſem dabant ei*, *ut meretrici meretricis nomine*. Sic ejuſmodi profani ſacramenti vox & ſignum erat: *χαῖρε νύμφιε*, *χαῖρε νέον φῶς gaude ſponſe*, *gaude novum lumen*, cum *unum lumen*, *unus Sponſus hominum ſit Chriſtus*, ut *Julius Firm.* de rer. prof. Relig. ait, vid. hæc apud *Clem. Alexandrinum* in *Protrept.* & *Arnobium*, &c. Porro *uſus* vocis בַּעַל *apud eos* tantum invaluit, *quibus multi erant Baalim*, vid. *Kipp. Recenſ.* Antiq. p. 155. ſeqq. & qui *verum vix ac ne vix quidem agnoverunt*; *Diaboli denique praxis fuit*, ut ſi non eadem, tamen *ἰσοδυναμοῦντα nomina ad Idololatriam detorſerit*, *Soli primo*, & deinde *aliis* conveniſſe non indocte pro more *noſter* deinde l. c. oſtendit. *Tam latum* quoque nomen *tum* תרפים *Teraphim*, *tum Aſtarta* & quibuſvis Idolis aptum eſſe volunt nonnulli, vid. *Kirch. Panth.* p. 245.

II. *In ſcripturis nec Idolorum genus*, *nec priſca Gentium myſteria ſemper diſtingui attendique*. Sic *Sidoniorum Dii* in *ſacris* אלהי צדונים dicti, profanis θεοὶ Σιδῶνος audiunt. Sic LXX. *Baalis* vocabulo *modo articulum maſculinum præfigunt*. Num. 22. v. ult. Hoſ. 11. 2. *modo fœmininum* Hoſ. 28. Jer. 2. 28. 1. Sam. 7. 13. *plane* ut Apoſtolus Rom. 11. 4. *οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ*, Gentilium ſcripta idem confirmant, ut alias dictum eſt. Seld. Syntag. 3. c. 2

III. *Fornicationem* & *Idololatriam in ſacris non modo ſæpe conjungi*, *ſed* & *eodem nomine exprimi*, *non tantum quod hæc ſpiritualis ſit*; *ſed quod plerumque ſororio nexu alteram altera fornicatio comitetur*, vid. *Urſ. Anal.* Vol. 2. l. 2. c. 13. anima enim Deo aut per fidem deſponſa, aut naturali obligatione devincta, ſpreta illa religione, diruptoque hoc vinculo, Deum deſerit, *ab Dæmoniis eorumque idolis ac cultoribus copulatur*, Deumque provocat æmulum. vid. Exod. 34. 15. 16. Lev. 17. 7. c. 20. 56. Num. 15. 39. Deut. 31. 16. Jud. 2. 17. c. 1. 27. 33. Pſalm. 73. 27. Eſ. 1. 21. Oſ. 1. 2. c. 2. 5. Nahum. 3. 4. Apoc. 18. c. 17. 1. imprimis *Jer.* c. 2. & 3.

Eze-

Ezech. 16. & 23. vid. *egregium Caput citati Ursini*, quod 28. est l. 2. Vol. *Analectorum*.

IV. *Hebræos tres potissimum species, Idololatrarum constituere*, juxta *Nizza hon* Lipmanni pag. 39. quorum alii עבדו משרתי השם לכבודו *colunt servos Dei in ipsius honorem*, *alii* עבדו אותם שיהיו מלצים בעדם *colunt eosdem ut sint intercessores pro ipsis*. Alii עבדו לעץ ואבן לזכרו *colunt ligna & lapides memoriæ causa*. Vide jam subjectum locum *ex Abarbanele*, ad 2. Reg. 17. vers. 7. 10. 15. 16. 17. 21. ( *interprete Buxtorfio Fil. dissert. 6. p. 490.* )

*De Idololatriæ Variis speciebus, quarum in sacris Literis fit mentio.*

QUia Scriptura hic recenset varias species Idololatriæ, ideo visum est mihi de illis agere, & species modosque earum colligere. Rabbi Moses Nachmanides in Legem, in sectione יתרו scribit: *Ex iis quæ Scriptura commemorat de Idololatria, Tres ejus fuerunt species. Prima est, quæ incepit Angelos colere, qui sunt Intelligentiæ abstractæ, & constituti Principes super Populos, sicut scriptum est*; Princeps Regni Græciæ & Princeps regni Persiæ; *existimantes illos habere potestatem benefaciendi, vel malefaciendi: Et hi sunt, qui in Scriptura vocantur* אלהים אחרים *Dii alii*: אלהי העמים Dii populorum *Angeli enim in Scriptura vocantur* אלהים Dii, *sicut dicitur*: Ipse est אלהי האלהים Deus Deorum, *Item*: Et incurvabant se ei omnes אלהים Dii. *Item*: Magnus est Dominus præ omnibus אלהים diis, Exod. 18. 11. *Et quamvis cultores eorum agnoscerent, summam Virtutem, & potestatem absolutam esse penes Deum, ut & Rabbini nostri ajunt, quod ideo vocetur* Deus Deorum; *nihilominus tamen colebant creaturas istas. Et de his dicitur*, sacrificans לאלהים Diis, occidetur, Exod. 22. 19. Secunda species *fuit, quod coluerint Exercitum cœlestem, Solem, Lunam, aut aliud aliquod Sidus cœleste. Quilibet enim populus scivit virtutem sideris super se dominantis, juxta dominium, quod ei in terram illam erat datum. Existimabant itaque, cultu suo se demereri Sidus illud, ut eis prosit. Hi sunt, qui inceperunt facere figuras, in Sculptilibus, Lucis, & Statuis subdialibus, certis quibusdam horis, quibus virtutem eas habere putabant: & hinc existimabant, se ab iis obtinere felicitatem & prosperitatem. Utrique isti habebant Prophetas falsos, qui prædicebant ipsis futura per divinationes & auguria.* Tertia species *fuit, quod etiam inceperunt colere Dæmones, qui sunt Spiritus, & existimabant, ex his etiam quosdam esse præfectos populis, ut nocerent hostibus ipsorum, sicut hoc apparet ex Necromantia, & verbis Rabbinorum nostrorum. Hinc dicitur* Deut. 32. 17. sacrificarunt dæmoniis quæ non Deus, q. d. *qui non sunt sicut Angeli, qui vocantur* אלה *additur*; Diis Novis *quia Israelitæ hoc didicerant a Magis in Ægypto. Lex vero prohibuit omnem cultum, præterquam Dei solius. Hinc hortatur*; Non erunt tibi Dii alii coram facie mea; *intelligens per hoc Angelos, qui sunt coram Deo. Et rursum*: Non facies tibi sculptile, vel ullam similitudinem eorum, quæ in cœlo supra, *respectu speciei secundæ; Exercitus scil. cœlestis est*; Et quæ in terra, & in aquis sub terra, *respectu dæmonum, qui sunt sub aquis & eorum qui habitant in eis. Et de universis simul dicit*; Non incurvabis te eis, neque coles ea.

Hæc sententia Nachmanidis, quæ vera quidem est juxta scripturas, sed, more suo, nimis generaliter ista exposuit, & quasdam etiam Idololatriæ species omisit, quarum non meminit. Ideo specialius ista sunt explicanda, & declarandum, *Quot species Idololatriæ fuerint apud Veteres, juxta testimonia scripturarum, & verba sapientum nostrorum?* ut videas, scripturam in hoc præsenti loco omnes recensere, & indicare, quod Israelitæ illas exercuerint, ne unica quidem excepta. Dico ergo, quod si rem hanc probe excusserimus, nos inventuros, cultuum alienorum, quos exercebant, *Decem* reperiri species: *Prima species est ea*, quam primo etiam loco adducit Nachmanides, quod scil. coluerunt Angelos, & crediderunt, illos esse Principes populorum, & benefacere cultoribus suis. Idcirco dicitur hic, dum recensentur peccata Israelis, 2. Reg. 17. 7. *Et timuerunt Deos alienos*, quia ut dictum, Angeli vocantur *Dii*.

*Secunda* iterum est secunda, quam adducit Nachmanides, cultus sc. exercitus cœlestis, Stellarum & Planetarum. Hæc coluerunt, quia existimarunt, illa magnam virtutem habere in terram, & omnia crescentia, sicut scriptum est. Et *expandent ea ad solem & lunam, & ad omnem exercitum cœli, quæ dilexerunt, & quibus servierunt &c.* Jerem. 8. 2. Et sic dicitur in Lege; *Neve attollas oculos tuos in cœlum & videas solem & Lunam, & stellas, omnem militiam cœli, & impellaris & incurves te illis, colasque ea quæ distribuit Dominus Deus*

tuus

*tuus omnibus populis ſub toto cœlo*, Deut. 4. 19. De hac ſpecie dicitur hic: *Incurvaverunt ſe univerſæ militiæ cœli*, verſ. 16. Et quia Sol eſt agens maximum, & principium generationum omnium, deque eo dicebant, nihil ei eſſe ſimile, idcirco de eo in ſpecie dicitur; *Servieruntque* לבעל *Baali*, *& tranſire fecerunt filios ſuos*, *& filias ſuas per ignem*, hic enim erat cultus Solis, eo quod dominetur in elementum Ignis.

*Tertia ſpecies* eſt cultus figurarum & imaginum, *Taliſman* dictorum, quas certis horis faciebant, ut ipſis eloquerentur, & indicarent futura. Et quamvis hoc habuerint pro dimiſſione ſpiritualis virtutis Planetæ alicujus ſuper illam figuram vel imaginem; tamen conſtituitur hinc ſpecies peculiaris, quia Cultores ſpeciei ſecundæ colebant ſidera cœleſtia ipſa, non imagines & figuras. Hæc itaque ſpecies tertia eſt alia, illorum ſcil. qui colebant illas figuras, exiſtimantes, illas habere virtutes, ad faciendum quod ipſi volunt. De tertia hac ſpecie dicitur hic: *Atque fecerunt ſibi conflatile*, *duos vitulos & lucum*, verſ. 16. Nam Vituli & lucus, ſive arbor iſta אשרה dicta, fuerunt apud ipſos figuræ, & τελέσματα ſ. Taliſman.

*Quarta ſpecies* eſt cultus Imaginum peculiarium, pro felici accretione plantarum & Agricultura. Circa hæc enim viri tertiæ ſpeciei peculiariter occupabantur, ipſorumque artificium vocatur עוננות & cultores ſ. artifices ipſi מעוננים quia præcipuus ipſorum finis erat, Electio horarum certarum, quæ utiles ſint, & conducant ad multiplicandos proventus terræ, ad arationem, & ſementem. Reſpectu hujus ſpeciei dicitur hic: *Statueruntque ſibi ſtatuas & lucos*, *ſuper omnem collem elevatum*, *& ſubter omnem arborem viridem*.

*Quinta ſpecies* ſunt figura *Teraphim* (תרפים) quarum factores credunt, quod & ipſæ doceant, per ſigna ab ipſis prodeuntia, res futuras, dicuntque qui eas interrogant; Ex. gr. *Si proſpere cedet id quod facturus ſum, videam in viſione diurna*, *aut in viſione nocturna*, *Virginem formoſam*, *cum lucerna ardente in manu*; *ſin minus*, *videam mulierem nigram cum face extincta in manu*; ac ſi figuræ iſtæ Teraphim cultæ, eſſent cauſæ, ut inſomnio aut viſione eveniret ſignum, quod interrogans conſtituit, pro reſponſo ſuo. De hac ſpecie loquitur Prophetas *Teraphim loquuta ſunt vanitatem*. Zach. 10. 2. *Interrogavit Teraphim*. Ezech. 21. 21. Et quia, ipſorum opinione, illorum ratio eadem fere erat, quæ Urim & Thummim, idcirco dicitur *ſine Ephod & Teraphim*. Hoſ. 3. 4 Atqui ita differunt inter ſe, ſicut res vere ſenſibilis, a figuris imaginariis falſis. De hac ſpecie dicitur hic: *& fecerunt res malas*, *Irritando Deum*. verſ. Irritabant enim eum faciendo Teraphim, ad ſimilitudinem ſacrorum Urim & Thummim.

*Sexta ſpecies* Idololatriæ eſt, quod coluerint Animal aliquod, exiſtimantes, ei ineſſe Spiritualem virtutem a ſuperioribus. Talis fuit ratio ידי עשתרות *Aſtaroth*, & דגון *Dagon* idoli Philiſtæorum. Sic errarunt Chaldæi de *Dracone* vel Balæna magna, quam ſapientes noſtri dicunt interfeciſſe *Danielem*: Sic Chaldæi qui venerunt, ut habitarent in terra Iſraelis, fecerunt סכות בנות *Succoth benoth*. De quo Rabbini noſtri ſcribunt in Capite Talm. ארבע מיתות quod fuerint colentes *Gallinas*, ut & Cuthæi fecerunt *Nergal*, quod eſt *Gallus*: Hivvæi fecerunt נסחן *Niſchan* & תרתק *Tartak*, quæ fuerunt *Canis & Aſinus*, ut Rabbini noſtri ſcribunt in loco allegato. Quia igitur levitas & fœditas hæc erat magna, ut homines rationem & intellectum habentes colant animalia irrationalia. Ideo dicuntur hic: *Servientes* הגלולים *idolis ſtercoreis, de quibus Dominus dixerat eis. Ne feceritis hoc* verſ. 12.

*Septima ſpecies* Idololatriæ eſt, quod colebant etiam Mortuos, aut Oſſa eorum, exiſtimantes, in eis, vel per ea eſſe ſcientiam futurorum, diſſentientes hac in parte a Salomone, qui dixit *Mortui non ſciunt quicquam*, Eccleſ. 9. 5. Ex hac ſpecie fuerunt אוב Pythones, ידעוני *Arioli*, *& quærentes mortuos*, de quibus Lex ſcribit. Hæc ſpecies proprie vocatur קסם *Divinatio*, & de ea dicit Propheta: *Quum autem dixerint ad vos*. *Quærite a pythonibus*, *& a Divinis quippe pipiunt & loquuntur*, *dicite illis*, *Nonne populus a Deo ſuo requirent? an pro vivis an pro mortuis?* Eſa. 8. 18. Reſpectu hujus ſpeciei dicitur hic, *Et divinarunt divinationes* v. 17.

*Octava ſpecies* cultus erat, quem exhibebant Cæſaribus & Regibus, qui proſpere geſſerunt bella ſua, multaſque terras ſibi ſubjecerunt, dicentes, hæc illos non ſine ſingulari virtute divina feciſſe. Hinc faciebant illorum imagines, & incurvarunt ſe eis. Dicebant enim, Deum illos conſtituiſſe in terra ſuo loco. Talis fuit ratio Nebucadnezaris, cujus ſubditi exiſtimarunt, quod ſi in ſe reciperent cultum ejus, & ad eum reſpicerent, proſperos & felices ſe futuros, ut & ipſe. Hæc ſecundum Rabbinos noſtros fuit

fuit ſententia & mens Pharaonis; Senacheribi item, qui dixit: *Aſcendam ſuper altitudines nubis, ſimilis fiam altiſſimo.* Jeſa. 14. Chirami item & ſociorum ejus, qui ſeipſos Deos fecerunt. Et de hac ſpecie dicitur hic: *Quia ſcidit Iſraelem a domo Davidis, & Regem conſtituerunt Jerobeam filium Nebat, expulit autem Jerobeam Iſraelem, ne iret poſt Jehovam, & peccare fecit eos peccato grandi.* v. 21.

*Nona ſpecies* eſt eorum, qui judicant ex rebus, quæ per accidens eveniunt. Exiſtimant enim hi, ſe poſſe ex illis judicare de futuris, juxta principia univerſalia. Hæc ſpecies propriæ vocatur נחוש & de ea dicit Propheta, *Terſit ſagittas, interrogavit Teraphim, inſpexit jecur* Ezech. 21. 21. Ad hanc ſpeciem pertinuerunt ſortes variæ. Ideo dicunt הפסיק זארי או זאב או שועל כדרך: Reſpectu hujus ſpeciei dicitur hic וינחשו. *Et augurati ſunt.* v. 17.

*Decima ſpecies* eſt tertia, cujus ſupra meminit Nachmanides, eorum qui poteſtatem & dominium attribuunt quoque Dæmonibus, qui, ut illi credunt, ſunt in aere. De his quidam exiſtimant, illos eſſe ſubſtantias ſeparatas & abſtractas a materia; alii credunt, illos eſſe compoſitos ex aere & igne, arbitranturque ſe attrahere eos poſſe per ſacrificia, aut incantationes, quæ habeant proprietatem peculiarem adducendi eos, quo tempore & loco voluerint. Hæc ſpecies vocatur כשפים. Et quia frequentius invenitur inter mulieres, ob infirmiorem ipſarum animum, ideo dicitur מכשפה *Magam vel veneficam non ſines vivere* Exod. 27. 17. Hujus ſpecies eſt חובר חברים & de ea dicitur: *Et non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua dæmonibus*, Levit. 17. 7. Item: *Sacrificarunt dæmoniis, non Deo.* Deuteron. 32. 17. Et quia in his nulla eſt ſoliditas, ideo dicit de iis Deus; *Ipſi Zelare fecerunt me in re quæ non eſt Deus, iraſci fecerunt me in vanitatibus ſuis*, Deuteron. 32. 21. De hac ſpecie dicitur hic: *Et abierunt poſt vanitatem, vanique facti ſunt* v. 15.

Omnes autem iſtas cultuum ſpecies comprehendit Propheta, dicens: *Et tradiderunt ſe ad faciendum malum in oculis Domini, ut irritarent eum*, v. 17. quæcunque enim Idololatriæ ſpecies ad iram provocat Deum.

Ex his patet, Modos Idololatriæ omnes comprehendi ſub iſtis decem ſpeciebus: & omnes inventas fuiſſe in filiis Iſrael. Non commemoravi autem eas ordine, ſecundum loca ſcripturarum, ſed juxta Gradus illarum.

Et ſecundum has ſpecies diviſæ fuerunt religiones apud antiquos, conſtituebantque in iis felicitates ſuas, quæ ipſis obtingebant, & attribuebant eas Diis ſuis, ſicut dicitur: *Ex eo tempore, quo ceſſavimus ſuffire reginæ cœli, & libare ei libamina, caruimus omnibus, gladioque & fame conſumti ſumus.* Jerem. 44. 18. Et Habacuc dicit: *Propterea ſacrificabit ſaginæ ſuæ, ſuffiet reti ſuo quia per illa impinguata eſt portio ejus pingue pecus.* Habacuc 1. 16. Et Job. *Proſpere agunt tabernacula prædonum, & ſecura ſunt provocantibus Deum, & ei qui producit Deum manu ſua* cap. 12. v. 6. Et revera *octo poſteriores* ex decem iſtis ſpeciebus fundatæ ſunt ſuper lineam deſolationis, & lapides vacuitatis, (ex Eſa. 34. 11.) quia ſunt res a veritate & ratione deflectentes: *Quæ* vero *priores ſpecies, quæ* verſantur circa Intelligentias abſtractas, & Stellas, entitatem aliquam per ſe habent: Cultus vero illorum eſt amentia & ſtupor cordis: quia virtutes & potentiæ Intelligentiarum abſtractarum, & corporum cœleſtium, Syderumque ſunt limitatæ & determinatæ, neque pertingunt, niſi eo quo deſtinatæ ſunt. Quemadmodum enim Ignis potentiam habet calefaciendi, Aqua refrigerandi, ſic e.g. Mars potentiam habet perdendi & deſtruendi, Jupiter proſperandi, & ditandi, neque in ipſorum poteſtate eſt iſtam proprietatem mutandi, contrariam influentiam demittendi ſuper aliquem, prout quiſque ea vel colit, vel non colit, ſicut aqua non poteſt contra naturam ſuam facere. Quando vero ſubjectum aliquod diſpoſitum eſt ad recipiendum influentiam illam, quæ provenit ex natura Planetæ alicujus veluti ad recipiendam humiditatem a luna, calorem ab igne, & illam accipit: non ſequitur tamen inde, quod Operatio illa proveniat ab arbitrio & voluntate Planetæ, ille enim operatur per diſpoſitionem naturalem. Atque hoc eſt fundamentum, & principium erroris plerorumque Idololatrarum, quod exiſtimarunt Influentiam, quæ provenit a planeta, provenire a beneplacito ejus, propter opus illud, quod faciunt coram eo, non reputantes, opera ſeu actiones illas vel nihil quidquam facere, vel naturaliter largiri qualitatem aliquam recipienti ſeu objecto: quia potentia Virtutum ſuperiorum eſt determinata, & operantur naturaliter, non ex arbitrio & voluntarie. Unde oratio, & reliquus cultus, qui illis exhibetur, prorſus eſt inutilis, quia non poſſunt mutare terminos ſibi præſcriptos & operationes ſuas: ſed id fit a ſolo Deo, qui ſua voluntate, & mero beneplacito omnia agit, pro-

prout voluerit, sive subjectum sit aptum, sive non aptum & dispositum. Hinc dicit Propheta per ludibrium quasi, de illis: *Ne timeas ab illis, malefacere non possunt, neque etiam benefacere penes ipsos est*. Jer. 10. 5. Et de figuris sive Imaginibus: *prodest sculptile, quod sculpsit fictor ejus, aut conflatile, quod docet mendacium, quod speret fictor in figmento suo, ut faciat Idola muta: Væ dicenti ligno, Expergiscere, & lapidi silenti, Excitare*, Habac. 2. 18. 19. & aliis in locis.

# ANDREÆ BEYERI

*H. S.*

## MYTHOLOGIÆ DEORUM AC HEROUM PARS GENERALIS

De origine Distributione, & Attributis eorum.

### CAPUT PRIMUM.

*De primis Deorum cultoribus.*

ID de se gloriati sunt *Ægyptii*, *Atlantides Persæ*, *Æthiopes Angliæ* Pop. Africæ, *Arcades*, *Judæi*, authore Tacito, qui mente sola unum Numen intelligebant. *Phœnices*, *Phryges*, *Chananæi & Syri*. *Cecrops* apud Græcos primo omnium Jovem appellasse, aras statuisse & victimas immolasse perhibetur.

### CAPUT II.

*De diversorum de Diis Opinionibus.*

PRo Diis *habuerunt*;

Mundum *Stoici & Varro*.

Mentem, quæ ex aquis omnia formavit sine fine & principio, *Tales Milesius*.

Stellas & astra *Anaximander*.

Aera infinitum *Anaximenes*.

Mentem igneam & mundi animam *Democritus*.

Animam per universas mundi partes Omnemque naturam commeantem atque diffusam, ex quo omnia animalia vitam capiunt, *Pythagoras & Virgilius*.

Numerum ineffabilem, *Lysis & Philolaus*.

Terram *Pherecydes*.

Quatuor elementa *Prodicus*.

Naturam *Straton*.

Divinam necessitatem *Chrysippus*.

Legem naturalem & divinam *Zeno Citticus*.

Orbem qui contigit cœlum, quem στεφάνην appellat, *Parmenides*.

Mentem æternam, causam boni in natura *Plato*.

Unam mentem omnium causam *Aristoteles*.

Vim naturalem ac animalem qua omnia reguntur *Speusippus*.

Planetas & lumen cæterarum stellarum *Xenocrates*.

Lumen non ut in Sole ac igne est, sed rationis, quo occulta mysteria sapientibus videntur, *Brachmanes*.

Ex atomis concretos & corporeos, humana figura, licet ab hominibus discretos, *Epicurus*.

Mentem quandam solutam, liberam & segregatam ab omni concretione mortali omnia sentientem & moventem, *Cicero*.

CA-

## CAPUT III.

*De Atheis & Deorum contemtoribus eorumque pœnis.*

Theodorus, qui Atheus cognominatus est, dicebat nugas esse, qui de Diis sermones habentur, nec eos esse: quare omnes ad furta, perjuria & rapinas hortabatur.

*Protagoras* Abderita negabat sc. omnino habere de Diis quod liqueat, sint non sint, qualesve sint.

*Capaneus* Deorum contemtor ubivis introducitur a Papinio Statio.

*Mezentium* contemtorem Divum appellitat Virgilius.

*Glaucus* cum Sacra Veneris contemneret ab equis furore correptis laceratus est.

*Ajax* Oilei filius Cassandram in templo Minervæ stupravit, quare in mari fulmine percussus est.

*Pentheus* dum Sacra Bacchi despicaretur a matre Agave cæterisque Mænadibus interfectus est. Ovid.

*Lycaon* Rex Arcadiæ cum Jovi insidias pararet, in lupum mutatus est. Ovid.

*Alcithoe* Bacchi contemtrix in vespertilionem mutata est. Ovid.

*Erisichthon* Cereris locum abscidit, ideo ad tantam famem compulsus est, ut sua membra corroderet. Ovid.

*Prætides* quod Junonem vel Venerem spernetent in vaccas fuere mutatæ. Ovid.

*Atalanta & Hippomenes* Venereo concubitu templum Cybeles profanarunt, quare in leones ambo sunt mutati.

*Diomedes* Venerem in bello Trojano vulneravit, Homer.

*Briareus* & cæteri Gigantes Deorum contemtores quoque audiunt, cum & arma contra eos sumserint; propterea fulmine icti sunt. Claud.

*Phlegras* Rex Lapitharum templum Apollinis incendit, quare apud inferos vehementer cruciatur. Virg.

*Salmoneus* Æoli filius Jovi fulmina in aere simulabat in Elide, ut Deus crederetur. Virg.

*Lycurgus* Rex Thracum contemto Baccho asciam cruribus suis illisit. Ovid.

*Xerxes* Rex Persarum Neptuno pedicas & Soli tenebras interminatus est, totumque amisit exercitum. Herod.

## CAPUT IV.

*De iis qui bruta, plantas, aliasque res naturales ac viliores pro Diis habuerunt.*

Accipitrem *Ægyptii*.
Allium *Ægyptii*.
Anguillam *Ægyptii*.
Aquam *Persæ & Græci*.
Aquilam *Thebani*.
Araneam *Athribitæ*.
Aspides *Ægyptii*.
Bovem *Ægyptii*.
Capram *Mendesii*.
Canem *Ægyptii*.
Cetum *Babylonii*.
Cæpas *Ægyptii*.
Crocodilum *Ægyptii*.
Cynocephalum *Hermopolitæ*.
Draconem *Albani*.
Febrim *Romani*.
Felem *Ægyptii*.
Fornacem *Romani*.
Hircum *Mendesii*.
Ibin *Ægyptii*.
Ignem *Persæ & Græci*.
Leonem *Leontopolitani*.
Leænam *Ambracii*.
Lunam *Persæ & Ægyptii*.
Lupum *Lycopolitæ & Delphicl.*
Mortem *in Gadibus*.
Murem *Athribitæ*.
Ovem *Theani & Saitæ & Samii*.
Oxiringas pisces *ad Mœotim*.
Phœnicem *Ægyptii*.
Rubiginem *Romani*.
Senectutem *in Gadibus*.
Serpentes *Phœnices, Argivi, Epidaurii*.
Solem *Persæ & Ægyptii*.
Tellurem *Persæ, Græci, Scythæ*.
Testamentum *Romani*.
Testudines *Troglodxtæ*.
Vaccam *Ægyptii, Tenedii*.
Ventos *Græci, Persæ*.

## CAPUT V.

*De distributione Deorum in varias classes.*

Alii ex iis fuerunt Dii.
Actionum humanarum *de quibus vide c. 7.*
Agricolarum vide c. 8.
Aquatici *vide c. 9.*
Antiqui id est, qui semper pro Diis habiti, *vide Deos majorum gentium c. 10.*
Cœlestes qui contradistinguuntur infernalibus marinis ac terrestribus.

Certi, quos ædibus publicis & insignibus honoraverunt Romani.
Consentes seu præcipui vide *c.* 10.
Consultores vide *c.* 10.
Facti, *vide Indigetes c.* 11.
Fluviorum *vide Nymphas c.* 9.
Fontium *vide Nymphas c.* 9.
Indigetes *vide c.* 11.
Incerti qui Certis contradistincti.
Infantum *vide c.* 13.
Infernales *vide c.* 14.
Lares vide Lara in parte Speciali.
Lemures id est larvæ nocturnæ & terrificationes imaginum & spectrorum.
Majores seu Majorum gentium *vide c.* 9.
Marini *vide c.* 9.
Minorum gentium, qui Majoribus contradistiguuntur.
Montium *vide c.* 15.
Navigantium *vide Aquatici c.* 9.
Nascentium *vide c.* 13.
Nereides *vide c.* 9.
Nuptiales *vide c.* 16.
Nymphæ *vide c.* 9.
Partium humani corporis *vide c.* 18.
Parturientium *vide c.* 17.
Pastorum *vide c.* 8.
Patrii. ) Penates. ) *vide c.* 10.
Plebeij qui non erant Magni.
Proprii quos datur ascensus in cœlum *vide c.* 15.
Regionum certarum *vide c.* 19.
Rustici *vide c.* 8.
Selecti *vide c.* 10.
Semidii ) Semones ) *vide c.* 11.
Superni qui contradistinguuntur Infernalibus.
Sylvarum *vide c.* 8.
Tempestatum *vide Agricolarum c.* 8.
Terrestres contradistinguuntur marinis.
Tutelares *vide Penates c.* 19.
Urbium certarum *vide c.* 19.

## CAPUT VI.

*De Diis actionum humanarum.*

ABeona, Adeona, Ageronia, Agonius. Ajus Locutius. Anculi vellæ. Angerona. Averuncus. Catius. Fessoria. Fugia. Hero Martis. Hersilia. Hora Horta. Fidius sive Sanctus Dius. Laverna. Libitina. Lubentia. Murcia. Nonia. Numeria. Pavor & Pallor. Pellonia. Priapus. Sanctus vel Dius. Stata. Stimula. Strenua. Vacuna. Vertumnus. Vestitus. Vibilia. Victus. Vitula. Volumnus-na. Volupia.

## CAPUT VII.

*De iis agricolarum, seu rusticis Sylvarum & montium.*

BAcchus, Bonus Eventus. Bubona. Ceres. Chloris Collina. Dryades. Fauni. Flomi. Fructesia. Fulgor. Hamadryades. Hippono. Hostilina. Isis. Jugatinus Jupiter. Lactureano. Hostilina. Isis. Jugatinus Jupiter. Lacturea. Liber. Luna. Lympha. Matuta. Mellona. Minerva. Napæa. Nodotus. Oreades. Osyris. Pales. Pale. Pan. Patelena. Picumnus. Pilumnus. Pomona. Populonia. Priapus. Proserpina. Rubigus vel Rubigo. Runcina. Rusina vel Rutina vel Rurina. Satyri. Seja, vel Segecia, vel Segesta. Sol. Stercutius vel Sterquilinus. Spiniensis. Sylvanus. Terminus. Tellus. Titulina vel Tutelina vel Tntilina. Triptolemus. Tutanus. Vallona. Venus. Vertumnus. Volutina.

## CAPUT VIII.

*De Diis Aquaticis.*

1. De Marinis.

AMphitrite. Castor. Doris. Glaucus. Ino. Juturna. Leucothea. Liduna. Matuta. Melicertes. Oceanus. Oceanitides vel Nereides. Najades. Neptunus. Portunus, vel Portumnus. Phœbas. Pollux. Proteus. Salacia. Thetys vel Thetis. Venilia. Venus. Vertumnus.

2. Nereides vero hæ sunt.

*Agave. Amphitrite. Autonome. Cymatologe. Cymo. Cymodoce. Cymothoe. Dynamede. Eione. Erato. Evagore. Evarne. Eucrate. Eudore. Eulimine. Eunica. Eupompe. Galathea. Galene. Glauce. Glaucomene. Halimede. Hipponoe. Hippothoe Laomedia. Liagore. Lysianasse. Melite. Menippe. Nemerte. Nesæa. Neso. Panope. Pasithea. Pherusa. Pontoporia. Polynome. Pronoe. Proto. Promedia. Psamathe. Sao. Spio. Thalia. Themiso.*

3. De Diis Fluviorum & Fontium, quæ & Nymphæ & Najades dicuntur.

*Acasta. Admete. Ægeria. Ægle. Agaperte. Agave. Amathia. Amphithoe. Amphinome. Amphitus. Amphyro. Aretusa. Asia. Atte. Beroe. Calianasse. Calliroe. Calypso. Casinaria. Cerceis. Clio. Clotho.*

*tho. Clymene. Clysie. Corusice. Creseis. Cydippe. Cymodoce vel Cymodocea. Cymothoe. Deiopeia. Dianassa. Dione. Doris. Dothoe. Doxo. Drymo. Dynamene. Electra. Ephyre. Erete. Europa. Eurybia. Eurynome. Galatea. Galaxaura. Glaucis. Halia. Hippo. Hyale. Jaera. Janira. Janthe. Idothea. Idyja. Laodice. Lara. Leonthadome. Ligea. Liminoria. Lyceste. Lycorias. Marcia. Melantho. Melite. Meloboris. Menestho. Metis. Mintha. Nenopene. Nemeritis. Nisæa. Nise. Niso. Oegroe. Opis. Orithyia. Panope. Panopea. Pasithoe. Peloris. Persa. Perseis. Petrea. Pherusa. Pholoe. Phyllodoce. Pitho. Plexaura. Plione. Polydora. Protho. Prymno. Rhodea. Sagaritis. Sangaris. Spio. Styx. Syrinx. Thelesta vel Thelestho. Thalia. Thero. Thespie. Thetis. Thoe. Thyca. Thyella. Thysbe. Torrebia. Tyche. Tyro. Uranie. Xantho velta, Zeuxo, Zexo.*

## CAPUT IX.

*De Diis Consentibus, qui & Selecti & Cœlestes & Præcipui & Majorum Gentium & Magni & Consultores.*

ITa imprimis illi dicuntur Romanis, quos Æneas in Italiam attulit, fueruntque sex mares & totidem fœminæ, quorum imagines ad forum stabant auratæ. Hos Ennius duobus hisce versibus complexus est.

> Juno, *Vesta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*.
> *Mercurius*, Jove, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Huc referunt & Deos *Penates*, qui & *Penetrales* & *Vitales* ac *Tutelares*. *Græcis* πατρῷοι, γενέθλιοι, κτήσιοι, μύχιοι, ἕρκιοι dicuntur: Vide vero c. 9.

## CAPUT X.

*De Indigetibus, qui & Semones, Semidei, & Minores & Heroes dicebantur.*

SUnt illi, qui cum alterutrum parentem mortalem haberent, cœlo donati sunt: vel quos ex hominibus, ut plerisque Imperatorum primorum Romanorum contigit, merita vel adulatio in cœlum vocavit, Græcis dicuntur ἡμίθεοι & χορῆτες, ex his sunt.

*Acca Laurentia. Achilles. Æsculapius. Anna Perenna. Bacchus. Carmenta. Castor. Euander. Faunus. Hercules. Picus. Pollux. Quirinus sive Romulus. Tiberinus. Julius Cæsar. Augustus, &c.*

## CAPUT XI.

*De Apotheosi seu consecratione, qua homines in numerum Deorum referebantur.*

APotheosis dicitur quoque Deificatio & ἡρωικαὶ τιμαί.

Consecrati vero Heroes & Indigetes appellantur item ἰσόθεοι, ἰσολύμπιοι, ἀνιερωμένοι.

Duplex erat Apotheosis, privata & publica.

Privata ubi vel conjuges a conjugibus,
liberi a parentibus,
parentes a liberis sunt
consecrati.

Publica decernebatur a Senatu. Hujus illi fuerunt ritus imprimis apud Romanos.

Tota urbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus.

Ipsum funus sumtuose sepultum.

Imago cerea, quod funus imaginarium dicitur, simillima defuncto, lecto incumbens eburneo, pallida, auro intecta in sublimi ad vestibulum regiæ collocatur, Senatu a dextris pullato, matronis albo habitu ad sinistram, per septem dies ostendebatur.

Medici velut ægrotum invisunt, mox desperantes de salute.

Hinc ab equestris ac Senatorii ordinis juvenibus ad forum portatur, ubi hymni lugubres & pæanes a pueris & fœminis illustribus acclamantur.

Statuæ omnium illustrium a Romuli tempore, nec non imagines omnium provinciarum, quæ Romanis subjectæ erant, præferebantur.

Inde in campum Martium deportabatur, ubi suggestus multi pyramidaliter imminuti, quorum minor sublimior semper includebatur a majori inferiori: in quorum unum secundum a summo elevabatur imago, multaque odoramenta a ditioribus in eam effundebantur, saltusque pyrrhichius equis ac curribus circa instituebatur.

Postea successor imperii rostra conscendebat, & subinde plangentibus cæteris defunctum oratione laudabat: quo facto facem habitaculo admovet.

Interim aquila, quæ animam in cœlum deportare creditur, a fastigio pyramidis dimittitur.

At quibusdam fœminis pavo adhibebarur.

Conducebant & multo argento hominem probatæ fidei, qui juraret vidiffe se afcendentem ad cœlos.

Templa, aras & facerdotes iis ex Senatus confulto ordinabant & refcripta eorum vocabant oracula, facerdotes eorum Flamines & Sodales appellabantur, unde alii Quirinales, Auguftales, Claudiales, Flavii, Trajanales, Hadrianales, Antoniani &c. dicti

Sæpe etiam fœminæ adhibitæ & puellæ, quæ dictæ funt novæ & alimentariæ.

Inter deos relatis ponebantur imagines numinum cum radiis, aftris & fulminibus.

In omni apotheofi nomen fuit mutatum.

Hinc qui prius Romulus, poftea Quirinus dictus eft.

Qui Chalcides, Cymindes.

Qui Scamandrus poftea Xanthus.

*Hunc Icelon fuperi, mortale Phebœtora vulgus nominat.*

Qui Alexander, inde Paris dictus eft.

Per nomina & numina eorum jurabant.

Athenienfes nomina eorum peplo, quod Minervæ fufpendebatur, intexebant: unde proverbium ἄξιος τȣ πέπλȣ.

## CAPUT XII.

### *De Diis infantum ac nafcentum.*

*Carnea vel Carna. Cunia. Educa vel Edufa. Fabulinus. Fauta.* Juventa *vel* Juventus. *Levana* Janus. *Nafcio feu Natio. Nundina. Opis. Orbona. Offilago. Paventia. Potina. Rumina. Statilinus & Statanus. Vagitanus feu Vaticanus.*

## CAPUT XIII.

### *De Diis infernalibus.*

*Pluto. Proferpina vel Perfephone vel Hecate vel Luna vel Diana. Cerberus. Charon.*

Judices ( *Æacus. Rhadamantus. Minos.*

*Furiæ five Eumen.* ( *Megæra. Tifiphone. Alecto.*

*Diræ five Pœnæ Parcæ* ( *Clotho. Lachefis. Atropos.*

Præterea huc fpectant:

Nox. Erebus. Tartarus. Orcus Mors five Mortes. Umbræ. Luctus. Senectus. Morbus. Fames. Somnus. Morpheus. Sopor. Pudor. Metus. Pavor. Funus. Dolor. Bellum. Manes. Elyfii. Heroes. Pœnæ infernales. Angues & flagra Furiarum. Tyrii vultur. Ixionis rota Sifyphi Saxum. Tantali fames. Danaidum dolium.

*Cadmeides* ( *Agave Ino Autonoe* )

*Ægæon* ( *Saturnus vinctus Gigantum catena.*

Titanes captivi. Centauri. Scylla. Monftra varia. Striges. Noctuæ. Bubones. Arbores luctuofæ. Cupreffus. Taxus. Herbæ foporiferæ. Urna judicum. Caftor & Pollux. Tænarus feu via ad inferos. Tenebræ feu Lux crepera. Fluvii Infernales. Styx. Lethe. Cocytus. Phlegethon. Pyriphlegethon. Acheron.

## CAPUT XIV.

### *De Diis Moralibus.*

CIcero hos vocat, propter quos datur afcenfus in cœlum, funtque ferme fequentes: Clementia. Concordia. Dice. Fama. Felicitas. Fides. Fœcunditas. Juftitia. Honor. Libertas. Mens. Mifericordia. Occafio. Pax. Pietas. Prudentia. Pudicitia. Pudor. Quies. Salus. Spes. Veritas. Virtus.

## CAPUT XV.

### *De Diis Nuptialibus.*

CInxia Juno. Diana. Domiducus. Domitius. Hymenæus. Jugatinus. Jupiter perfectus feu adultus. Juno perfecta feu adulta. Juno interduca. Lucina. Manturna. Mutinus five Priapus. Dea mater Prema. Deus pater Subigus. Suada. Thalaffius. Venus. Virginenfis. Unxia Juno. Viriplaca.

## CAPUT XVI.

### *De Diis Parturientium.*

BOna Dea. Deverra. Egeria. Fluonia Juno. Hecate Intercidona. Lucina Juno. Mater matuta. Mena. Nixii Dei tres. Pertanda feu Pertunda. Poftuerta. Prorfa five Profa. Pilumnus. Sofpita.

C A-

## CAPUT XVII.

*De Diis Partium humani Corporis, Tribuerunt.*

AUres *Memoriæ*. Caput *Jovi & Soli*. Cor Soli. Dextram *Fidei*. Digitos *Minervæ*. Dorſum ac podicem *Plutoni*. Epar *Jovi*. Frontem *Genio & Pudori*. Genua *Miſericordiæ*. Genitalia *Veneri*. Ilia *Marti*. Linguam *Mercurio*. Mammas *Rumiliæ*. Oculos *Cupidini & Minervæ*. Os *Mercurio*. Pectus *Neptuno*. Renes *Veneri*. Sanguinem *Marti*. Splenem *Saturno*. Stomachum *Lunæ*. Supercilia *Junoni*. Talos ac plantas pedis *Thetidi*.

## CAPUT XVIII.

*De Diis Tutelaribus qui & Penates, & Genii & Cuſtodes, & Topici & Proprii dicebantur.*

HI Dii a certis quibuſdam populis, vel in una ſaltem Urbe colebantur, atque inde diſtinguuntur a Diis communibus, quos plurimi pariter coluerunt

Horum imagines aſſervabantur apud Regem & qui univerſæ civitatis curam habebat.

Nec licebat vulgo aut exteris eorum nomina ſcire, ne carminibus vel pollicitationibus in Obſidionibus Urbium, quas defendere credebantur, evocarentur.

Quare tempore Obſidionis catenis quoque advringebantur. Sequentium igitur populorum, Regionum & Urbium peculiares hi fuere Dii.

Ægyptiorum, *Epies*, Item *Canopus*, Item *Palmitius*, Item *Iſis*, Item *Oſiris*, Item *Anubis*.

Ad Ætnam habitantium *Ceres*. Æolidum *Vulcanus*, *Æolus*. Afrorum *Cæleſtis ſeu Uranius*. Alabandenſium *Alabandus*. Alalcomeniorum *Minerva*. Amathuntis *Venus*. Antii *Fortuna*. Aquilejenſium *Fellenus*. Aracynthi Ætol. montis *Minerva*, Arcadum *Faunus*. Arabum *Diaſaros* ſive *Duſarus*, Item *Cœlus*. Item *Dionyſius* ſeu *Bacchus*. Argivorum *Juno*. Item *Amphiaraus*. Armeniorum *Tanais*. Aſculanorum *Ancharia*. Aſſyriorum *Adad*. Item *Adagartis*. Aſtypyleorum *Cleomedes Athleta*. Athenienſium *Minerva*. Item *Conſiſalus*. Item *Erechtheus*. Bauronis urbis Atticæ *Diana*. Callichoriſl. Paphlagoniæ *Bacchus*. Carthaginis *Juno*. Carum *Loginia*. Item *Ogoos*. Cattanenſium in Sicilia *Ceres*. Ceæ *Ariſtæus*. Chaldæorum *Euadne*. Cherroneⁿſium *Malpadia*, quæ & *Semidea*. Chiorum *Drimachus*. Chryſæ Urbis Phrygiæ *Apollo*. Cillæ *Apollo*. Clari Inſulæ ex Cycladib. *Apollo*. Colchiorum *Amor*. Coorum *Æſculapius*. Cretæ *Jupiter*. Cruſtumienſium *Delventinus*. Cynthi montis Deli, *Apollo*. *Diana*. Cypri *Venus*. Deli *Apollo*. Item *Diana*. Delphiorum *Apollo*. Dindymi montis Phrygiæ *Cybele*. Eleorum *Taraxippus*, Item *Soſipolis*. Item *Ilithyia*. Eleuſinis *Ceres*. Eunæ urbis Sicil. *Ceres*. Epheſiorum *Diana*. Epidauri *Damia ſive Lamia*. Item *Auxeſia*. Item *Atheſius*. Item *Æſculapius*. Erycis montis Sicil. *Venus*. Ferentinorum *Ferentina*. Gadium *Hercules*. Germanorum *Velloda*. Item *Tanfana*. Item *Aurinia*, Item *Tuiſco*. Item *Mannus*. Getarum *Zamolxis*, *Mars*. Gnidi *Venus*. Grynæorum *Apollo*. Hetuſcorum *Tages*. Homoles montis Theſſal. *Jupiter*. Hyperboleorum *Apollo*. Idæ montis Phrygiæ, *Venus*. Idæ montis Cretæ *Jupiter*. Italorum *Feronia*. Lampſaci *Priapus*. Latinorum *Faunus*. Lemniorum *Vulcanus*. Lesbiorum *Apollo*. Libycorum *Pſaphon*. Liparæ *Vulcanus*. Mileſiorum *Apollo*. Minturnenſium *Marica*. Mycænarum *Juno*. Narnienſium *Viridianus*. Naxiorum *Bacchus*. Norici *Tibilenus*. Nyſæ *Bacchus*. Olympi *Jupiter*. Orchomeniorum *Laphyſtius*, *Gratiæ*, ſeu *Charites*. Oropiorum in Attica *Amphilochus*. Otriculanorum *Valentia*, Pataræ *Apollo*. Paphiorum *Venus*. Parianorum pop. Helleſponti *Amor*. Parthenii fluv. Paphlagon. *Diana*. Pergamenorum *Teleſphorus*. Item *Æſculapius*. Perſarum *Anaitis Venus* vel *Diana*. Item *Amanus*, Item *Sol*. Item *Anandatus*. Phaſelidis montis Lyciæ *Apollo*. Phaliſcorum *Juno*. Phaſelitarum in Pamphilia *Cabrus* vel *Calabrus*, vel *Caper*. Phœnicum *Enentheus*. Phrygum *Cybele*. Præneſtis *Sortes* & *Fortunæ*. Pyrei portus Athen. *Jupitur*, *Minerva*. Rhamnuntis *Nemeſis* item *Fortunæ*. Rhodiorum *Sol*. Romanorum *Quirinus* ſive *Romulus* item *Mars*. Sabinorum *Sancus*, *Sanctus* vel *Sangus*. Samiorum *Juno*. Scytharum *Sol*. Siculorum *Adramus*, Item *Palicus* vel *Calici*. Item *Proſerpina*. Sicyoniorum *Coronis*. Sidoniorum *Aſtartes*. Item *Zavanas*. Soractes *Apollo*. Sutrinorum *Nortia*. Syrorum *Aſtarte*. Item *Carmelus*. Item *Dorceto*, *Dorcetus* vel *Dercetus*. Item *Dagon*. Tænari *Neptunus*. Tartarorum *Natagay*. Tegyræ Urbis Bœot. *Apollo*. Tendiorum *Tenes*. Tenediorum *Apollo*. Thaſiorum *Theagenes*. Thebanorum in Ægypto *Crephagenetus*. Theba-

banorum *Bacchus*. Item *Hercules*. Therapnes *Apollo*. Thermodoontis *Mars*. Thespienorum pop. Hellesp. *Amor*. Thracum *Mars*. Item *Boreas*. Tricæ Urbis Thessal. *Æsculapius*. Tyburtinorum *Albunea*. Item *Hercules*. Tyrinthis *Hercules*. Valiscorum *Pater Curis*. Vulsinensium *Nursia*. Multa insuper huc referri poterant, quæ vide in parte speciali sub titulis *loca consecrata*.

## CAPUT XIX.

*De Diis Variarum rerum Miscellanearum.*

Actionum humanarum vide Cap. 7. Æris *Æsculanus*. Agricolarum vide c. 8.
Ancillarum *Anculi*, vel *Anculæ*.
Angina laborantium *Angerona*.
Aquarum vide c. 9. Anni *Janus*, item *Eanus*.
Armentorum *Numa*. Astronomiæ *Urania*.
Boum *Bubona*. Cardinum *Cardea* s. *Carna*.
Consiliorum *Consus*.
Claudendis & pandendis rebus *Clusius* & *Patulejus*.
Cloacarum *Cloacina*, *Stercutius*.
Eloquentiæ *Pitho*, *Suada*, *Mercurius*.
Equorum *Hippona*, *Castor*. Febris, *Febris*.
Florum *Flora*. Fluviorum, vide c. 9.
Fontium vid. c. 9. Fornacum. *Fornax*.
Fortunæ *Sortes*. Fugæ, *Fugia*.
Furum *Laverna*, *Furina*.
Hortorum *Priapus*, *Alcinous*, *Flora*.
Januarum *Forculus*, *Cardea*, & *Limentius*.
Impudentiæ *Coalemus*. Infantum vide c. 13.
Inferorum vide c. 14. Judiciorum, *Dice*, *Astræa*, *Themis*.
Juventutis *Hebe*. Lætitiæ *Vitula*. Liminum *Limentius*.
Literarum *Musæ*, *Mercurius*. Luxuriæ *Comus*.
Mali avertendi *Averruncus*. Mammarum *Rumilia*.
Maris vide c. 8. Menstruorum *Mena*.
Medicinæ *Æsculapius*, *Apollo*, *Meditrina*.
Mellis *Aristæus*, *Mellonia*. Montium vide c. 8.
Mortis *Morta*, *Libitina*, *Nænia*, *Mors*.
Muscarum *Myodes*, *Myagrus* & *Achor*.
Nascentum vide c. 13. Naturæ *Genius*.
Nominum Infantum *Nundina*. Nuptiarum vid. cap. 19.
Orbitatis *Orbona*. Palloris & Pavoris *Pallor* & *Pavor*.
Partium humani Corporis vide c. 18.
Parturientium vide c. 17.
Pastorum *Pan*. vide c. 8.
Patentium rerum *Empanda*. Paupertatis *Penia*, *Paupertas*.
Pecuniæ *Pecunia*. Pigritiæ *Murcia*, *Vacuna*.
Pomorum *Pomona*. Portuum *Portumnus*, *Palæmon*.
Reprehensionis *Momus*. Risus *Risus*.
Rubiginis *Robigus* vel *Robigo*. Rusticorum vide c. 8.
Scoparum *Deverra*.
Segetis *Ceres*, *Rubigus*, *Segesta*: vide c. 8.
Senectutis *Senectus*. Sensuum *Sentinus*.
Sermonis *Ajus Locutius*. Silentii *Harpocrates*, *Sigalion*.
Stercoris *Stercutius*. Sylvarum vide c. 18.
Tempestatum *Tempestas*, *Salacia*. Timoris *Timor*.
Tuendarum rerum *Tutilinus* sive *Tutanus*.
Vallium *Vallonia*. Ventorum *Æolus*. Vitæ *Vitunus*.
Voluptatis *Volupta*.

## CAPUT XX.

*De Locis Diis Consecratis ut, templis, ædibus, fanis, delubris, lucis.*

Templa tribuebantur Diis & consecrabantur ab Auguribus.

Horum primi Inventores putantur vel *Pelasgus*, vel *Thessalus*, vel *Eleutherus*, vel *Phoroneus*, vel *Otrita Amazon*, vel *Lycaon*.

Quædam Gentes nulla admittebant templa, ut Sicyonii & Persæ, qui solem unice colebant nullis tectorum angustiis coercendum.

Forma templorum & situs non omnium idem. Aliis Diis rotunda, aliis tecto perforato ponebant, Cœlitibus ac superis a terra extare templa volebant; inferis Diis sub terra, terrestribus media ponebant.

*Ædes* ferme idem quod templum, nisi quod Ædes poterant fieri etiam ex profanis ædificiis: Ipsa autem templorum loca ab initio consecrabantur. Hujus diminutivum est Ædicula, cum quo convenit *sacellum*.

*Fanum* cognatum vocabulum est vel a fondo vel a Fauno sic dictum.

*Delubrum* quidam esse volunt ubi sub uno tecto plures Dii coluntur: alii locum in templo volunt, ubi sacrificaturi se abluebant.

*Aras* vox communis tria in se complectebatur: Scrobiculum, in quo fiebat In-

Inferis, aram in qua *Terrestribus*, focum extructum, qui *Altare* dicebatur, in quo fiebat *cœlestibus*. Erigebantur & aræ juxta sepulchra prope Deorum templa & *Luci* consecrabantur, i. e. sylvæ quas incidere nefas erat.

Partes templorum erant vestibulum, adytum & penetrale.

In templis captabantur insomnia & futurorum eventus.

Ibi varia donaria sive ἀναθήματα suspendebantur in *tholis*, id est repositoriis seu paxillis, arma etiam & exuviæ a militibus, quæ acrothinia dicebantur, nautæ vela, artifices instrumenta; alii dabant vasa, coronas, statuas & alia pretiosa munera.

## CAPUT XXI.

### *De Sacerdotibus Gentilium.*

L*Uperci* erant sacerdotes Panos. Vide Pan in part. *Sp. Sodales Titii*, a Titiis avibus, quas in auguriis observabant. Has aliqui Columbas fuisse putant. Alii a Tito Tacito sic dictos volunt, meminit horum Lucanus 1. Pharsal.

*Flamines* quasi filamines a filo seu licio quod in caput gerebant. Varii sunt & cognominantur a Diis vel sacris quibus operabantur. Vide Rosinum.

*Virgines Vestales* sacra Vestæ curabant, & ignem sacrum asservabant. Vide part. special. Vestales. Salii Sacerdotes Martis.

*Duumviri*, *Decemviri*, & *Quindecimviri* præerant lectioni librorum Sibyllinorum.

*Galli & Archigalli* erant sacerdotes Cybeles. Vide *Rhea*. *Thyades*, *Bacchæ*, *Mænades*, *Eleides*. *Mimallonides*, *Edonides*, *Euhyades*, *Bæssarides* erant Bacchi sacrificulæ.

*Phœbades* dicunt Phœbi sacerdotes.

Propria quædam sacerdotum Nomina *Panthus* Othrii filius sacerdos Apollinis. Virgil. *Anius* Rex, ejusdem sacerdos fuit Virg. *Lychas*. Item Virgil. *Hæmonides* ejusdem Virg. Statius. *Polybetes* Cereris Ovid. *Alphitius* Cereris Ovid. *Corcus* Cybeles Virg. *Iphigenia* Dianæ Tauricæ, Lucret. *Politius* Herculis Virg. *Teron* ejusdem, Silius.

*Calibe* Junonis Virg. *Alcinoe* Ejusdem Ovid. *Laacoon* Neptuni Virg. *Mera* Veneris. Statius.

## CAPUT XXII.

### *De Sacrificiis.*

SEcundum diversam naturam Deorum diversa fuere sacrificia.

Superis Diis in sublimibus templi, altaribus montibusque multis luminibus admixtis, fiebat; Inferis in locis depressis. Superis mane & sole oriente; Inferis & manibus sole occidente sacrificabant, sacrificantes coronabantur frondibus earum arborum, quæ istis Divis, quibus operabantur, erant consecratæ.

In superiorum Deorum sacris vestibus utebantur purpureis & albis; in Infernalium nigris.

*Lustrationes* & expiationes scelerum præcedebant, nec fas erat nisi lotis manibus ad sacra accedere.

Victimæ integerrimæ & selectissimæ auratis sæpe cornibus ad aras adducebantur.

Tunc observabant an victima libenter staret: nam si reluctaretur, removebatur ab aris, & Diis minime grata esse putabatur.

Victima ad aram adducta, Sacerdos manu aram stans prehendebat, & preces fundebat, initio facto a Jano & Vesta, per quos ad cæteros Deos aditum patere opinio erat; ne quid autem verborum prætervehere tur aut præpostere recitaretur, de scripto præibat aliquis, & alius custos erat, qui attenderet sedulo, tum alius præsentes linguis favere jubebat, tibicen item canebat, ne quid infaustum audiretur.

Hinc Sacerdos fruges aut molam salsam cum thure masculo in caput victimæ deponebat, qui ritus vocabatur immolatio.

Deinde vinum aspergebatur, quod antea ex limpuvio ligneo aut nectili leviter delibabat, & adstantibus gustandum offerebat, ut pariter libarent, quæ erat *libatio*.

Tum setas inter cornua victimæ manu evulsas, tanquam prima litamina projiciebat in ignem, & ad ortum conversus cultrum a victima ad tergum ducebat, & tandem victimam Diis ita dedicatam ministros jugulare jubebat; qui *cultrarii*, *victimarii*, *Popæ* & *Agones* vocabantur; alii admotis vasculis cruorem excipiebant, alii victimam excoriabant & abluebant, alii ignem accendebant.

Perpurgata victima Haruspex sive Flamen cultro ferreo viscera rimabatur & explorabat, an perlitatum foret; inspectis extis, quæ manu contrectare nefas erat,

erat, ad epulas ipsi & convivia revertebantur. Diis laudes canebant, pulsatis cymbalis choreas agebant.

Suæ autem singulis Diis victimæ erant deputatæ. Superis *albæ* & *impares*. Inferis *nigræ* & *pares* mactabantur. Jovi bove candido litabatur: Neptuno, Marti, Apollini tauro, ariete, verre: Cereri lacte, favis, porca; Cysali porca, Æsculapio capris & gallinis, Laribus gallo; Soli & Marti equo; Junoni agna; Veneri columba; Dianæ corvo; Pani & Minervæ capra.

Vinum in omnium Deorum sacris præterquam Cereris adhibebatur.

In sacris Deorum Marinorum Sanguis victimarum colligebatur in crateras, nec percutiebantur securi, sed cultris jugulabantur, erantque nigræ & fiebat in littoribus.

Deinde vinum effundebant in mare.

In Nympharum sacris etiam vinum in fluvium effundebant.

Inferorum victimæ jugulabantur in foveam: fovea earum Sanguine conspergebatur: mox vinum iis infundebatur.

## CAPUT XXIII.

### *De Vatibus, Auguribus & Auspicibus.*

*Runs* vates Thuscus Lucan.

*Astylus* Centaurus Ixionis filius Ovid.

*Branchus* filius Apollinis; Statius.

*Carmentis* Evandri mater, Virgil.

*Cassandra* Priami filia. Propert. Virgil.

*Choreus* Sacerdos Cybeles. Virg.

*Chryses* vates Junonis & Apollinis. Homer.

*Eurypilus*. Virgilius. *Helenus* Priami filius. Virg.

*Idmon* Apollinis & Asteriæ filius unus Argonautarum. Seneca.

*Manto* filia Tiresiæ. Virg. Stat. Ovid.

*Mopsus* unus ex Argonautis. Virg. Val. Flacc. Stat.

*Calchas* Græcus, qui cum Mopso concertavit. Stat. Virg.

*Nautes* vates Trojanus. Virg.

*Phæmonoe* virgo vates Apollinis & carminis Heroici inventrix. Lucr. Stat.

*Polyxo* nomen Phœbadis, Val. Flacc.

*Proteus* Oceani ac Tethyos filius. Virg.

*Theodamas* filius Melampodis successit Amphiarao vati Argivo. Statius.

Præterea leguntur hæc nomina vatum apud Politianum:

*Amalthea*, *Marphesia*, *Heriphile*, *Sabbe*, *Demo*, *Phryo*, *Phaonnis*, *Deiphome*, *Bacis*, *Ollen*, *Lychas*.

### *Augures.*

*Amphiaraus* filius Oiclei. Statius. *Asitas*. Virg.

*Calchas*. Virg. Ovid. Stat. *Japys* Jasii filius. Virg.

*Mæon*. Stat. *Rhamneres*. Virg. *Tolumnius*. Virg.

*Tiresias*. Ovid. Stat.

### *Aruspices.*

*Tages* primus omnium aruspicii disciplinam dedit Etruscis Ovid. Stat.

*Tarshon* aruspex etiam Thuscus. Virg.

## CAPUT XXIV.

### *De Insignibus ac Ornamentis Deorum.*

*Jovis* gestamen fulmen & sceptrum. *Neptuni* tridens sive fuscina. *Martis* framea. *Mercurii* Caduceus & harpe. *Herculis* clava. *Bacchi* nebris & thyrsus. *Dianæ* arcus. *Sylvani* cupressus. *Apollinis* laurea, arcus, sagittæ. *Palladis* ægis.

## CAPUT XXV.

### *De curribus Deorum & animalibus, quibus trahebantur.*

*Bacchi* currus vehitur lyncibus & tigribus. *Cybeles* leonibus. *Dianæ* cervis vel canibus. *Junonis* pavonibus. *Leucothoes* delphinis. *Lunæ* bobus. *Martis* equis, terrore, pavore. *Oceani* balænis. *Tritonis* piscibus. *Nemesis* gryphibus. *Saturni* draconibus sive serpentibus. *Solis* equis. *Thetidis* vel *Leucotheos* delphinis. *Veneris* cygnis & columbis.

## CAPUT XXVI.

### *De festis & Celebritatibus Deorum.*

*Adonia* sacra Cereris. *Agonia* seu *Agonalia* Agonii Ovid. *Ambarvalia* Cereris. Lucan. *Anthesphoria* Proserpinæ. Ovid. *Bacchanalia*, quæ & *Orgia*, *Trieteria*, *Nyctilea*, *Liberalia*, *Dionysia*, *Cotyria* Bacchi. *Carmentalia* Carmentæ. Ovid. *Cerealia* Cereris. *Faunalia* Fauni. Horat. *Forticidia* Junonis. Ovid. *Hecatombe* Jovis. Juvenal. *Hyacinthia* Hyacinthi. Ovid. *Lampadophoria* Dianæ. Stat. *Lemuria* Lemurum. Ovid. *Liberalia* vide Bacchanalia. *Lupercalia* Panos. Statius. Ovid. *Matralia* Matris matutæ. Ovid. *Megalesia* Cybeles. Ovid. *Munychia* Minervæ. *Novendium*, quod fiebat nono die

die post mortem alicujus Horat. *Nyctilia* vide Bacchanalia. *Palilia*. Pales. Tibull. *Protervia* ubi quicquid ex epulis superabat, incendebatur. Auson *Refugium* in commemorationem regum exactorum celebratur. Ovid. *Vide* amplius de hisce Ravis. in Offic. & Rosinum in Antiq. Rom. lib. 4. vide & in parte speciali sacra Festa Deorum.

## CAPUT XXVII.

*De Deorum Amasiis.*

GAnimedes fuit amasius Jovis. Virg. Ovid. *Endymion* Lunæ. Ovid. Stat. Propert. *Hylas* Herculis. Statius. Virg. Val. Flacc.

*Hyacinthus* Apollinis. Ovid. *Branchus* Apollinis, item *Daphne*. Stat. Ovid. *Ampelos* Bacchi. Ovid. *Adonis* Veneris. Ovid. Propert. *Cephalus* & *Tithonus* Auroræ. Ovid. *Atys*. Cybelæ. Statius, Ovid. *Hyppolitus* Dianæ. Senec. *Syrinx* Panos. Ovid. *Cyparissus* Sylvani. Virg. Vide in parte speciali Amores Deorum.

## CAPUT XXVIII.

*De arboribus & plantis Diis consecratis.*

ABies sacra est Baccho. *Adiantum* Plutoni. *Æsculus* Jovi. Virg. Item Herculi. *Allium* Laribus. *Alnus* Eumenidibus, item Sylvano. *Cedrus* Eumenidibus. *Cupressus* Plutoni. *Dictamnus* Lucinæ. *Ficus* Baccho. *Ferula* Baceho. *Fraxinus* Marti. *Gramen* Marti. *Hedera* Baccho. Ovid. Stat. *Ilex* Jovi. *Laurus* & *Lotos* Apollini. Virg. Ovid. *Juniperus* Eumenidibus. *Myrica* Apollini. *Myrtus* Veneri. Stat. Virg. Item Cereri, Baccho. *Olea*, sive *Oliva* Minervæ. Virg. *Narcissus* Baccho. Item Cereri. Item Eumenidibus. Item Plutoni. Item Proserpinæ. *Palma* Musis. *Papaver* Laribus. Item Cereri. Item Lucinæ. *Platanus* Genio. *Populus* Herculi. Virg. *Portulaca* Mercurio. *Pinus* Cybele. Ovid. Item Pani. Prop. *Quercus* Jovi. Ovid. Item Baccho. Item Cereri. *Rosa* Veneri. *Rhamnus* Eumenidibus. *Smilax* Baccho. Item Cereri. Item Rheæ. *Vitis* Baccho. Item Rheæ. *Vitex* Baccho. Vide partem specialem suis locis.

## CAPUT XXIX.

*De animalibus Diis consecratis.*

AGnus consecratus erat Junoni. *Canes* Laribus. Item Marti. *Cervus*



Herculi. *Cicada* Apollini. *Draco* Æsculapio, item Baccho, item Minervæ. *Gryphes* Apollini. *Leones* Vulcano. *Lupus* Apollini, item Marti. *Serpentes* Æsculapio. *Equus* Marti. *Vitula* Isidi. Vide partem specialem suis locis.

## CAPUT XXX.

*De Avibus Diis consecratis.*

ACcipiter sacer erat Apollini. *Anser* Inacho, item Isidi, item Junoni. *Aquila* Jovi. Hor. Silius. Virg. *Columba* Veneri. Stat *Corvus* Apollini. Ovid. Stat. Item Veneri Stat. Hor. *Gallus* Æsculapio, item Marti, item Minervæ, item Soli. *Grues* Palamedis aves dicuntur & Naupliæ. *Gryphes* Apollini. *Halcyones* Thetidi. Virg. *Noctuæ* Minervæ. Stat. Ovid. *Phœnix* Soli. Claudian. *Pica* Baccho. *Picus* Marti. Ovid. *Vultur* Marti. *Harpyiæ* vero fuerunt Neptuni & Terræ Filiæ. Vide parte speciali.

## CAPUT XXXI.

*De piscibus Diis consecratis.*

APua Veneri erat sacra. *Concha* Veneri, Stat. *Mullus* Dianæ. *Pisces* omnes Neptuno. *Thunnus* Neptuno.

Ad Cap. I.

## SYNTAGM. I.

*De Gad.*

RElictis Prolegomenis, adhuc vestigiis Autoris insistemus, licet non ubivis, diversuri, ubi ipse divagatus est, & nos hac opera sublevavit, *quibus alias non licet esse prolixis*, ut vix viam ingressi, præmonuimus, sed quam fieri ubicunque potest, cito pede transituri, haud ignari, quod saltem *additamenta* non *supplementa*, aut *addenda*, quæ fortasse plura esse possent, & expectentur, promiserimus, & quidem sine spatio ad meditandum dato. Quare nec *hoc* in *capite* multa expectanda erunt, imo nihil foret; nisi *expensio gemini* loci foret, *quo statque caditque Dea Fortuna apud Syros, quam Autor secutus ordinem Biblicum in limine* lustrat, quia *prima* est, quæ, ut creditur, locum in sacris invenerit, ut commemoratur, estque is *locus Gen.* 30. *v.* 11. cujus verba Autor

p. 77. refert, & *erudite de fortuna* exponit, ne sine *suffragio Doctorum* & *Versionum*, quas allegatas vide, imprimis *Chaldæas* quasdam; &, qui eas studiose sequitur, *R. S. Jarchi* בא מזל טוב i. e. *Venit Dea Fortuna*, habet, & addit: *I. sumi hic vocem* גד *sicuti in illo Euphemismo Rabbinico*, qua גד גדי לא יסינוק id est FAC PROSPERAM FORTUNAM MEAM, ET LASSITUDO NON SIT, i. e. *lassa illa non sit*, *precantur*: vel *sicuti lectum tuæ fortunæ*, quem ערסא דגדא vocatum, singulis in ædibus splendide stratum, nec nisi למזל i. e. *sideri fortunæ*, ut ea propitia uterentur, derivatum habebant, unde sit גדא דביתא i. e. *fortuna Domus*; item גדא דעלמא i. e. *fortuna seculi* 2. דומה לו הערכים לגד שלחן i. e. *simile exemplum esse in loco quodam*, Es. 65. 11. quo vox גד itidem Deam fortunam, juxta alios ככב צדק i. e. *stellam Jovis* notet. Inde interpretatio de *Fortuna* antiqua adeo trita & frequens est, ut vox גד in *Chaldæorum*, *Rabbinorum*, imo *Arabica Lingua*, qua ثגד אלסעד אלבכת synonyma sunt, (unde & Pocok. Specim. p. 92. in genuino vocis גד, sensu inquirendo, ad linguæ Arabicæ usum recurrendum esse, probat,) *significationem fortunæ* & *sideris*, plerumque *fausti* quandoque *Malæ fortunæ* s. גדא בישא habere; Leæ vero Idololatriæ aliquid adhuc adhæsisse, videatur, præsertim si in loco Es. citato גד & מני *tanquam Synonyma* cum *Vulgato: qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam; &* τοῖς ὁ, τύχῃ vertentibus, accipiantur; Ex *Arabica Lingua* dijudicans *Pocok* l. c. מני *Idoli nomen* esse vult, cui affine, si non plane idem sit, *Arabum Menath*, quod occurrit in *Alcorano*, Sur. 57. *annon vidistis Allath & Aozza*, *Menath*. vid. *Hotting.* H. O. p. 152. nec male per *constellationem*, vel *stellas*, vel *planetas* exponi, arguunt alii, cum reliqua duo Alcorani nomina, *Allath* & *Ozza* itidem *stellam*, & quidem, ut *Isabar Alii*, *Syriace* explicat כוכבא דרפן *Astrum Rephan*, i. e. *Saturnum*, significent, & *Etymologia tum Arabum* a נו, نو quod *sidus ad occasum vergens pluviam impetraturi invocant*; *tum Judæorum*, qui vel a מני *fluxit*, ob victimarum sanguinem, vel a מנה *numeravit*, ut sit certus stellarum numerus; non adeo repugnet, & quæ alia sunt in medium allata, ex quibus *Gad fortunam*, vel *sidus*, idque *vel solem*, ut *Fullerus* l. 3. *Miscell. Sac.* c. 7. ex *Aquilæ* versione, qui εὔζωνον reddidit, *strenuum illum* & *expeditum*, *omnium corporum cœlestium*, *coryphæum & Choragum* Psalm. 19. 6. quem divinis honoribus vicini Judæis Tyro, & alii gentiles affecerint, *Herculem* vocantes; מני vero, sic *turbam reliquam stellarum numerosissimam*, vel *Jovem*; non *libram*, ut *Augustinus* reddit, quod sit mitis ac clemens planeta; vel *Mercurium*, vel *Martem* ab agmine, quod גדוד dicitur esse, inferunt, vid. Mercerum in Gen. l. c. quibus tamen omnibus non obstantibus, *contrariam*, & quam ipse *Seldenus* non plane rejicit in fine hujus capitis, *de turma sententiam* amplectitur *Varenius*, *Decad. Mosaic.* p. 518. *tum*, quod illa de *Fortuna* expositio, & vox גדא sive גד *in fortunæ significatione* vix reperiatur, nisi in *Targumim post Hierosolymitanis*, qualia sunt *Oncelosi* & *Pseudo-Jonathanis*, & in *Ebræorum Magistris* horum sequacibus, ac proinde *recentior sit*; *tum* quod *tam Radicis* cæterorumque *derivatorum significationi*, quo a Jacobo allusum, Gen. 49. 19. &c. גד גדוד יגודנו; *quam dicentis intentioni* & rei ipsi magis conveniat, ut בא גד idem sit, quod באגדוד בנים Deo sit gratia, *jam venit turma filiorum*, qua Sororem superare contendebat; Inde *Angli* hunc locum in vernacula sua verterunt, *Troope*. *And Leah said a troope cometh, and she called his name Gad, that is a troope or company*, ut in margine exponitur. Sic & *Esaiæ* l. c. Supervacaneum esse igitur concludens, Leam tot jam annos sancti Patriarchæ conjugem hic Idololatricam facere; & quod expresse vero Deo vendicat Scriptura, (*Deus enim cum videret Leam esse odio habitam, aperuit uterum ejus* Genes. 29. 31.) fortunæ adscribere; nec enim, quæ *de fortunis* posterior ætas fabulata est, ad Antiquitatem Ebræam ascendere. Sic quidem ille, & judiciosissime disserit. Obtrudi hic possit *Rachel* Idola patris *furata* & abscondens, Gen. 31. 34. itidem uxor, & dubio procul a marito meliorem cultum edocta; vel dici possit ex prava consuetudine adhuc adhæsisse illi, sicuti huic sexui familiare est, ut nihil tale cogitans, per ejusmodi juret, vel colloquiis utatur, quæ vel nescit, vel non approbat; ita eadem dixisse: zur guten Stunde *bona Fortuna advenis*. Sed hic contra dici potest, non ut ipsa adoret, sed patrem ab Idololatria revocet, abstulisse, quæ sententia est *Basilii* init. in Proverb. *Nazianzeni* Oratione 2. de Pasch. *Theodoreti* quæst. 86. in Genes. *Lyran.* in h. l. & *Calovii Magni Theologi* Disp. 6. *Anti-Grot.* in Genes. deinde æque commode dixisse potuisse: mit Hauffen / *cumulatim &c.* Multa

pro

Pro & contra afferunt autores, quorum ego litem dirimere non sufficio, quare suam cuique sententiam relinquo, hoc saltem notans *egregium Symbolum ex Gad & Meni* confecisse *Doctiss. Urs. Theol. Symbol.* ult. Edit. p. 28. *Contra* vero a *Cornelio a Lapide* in h. l. satis inepte diversas significationes *turmæ* & *fortunæ* confundi, infeliciusque conciliari. Si enim vox fortunam significat, nihil commune habebit, quod ipse vult, cum turma, utpote quæ radicibus differunt. Sed hoc alii excutiant; sive itaque *Gad recipiatur*, *sive non*, *in Deorum numerum*, *apud Syros* & *orientales*, nemo tamen eam apud *occidentales* e cœlo deturbabit. Certe Romanos *Fortunam Masculam & Fortunam Muliebrem* coluisse, scribit Plutarchus in libro de Fortuna Romanorum, quo & varias in Masculæ fortunæ honorem extructas ædes recenset, de quibus & *Volaterranus* l. 30. Ph. vide *Berulejum in Gall. Notis ad Lact.* p. 338. quibus μοῖραν (quam *Pindarus* etiam pro *fortuna* ponat) νέμεσιν, ἀνδραστέιαν, αἶσαν καὶ τύχην eandem rem, sed diversa nomina esse asserit, & simulacra p. sequenti recenset, quædam, scil. cum *copia & gubernaculo*, ex ipsi. *Lact.* l. 1. c. 29. Institut. *quale & Galeni* fuerit, cui πηδάλιον ἔδωσαν ἐν χερσὶν ἔχειν αὐτῇ, & *Alexand. ab Alex. malæ fortunæ* fuisse credit; *Cicero* vero in 2. de Legibus, & *Plinius* l. 2. c. 7. in Esquiliis stare scripserunt. Cæterum quod *cæcæ* & *globo volubili* insistens pingatur, præter *Galenum* vide *Cebetis tabulam* & *Pacuvii versus* in *Rhet.* ad *Herenn.* l. 2. cap. de vitiosa argumentatione. Alia Simulacra vide ap. *Zanardum* Lect. 12. lib. 2. Phys. p. m. 67. Tolet. l. 2. Phys. quæst. 9. *Compton.* Disp. 31. sect. 3. §. 4. p. 332. *Euphranoris* vero picturam, *Acerra Phil. Ursin.* p. 417. In *Inscriptionibus Fuggerianis* ab *Appiano* editis p. 503. Ἀγαθὴ τύχη (de qua *Seld.* noster agit) una quoque reperitur, h. m. *supra Matronam sedentem* (*coram qua virgo dextram sedenti jungens*, & *pone eandem sedentem puella stans*) scriptum legitur ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ infra vero:

ΣΥΝ ΤΥΧΗ ΚΑΡΠΟΥ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ ΖΗ
ΛΕΥΚΙΟΣ ΦΕΛΛΙΕΞΩΣΑ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.

In *nummis vario habitu* visitur. In *argenteo Vitellii* Fortunæ *nomen* & *typus* cum *temone* (Instrumento, quo naves reguntur) & *cornucopiæ*. Vid. *Occon.* p. 147. qui addit; *Principes Romanos fortunam semper auream in cubiculo suo habuisse*. Huc spectat *Bonus Eventus* in nummo, *nomine* & *figura dextra pateram*, *sinistra papavera* & *spicam* (quietis Symbola) tenens apud *Occon.* p. 165. vid. *Plin.* l. 34. c. 8. & 26. c. 5. *Boni Eventus* & *bonæ fortunæ* simulacra in *Capitolio* ex *Praxitelis* operibus fuisse referuntur, *Fortuna Redux*, & *Bonus Eventus*. Vid. iterum Occon. p. 138. *Golz. Thes.* 2.

*Fortuna* itaque ut *Deus* & *Dea* culta Romanis: *non ut Deam*, *sed ut Deum Stoicorum fatuitatem veneratam esse*, ajunt *Conimbr.* in l. 2. *Arist. Phys.* text. 46. 47. p. m. 298. & 306. adde *Ægidium Roman.* in l. c. *Suarez.* Disp. 19. sect. 12. §. 9. Disp. Metaph. *Natalem Comitem* de Fort. p. 795. sed, *cum* ut Lacteæ Eloquentiæ Pater ait, l. c. *fortuna nihil sit*, *de nihilo agere supersedebimus*, & caput præsens dimittemus. Quicquid enim de *Mazaroth*, & *Mezarim* ex Job. 37. 9. refert, ubi *Pineda* vel de *Aquilonaribus*, vel de ventis tempestatem efficientibus, vel de stellis Aquilonaribus sparsis, &c. exponit, Interpretes discutiant; Nobis non vacat, sicuti & quæ de *Domibus felicibus*, vel de Zodiaco commentatur, de quibus Genethliaci dispiciant. Vid. *Alex.* de *Angelis* libr. 4. Astrol. Conject. quam antiquum vero *Astrologiæ* studium sit gentibusque usurpatum, docet *Gerb. Joh. Voss.* libr. de *scient. Mathem.* c. 30. de *Arabum* pariter atque *Indorum* circa fixas stellas cura *Pocok*. Not. in specim. Hist. Arab. p. 163. de *Alkindo*, Arabe, noster *Seldenus* præfat. ad *Eutychium* p. 19.

### AD CAP. II. SYNT. I.

VOcamur ab *una Sorore*, *Lea* nim. ad *Rahelem*, quæ itidem Autori nostro ansam dedit inquirendi in imagines תרפים, quas abalienatas sibi dicebat Pater, *Gen.* 31. 9. easdem vero *Deos suos* vocans, *quos* & *Idola* fuisse, non solum hoc, sed & reliquis locis plerumque quibus occurrit ostendi posse volunt nonnulli. Sunt vero *quindecim* loci, in quibus commemorantur תרפים nim. hic *Genes.* 31. vers. 19. 34. 35. Jud. 17. vers. 5. cap. 18. vers. 14. 17. 18. 20. 1. Samuel. 15. 23. cap. 19. 13. 16. 2. Reg. 23. vers. 24. Ezech. 21. vers. 21. Hos. 3. 4. Zach. 9. vers. 2. Omisit igitur quosdam *Rangolius in* 1. Reg. c. 19. vers. 13. ubi de simulacro *Michalis*, *ter & decies hac voce scripturam usam esse*, *quibus omnibus locis*, *de aliis*, *quam Idolis exponi non potest*, *tametsi forsitan hoc*

uno

*uno* ( 1. Sam. 19. 13. ) *diverſa ratione*; quod & verum eſſe leviter luſtrata *Etymologia*, oſtendere conabimur. *Syrorum* Idolum, תרפים, vox magis in *numero multitudinis*, licet de *Individuo*, quam in ſingulari ſacris uſurpata, ( cujus tamen *Schindlerus* in Lexico *pentagl. Avenarius* in Lexico & *Mercerus* ad Theſaur. Pagnini p. 3185. *ſingularem faciunt* תרף ) alias atque aliis ſubinde accipit *derivationes*. *Sunt qui* derivant ab Ebræorum רפא *ſanavit*, quod morbos profligarint, ſed quia א deeſſe videtur : *alii* ab רפה *remiſſus fuit*, *vel* quia hominum manus reddunt remiſſas, *ita Zohar* in Gen. col. *376. dixit. R. Joſe* : *Quid fuerunt Teraphim*, *niſi ſpecies Idoli*, & poſt pauca : *Quare autem vocantur Teraphim? quia deprimunt* וארפי ירא *& remiſſas faciunt manus*, *ut dicitur*, *& jam* הרף *remitte manum tuam*, *2. Sam.* 24. 16. *vel* quia res ipſorum, ( quæ *R. Bechai* in *Geneſ.* h. l. ſententia ) רבריהם כמו נבואח רפה, i. e. *Eſſent tanquam prophetia quædam vana ſive inanis*: *vel* quod in *Sabbatho* illis eorumque cultui vacarunt homines, ( cum & רפה notet, *deſiſtere*, *vacare* ) vid. *Rung.* prælect. in *Geneſ.* c. 31. p. 924. *vel* quod non facile loco moverentur, Mercerus in *Geneſ. c.* 31. *p.* 533. Verum quia nec hæ rationes ſatis quadrant, *alii* cum libro *Zohar* l. c. quæ derivatio & in Tanchuma ad ſect. ויצר probatur a תרף *turpitudine* בנין ננאי *propter ignominiam*, vel quia ſunt מעשה תורף מעשה טומאה *opus turpe & opus fœdum*, *& turpitudine ſtipantur*. Si rem ſpectes ſatis bene ; verum quis credet a contemtu nomen ſuo idolo ipſos indidiſſe? Hinc *Ludov. de Dieu* Animadverſ. ad *Geneſ.* 31. *pag.* 41. תרפים quaſi שרפים *Seraphim*, mutato ת in ש more Chaldæorum & Syrorum dictos eſſe vult, cum l. c. *fortaſſe Angelorum fuerunt imagines*, ait, *aut Angelis dicatæ*. *Unde ſpiritus Angelicus eas ſubibat ac conſulentibus per eas oracula edebat*, *ex hac conjectura* תרפים *mihi idem eſſent*, *quod* שרפים *notiſſimum Angelorum nomen*, *mutato ex Syrorum more* ש in ת. In eam ſententiam inclinare videtur, *Gaffarellus* in Tractatu ſingulari : *Curioſitez inouyes ſur la Sculpture Taliſmanique des Perſans*, &c. ſed cum nondum probarit ab Ebræis Syros accepiſſe, vel iisdem *Angelorum* שרפים *innotuiſſe*, ab omnibus non recipitur. *Philologorum lampas nuper in undis extincta*, *Hottingerus* in *Ægypto natam & compoſitam* eſſe vult, ex σωρ *ciſta* & ἀπ *Ægyptiace* bos, ( unde *Apis bovino capite*, ut oſtenſum, eſt cultus ) ut ſit *ciſta bovis*, numen, cui Ægyptii multa tribuerint miracula, quorumque fabrica ipſorum initio fuerit, & nomen : deinde nihil inſolens eſſe retineri nomina, *Ægyptiaca ab Ægyptiis* impoſita, ut מלך משה צפנת פענח Vid. Kircher. *Oedip.* loc. citando p. 337.

Porro eadem ſacras Literas Teraphim tribuere, quæ Ægyptii ſuis Serapidibus ; convenire *figura*, *humana* ſcil. nec *deeſſe conſenſum Virorum* Hiſtoriarum Ægyptiacarum peritorum, quales ex *Kirchero* allegat *Smegmate Orient.* l. 1. c. 5. p. 90. quem ipſum præterea cum eodem audire non pœnitebit, ita vero l. c. *Vocabulum* תרפים *cum ipſa fabrica ex Ægypto in Judæam tranſiiſſe videtur*. *Erant autem pueri faſciis involuti*, *cujuſmodi ſtatuæ apud Ægyptios multæ ſunt*, *quas Serapidas vocant*, *& loco* φυλακτηρίων *erant*. *Et ſane* תרפים *eſſe Ægyptiorum Serapides*, *diſertis verbis confirmat ſcriptor Arabicus Aben-nephius in Oedip. Kircheri T.* II. *P.* II. *Synt.* 4. *pag.* 259. *Serapis autem vox compoſita ex* σὼρ *ciſta &* ἀπ, *quod Ægyptiace bovem notat*, *adeo ut proprie notet arcam bovis*, *Numen*, *cui multa Ægyptiorum tribuerunt miracula*. *Vide eundem autorem Syntagm.* III. *p.* 197. 199. *Poſtea ad varios adhibebantur uſus*. *Ab hac ergo voce potius*, ש *mutata in* ת ( *quam mutationem & illi admittunt*, *quibus* שרפים & תרפים *eundem Angelorum ordinem notant* ) *quam aliunde obſcurum illud nomen deduxerim*, *præſertim cum idem utrobique fuerit officium*. *Varias earum figuras collegit Kircher. Synt* IV. *p.* 261. *Plura habet Tom.* III. *Synt.* XVI. *p.* 474. *& deinc.* Verum nec hæc derivatio eruditiſſimo *Pfeiffero* arridet in *Diſſertatione* de hoc Idolo, cui nos in his multa debere inficias haud imus ; quare putat vocem quidem *Syriacam*, ſed in *ſacro Codice ad formam Grammaticam* Ebræorum accommodatam eſſe, ejuſque radicem, quam commodiſſime reſtitui poſſe, ex *lingua Arabica*, Hebraicæ & Syriacæ valde cognata in qua adhuc eſt תרף *bonis commodiſque affluxit*; *vel iis fruitus*, *lætatus eſt*, in Conjug. 4. *Vitæ commoda largitus fuit*, uti ex *Alfiran Zabadii Camuſo & Marupbidis Lex. Arabico-Perſico* probat CL. *Jac. Golius Lexico Arab.* 378. vel *uberem & affluentem reddidit*, uti *Franc. Raphelengius* vertit & *Ludov. de Dieu*. Ut proinde *Teraphim Bonorum dator & Averruncus* quaſi quidam fuerit, Syris aliiſque ejus cultoribus ; Egregium nomen, ſed rei peſſimæ, *num vero imponentis intentioni aptum*, nemini liquet, nec tanti refert, ſicuti nec multi intereſt, alia

ejuſ-

ejuſdem Idoli nomina recitare, qualia ſunt, Gen. 31. 30. אלהים *Deus*, vel *a forma* deſumtum Chaldæorum, & quidem *Onkeloſi* & *Jonathanis* צלמניא vel רמאין *ſimulacra*, Arabum *Taliſma*, de quo infra, & quod *Taliſima* vel *Talmiſan Samaritanorum & Ægyptiorum dialecto* ſignificat, אצנאם i. e. μορφώματα, qua voee quoque apud Græcos תרפים exprimuntur. *Vel ab Effectis* petita; רחלי *terricnlamenta* צלמי טעון *Imagines errorum*, *a fine* מחוי *Indicantia ſc. futura*, *&c. Græca* ex Verſionibus deſumta Seldenus plurima habet, ſi quæ præterea ſunt, colligenda erunt, nobis non licet, qui jam *Idola fuiſſe* videbimus, & probare tentabimus. De *Labanis* vel inde conſtat, *tum* quod l. c. expreſſe *Deos ſuos* vocat; huc referendum diſcrimen videtur verſ. 53. inter אלהי אברהם *Deum Abrahami*; & אלהי נחור *Deum Nahor* & patrum; *tum* quod cum קסם טרי, אובות, ידעונים, שקוצים, גלולים : aliiſque abominationibus conjungantur in locis ſupra citatis 1. *Sam.* 15. 23. 2. *Reg.* 23. *v.* 25. *Ezech.* 21. *v.* 21. *Zach.* 10. 2. in quibus itidem Idola intelligi colligis, ſicut & *Jud.* 17. & 18. in *hiſtoria Michæ*; quanquam enim *Voſſius* de *Idol. gentium* l. 1. c. 3. p. 20. veri numinis ſimulacrum exiſtimet, ſiquidem mater ejus argentum, unde factum ſimulacrum, ſacrificaſſe dicitur Jehovæ, & Micham velle in eo edere Deum Iſraelis ſatis arguatur verbis iſtis: *nunc novi Jehovam benefacturum eſſe mihi*, *eo quod eſt mihi Levita in ſacerdotem*, quia tamen *contra expreſſum* mandatum divinum, & ἐθελοθρησκεία erat, *quæ Idololatria omnino* eſt, ( ſacris enim literis, quicquid per errorem pro numine colitur, εἴδωλα nomine venit, inquit *Cyriacus Lentulus* Germaniæ p. 99. ) ex trita Catechiſtarum ſententia; quin & quacunque in re quis eximie fiduciam ſuam locat, illi homini res ea idolum eſt, licet Deum verum non rejectum velit. Sic per אפור *verum Deum*, per תרפים vero ( quæ & פסל & מסכה dicuntur ) *diabolum conſulere*, & ſic, ut Samaritæ deinde 2. Reg. 1. 7. 33. 34. Deo σύνθρονον quendam conſtituere videbatur. Quicquid ſit de ejus Intentione, *Idololatriæ excuſari non poteſt*, *nec nomen Idoli iſtis Teraphim negari*, accedit quod *Judæi* 23. die menſis Sebat propter illam Idololatriam jejunantes, & *Chriſtiani* Interpretes communiter de eo accipiunt. Vide tamen CL. *Dilher. Tom.* 2. *Diſp.* 351. ubi per ſacrum apparatum exponitur. Nec melior conditio eſt loci 1. *Sam.* 19. 13. in *hiſtoria*, *Michalis & Davidis* fugitivi, licet non æque facilis interpretatio; Quæ varia eſt *R. David. Kimchi* ad h. l. negat, *fuiſſe Idolum*, *quale Labanis fuerit*, *meliora de Davide præſumens*. Conſentiunt *Rambam* ad Gen. *non veriſimile eſſe in domo tam ſancti Viri Davidis fuiſſe Idola*, *ſed potius Teraphim quædam concedenda*, *quæ non ſint Idola*, *Rivetus Exerc.* 133. in Gen. *Idolum fuiſſe obſtare ſingularem Davidis pietatem*, *Viri ſecundum cor Dei* aſſerentes; quare *hic* cum *Ribera* in *Hoſ.* 3. num. 21. *Michalem ex variis hinc inde rebus feciſſe ſtatuam homini non diſſimilem*, *cujus generis terriculamenta ferarum & avium eſſe ſolent*, *qua re & caprina pelle caput texerit*, *qua capillum mentiretur*, *autumat*, *R. Jacob Abendana* in ſpicilegio ad *R. Salomonis Ben Melech Mi hlol Jophi* refert, uxores antehac ſolitas fuiſſe comparare ſibi maritorum ſuorum imagines, ut illorum figura oculis ſemper obverſaretur, idque ex magnitudine amoris ſui, erga eos, & ex harum imaginum genere etiam fuiſſe Teraphim Michalis ex amore vehementiſſimo erga Davidem facta, atque ſic nihil impii in iiſdem fuiſſe: quare Michal illa in locum Davidis ſubſtituerit, quod eum externa ſpecie referrent. Verum cum de hoc more *apud Judæos* ( licet non æque apud *Romanos* ) quis dubitare poſſet, *Luth.* opinio in hoc loc. videtur accipienda, qui reliquias quaſdam Idololatrarum ea loca antea inhabitantium, vel ludibrii, vel judicii cauſa, non tam aſſervatas, quam in angulum quendam abjectas, & ex quiſquiliis, cum aliud nihil ſuppeteret, vel huic rei ob formam humanam commodius noſſet, inque locum Davidis ſubſtitutas eſſe, & cum eo *Mercerus* ad Gen. p. 533. putat. Ejuſmodi Idola intelligit Propheta *Hoſ.* 3. v. 4. *ubi Iſraelitas fore ſine principe & ſacrificio*, *nec tamen* ( ut aliquando fuerant ) *deditos ſtatuis*, *& Idolis*, vaticinatur. Vid. *Hackſp. Notarum parte* 2. p. 229. ſeqq. & *Hornbeck.* contra Judæos ex Kimch. ad h. l. p. 130. ſeqq. *Hulſius Theol.* Judaicæ p. 22. 25. *Idola itaque humana forma fuerunt*, vid. *Abeneſra & Michlol Jophe* ad Gen. 31. R. *Sal.* Jarchi. R. *David. Kimchi*, R. *Levi ben Gerſon & R. Jeſchaja* ad 1. Sam. 19. & alii, ex *quacunque demum materia*, argento, auro, ære vel argilla, ex *qua* ſed ſubviridi *Horus* ſive *Serapis* vel *Iſidis Imaguncula* faſciis Mumiæ Cruſianæ apud *Wratiſlavienſes* obſervata legitur apud *Gryphium Mum. Vratiſl.* p. 52. proque ejus *valore magna vel parva* fuiſſe credas, eaque *domeſtica*, quorum loco gentiles habebant

La-

Lares. Vid. *Buxtorf. Lexic. Thalmud. p.* 2660. & confer. *Jun.* & *Tremell.* ad Genes. locum, ut & *Gesner.* ad eundem p. 601. & vel sola phrasi constat, v. 19. quo dicitur: *Rachel surripuisse Teraphim* אשר לאביה *quæ ad Patrem pertineant*, non dicam quod Laban *suos* vocat, quare *Wolfgang. Musculus Comm.* in h. l. p. 644. sacellum quoque tribuit, certe *Jud.* 17. 5. בית אלהים habuisse dicitur. Inde *Rabbinorum* nonnulli *imagines* tantum, non Idola, exponunt, ut *Raschi* ad 2. *Reg.* 23. v. 24. תרפים צלמים שמדברים על ידו כשפים והעושה אותן צריך לנין שעה אחת ושנה אחת ראויה ליך: *Teraphim fuerunt imagines*, ajens, *loquentes arte Magica, fabricantibus easdem necesse fuisse observare horam certumque annum rei huic convenientem*: sic fere *Ezech.* 12. 21. *Hos.* 3. 4. sic & *Doctissimus* ille *Anglus Joseph. Mede: Small Images, made under a certain constellation*; vocat; *Which they used to consult both in things doubtful, and things future &c.* apud *Arnoldum* in Spicilegio multæ lectionis & eruditionis teste, ad *Zoroastr. Urs. pag.* 56. & *Varenius* in Decad. Mosaicis, pag. 522. quod uti de omnibus non facile præsertim in sacris commemoratis, concesserim; sic tales Imagines postea cœpisse non negaverim quibus responderint, ut videntur ex *Græco* τέλεσμα, vel potius ex *Ægyptiaco* τυλμέζ (quod pro ברא, *hoc vero generaliter* pro עשה *fecit* ponitur, & a *Samaritanis* Genes. 1. v. 1. 2. &c. usurpatur. Vid. *Morin. Lexicon Samarit.* p. 122. qui tamen, sed perperam invertit, & טלמס *Samaritanam radicem* dicit, non ab *Arabibus* mutuatam, cum sit *Ægyptiaca* & origine Græca,) *corruptæ Arabum Tilsemæ, vel Talismæ*. Sunt enim ut *Ant. Giggæus Thes. Arab.* ait, טלסמאת טלסם *imagines ad stellarum influxum factæ, &* *Golius Lex. Arab. p.* 1473. טלסם *Tilsemon est imago magica*, quales sub certo horoscopo insculpi rebus & consecrari solebant, ad certam efficaciam, de quibus ipse Autor agit p. 117. ad quæ vix quidquam subjiciemus. Vid. *Ursin.* de *Zoroastre* p. 128. *Exercit.* 2. sect. 6. plura quoque de *Tilsemis* suppeditarunt R. *Maimonides ad Avoda* Sara c. 3. & 4. *More Nevoch.* l. 3. c. 29. *Leuncl.* in Pandect. Turc. c. 130. *Jos. Scaliger.* Epist. l. 2. Ep. 119. & ad *Sphæram Barbaricam Manilii*. *Edovv. Pocock* Notis *ad Abul. Farajum p.* 140. *Hugo Grotius* ad Gen. 31. Imprimis *Hotting.* l. 1. H.O. c. 8. p. 188. seqq. adde *Kircherum Oedipo* Tom. 2. p. 1. cap. 5. p. 383. seqq. Noster non dirimit litem, quid fuerint.

Aliis *Rabbinis Horologia*, vel *Instrumenta ad cognoscendum horas & divinandum futura*, *ut* R. *Mosis Nachmanidis* sententiam refert R. Bechai; vel *cognoscendas inde horarum partes* &c. *facta*, ut Kimchio ad 1. Sam. 19. 13. & Aben Esræ ad Gen. 31. vel *astrolabia*, ut Jacob *Tavvusio Persico* interpreti, videntur. *Quorum tamen opinionem ineptam esse dicit Kimchius* l. c. vide *Saubert.* de *Sacrificio* hæc latius deducentem p. 535. seqq. adde *Kipping.* Recens. Antiq. l. 1. c. 2. p. 88. præ cæteris vero *Dilherrus*, qui Tom. 2. Dispp. peculiarem de his habet *disputationem*, p. 345. seqq. apud quem etiam paulo aliter verba ab Autore nostro p. 98. ex *R. Eliesere* ibidem laudato, legere poteris. Ad Ραβδομαντέιαν fertur noster, occasione c. 4. v. 12. *Oseæ*, in qua *illam* reprehensam repertit CL. *Saubertus* prioribus hujus versus verbis: *populus meus in ligno suo interrogat* ad καπνομαντέιαν *a fumo* in sacrificiis observato, an sursum, deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum feratur, sic dictam, antiquam admodum; In posterioribus: *& baculus ejus annunciavit ei* ῥαβδομαντέιαν (ut explicant R. *Maimonides de Idol.* cap. 11. §. 7. & *B. Hieronymus*, sed *Jarchi*, *Abnesra*, & *Jonath.* de ligneo simulacro intelligunt) digitum intendi sententiam quorundam esse, *eamque* ῥαβδομαντέιαν *ita factam esse, ut sumtis duabus virgis arcana quædam κατεπᾴδωσι, & si illa verborum incantatione fecerint, ut* ἐνεργέια *diaboli inclinarentur & flecterentur virgæ, tuncque observaverint, in quam partem se flecterent, utrum ad dextram an ad sinistram*. Ad *citat. Autorem* p. 101. & 102. *Scholiastem* Nicandrum, R. *Mikotzi*, *Riccium* in Id. *Mart.* adjungit *Del-Rio* Dispp. Magic. c. 2. quæst. 7. sect. 3. *Peucerum* Comment. de Divinat. *Piccartum* Oratione de Magia, de ῥαβδομαντέια & βελομαντέια videatur quoque *Joh. Baptista Villalpand.* Com. in Cap. 21. Ezech. Tom. 1. *Cælius Rhodiginus* l. 7. Antiq. Lect. c. 29. *Edovv. Pocokius* ad Abul-Far. p. 327. qui hujus βελοματέιας hanc ex oriente accersit rationam; *cum esset*, inquiens, *alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum primæ inscriptum erat*, אמרני רבי Jussit me Dominus meus: *secundæ* נהאני רבי *probibuit me* Dominus meus; *tertia nulla nota insignis erat, harum unam manu extrahenti, si occurre-*

ret

*ret illa*, *quæ* juberet, *alacri animo*, *tanquam monente Deo*, *pergere*; *ſin illa*, *quæ* Vetaret, *deſiſtere*, *quod ſi* ἀγράμματος, *illam reponere*, *donec prodiret*, *vel interdicto occurreret*. Hæc de his. Redit noſter ad *ſtatuas* ac *imagines Græcorum* στοιχεῖα, ἀλεξητηρίους ſive *Averruncos Deos* variis malis repellendis vel etiam anunciandis futuris factos &c. de *quorum omnium primo Autore diſceptatur*, *Ægyptii Hermetem* producunt, & *Syros* & *Chaldæos* ab *Ægyptiis* accepiſſe per Abrahæ familiares affirmat *Kircherus* Tom. 2. Oedip. p. 2. c. l. 11. c. 6. p. 459. 469. teſtimonio *Abenephi* & *argumento* nominis *Ægyptiaci Seraphim*, quod Chaldæi in Teraphim mutarint, quod tamen ut ſupra non omnibus placet, præſertim cum *R. Moſem Maimonidem* eorum *originem ad Sabæos* referentem habeant, quod non improbat *doctiſſimus Hottingerus*, & *Syros* ac *Chaldæos* ante Abrahami tempora hanc *Magicam Idololatriam a Serugi temporibus exercuiſſe*, communem opinionem videant, ſane *Iſraelitas* non *ab Ægyptiis* ut vitulum aureum, ſed *a Cananæis & Amorrhæis* accepiſſe, & *Ægypto* intuliſſe, Scriptura S. videtur indicare *Geneſ.* 35. 2. Amoſ. 5. 24. Act. 7. 43. Joſ. 24. 2. &c. & *Philo* ille Autor Antiquit. Bibl. diſerte *interogaſſe eos*, inquiens, *more Amorrhæorum*, *dæmonas Idolorum*, & *imprimis Nymphas illas aureas*, *quæ invocatæ per ſingulas horas oſtendebant facienda aut fugienda: quarum idola poſt diluvium primi invenerunt ſeptem viri peccatores* nomine *Chanaan*, *Phut*, *Selath*, *Nebroth*, *Elath*, *Debuat*. Inde *Teraphim*, & Arabum *Taliſmæ* & *Ægyptiorum Serapides*, (de quibus ſupra ex Smegm. & Kirchero dictum) & *Apollonii Thyanæi Annuli*, quibus ſpiritus familiaris incluſus fuerit, juxta *Seidel. Pneumat.* cap. 5. q. 2. p. 25. *Cigogna* Theatr. Magiæ P. 1. l. 4. c. 3. p. 482. *Simonis Magi figmenta*. Vid. *Wierus*, *Delrio*, πολυμαθέστατος *Thomaſius in Schediaſm.* p. 33. ubi Cœnarum Thyeſtearum, & Infanticidii &c. ex *Clemente* facit Autorem, & fortaſſe quoque *capite pueri Teraphico* uſus eſt. Meminit ſane *Tzetzes Chiliad.* 2. hiſt. 6. *Imaginibus Apollonium Thyanæum culices Antiochia*, & *ciconias Byzantio expuliſſe*. Et ex hiſtoriis conſtat, deinde ſimulacra talia ad certum ſiderum poſitum, ſive *futuris inveſtigandis ſive malis averruncandis* frequentari cœpiſſe, v. g. *contra peſtem*. Vid. *Camer. meditat. Hiſtor. Cent.* 1. *cap.* 6. *Cent.* 2. *cap.* 11. *Delrius* lib. 2. p. lib. 4. ſect. 4. *Urſ.* & *Arnold.* l. c. inde denique & *Americanorum Zemes*, de quibus *Arnol.* App. p. 973.

*Ab iſtiuſmodi ſtatuis* ſive *imagunculis maligno ſpiritu obſeſſis*, qui ex iiſdem reſpondebant, vel etiam ſecum tanquam domicilium aſportabant, ut abiiſſe vel aufugiſſe Idola, vel Inſtrumenta Idololatrias viderentur, ceu *de Zemes* apud *Arnold.* l. c. in Sylvam fugitivis, refertur, non procul abeſt *conſortium & commercium ipſius Cacodæmonis*, quod noſter una cum *Angelolatria Pythagoricis* & *Platonicis communi*, de qua videri poteſt Hotting. ὁδηγ. P. 2. p. 56. *Hiſt. Eccl.* Part. 1. p. 97. commemorat, hodie conſiſtit *præter multos ſagarum modos in Familiaribus*, ut vocant, *ſpiritibus ſive* παρέδροις, vid. *Danh.* in Scheid- und Abſags-Brieff p. 133. & *Levit.* c. 20. 27. ubi *Anglica verſio* Hebr. אוב & Chald. בידין *Pythonicum*, *ſpiritum ventriloquum*, reddit, *a familiar ſpirit*, ſicuti & aliis locis, de quibus mox, in *aſſeclis*, *aſſeſſoribus*, *conſiliariis ſeu acceſſoribus ſic dictis*, quod ſcilicet facile accedant & adſint, vid. *Peucerum* de *divinat. Generib.* Comm. de Mag. p. m. 291. *Majol.* p. 2. Dierum Canicul. Coll. 2. p. 450. ſeqq. Porphyrius *animalia aerea*; Lamiæ aliique *Martinellos*, *Martinettos* ſive *Magiſtellos* appellitant. De quo *Jonſton.* in Polymathia l. 1. c. 3. toto *Raph. de la Torre Summa* Theolog. de *Relig.* Tom. 2. qu. 95. a. p. 153. Robolgen/ &c. Taceo *ſubcubos*, *incubos* &c. de quibus *Wierus*, *Bodinus*, & alii egerunt. De *Paredris* ſaltem dico, e quorum genere cum quodam *Dæmonio*, ut vocatur apud Platonem, *Socrates*, Apollinis judicio ſapientiſſimus arctiſſimam habuiſſe dicitur familiaritatem, teſte ipſius diſcipulo *Platone* in *Theagene* p. 93. ſeqq. ubi Ipſum Præceptorem his verbis introducit loquentem: ἔστι γάρ τι θείᾳ μοίρᾳ παρεπόμενον ἐμοὶ ἐκ παιδὸς ἀρξάμενον δαιμόνιον (Genium dixeris) ἔστι δὲ τοῦτο φωνή, ἣ ὅταν γένηται ἀεί μοι σημαίνει, ὃ ἂν μέλλω πράττειν, τούτου ἀποτροπήν. προτρέπει δὲ οὐδέποτε. ἐάν τίς μοι τῶν φίλων ἀνακοινῶται καὶ γένηται ἡ φωνή, ταὐτὸν τοῦτο ἀποτρέπει καὶ οὐκ ἐᾷ πράττειν, καὶ τούτων ὑμῖν μάρτυρας παρέξομαι, &c. Vid. *Marſilius Ficin.* Argum. Apol. Sacr. p. 12. ſeqq. *Auguſt.* lib. 8. C. D. cap. 14. *Maximus Tyrius* Diſſ. 26. & 27. p. 260. ſeqq. *Diogen. Laert.* l. 7. in Socrat. p. 209. & Ariſtip. p. 131. aliique. *Talem Spiritum familiarem* tribuit *Simoni Mago Clemens* libr. 1. Recogn. ap. *Wierum*, qualem ipſo ſibi aſſiſtentem jactabat, *vid. Plur. Reverend. Siricium* de *Simone Mag.* pag. 12. & 13. *Cœl. Rodig.* l. 2. c. 12. pag. 62. & Judæus quidam no-

nomine *Eleazarus* in annulo circumgestabat, ut *Bodinus* ex Joseph. l. 8. Antiq. cap. 11. refert, quod tamen negat *Cunæus* de Rep. Hebr. c. 12. libr. 1. p. 76. & fortasse quoque *Gyges in famoso suo*, de quo agunt *Plato* l. 2. de Rep. *Cicero* l. 3. de offic. n. 38. *Plin.* l. 33. c. 1. *Christoph. Forstnerus* in notis ad Tacit. lib. 2. annal. p. m. 183. & quos ibi citat. Certe *Heinr. Cornel. Agrippa* huc pertinet, vid. Jovius in Elogiis. *Reneccius* S.S. Theol. *Clave* l. 2. c. 17. p. 298. ubi plura de Magia. *Facius Cardanus*, ut filius *Hieronymus* refert l. 16. de *Rer. Var.* c. 93. p. 629. seqq. *subtil.* l. 19. pag. 531. *Voetius* Disp. S. Theolog. p. l. de post. de dæm. pag. 982. *Burdigalæ Advocatus quidam* in vitrea phiala, quam eo mortuo Patres Jesuitarum in ignem abjecerunt, nihilque aliud, quam utriusque elementi ignis & aquæ stridor subsecutus est, vid. *Cigogna* d. l. p. 481. seqq. sed quis omnes recensebit? a variis varie custoditur, consulitur, adoratur. Ejusmodi παρέδρε sive familiaris spiritus *Symbola*, *veracula*, *Genii* παρέδρε *sacramenta*, *schedulas pictas notis Magicis*, *aut laminas Syderalibus notis inscriptas*, *sphragidas*, ut Prudentius vocat, *annulos inaures*, φυσικὰς nim. ad quas referunt nonnulli *Jacobo* Genes. 35. 4. datas, idolorum effigiebus aut notis Symbolicis aliquibus notatas, sive *Deorum Phrylacteria*, ut Augustinus ad l. c. vocat, *pro amuleto gestabant* arcana rimantes, corporis robur acquisituri, præstigias exercituri, & mira patraturi, vid *Plutarch.* l. 6. Sympos. qu. 5. *Athenæus* l. 2. Dipnos. *Eustathius* scholiis ad lib. 18. Odyss. *Arnob.* l. 2. adversus Gentes, *Maimon. More Nevoch.* l. 1. c. 41. Kirchmann. de Ann. c. 21. *Lindenbrog.* notis ad Ammian. l. 29. Joh. *Fernelius* l. 2. de abditis rerum caussis c. 10. *Daniel Sennertus* libro de Consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis c. 21. *Martinus Rulandus* in Lex. Alchimiæ voce *Pentacula*, Nobilissimus Dominus *Sachs Gammarologia* c. 9. p. 859. seqq. *Kircherus* de peste sect. 3. c. 5. p. 331. seqq. *Crusius* observat. ad Heliodori Æthiopica, pag. 257. *Ludov. de la Cerda* in Adversariis sacris cap. 80. & adde denuo *Kippingium* in stupendæ lectionis teste, *Recens. Antiq.* l. 1. c. 2. §. 5. pag. 88. seq. vel *Icunculas colebant*, *ut Nero Icunculam puellarem in remedium insidiarum datam*, *conjuratione quadam detecta pro summo numine*, *trinisque in die sacrificiis colere perseveravit*, teste *Svetonio* in ejus vita c. 56. *vel sese chirurgos* & futurorum conjectores horum ope profitebantur, ut *Cingari* errones hodie. Huc refer Magicas superstitiones, quæ jam olim & nunc *Mandragora* tam *mare*, *quam fœmina Andromorpho* committuntur, videatur *Barth. Scheræus* in der teutschen Sprachschuel sub finem pag. 263. *modum effingendi* a quodam impostore prodit *Matthiol.* l. 4. Diosc. quasdam refert, & unam Icunculam ejus generis possidet *multæ lectionis Vir Joan. Prætorius*, ut in Saturnal. refert, pag. 189. seqq. tales *artes Magicæ* sunt *Act.* 19. 18. 19. ignicomburio dignæ (vid. *Ursin. Anal.* Vol. 1. c. 4. p. 46. seqq.) τὰ περίεργα, unde Syrus ܚܪܫܐ *Magorum*, & Arabs, السكار مانعي *magicarum artium cultorum nomen jungunt* in versionibus, quales etiam *Ephesiæ* & artibus illis nefariis deditissimi erant, unde *Ephesi literæ* proverbiali locutione notæ quædam hieroglyphicæ, vernacula, sigilla, signacula, characteres, profligandis curandisque morbis, pellendis fascinis, &c. prodesse crediti, sunt vocati, commemorato *Clementi Alexandrino* l. 5. Strom. Hesychio & Suidæ in Lex. Vid. *Kircherus* l. c. *Junius* in Notis ad N.T. ad l. c. ex Actis p. 257. *Dilherr. Eclog.* S. p. 354. seqq. multum tribuunt *Muhammedani* suo Corano, inde *Amuletis ex eodem signatis*, non minus. Quale *Muhammedicum* a plur. Reverendo Domino *Matthia Langio Ecclesiaste Semproniensi* in Hungaria, *Gerhardo eheu! nuper immatura morte cum magna Ecclesiæ jactura* extincto, transmissum fuit, cui post hæc verba in frontispicio هدلرفاں ماولت المبارك *reliquæ literaturæ* sexies præmissa fuit *Symbolica* illa librorum Muhammedicorum ἐπιγραφή: *bismilla bir &c. in nomine Dei miseratoris Misericordis*, sicuti in Disp. *Umbra in luce*, adducitur, quo loco & geminum *Judaicum* affertur, ex ejusdem *celeberrimi Theolog. juxta ac Philologi* Antiquario, quod testari potest de *Magico Hebræi textus S.* abusu apud *Judæos*, quorum æmuli sunt *Arabes*, vid. *Hotting. de Num. Orient.* p. 169. seqq. *Joh. Ulric. Wallich.* de Relig. Turcic. p. 4. quorum *alterum* præter alia in *membrana quadrata* exhibeat 6. commata ex Deuteron. 4. 9. initium שמע ישראל יהוה אלהיך יהוה אחד: *Audi Israel Jehova Deus tuus, Deus unus est*: sicuti *in altero* ex *Exod.* c. 13. priores 10. versus, *literis coronatis* (quas תאגין vocant, vid. *Buxtorff.* Lexico *Rabb. Talm.* pag. 2562. *Schick. in Mischpath. Hamm.* p. 41. atque huc re-

referunt nonnulli *Matth.* 5. verſ. 18. ) ſcriptum. *Alia* eſſent, quæ adduci poſſent, *tum* ex ἀξιοφήμῳ *Gerhardi* ſuppellectile & laudata diſp. *tum ſupra laudato rei nummariæ apparatu Amiciſſimi Domini M. Henrici Mejeri*, ſed revocamur. Recenſet *Gnoſticorum Amuleta*, *Cabaliſtarum*, *Muhammedanorum ex literis Indicis* & *arcanis*, *Amuletum Univerſale*, *Sigilla Saturni*, *Jovis*, *Salomonis Telſemas* &c. *Kircherus* laudato *Oedipo*, ſed diverſis locis, *ut* annulum ἀπόλλωνος τῦ πυθίυ εἰκόνα τῆς σφραγῖδος ἐκτυπῦσης, de futuris monebatur *Eucrates*, qui geſtabat, & *Icunculam Deæ cœleſtis* ſive Syriæ aut Lunæ, quam perpetuum habebat comitem *Aſclepiades Philoſophus*, ut ejus favorem in ſe derivaret, teſte *Ammiano Marcellino* l. 22. hiſtor. & quæ ex *Judæorum* ut videntur nonnullis, ſchola prodeunt, qualia hæc: † *Eleii*. † *Eloi*. † *Eloi*. † *Adonai*. *Sabaoth*. † *Elio*. † *Saba* † *Emanuel*. † *Tetragrammaton*. Item: † *Agla* † *Aſtram* † *Tetragrammaton*, *non tantum*; non poſſum tamen quin *Abraxas* ſaltem Valentini ἔκτυπον quoddam literis Magicis in gemma, annulo, lamina, ſub conſtellationibus certis efformatum, πεντάγωνον *collyrium*, vid. Buxt. in Lex. p. 2320. voce ברך vel ἑπτάγωνον, myſtica quadam numerandi ratione *Solis* juxta Roſſ. in 's wereids Gods-dienſten p. 698. *Anni* vel etiam *membrorum humanorum Symbolum*; vel *panacea* quædam & remedium Catholicum pro conſervando homine adverſus morbos quoſvis, adhuc repetam cum Autore noſtro. *Serenum Sammonicum Gordiani* Junioris Præceptorem ex eadem ſchola heroico carmine Medicinam deſcripſiſſe, vid. Seld. amuletumque collo appendendum confeciſſe, literas vero fuiſſe *Abracadabra*, ſuperſtitioſo modo per diminutionem ad unicam literam A in formam Coni triangularis deſcribendas, narrat Dominus *Kipping. Auctar.* ad Papp. p. 156. & diſponit *Saubertus* de Sacrif. p. 579.

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Vid. *Agrippa* de Occult. Philoſ. Part. 3. 11. *Schedius* de D. G. 1. 4. De *barbaris* planeque profanis vocibus, quales poſt *Simonem* quoque amaverunt ejus nepotuli, ut *Jaldabot Prunicus*, *Caulacan*, & κενοφωνίαις *Thomaſ.* Schediaſma Hiſtor. p. 26. de *Palladio*, *Securitatis* inexpugnabilis, quouſque & quandiu ſartum tectum aſſervatum, & ſub certo ſiderum aſpectu in hunc finem facto &c. conſuli poſſunt, præter Herodianum l. 1. c. 14. & *Bœcl. in Comm.* ad Eund. p. m. 377. *Alexand. ab Alex*, Gen. Dier. l. 5. c. 12. *Freinsh.* ad *Flor.* l. 1. c. 2. n. 3. c. *Cœlius Rhodiginus* l. 28. c. 6. non diſſimile eſt Hebræorum שברירי quod ſignificat *fatuitates*, *oculorum cæcitates*, *ſcotomata*, ſed collo appenſum cœcitati mederi creditur hoc modo:

שברירי
ברירי
ריריִ
ירי
רי
ר

Huc ſpectent quoque *ſigilla Hermetica Planetariorum*, quæ peculiaribus libris deſcripſerint *Rudolph. Goclenius*, & *Iſrael Hubnerus*, inde iiſdem relinquit idem, & nos cum eodem ad אובית, vel ἐγγαςειμύθυς ut LXX. reddiderunt, *Lev.* 19. verſ. 6. & 27. *Deut.* 18. verſ. 11. 1. *Sam.* 28. verſ. 3. 7. 8. 9. 1. *Paral.* 10. verſ. 13. 2. *Paral.* c. 33. 6. *Eſ.* 8. 19. ( c. 19. verſ. 3. ubi ἐκ τῆς γῆς φωνῦντας &c. 29. verſ. 4. ubi φωνῦντας ſimpliciter habent ) 2. *Reg.* 23. 24. it. 2. *Reg.* 21. verſ. 6. quem quidem locum *Kircherus* in Concordantiis per θελητὴν a LXX. tranſlatum affirmat, quod & ſic in noſtro Seldeno legitur: verum *Opus Regium*, *Antverpiæ* excuſum conſtanter legit ἐγγαςείμυθον, quod & Biblia *Anglicana* de Complutenſi lectione annotarunt *Crit. Angl. Sacr. Tom.* 1. f. 846. vel ידענים *Levit.* c. 20. verſ. 6. *Deut.* 18. verſ. 11. a fictitia & putatitia fortaſſis ſcientia ut *Jeſ.* 19. verſ. 3. alluditur, ita dictos, differentes aliquo a priori, ſed quomodo docet noſter & *Gerhard.* ad *Deuteron.* 18. verſ. 11. *vel* etiam ברים a ברה *mentitus eſt*, a *mendacio* & ſororio itaque ipſis juncta vinculo fraudulentia, Eſ. 45. 25. τοῖς δὲ ὁ ἐγγαςειμύθυς h. l. ut & *Deut.* 18. verſ. 11. nominatos, de quibus ſingulis breviter.

אוב imprimis *quinque* ſignificationibus in ſacris nota *vox* notante *Feſſelio* T. 1. p. 462. I. *propria* ſemel in Job. 32. 19. utris *laguncula*, vaſis ex coriis ſive boum, ſive caprarum, ſive aliorum animalium *facti*, vinum continentis, unde 2. *Me-*

*taphorica* eſt ἐγγαστριμύθου, אוב loc. cit. *vel* ab tumido ventre deprompta oracula, ut placet *Aben Eſræ* in *Buxtorf. Lex. Hebræo-Chald.* pag. 10. Confer. *Balthaſ. Bonifac.* Lud. c. 2. p. 3. *vel* propter *obtuſam, & quaſi ex laguncula aut cavea* (ut ſolebant hac Magiæ ſpecie utentes) *editam vocem*, ut placet B. *Gerhard.* in Deuter. l. c. p. 1096. *Fagio* ad Lev. 19. vid. *Cornel. a Lap.* cap. 8. *Eſ.* 5. verſ. 19. ſic dicti.

*Sive Spiritus impuri* & *Dæmonis ipſius*, qui de futuris, amiſſis, furto ſurreptis, hominibus dolore morbove aut amore affectis, læſis, abſentibus, eorum factis & actis voce ſubmiſſa, audituque & perceptu difficillima, quaſi e telluris cavitate, e ventre turgido *vatis præcipue fœminæ*, ore compreſſo, vel humi jacentis, vel tripodi inſidentis, vel ſtantis, reſponſa dabat, ut *noſter* vult, & *Feſſ.* ll. cc. *Buxtorff. Lex. Talm.* p. 39. *Schindl. Pentagl.* voce אוב, *Heinſius Ariſtarcho* ſive Exercit. ſacr. p. 19. ubi *non dubitandum*, ait, *quin Pythius Apollo, hoc eſt ſpurcus ille Spiritus, quem Hebræi Ob & Abbadon* (vid. *Keuchen.* Not. ad Cornel. Nepot. p. 8. ex *Hornio*) *Helleniſtæ* ad verbum Ἀπολλύωνα; ceteri Ἀπόλλωνα dixerunt, ſub *hac forma*, (ſerpentis puta,) qua miſeriam humano generi olim invexerit, *primus* cultus ſit *in Græcia* *Druſ.* in *Deuter.* c. 78. p. 596. 597. *Ravanell.* T. 2. de Bibl. Sanct. fol. 774. *Schedius Syngr.* 2. de Diis Germ. c. 47. p. 450. *Bonfrer.* in *Lev.* 19. 31. fol. 674. & ſic accipi vult, *Lev.* 20. 27. & 1. *Sam.* 28. 7. ubi אוב & בעלת-אוב Spiritus *ventriloquus* & *habens mulier*, ſive juxta Targum: דירעא לאסקא בירין quæ novit producere Pythones, vel divinans verſ. 5. באוב per *Spiritum* &c. ἐν ἐγγαστριμύθῳ ſicuti & Deut. 18. 11. שאל אוב interrogans diſtinguitur, *Feſſ. l. c.*

*Sive Vatis Inſtrumenti maligni Spiritus*, *tum* qui Manes & umbras e ſepulchris, vel potius dæmonem e locis ſubterraneis, quocunque ritu & ſuperſtitione evocant more ſagarum & lamiarum &c. qui etiam אובות a LXX. ἐγγαστρίμυθοι, *mulieres Pythiæ, Pythoniſſæ, Pythonantes, viri-Pythones, ut Lev.* 19. 31. *Lev.* 20. *verſ.* 6. 1. *Sam.* 28. *verſ.* 4. 9. 1. *Paral.* 10. *verſ.* 13. Jeſ. 19. *verſ.* 3. dicebantur, & evocaturi diabolum ſub ſpecie demortui cujuſdam humi jacentis voce ſubmiſſa execrandas ſuas incantationes in arena ſubmurmurabant, *Jeſ.* 8. verſ. 18. c. 29. verſ. 4. *modum* vero advocandi Dæmones, *Talmud in Berachoth* fol. 6. præſcribit talem: *qui voluerit cognoſcere dæmonem, accipiat cinerem cribratum, qui adducatur ad lectum ipſius, tunc mane videbit quaſi pedes galli gallinacei, qui voluerit videre illum, afferat ſecundinam felis nigræ, cujus mater nigra fuit, primogenita ſit primogenitæ matris, & comburat eam igne, & contundat eam, ponatque paulum ſuper oculos, tunc videbit eum.* Deinde quoque varia nomina *Dæmonum coacervabant*, ut legitur apud profanos Autores, e quibus egregiam ſuam Pharmaceutriam congeſſit *Ingenioſiſſimus Poeta Barlæus* part. 1. Carm. p. m. 620. qualia ſunt monſtroſa & horrenda plane auditu:

> *Caphoros, Larſoſque Merachque*
> *Burſa, Bulis, Salafar, Barſus, Laſpharus & Ador*
> *Ethiel, Azoriel, Thulbas, Pandorque Cazulque*
> *Et ſcelerum perſuaſor Aal, furtique magiſter*
> *Albador*, &c.

legatur, & in *Lodippa* venefica nefandos ritus deteſtaberis. *Tum late* apud profanos Scriptores, imprimis *engaſtrimythi* dicuntur, qui per pelvim, vel alia vaſorum genera, in rebus ancipitibus, nefario auſu diabolum conſulebant, quæ *ſpecies* alias *Lecanomantia* dicitur, qua uſi olim *Hermolaus Barbarus* in perſcrutanda Ariſtotelis ἐντελέχεια, & *Georgius Placentinus* feruntur. Vid. *Sennert.* l. 1. Phyſ. c. 8. p. 111. & conſulatur de hoc divinandi genere *Petrus Crinitus* c. 11. l. 4. de H. D. p. 117. *Peucer.* de divination. p. 182. qui oſtendunt quantum diſtet hæc a *Gaſtromantia*, addatur *Leo Allatius* Syntagm. de Engaſtrim. c. 2. fol. 334. *tum*, qui *vel* jocoſe, *vel* malitioſe fabulas non tam in ventre, quam cerebro vel ore natas, proferebant, *illos* dicere poſſe παιστικοὺς *deriſores*, qualis *Faningus* Regis ſuſurro apud *Diskinſon.* c. 9. p. 86. *Ludov. Brabantius* apud *Brodæum* l. 10. *Miſcell.* c. 19. *Wierum l.* 1. c. 14. *Majolum* Tom. 2. Colloq. 2. Dier. Canic. modum, quomodo fiat, oſtendit *Kenelmus Digby* Tract. 1. c. 38. f. 244. immortalitatis animæ rationalis. Spiritu nimirum intus attracto: *hos* μαντικοὺς *vaticinatores*. Sed ad אוב *quæ quarto Pythomantiæ ipſius* ſignificatione famoſa eſt, 2. *Reg.* 21. verſ. 6. 2. Par. 33. ubi *Manaſſes* inſtituit, ſed Rex Joſias poſtea exterminavit, 2. Reg. 23. 24. de *quinta* ſignificatione vid. *Feſſ.* l. c. p. 465. De ידענים ipſe Autor habet & mox ſubjicientur quædam, ſicuti & de ἐγγαστριμύθοις, de quibus & nos; Dicebantur & γαστρομάντεις & ἐγγαστριμάντεις, apud Suidam; quanquam *differentia* ſit inter hos & ἐγγαστριμύθους, ſubtiliter eam indicante

te *Scaligero* Exercit. p. 795. dum ita differit: *Internum illum sonum dæmonis loquentis, quo ex loco prodiret, alii aliter declararunt. A ventre edi solitum, nomen indicat, idque non unum, quod tu ponis, solum; sed quoque invenias γαϛρομάντεις. Cujus in extrema vocis parte, etiam vaticinium appositum est, non sermo solus, ut in Tua appellatione*: nec obscure inculcante *Brodæo* l. 9. Miscell. c. 19. deinde propter fædissima ventris pertusi loca puriori pectoris appellatione ϛερνομάντεις, apud *Pollucem in Onomast.* l. 2. c. 33. seqq. i. e. Dæmonem in præcordiis habentes. Vid. *Drus.* l. c. *Wierum* l. 2. de *Præstigiis Dæmon.* c. 14. p. m. 204. qui discrimen inter hos & ἐγγαϛειμύθυς observat, latius vero deducit utrosque *Leo Allatius* cap. 1. Syntagm. de *Engastr. Delrio* Tom. 2. lib. 4. Disquis. Mag. c. 2. quæst. 6. p. 210. porro γαϛεῖται, ἐγγαϛεῖται, apud *Wierum*, ἐντερομάντεις in nonnullis *Theodoreti* in cap. 20. vers. 27. Levit. qu. 29. exemplaribus ( in aliis enim est eorum loco στερνομάντεις ) vid. *Allatius Bonfrerius* in l. c. *Lev.* 679. ἀρυκλεῖς, ἀροκλεῖται ab Autore *Eurycle* primum Athenis hac Magia uso. Vid. *Ursin.* Vol. 1. *Anal.* l. 2. c. 7. p. 111. θεληται 2. Reg. 21. 23. de quo supra ἐπαοιδοὶ apud *Varenium* ad cap. 19. vers. 30. Lev. πύθωνες, vid. *Voetium* Tom. 1. Dispp. Select. Disp. *de Energum.* Defect. Orac. p. 19. *Dilherr.* Dispp. Tom. 1. p. 220. *Allatium* f. 335. ubi Photii Patriarchæ Constantinop. hujusmodi Synonyma congerentis locum ex nondum editis refert. Tom. VIII. Crit. Angl. *Latini* hoc hominum genus vel *ventriloquos*, ut *Compilator Decretorum Gratianus*, Causa 26. q. 3. vid. *Dilh.* l. c. p. 222. & hoc longe antiquior *Augustinus*, teste *Wiero* & *Gyraldo* p. 314. *Synt.* vel *utriloquos*, *ventridicos*, *utricularios*, *Præcantores*, dicerent; *Babylonios Sacchuram* ἐγγαϛείμυθον dixisse annotavit ex *Jamblich.* Babylonii, apud Photium; Allatius l. c. *verbis*: Καὶ ἐγγαϛείμυθον, ὅ κὴ φησι, ὡς ἕλληνες μὲν Ευρυκλέα λέγουσι, βαβυλώνιοι δὲ Σακχύραν ἀποκαλῦσιν. Est autem Σακχύρα μαινομένη, κάτοχος, μεθύυσα. Vid. *Druf.* ad *Deut.* 18. 11. Hujusmodi *Ventriloqui*, diu est, quod cœperint, & viguerint, quod vel solo interdictis divinis loc. cit. & ex 1. *Sam.* 28. vers. 3. seqq. constat, quanquam enim *Saul* ut *Necyomantim* consuluerit, & ut Samuelem produceret, jusserit, quis negabit tamen, si vel solas appellationes Spiritus S. inspexerit, eam & hac infamia notandam esse. *Confer* LXX. versionem, & vide *Allat.* l. c. & Tract. *egreg. de Oraculis* c. 4. p. 64. Licent. *Mœbii*, designati Professoris Theolog. in celeberrima Tilurea. *Controversias* vero de spectro Endoreo apud *Allatium* l. c. Tom. VIII. *Critici sacri Anglicani*, & *Disp.* sub *Præsidio D. Gerhardi de spectro Endoreo* Jenæ *habita*, quibus add. *Francisci* in der Schau-Bühne convent. 5. p. 919. seqq. ubi insimul *Justini Martyris* & *August.* sententias invenies. Nec *Tempore N. T.* desiisse hæc horrenda sacra, patet ex παιδίσκη ἔχϭση πνεῦμα πύθωνος, Act. 16. 16. sive *ventriloqua*, ut Augustinus vocat apud *Wierum* l. 2. c. 1. pag. 140. sive *Spiritum divinationis*, ut Syrus reddit ܪܘܚܐ ܕܩܨܡܐ, רוחא דקצמא vel *Spiritum sapientiæ*, ut Arabs vertit, habente, & *Epitheto* propterea, ut videtur potius denominata Apollinis, *quam nomine* proprio, quia veteres τάτας ἐγγαϛειμύθυς vocabant πύθωνας, referente *Plutarcho* in l. 2. de defectu Oraculorum. Vid. *Casaubon.* notis ad h. l. N. T. *Friedlieb. Theol. Exeg.* hujus loci. *Ursin.* Part. I. Anal. p. 111. *Dominus D. Joh. Tobias* Major in Explicatione locorum difficilium in Act. Part. 2. p. 42. *Joach. Camerar.* notatione figur. in h. l. p. 286. *qui*, *has fæminas veteres Latinos*, *Sagas*, *& Græcos* ἐγγαϛριμύθυς & ϛερνομάντεις, & circum ferentes ἀρυκλέα; Easdemque aliquos etiam πύθωνας *&* πυθωνικὰς, *ab Apollinis ut suspicari licet*, *Pythia*, *& Oraculo Delphico*, πυθώ, *i. e. apud urbem*, *cujus nomen* πυθὼν *&* πυθὼ *dixisse* refert. Conferatur *Ursin.* l. c. *Voet. Tom.* 1. *Disp.* sel. p. 1037. *Ludov. de Dieu* in h. l. p. 152. *Lorinus* in h. l. aliique. πυθὼν vero num a פיתן *aspide*, *serpente*, ut omnino videtur; an a πυθέσθαι, *consulendo* scil. *interrogantibus & consilia petentibus*; vel a פתה *inclinavit*, Arabice Conj. 1. *Juvenili ætate fuit*, ( unde פתי puer, etiam *Arabibus*, vel a simplicitate & quod facile persuaderi possit, vel *ab Arabicæ Radicis dicta significatione* ) qua Apollo depingitur & fingitur. Vid. Poetæ, derivetur, vid. *Keuch. Fesselius*, CL. *Daniel Heinsius* ll. supra cc. non anxie disceptabimus, commemorantes saltem, vix nobiliorem extra sacras historias notioremque inveniri, quam *Pythiam Apollinis sacerdotem*, de qua Origenes lib. 7. contra Celsum ita: *certe de Pythia*, ait, *quo non est aliud Manteum celebrius, narratur, Vatem illam Apollinis desidere super foramen specus Castalii, & ascendentem inde Spiritum per muliebre gremium recipere, quo repleta profert illa, & divina, ut putantur, oracula.* Eodem

fere

fere modo *Chryſoſt.* Hom. 29. in Epiſt. ad *Corinth.* hæc narrat, niſi quod addat, *Vatem repletam ſolutis crinibus debacchantem ex ore ſpumas emiſiſſe, & furoris verba locutam fuiſſe.* Vid. Fag. ad Lev. 19. 31. *Scotum Curioſ. Phyſ.* lib. 4. c. 11. p. 624. de *Tripode*, cui inſederit, notabiliora vide apud *Gaſſendum* l. 4. p. 152. ſeqq. *Vitæ*, Viri per orbem literarium notiſſimi, *Claudii Fabricii Peireſcii*, & hinc inde paſſim, apud *Dilberr. Sched. Urſ.* &c. *prætereo hic alterum*, ut fere venditatur, hujus divinationis *parentem Euryclem Engaſtrimythum*, de quo *Allatius*, *Chriſtoph.* a Caſtro in Proph. l. 2. c. 11. ſcribit, *Eurycles Ventriloquus Athenis fuit, qui vera hariolari cenſebatur, quod genium haberet inter viſcera* &c. Taceo *Clementis Alexandrini* tempore claros fuiſſe hos vates, de quibus *Fagius* l. c. ab ipſo, ut præſtigias Diaboli cognoſceret, auditas; quam refert de quadam *Jacoba* nomine *Rhodiginus* l. 5. Ant. Lect. c. 10. fol. 212. & *aliam virginem Cantiam* ſub *Henrico* VIII. fatidicam, apud *Ricardum Argentinum Anglum* & *Medicum* in Tractatu de *Præſtigiis & Incantationibus Dæm.* c. 2. p. 21. *Fœminam Cæciliam* Ulyſſiponæ, in cujus cubitis & partibus non nominandis vocem ad quævis reſpondentem, auditam fuiſſe narrat *Hieronymus Oleaſter* Comment. in Eſ. 29. 4. *Apollonidem Magum*, cui trimulo homo, ut ipſe narrat, fœda fuligine niger, per os ingreſſus ventrem implevit, apud *Urſin.* & alia multa exempla, quorum ſtruem dare copia hinc inde autoribus occurrens non negaret, ſi hujus loci res eſſet, vid. inter alios *Camerarius Hor. ſuccis*, p. 260. ſeqq. de ידענים per γνώςας expoſitis p. 122. conſule *Muſarum Delicium, & ſcientiarum fere omnium Compendium Thomaſium*, Præceptorem olim oculis & auro contra charum, *Schediaſmate Hiſtorico* p. 16. ubi de γνώςϰ, ait pertinere neutiquam eandem ad falſam & animabus peſtilentem illam, a qua divinatorum quoddam genus Deo inviſum in LXX. verſione V. T. nominarentur γνώςαι. Subjicit deinde, nim. 1. Sam. 8. c. *in fontibus ii ſunt* ידענים, inquiens *Aſtrologos* (qui ſcil. vetitam ex aſtris divinationem exercerent) *interpretatur Fullerus* 1. *Miſcell. Sacr.* 16. p. 104. quippe, qui ſuam artem ambitioſius oſtentando, uſque adeo profecerint, ut ipſi ſoli clariſſimo Mathematicorum nomine ſalutarentur, quaſi ipſi ſoli poſſent μανθάνειν (quod idem valet atque ידע apud Hebræos unde ידעוני) id eſt, intelligere ac percipere abſtruſiſſima quæque. Dominus Joſua Arndius c. 4. de ſuperſtition, n. 17. p. 109. 110. horum artem refert ad divinationes, magiam, & idololatriam, cujus ritum Hebræi ſic deſcribant: *Avem*, quæ dicitur ידוע, *mactabant*, *oſſiculum ori impoſitum geſtabant*, *fumigabant*, *circumacto corpore cadentes in terram fundebant oracula.* Vid. & Gilb. Gaulmin. l. 1. not. ad lib. de Vita & Morte Moſis c. 13. *Quicunque fuerint hi* ידענים, certum eſt, γνώςαι eorum *fuiſſe ex curioſitatibus a Deo prohibitis.* Unde in ſacris perpetuos comites habent τῶτο ἐγγαςριμύθϰς.

## Ad Cap. III. Synt. I.

### *De Baal Zephon.*

CL. *Varen.* ad *Exod.* p. 221. *Baal Zephon planities ampla fuit*, inquit, *in quam per fauces illas Chirotarum perveniebatur, & in qua Idolum eo nomine colebatur, quod a mari rubro Aquilonem verſus ſpectans Domus Aquilonis dicebatur.* Ejus ſtatuas quibus ſimiles fuerint, jam antea diximus. Nim. ſtatuis Averruncis, & εἴδωλον ἀποτρόπαιον fuiſſe varia figura expreſſum, contra Seldenum defendit *Kirch. Oedipo* quod *Iſraelitas faſcino ſuo detinuiſſet*, quod tamen, ut perſuadeas nondum video adeo firmum. Equidem multa ſunt, quæ fidem retinere jubent, etiam *in illo judicio Kircheri*, quo Baal Peor ſola figura differre dicitur. Quid ſi dicatur בעל צפון *Hebraice vocari*, quem ſua lingua Ægyptii *Thamuz* appellitant?

## Ad Cap. IV. Synt. I.

### *De Vitulo Aureo.*

PRolixior quidem ipſius *Autoris Tractatio*, hic nos vacare juberet, ne tamen nihil addidiſſe videamur, potiora, & ſi quid prætermiſſum coarctabimus. *Vocis* עגל itaque communis hujus Idoli nominis Exod. 32. τοῖς ὁ plerumque μόσχϰ quandoque μοσχαρίϰ, βοιδίϰ vel δαμάλεως Pſal. 103. v. 20. שור *bovis* vel *vituli*, ut Latini vocant, (quibus & *vitula Dea* quæ lætitiæ præeſt, vocetur, ut *Hillus* libro quem de Diis compoſuerit, referat, teſte *Macrob.* l. 3. Saturn. c. 2.) *enodationem ſufficientem*, nec Seldenus prætermiſit, qui nec *Apim*, nec *Mnevim* fuiſſe vult, ſed potius *bovem deauratum in Oſiridis ἀφανισμῷ καὶ ἀρέσει* oſtendi ſolitum: Certe inter עגל *Hebræorum*, ſive per *bovem* interpreteris, quem ſignificat, vid. Buxt. in Lexico Talm.

Talm. ſive per *Vitulum* Hebræorum, & *Apim & Mnevim* magna apud Ægyptios Numina, nimium quanta eſt convenientia. Nam ut nihil dicam de *nomine Apis*, quod Ægyptiacum eſt, & *bovem* notat; unde & *Serapis* eſt, aliud hujus *quadrupedis*, fortaſſe *mortui numinis*, *Nomen*, quoad priorem partem ex ἄπ & alia voce σωρ, *quæ ciſtam* ſignificat, quanquam ut alii dictum volunt, quaſi שור אפים *vultus bovis*, vel *bos vultus ſit*, *capitis* forte, quod ejus loco cultum fuerit, ut dictum eſt ſupra, & dicetur: *Materia* in utroque eadem eſt, *aurea* ſcilicet, licet & *vivos boves* coluerint Ægyptii, ut ſubjicietur. *Inaures* avelli juſſiſſe Aaronem v. 3. legitur, non ſingulari quadam prudentia, quod *Haggionis* ſubtilius delirium eſſe dicit *Judicioſiſſimus Varenius* in Exod. p. 425. vel ut populum derideret, vel deſperaret, populum tantis ornamentis & pretiis ſe privaturum: ſed ut inde *conſlaret Idolum aureum*. Jam vero *Ægyptiorum* βοῦς, ut Antitypum Solem, cujus Symbolum erat, exprimeret, vid. *Macrob.* lib. 1. c. 21. & *Roſſæus* in 's werelds Godsdienſten p. 698. (quanquam alii *lunæ* fuiſſe volunt, & rectius; minus recte vero *Voſſius*, qui *Joſephi* אב vel אבא unde *Apis* factum ſit, ob *curam* & providentiam ita dici vult, de reipſa non dico, vid. *Kipp. Auct.* ad Papp. Hiſt. p. 115.) διάχρυσος *aureus*, vel *inauratus*, *in Oſiridis luctu* ſive ἀφανισμῷ, bulla veſte byſſina amictus, & deinde ab Hierophantis, quatuor diebus oſtenſus fuit; vid. *Plutarch.* llbr. de *Oſir.* & *Iſide*. *Et hanc* non inepte quoque cauſam diceres, cur *Deus* Exod. 21. v. 23. ut aureos Deos facerent, prohibuerit, oculo *omniſcientiæ ſuæ* providens, quam facilis ſeductu populus ſplendore hujus metalli, pronus alias & in vetitum nitens, a tramite declinare poſſet. Nec *forma* utriuſque variat; diſceptatur quidem de *voce* עגל quid proprie ſit, *Vitulum* alii reddunt, favente *tum uſu* ubivis obvio, *tum conſenſu* & interpretum *Onkeloſi*, utriuſque *Samaritani*, *Arabis*, *Syri*, conſtanter עגל retinentium; *Græcorum* μόσχον, μοσχάριον &c. & *Latinorum vitulum*; Luth. ein Kalb, *Anglice* a Calfe &c. reddentium; & *loci paralleli* Pſ. 105. v. 21. ubi *Arabs* pro שור, עגל retinet: & *plerorumque Judæorum*, *Muhammedanorumque* vitulum agnoſcentium, vid. *Hotting.* de *Arabibus* Exercit. Anti Mor. p. 25. *alii* vero *bovem*, tum quod עגל non quemlibet, ſed *plauſtralem* ſaltem *bovem*, adeoque *juvencum* (mediæ ætatis nomen apud Martin. in lexico in voce Vitulus,) quare & *Chaldæus* Oſ. 3. pro עגלים poſuerit תורי boves, denotet; *tum* quod *Apollinarius* in ſua paraphraſi μόσχον κεραέλκη reddiderit, & μόσχος pro bove *nonnunquam ſumatur*, ut ab Herodoto, qui celebratiſſimum *Ægyptiorum bovem*, *Apida*; vel alios boves μόσχους vocavit, cum in Euterpe, τοὺς καθαροὺς ἔρσενας τῶν βοῶν καὶ τοὺς μόσχους οἱ πάντες αἰγύπτιοι θύουσι, &c. ait. Contra vero ſtudio in re & clade Ægyptiorum ad Euphratem, *poſitus* Ἆπις legatur in LXX. Interpretibus, pro *Hebræorum* אביר, quod *taurum electum vulgo* notat. Sed mihi videtur eſſe *nomen ſpeciei*, *non ætatis nec magnitudinis*, quacunque fuerit; dubio procul *aureus & artificio talis*, non exæquavit naturalem, *vitulo* igitur *ſimilior*, eo nomine quoque venit; *major* vero *& vivus* (nam utrumque coluiſſe videntur) *bovis* nomen gerebat. Prioris generis cum Iſraelitarum fuerit, quid mirum, ſi vituli ſaltem nomine exprimatur? nihilo minus ab Ægyptiis mutuatus eſſe potuit. Accedit vicinia & nuper cultum ſolum Ægyptiorum, a quibus quid non addiſcere imo adſciſcere valuit turba in ſuperſtitionem proclivis. *Ægyptios* vero coluiſſe boves, & quidem quod jam tempore *Aſerbi*, *Iſaaco* συγχρόνου, μόσχος θεοποιηθεὶς, Ἆπις ἐκλήθη, *teſte Euſebio*: *vel Abrahami* quoque, vid. *Smegm. Orient. Hotting.* p. 320. res notiſſima eſt; *tum ex Strabonis* l. 17. qui cum de *Bubaſto* & *Bubaſtica* præfectura dixiſſet, ſubjungit: ὑπὲρ αὐτῶν ὁ Ἡλιοπολίτης νόμος. Ἐνταῦθα δ' ἐστὶν ἡ τοῦ ἡλίου πόλις, ἐπὶ χώματος ἀξιολόγου κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ ἡλίου, καὶ τὸν βοῦν τὸν μνεῦιν, ἐν σηκῷ τινι τρεφόμενον, ὃς παρ' αὐτοῖς νενόμισαι θεὸς ὥσπερ καὶ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις; *tum* aliis. Sic *Plutarchus* de *Iſide* & *Oſiride*: ὁ δὲ ἐν Ἡλιοπόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσιν, Ὀσίριδος δὲ ἱερὸν, δὲ καὶ τοῦ Ἄπιος πατέρα νομίζουσι, μέλας ἐστὶ καὶ δευτέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἆπιν. *Cicero* in Perſona *Cottæ*, Vellejun Epicureum alloquens l. 1. de N. D. *Quid cenſes*, *Apim illum*, *ſanctum Ægyptiorum bovem*, *nonne Deum videri Ægyptiis?* Et *Plinius* l. 8. c. 46. *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur*, *Apim vocant*, & paulo poſt: *ſunt delubra ei gemina*, *quæ vocant thalamos auguria populorum*, *alterum intraſſe lætum eſt*, *in altero dira portendit*. *Apim* intelligit Tibullus quoque l. 1. Eleg. 7. canens:

> *Te canit atque ſuum proles miratur Oſirin*
> *Barbara Memphitim, plangere docta bovem.*

Et ad differentiam illius, qui *Mnevis* He-

Heliopoli colebatur, *Memphitim* vocat: *geminus* enim erat, ut ex *Strabonis* loco addito patet ( unde fortaſſe geminus Jerobeami vitulus, ) *Apis*, cujus meminerunt *Diodorus Siculus* l. 1. *Ælianus* de animalibus l. 11. c. 10. *Clemens* & *Pſeudo-Romanus* l. 5. Recognit. his verbis: *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere:* & *Alexandrinus* admonitione ad Gentes, *Mela* de Situ Orbis l. 1. c. 9. *Lucianus* in Concilio Deorum & de ſacrif. *Spartianus* in Hadriano, *Macrobius* l. c. qui dum Apim ad Solem refert, errat, oſtendente *Æliano* de animalibus lib. cit. c. 11. qui Mnevim Soli, τὸν γε Ἄπιν ἀνάθημα εἶναι σελήνῃ ex mente Ægyptiorum dicit. *Tum* vel *illo* quoque *Geneſ.* c. 43. verſ. 37. c. 46. verſ. 34. *quo Ægyptii omnes Paſtores ovium deteſtabantur, & a communi paſtoritia vita plurimum adhorrebant*, teſte *Joſeph.* lib. 1. contra Apion. & Antiqu. l. 2. c. 4. Licet non *in totum*, ut annotavit *Corn. a Lap.* in *Geneſ.* 47. verſ. 6. *neque ſemper*, quod ab ipſorum potius ſuperſtitione, quam mollitie ut *Cunæus* de *Rep. Ebræorum* l. 1. c. 5. l. 2. c. ult. credit, conjicitur eſſe, *ex collatione* l. c. & c. 43. verſ. 32. & 33. quod Onkelos ita παραφράζει, *non poſſunt Ægyptii comedere cum Hebræis panem, eo quod pecus ab Ægyptiis cultum comedant*, cum *Exod.* 8. *verſ.* 26. ab *Onkeloſo* citato ita verſu: *non convenit ita facere, eo quod jumentum, quod Ægyptii colunt, tollamus ad ſacrificandum coram Deo noſtro: Ecce ſacrificabimus pecudem Ægyptiorum, quam ipſi colunt, ipſis videntibus, annon jubebunt lapidari nos?* unde quoque, non de nihilo fuiſſe dicebatur, *jam Iſaaci tempore boum culturam invaluiſſe*, & facile ad Judæos tranſire potuiſſe, colligis, imo ad *Indos*, quibus adhuc coluntur, ut dictum, & oſtendit *Arnoldus* in *Appendice*, præſertim *vaccæ*, qualem in Ægypti vico *Schuſſa* ob *Venerem Uraniam* coluerint, quia convenientiam cum Dea habere crediderint, cum vacca tanto impetu in venerem incitetur, ut maris mugitu audito vehementiſſime ad coitum inflammetur. *Veneri quoque Nomemphitanæ vaccam ſacram aluiſſe Ægyptios*, teſtis eſt *Strabo* libro cit. Videantur de hoc boum cultu famoſiſſimo *Diodor. Sic.* l. 1. c. 25. *Suetonius* in *Octavio*, c. 93. in *Veſpaſiano* c. 7. nam & *ad Romanos* tranſierat, quanquam non in urbem admiſſus, *Dio* in A. U. 791. *ea enim ſententia obtinuerat, ut extra pomœria urbis eos Deos collocarent*, vid. *Rup.* in *Val. Max.* c. 2. & 3. p. 61. & multa de hoc & Iſide habet *Laurentius Pignorius* in expoſitione *Menſæ Iſiacæ*, videantur præterea *Libanius Sophiſta* in *Encomio bovis*, *Athenæus* l. 7. *Arnobius* adverſ. Gentes l. 1. 2. 4. & quos longo ordine citat CL. *Kortholt.* de *calumniis* in *Veteres Chriſtianos* p. 29. 30. Ægyptii imprimis nefando iſto cultu deteſtabiles affricuiſſe infamiam videntur *Judæis*, deinde *Chriſtianis* in Ægypto habitantibus; ut conſtat ex cujuſdam *imperatoris Hadriani ad Servianum Coſſ.* ( quam ex libris Phlegontis recitat *Flavius Vopiſcus* in Saturnio ) Epiſtolæ verbis: *Illi qui Serapim colunt Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt*. Quanquam vero quidam mortis metu deſciverint, vel ſimulaverint, non tamen æque omnes ea cenſura digni, & proinde *grandes calumniæ* erant, quibus pro more pluribus proſcindebantur Chriſtiani tunc temporis, & orbi inviſi reddebantur. Si *Judæis* attribuiſſet, jure feciſſet, hos enim Ægyptiacam impietatem imitatos, Apimque adoraſſe non ſolum dixit *Lactantius* l. 4. Inſtit. c. 10. ſed & hujus animalis ipſis peperit injuriam, licet *Aſini cultores* dicerentur ipſi, qui *boum* erant, vid. *Joſeph.* l. 2. contra Appion. & *Petronius* Arbiter qui fragmentis ſugillat propterea eoſdem:

> *Judæus licet & porcinum numen adoret,*
> *Et cœli ſummas advocet auriculas.*

Melius juxta nonnullos *cilli* legitur. *Cillus* enim Græce κίλλος apud *Jul. Pollucem* in Onomaſt. l. 7. & *Heſych.* in Gloſſis *Henr. Steph.* & *Scap.* *aſinus eſt animal auritum*, quare *ſummas* addit: quanquam ſi *cœli* legatur ad *cœlicolas* cum *Cunæo* de Rep. Ebr. l. 2. c. 6. p. 326. digitum intendi dicere poſſis. *Judæi* enim & *cœlos* adorare dicebantur, de quo infra. Vide apud *Plutarchum* de Judæis *Onolatris* & quæ prolixe hac de re diſſerit *Doctiſſimus Kippingius* ad Papp. Auct. p. 113. ſeqq. utraque certe calumnia petit Chriſtianos, ſed neutrius reos, *Judæos* vero prior juſtius, qui ſemel initiati ſubinde in veterem lapidem impingere potuerunt, & offenderunt. Huic cultui potiſſimum oppoſita videtur lex *Deuter.* 4. *ne ſe perdant, & Deo ſimilitudinem faciant maſculi aut fœminæ*; *Boves* enim *mares* colebant *Oſiridi fœminas Iſidi* dicatas. Quam tamen ſemel atque iterum migrarunt, *artificialis* tamen potius, quam *naturalis* Bovis, ( cujus utriuſque Ægyptii erant cultores ) *imagine*, & quidem *aurea*, qualem omnium primus ipſorum *Pontifex ipſis* formavit, juxta Hebraicam veritatem בחרט *Stylo*, jux-

juxta LXX. ἐν γραφίδι *Syrum* בטופסא *in typo*, *Aabem* בקאלב *in forma*. Rectius *Stylo*, *ſcalpro*, adeo ut γνωρίσματα quædam, notæ, characteres, vitulo fuerint inſculpti. Nam Apim qui *Lunæ* imaginem ferebat, & proinde lunaribus radiis conceptum nugabantur, finxiſſe & pinxiſſe colore atro quadrato in fronte candore, macula dextro lateri ingenita, & corniculantis Lunæ imaginem referente conſpiciendum, dicuntur. Vid. *Corn. a Lapid. Exod.* c. 32. quibus *maculis non tam appingendis quam inſculpendis adhibuiſſe* ſcalpellum probabile eſt, imo & hoc, cum *vel non ſufficeret metallum* pretioſum, vel *ſaltem Parieti apponendum* eſſet, Idolum, *caput ejus tantum pinxiſſe* & fingere potuiſſe, *vid. Hotting. Smegm. Orient.* p. 147. quale adoraſſe in deſerto, & *fuiſſe quoque Jeroboami geminum illud* 1. Reg. 12. v. 28. dicit *Lact.* l. c. *Hieronymus* ad c. 4. *Oſeæ*, *Ambroſius*, vel quiſquis eſt Autor in Epiſt. ad Rom. c. 1. Confirmant hanc *Apidis & Judæorum ſcandali convenientiam* non parum quoque *finis*: Dum enim *Judæi*; *Surge*, inquiunt, *& fac nobis Deos, qui eant ante nos*, & v. 4. *iſti ſunt Dii tui, qui aſcendere te fecerunt ex terra*, dicitur, alludi ab illis, ut eruditi quidam conjiciunt, ad Ægyptiorum mentem, quibus juxta *Mercurium Triſmegiſtum Oſiris* erat σωμάτων ἑκάστου ἔθνους ἡγεμών, καὶ ἰσχύος καὶ ῥώμης καθηγητής; Sed vix credibile eſt, ἡγεμονικὸν officium nude adſignaſſe Idolo, ſed potius *Jehovæ & Deo vero*, quem, ut ad petitum populi demulcendi, oculis ſubjiceret, *Symbolum* ſed inexcuſabili temeritate petiiſſe ab Ægyptiis, quo præeunte, Deum quoque præire ſimul crederent, inde *Cultum* non *ad Bovem*, ſed *ad Dominum* v. 4. referri videmus, quem mediante μοσχολατρείᾳ ſoli Jehovæ proprium Judæi peregiſſe omnino videntur, *gaudio & lætitia*: *nam ſedit populus ad edendum & bibendum, & ſurrexit ad ridendum* verſ. 6. vid. *Dilh.* Tom. 2. p. 228. ſeqq. Idem fuit *gaudium* πανδαισία, & *lautiſſimum convivium Ægyptiorum*, qui *inventum Apim* ſolenni pompa in *Regiam* Memphim per ſacerdotes præcinentibus hymnos pueris deducere ſolebant. Hæc paucis de convenientia dicere libuit, nemini tamen eandem obtruſuro. Multis diſputat noſter, & oſtendit, cur & quod Aharon *Samari* dicatur, *vituli artifex* Arabibus, cui nihil addimus, niſi quod reſpondet *Hotting.* in Antimor. Exercitationibus p. 25. qui videatur: Ad ea vero quæ de *Alcorano* ejuſque *nonnullis hiſtoriis* & *litera* פ habet, videatur *doctiſſima* Dni. *Pfeifferi diſp. de Alcorano*. De *Anno* vero *æquabili* & id genus aliis *celeberrimus Strauchius* in *Breviario Chronol.* p. 91. ſeqq. & paſſim. De *Oſiride* & *Adonide*, in quibus ſolem cultum fuiſſe noſter ſcribit, vide idem aſſerentes *Urſin.* Vol. 2. Anal. l. 2. c. 15. p. 56. ſeqq. & *Macrob.* Saturnal. l. 1. c. 36. Porro, quod de *omnibus generis animalibus adoratis* dicit, occaſione interdicti *Deut.* 4. id puto ex *additamentis* ad Prolegomenon 3. conſtare, imprimis & adhuc vero ex optimis quibuſque Autoribus, *veteribus* etiam, v. g. *Strabone* qui l. 16. quorundam animantium culturam communem, quorundam vero certorum Ægyptiorum vel aliarum Civitatum fuiſſe dicit, verba ipſius hæc ſunt: Τινὰ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον. Των δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα, καὶ ἶβιν. Τῶν δὲ ἐνύδρων δύο, λεπιδωτὸν ἰχθὺν, καὶ ὀξύρυγχον. Ἄλλα δ' ἐστὶν, ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται. λάτον δὲ τὸν ἐν τῷ Νείλῳ τινὰ ἰχθὺν, Λατοπολῖται. λύκον Λυκοπολῖται. Κυνοκέφαλον δὲ Ἑρμοπολῖται. Κῆπον δὲ Βαβυλώνιοι οἱ κατὰ Μέμφιν. ἔστι δ' ὁ κῆπος τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς Σατύρῳ, τ' ἄλλα δὲ κυνὸς, καὶ ἄρκτου μεταξὺ, γεννᾶται δ' ἐν Αἰθιοπίᾳ. ἀετὸν δὲ Θηβαῖοι, λέοντα δὲ Λεοντοπολῖται, αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι, μυγαλῆν δὲ Ἀθριβῖται. ἄλλοι δ' ἄλλο τι. τὰς δ' αἰτίας οὐχ ὁμολογουμένας λέγουσιν. Idem quoque refert *Diodorus Siculus Biblioth.* lib. 1. περὶ δὲ ἀφιερωμένων ζώων κατὰ Αἴγυπτον εἰκότως φαίνεται πολλοῖς παράδοξον τὸ γινόμενον, καὶ ζητήσεως ἄξιον. σέβονται γὰρ ἔνια τῶν ζώων Αἰγύπτιοι καθ' ὑπερβολὴν, οὐ ζῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τελευτήσαντα, οἷον τούς τε αἰλούρους, καὶ τοὺς ἰχνεύμονας καὶ κύνας. ἔτι δὲ ἱέρακας, καὶ τὰς καλουμένας παρ' αὐτοῖς ἴβεις, πρὸς δὲ τούτοις τούς τε λύκους, καὶ τοὺς κροκοδείλους καὶ ἕτερα τοιαῦτα πλείω. & *Cicero* l. 5. *Tuſcul.* qu. *Ægyptiorum morem*, inquiens, *quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatum erroribus, quamvis carnificinam potius ſubierint, quam ibin aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent*. *Conſentit* autor *Hiſtoriæ Barlaami* ubi de Ægyptiorum ſuperſtitionibus ſic ait: *Quidam illorum coluerunt ovem, quidam hircum, quidam vitulum & porcum, vulturem & aquilam, alii vero crocodilum, quidam cattum & canem, & lupum, & ſimiam & draconem & aſpidem; alii capras & alia & ſpinas*. Huc pertinet quod iterum *Cicero* l. 1. de *Natura* Deorum habet, *quando ne fando quidem auditum eſſe ſcribit crocodilum, aut ibim, aut felem, violatam eſſe ab Ægyptiis*. Ridet, ut ſolet ſul-

fuiſſe *Satyricus* hanc ζωθέαν *Juven. Satyra* 15. hac de re quæ ut legatur, digniſſima; Notavimus ſupra quoſdam animales Deos Deaſque. Si de ſingulis diceremus, nimium fortaſſe accreſceret res, de uno tamen atque altero adhuc. Et quidem *de cane* jam ex locis citatis confirmat nos cum *Herodoto* in *Euterpe* Juv. l. c. illic

*Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.*

Unde *Cynopolitani*, a quibus *canis* cultus eſt juxta *Clement. Alex. in Protrept.* dict. & *Diodor.* l. 2. ubi ob *canem mortuum totum corpus radere*, iſtis verbis tradit: ἀλλὰ μὴν γε καὶ καθ' ἣν ἂν οἰκίαν ἀφεθῇ κύων τετελευτηκώς, ξυρῶνται πάντες οἱ κατὰ οἰκίαν ὄντες ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ποιοῦνται πένθος; addit huic *Strabo* αἰλούρους, quo & *latine* uſus eſt, ut pro *cæruleos* legit *Brodæus* in miſcell. l. 7. c. 2. Juven. Sat. 15. in illo:

*Illic æluros, hic piſcem fluminis venerantur*, ſive ut *Clemens Pſeudo Romanus* l. 5. Recognit. vocat, *gattas ſ. cattas* i. e. feles, nam ut in gloſſa eſt, *catta* αἴλουρος eſt, & κάττα *catta*. Et juxta *Evagrium* l. 6. c. 24. αἴλουρον κάττον ἡ συνήθεια λέγει, & *Germani Saxones* Katze/ Hatte. Ut in illo: iſt dat ouſere oute Katte; idque *quia felis contra aſpidum aliorumque ſerpentum morſus utilis ſit, vel* ut *Diodorus* l. 2. loc. cit. ſubjicit, καὶ τὸν μὲν αἴλουρον πρός τε τὰς ἀσπίδας θανάσιμα δακνούσας ἄθετον ὑπάρχειν, καὶ τἄλλα δάκετα τῶν ἑρπετῶν, quanquam, quod *Herodotus* notat, τὰς ὀφρύας μούνας οἱ ἐνοικέοντες πάντες ξυρέονται *in felis; in canis* vero funere πᾶν τὸ σῶμα καὶ τὴν κεφαλήν. *Mirum* niſi quoque *Epitaphia* erexerint. Equidem *Kormann.* p. 7. c. 40. Epitaphiorum caballis, canibus, pavonibus, corvo; columbæ &c. poſitorum meminit, & notum eſt jocoſum *Lipſii*, *Sapphiri ſui*, quod cum Phaleucis cane indignis, legitur in *centuria* ad Belgas 3. Ep. 89. p. 820. de *felis cultu* vid. *Plutarch.* l. 4. *Sympoſiac.* quæſt. 5. *de Iſide & Oſiride*. *Cicero l.* 1. de *Legibus* & libr. 5. *Tuſcul.* quæſt. in verbis jam adductis. Sed revertimur ad *noſtrum*, apud quem p. 154. *Auſonii Epigramma* 29. in *Myobarbum* ex parte reperiemus. Plenius apud *Urſin. Vol.* 2. l. 2. c. 18. p. 71. qui ad *Liberum Patrem* refert, in quem etiam ſcriptum omnia ejus nomina exprimat. *Adde Voſſ.* l. 2. de Idolol. c. 4. ab hoc ad μοσχολατρείας adhuc *durantis pœnas*, *prætenſam* tam diuturni a Judæis *Exilii cauſam* denique dilabimur, de cujus aſſertione Judæos adducit, quos deinde ſequitur *Menaſſe Ben Iſrael*, quod licet falſo fingatur, certum tamen eſt *Pontificem ſummum Hebræorum juvencum pro ſe & ſua domo, & pro Iſraelitis mactaſſe in* חג כפורים *feſto expiationis*, die decimo Menſis *Tiſri* in memoriam *Apidicæ Idololatriæ commiſſæ & remiſſæ*. Vid. Cod. Joma, & *Iſing. Coll. Hiſt.* quæſt. 59. §. 8. & quæſt. 60. §. 7.

Quæ præterea de *Nilo* (potius a Phœnicum & Ægyptiorum voce *Neel. ſ. Nel. ex Hebraico* נחל *fluvio*, & propterea ab accolis teſte *Æthico* in *Coſmographicis* p. m. 37. de Ægypt. Inf. Nuchul; *confirmante id Mela* l. 3. c. 10. de ſitu Orbis p. m. 143. *quam vel Nilo Rege Ægypti*, qualis nondum probatus eſt, vid. Wendelin. c. 1. §. 4. de Admir. Nili, aut a νέ *novus*, cur non Neu? & λῶ *duco?* vel quaſi Nileem Saxonice, *nova argilla*, Goropio l. 4. Hieroglyph. aut quaſi νεῖλος παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ἐνιαυσίαν ἄγειν ἰλὺν *quod novum quotannis limum adductum agris Ægyptiacis illinat*, dicto. Vid. Fuller. l. 2. c. 7. Miſcell. Theol.) habet, eundem *Nigrum eſſe: & dictum* &c. Ex autoribus ipſe probat, vid. & *Bocat.* in lib. *de flum.* p. 467. *Druſ.* Obſerv. 18. *Ludov. de La Cerda* ſuper l. 4. Georgic. Virg. ad verba:

*Et viridem Ægyptum nigra fæcundat arena.* Unde & *Ægyptus*. Et inde αἰγύπτιος ζεὺς *Ægyptius Jupiter*, ob tempeſtatis moderamen & utilitatem appellatus, *circa Solſtitium* æſtivum feriis, ludis, theatris, epulis, ſacrificiis &c. exceptus, *Autoribus Ariſtæneto & Heliodoro* l. 9. & 10. *Philoſt.* 16. & *Antiquo Nummo*, verbis, *Deo Sancto Nilo* ſignato, quem *Johannem Mocenicum* habere ſcribit CL. *Funcius Diſp. I. de Nilo* §. 8. Videtur hic *Nilus eſſe Aqua*, *Deus celebris Ægyptiorum* in illa Hiſtoria apud *Ruffinum* l. 2. H. E. & Suidam in *Voce Canopus* ita relata: Cum olim Chaldæi ſuum Deum, qui erat ignis, magnificis verbis extollerent, paſſimque circumferrent, ut cum omnibus provinciarum Diis compararetur, & ut ille qui cæteros, & ære, vel argento, vel ligno vel lapide vel alia hujuſmodi materia confectos, viciſſet, ab omnibus judicaretur Deus, ad Ægyptios tandem deveniunt, ut Deum ſuum cum Ægyptiorum Deo, quem *ſub columnæ*, quam *Nilum* appellabant, ſpecie venerabantur, ſimili modo in duellum committerent. Annuunt ſacerdotes Ægyptii, & quoddam hujuſmodi callidum conſilium ineunt. In Variis Ægypti partibus, fictiles hydriæ minutis & continuis foraminibus interpunctæ fieri conſueverant, ut per illa foramina aqua illa turbida percolata red-

redderetur puriſſima atque limpidiſſima. Harum itaque hydriarum unam capiunt, foramina cera obturant, variis coloribus depingunt, aqua repletam ut Deum collocant, & ( capite veteris ſtatuæ, quæ Menelai cujuſdam gubernatoris fuiſſe dicebatur, amputato, ac hydriæ tanquam novæ ſtatuæ, impoſito, ) accurate igni accommodant, atque admovent. Vix hydriam attigerat ignis, cum repente reſeratis ob liquefactam ceram foraminibus, magna aquæ vis erumpit, ignem extinguit, omnium adſtantium ludibrio Chaldæorum Deum exponit, & *Nilum* Ægyptiorum *Deum fortiſſimum* eſſe comprobat. Sic *Siris & Oſiris* ( in quo tamen Sol cultus dicitur ) idem eſſent Deus, nam & *Siris Nilus* eſt appellatus, ut videtur a שחר potius quam סור *declinavit*, ut *Joſ.* 13. *verſ.* 3. Vid. *Full. Miſcell. Theol.* l. c. & præterea *Barthius* l. 5. c. 20. *Adverſ. Plin.* l. 5. c. 1. *Solin.* l. 18. *Vitruv.* l. 8. c. 12. *Pier.* l. 46. Hierogl. *Mizald.* c. 5. Mirabil.

### Ad Cap. V. Synt. I.

*De Baal Peor.*

QUO magis, quæ hic dici poſſunt, caſtas aures offendere novimus, eo parciores erimus in hujus Idoli ſpurciſſimi, ut pleriſque interpretibus audit, tractatione, præſertim, cum non adeo multum Autorem noſtrum hic nobis reliquiſſe videamus. *Nomina* quoque ipſe evolvit fere omnia. Ubi prima ejus mentio fit, eſt locus. *Num.* 25. 3. 5. vocaturque hic בעל פער *Baal-Peor*, ſive βεελφεγὼρ, juxta LXX. *Belphegor Armenice*, & c. 31. ſicuti & Joſ. 27. verſ. 17. tantum פער *Peor*; quod *unde derivandum* ſit, non omnibus una eſt ſententia, prout in noſtro videri poteſt, ſi quid tamen conjiciendum eſt, *eam qua* a פער derivatur, non adeo a vero abhorrere. *Radix* enim פער *Hebræis*, *Chald. & Arabibus*, vel *os aperuit*, *nudavit*, vel *hiavit &c.* ſignificat. Vid. *Hotting.* in *Lexico Harmonico*: & convenit *tam cultui*, quo ſacra illa celebrata fuerunt *vel totis planeque nudis* v. g. *Koreiſchitis*, teſte *Bernhardo de Breidebach ex Petro Alfonſo*, eundem cum Moabitis cultum ante Islamiſmum communem habentibus, & juxta *Suratæ* אלאערא verba: *o filii hominum*, *utique demiſimus ſuper vos veſtem*, *quæ tegat verenda veſtra*, *& veſtimentum ex plumis*, *& indumentum roboris*, i. e. ut *Beidavi* explicat, *Timoris Dei*, aut juxta alias, *fidei*, aut *rectæ & veræ religionis;* aut ex mente aliorum, *veſtem reſpiſcentiæ & dignitatis*, *qua Deus Adamum ornavit*, Meccanam ædem ſine veſtibus circumeuntibus, ut refert *Hotting.* H. O. p. 155. *vel turpiter a Cultoribus diſtento* ( ſit venia verbis, ) *podicis foramine*, egeſtoque onere moleſto juxta *Maimonidem de Idololatr.* apud Dionyſ. Voſſium c. 3. p. 37. videatur & *Fagius* in Paraph. *Chald. Num.* 25. verſ. 3. quanquam dictus *Voſſius* cum Seldeno neget, ut dicetur, *vel diſtentis revelatiſque veſtimentis* quo, quod Deus, natura, & honeſta ratio tectum opertumque voluit, apertum fieret, haud ſecus ut in Priapi cultu conſuevit fieri, vid. *Urſinus* loco citando: *quam Idolo ipſi*, quod Ignominiæ, oculis abominabile, rude & indolatum ſive lignum ſive ſaxum erat,

> *Non Polycletea*, *non Phragmonis*, *aut Ageladæ*
> *Arte laboratum*,

nudam apertamque diſtentamque naturam, horribile membrum oſtendens. Vid. *Oſ.* 9. verſ. 10. & *ibi Hieron.* ut ita *neutra Etymi ratio adeo a vero abhorreat*, quanquam *poſterior* aliquo modo coacta videatur, *prior* vero proprior, non obſtante, quod neque noſtro *Autori*, neque *Patri Voſſio* l. 2. c. 7. p. 347. loco citando, *neque* Filio non degeneri *Dionyſ.* ad *Maimonid.* p. 37. placeat, *conquexiſſe coram Idolo cultores*, *alvumque dejeciſſe;* propterea enim non ſtatim Rabbinorum Etymologia & ſententia de cultu ac nomine Peoris in totum rejicienda eſt, *inquit* CL. *Theologorum Philologus Urſinus* Vol. 1. l. 4. c. 18. p. 235. Mallem tamen ſalva *tantorum Virorum* autoritate *geminam aliam*, *ſicque dictum Idolum*, *vel* quod diductis reductiſque *faucibus oſculum* figerent; vel quod ποσθὼν ſive *Muttunus pertundendæ Virginitatis*, *clauſtrique virginalis crederetur*, & fortaſſe nec prius futurum proſtibulum frontem collimaret, *niſi ſceleſto Tuttuno* vel ſemetipſum initiaſſet, vel *initiandum obtruſiſſet*, quale quid non plane alienum *a priſcis ſeculis* eſt, *quibus* juxta Auguſt. l. 4. c. 10. l. 6. c. 9. l. 7. c. 21. C. D. *Romæ Mutini aut Priapi faſcino inequitabant matronæ*, *novæque nuptæ*, ut prior ille Deus Pudicitiam delibaſſe videretur, vide *Gallæum* ad *Lact.* p. 110. ſeqq. nec *hodierno* a nonnullis *Indis*, qui ejuſmodi ποσθῶνι, occidendæ virginitati deſtinato ſponſas prima nocte conſecrant, quod, ſi cum ſacro textu conferatur, non adeo diſtare dixeris, videntur enim *cum meretricibus ab Idolis initiatis*, vel *coram concubuiſſe*, *vel poſtea ſecum*, ut Simri abduxiſſe, ſic docti mo-

rem illius cultus. Accedit, quod *Scriptura* hunc cultum abominans utatur *voce* נצמד *copulam conjugalem ſignificante*, ut mirum non ſit, Deum ob τελβαδικῶ ἀσέλγειαν, & tribadum inſanam libidinem deinde ſecutam doctamque (nam ὀλίτβω vel parvo Peor, vel Priapulo, ut idem dicam, ſeſe τελβεῦται, exercuiſſe credibile eſt) horrendis iris exarſiſſe, meritoque iniquitatem Peoris omnium flagitiorum flagitioſiſſimum habuiſſe Joſ. 22. 17. Qua ratione *nec contrarii* erunt, *Origenes*; qui *a turpitudine* nomen accepiſſe; nec *Hieronymus & Iſidorus*, qui ſuo tempore *Priapi* notionem obtinuiſſe aſſerunt. Vid. *Hieronymus*, libr. contra hæreſ. *Jovian*. c. 22. *Iſid*. l. 8. nec *ipſe noſter Seldenus*, *Phegorem vel Principem eſſe inter Divos* relatum; *vel Montem*, in quo Phegori ſacra fiebant, cujus fit mentio Num. 23. vide ipſum. Licet enim alias *a montibus* ſacrificio notabilibus Dii cognominati legantur, *ut Jupiter Olympius* a monte *Olympo* in quo colebatur &c. & in montibus templa domuſque Deum frequentes fuerint, ut in monte *Garizim Samaritanorum templum*. Vid. Hotting. in Ennead. de Samarit. Theol. &c. nihil *tamen abſurdi* video, quo *minus Numen*, i. e. *Priapum a diſtenſione* dictum *huic monti Principique aut Regi nomen æque dediſſe potuerit*, atque *montem* vel Principem *nomen Idolo dediſſe dicatur*, manet *derivatio Grammatica*, a quocunque, & cuicunque prima vice impoſitum nomen ſit. Et pateſcit id *tum vi Etymi* hactenus explicati, *tum conſenſu Orientalium*, & *Hebræorum*, *Jarchii* a fabulis, (quas h. l. metuit CL. Seldenus, & proinde diverſos ex his libidinis Idolis Deos facit) a *Maimonide More Nevoch*. P. III. c. 46. *vindicati*: *quare fuiſſe Sacerdotibus injunctum*, *ut braccis ſe ſuis tegerent*, *& per gradus altare non aſcenderent*, ajente, *quod Servitium Idoli quod Peor vocabatur*, *in temporibus illis erat*, *ut diſcooperiret ſe homo verſus eum*. Hæc non incertis niti conjecturis, *Arabum* praxin probare modo diximus in nuda circuitione; *nec textum* ſacrum refragari v. 1. *Num*. 25. ubi habetur, quod *manſerint Iſraelitæ Schittimis*, *ubi cœperit populus ſcortari cum filiabus Moabitarum*, *invitaſſe enim populum ad ſacrificia Deorum ſuorum*, *comediſſeque populum*, *ac incurvaſſe ſe diis illarum*, *honorem exhibendo*. *Sic copulato* Iſraele cum *Idolo Peoris*, accenſam eſſe iram Jehovæ in Iſraelem; adhæſiſſe enim dicit Pſal. 106. 2. 28. i. e. ut *Coppen*. in *Erud. notis* ad h. l. p. 874. explicat, *copulatos*, *ſociatos*, *adjunctos*, & veluti *matrimonio conjugatos* fuiſſe Peor, ſcil. per commeſſationes & *meretrices*, vel filias Moabitarum prius ab Idolo, deinde ab ipſis ſubactas, ſed ſubdole & ex *ſtratagemate Balaci* in hanc fraudem ſubordinatas, ut ipſe Filius Dei Apoc. 2. v. 14. indicio expreſſis verbis eſt, quem locum quia non parum *Chronicon Samaritanum* illuſtrat, prolixo textu, id latine audire non pigebit, qui *volet Arabice* legat in *Smegmat. Orient. Hotting*. p. 444. ſeqq. Et oſtenditur in fraudem & perniciem Iſraelitarum excogitatæ ſeductionis hiſtoria ac occaſio, quod ſcil. poſtquam incantationibus ſuis nihil contra Iſraelitas profeciſſet, eoque magnam apud Reges Moabitarum cæteroſque invidiam incurriſſet, his verbis ſe excuſaverit: Annon dixi vobis, me non poſſe contra id quod juſſus fuero quicquam? Congregatote igitur Reges, ut omnibus vobis indicem, quid & vobis & aliis eſſet eventurum, viam ſimul monſtrem, quæ calcata interitum illis afferet. Cumque conveniſſent omnes Reges, indicavit illis admiranda quædam, quorum explicatio prolixa erat, dixitque: Hunc populum circumvallant Angeli ſancti, Rex cœli & terræ cum illis eſt, adeo ut nihil contra eos poſſit Magia, aut Aſtronomia, neque expugnari poteſt cor ejus, niſi ſi quam admiſerint infelicitatem, aut commiſerint facinus indignum. Tunc enim Creator illis ſuccenſet, ut pereant, ita ut ne unus quidem ſuperſit. Cumque Reges ea, quæ modo explicuimus, audiviſſent, dixerunt: Quænam via illa eſt, qua, ut meminiſti, perniciem illorum obtineamus? Et ſummam impietatem atque impuritatem excogitavit, quam oſtendit ipſis, *Eligite*, inquit, *formoſiſſimas mulieres*, *numero*, *quem poteſtis*, *maximo*. *Inter primas autem Rex cum illis mittet filiam ſuam*: Tradite etiam unicuique Idolum quod colat, & ornatum, quem oſtendat, odoramenta, quæ odoretur, cibum etiam & potum. Reginæ filia vehatur curru, qui agitatur vento, & præcedat, donec venerit ad tabernaculum Conventus. Initio autem præſtabit obſequium Duci eorum, quem talem agnoſcit cœtus; Quod ſi illi hoc (molimen) placeat; dicet ei: Quid dabis mihi, ut edas de cibo meo, & bibas de potu meo, & colas Deum, & ita ego tua ſim, tibi vero libera in me poteſtas? Certo autem perſuaſum habeto, o Rex, ita Principem populi pollutum periturum, totumque populum ſimul perditurum, ut ne unus quidem ſit futurus ſuperſtes. Et executi ſunt Reges, quæ illis mandavit, congregatæque puellæ 24000. die

Sab-

Sabbathi emissæ, tendebant versus tabernaculum Conventus. Surrexit autem Dux Tribus Simonis, qui præerat 59000. viris, fuitque in prima acie: Postea accessit ad eum filia Regis, quæ præsens observabat magnum militum obsequium, quæ illum Prophetam esse Mosen existimavit. Et edit de cibo ejus bibitque de potu ejus, & coluit Idolum, quod in manibus ejus habebat, illa vero tota ad nutum se ejus finxit. Tunc unusquisque illius tribus sibi sumsit (scortum) usque dum Creator populo iratus, uno momento interfecit 24000. viros, & 4000. puellas. Et nisi Pinehas sacerdos p. m. inter manus Mosis Prophetæ p. m. qui cum reliquo coetu lacrymis ista in tabernaculo Conventus deploravit, arrepta lancea virum cum puella i. e. Regis filia perfodisset, adeoque utrumque sustulisset, perdidisset ira Domini coetum populi; nisi videlicet hæc actio intercedens removisset, atque repulisset iram a filiis Israel. Et reposuit Pinehas p. m. memoriam pulchram, vestigiumque (recordationis) gloriosum; fœdus æternum, Laus vero sit Deo Creatori, sine fine. *Qua relatione* videmus imprimis *πορνείαν scortationem*, utpote irritamentum spiritualis, sicuti hæc illam sororem plerunque agnoscit, vide Christeid. Danh. p. 44. *attendendam ipsis* præcepisse, & εἰδωλόθυτα, *sacrificia*, & quæ cum talibus sacris dubio procul conjuncta fuisse videntur, comessationes, *res duas* scil. *conjunctim*, vel propterea deinde *ab Apostolis Act.* c. 15. v. 20. interdictas, & quibus oblivio Dei, præceptorumque ejusdem facile induci cuivis potuit, & inductam fuisse, internecio tot millium flebilisque experientia edocuit, vid. Danh. Hodosoph. noviss. Edit. p. 950. Heins. in Exercit. sacris ad h. l. Actum p. 285. Quanquam enim *Psalmista* l. c. vocat. זבחי מתים *sacrificia mortuorum*, Apollinarius vertat *Νερτερίων καταφθιμένων ἑκατόμβην*; *Inferiasque in memoriam mortuorum interpretentur peractas, communes cum Jove Stygio &c.* Tamen quid vetat, quo minus *per Synecdochen* pro quibuslibet εἰδωλοθύτοις accipiam, vel si omnino inferiæ sint, *horum sacrorum primi Institutoris* sint, cui, ut & Idolo & Monti cultui destinato, a denudatis, distentisque vel posterioribus vel anterioribus &c. nomen nihilominus inditum fuisse potuit. Addo, si non unus idemque *Peor & Priapus Deaster fuit*, quod tamen cultus meretricius, sacerdotes-Meretrices, vid. *Hieronym.* in Os. 4. v. 13. *Isidor.* l. 8. *Orig.* c. 11. & aliæ circumstantiæ suadent, nec impedit tunc temporis, ut putat CL. Kipping. Recens. Antiquit p. 158. sanior, adhuc in astris fere colendis occupata, nondumque tot monstris & scurrilitatibus deterior facta Idolosatria; quia hæc *non sola*, sed juxta *eandem pejor* vigebat, qualis Ægyptiorum omnis generis erat, & deinde hæc accrescentibus annis nequitia quoque crescebat, aurigante carne & diabolo mille fraudum artifice, naturæ corruptæ blandiente, &c. *Peor* vel *in Priapum* mutatus, *vel hic ab illo natus esse videtur*. Vid. *Kipping.* l. c. qui Te & de Baal *Berith docere* potest. Alias Autor ipse Synt. 2. c. 5. p. 297. de hoc Idolo agit. Vid. quoque *L'Empereur in Middoth.* p. 117. *Ursinum* Quinquag. *Festali* p. 179. ubi *Parvulis Peor, quasi Priapi aureoli in salutario Leonum*, ex Histor. Apollonii Tyrii, & quidem in sinu circumlati (sicuti etiam seductrices Moabitides habuisse dicuntur) de quo more *Apulejus Apolog. & Sanct.* in Oseæ c. 2. v. 2. &c. egerunt, meminit. Sicuti vero supra dicebam ad minimum *ex Peor ortum* traxisse: ita videmus *Ægyptiorum Ithyphallia*, Græcorum *Eleusinia*, Romanorum *Floralia &c.* migrasse ad antipodas. *Phallam in Panuco Mexicanæ* ditionis provincia obscænos incolas una cum Imaginibus, nullos non luxuriæ actus exprimentibus in templo positum venerari *Kirch.* T. 1. Oed. *Æg.* s. 5. c. 5. p. 422. *Culuacanos* in casarum suarum superliminaribus cynice satis Priapi sacra repetere, depictis marium cum fœminis consuetudinibus, imo apertis Sodomitarum vestigiis, *Laet* l. 6. c. 5. p. 284. & alii de aliis testantibus.

## Ad Cap. VI. Synt. I.

### *De Molech.*

Studium & diligentia cum acrimonia Autoris nostri, nihil fere fecere reliqui, videbimus tamen, ut nec plane transiliisse videamur, sed pressius vestigiis ipsius insistentes sequemur quocunque duxerit in tanto errorum labyrintho. Idolum itaque *Moloch Græc.* μολόχ *Syro* ܐܡܠܟ *Amalech*: Arabi املك *Emlacha*: videtur esse *idem notione*, & *fortasse* quoque *cultu*. (Certe cultus *Sepharphæorum* Diis, de quibus *Cunæus* de Rep. Hebr. l. 2. c. 16. p. m. 183. & forte Ps. 106. v. 37. in voce לשרים intelligendus, exhibitus coincidit cum *Molocho Ammonitarum Idolo* 2. Reg. 17. 31.) cum *Adramelech*, τοῖς ό, Ἀδραμέλεχ MS. Ἀδραμέλεκ, & per metathesin

Sy-

*Syro* ܐܕܪܡܠܟ & Arabi ادراملك *Ardamlech*: & *Anammelech*, τοῖς ὁ, ἀνημελὲχ MS. Αμμελὲχ Syro ܐܢܡܠܟ Arabique عماليخ *Amalik*, de quibus noſter infra agit, & *Schindlerus* in Lexico pentaglot. p. 1020. videri poteſt. Nonnullis vero id *prima origine* quidem derivatur a מלך *regnavit*; aliis vero a הלך *ambulavit*; in quibus vero deductionibus, quanquam nec adeo regulæ Grammat. neque ſignificatio repugnat, videtur tamen, cum alibi natum & in Ægypto quoque receptum Idolum ſit, potius ab *Ægyptiaca voce* eſſe juxta *Kircher*. T. I. Oed. p. ſ. 4. c. 15. p. 328. T. 2. p. 1. CL. 6. c. 4. §. 2. p. 415. *Prodr. Cop.* c. 5. p. 147. *qua Martem Planetam* μολὸχ; vel juxta *Hotting.* in Biblioth. Orientali p. 313. ex Commentariis cujuſdam Coptitæ, *regem devaſtationis vocant*, *vocabulo*, quod raro fit, *Hebræis*, *Chaldæis*, *Syris*, & *Arabibus* communi: pauca enim vocabula lingua pure Ægyptiaca aliis quoque voluit eſſe communia, cujus tamen generis nonnulla ſunt obſervata a *Kirchero Prodr. Suppl.* & quidem *Hebræis* v. g. in κομαρ ex כמר, (ἴκλος שקל &c.) *Quale* fuerit Idolum non convenit, & parum abeſt, *quin omnium Planetarum dicatur*. Vid. *Dilher.* in Dialog. Philol. p. 46. 47. De *Marte* nunc audivimus, de *Saturno* noſter probat, & *Mornæus de veritate* Relig. Chriſt. c. 23. *Druſ.* in Præter. ad N. T. p. 171. & e *Sanchuniathone* antiquiſſimo Phœnicum hiſtorico, (cujus hiſtoriam plenam victimarum talium, ſcribit *Porphyr.* l. 2. de abſtinent. animal.) narrat *Philo Byblius*, morem fuiſſe gentilibus illis, cum maxime calamitates belli, famis, peſtis metuerentur, *ut Regis filium*, *quem præ ceteris diligerent*, *pro ſacrificio mactarent ad placandam numinis iram*. *Saturnum* vero iſto cultu veneratos fuiſſe, vel ipſum infantes necaſſe, forte ut immolaret potius, quam devoraret, docet *Sophocles in Andromeda*, *Herodotus* l. 7. *Lact.* l. 1. Inſtit. c. 13. & 21. ubi Gallæum vide. Et *Curtius* l. 4. c. 3. de *Tyriis*, *qui ſacrum*, *quod equidem Diis minime cordi eſſe crediderimus*, dicit, *multis ſeculis intermiſſum repetere cogitabant*, *ut puer ingenuus Saturno immolaretur*, *quod ſacrilegium verius quam ſacrum Carthaginenſes a conditoribus* (Tyriis & Phœnicibus) *uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſent*, *ac niſi ſeniores obſtitiſſent*, *quorum conſilio agebantur cuncta*, *humanitatem dira ſuperſtitio viciſſet*; confirmat *Juſtinus* l. 18. c. 6. & *Plutarchus* libro περὶ δεισιδαιμονίας c. 21. *Diram hanc* ſuperſtitionem *Phœnices* apud *Euſebium* de Præparat. Evangel. l. 1. & 9. l. 4. 5. 16. (immolationem ut videtur, & dicetur, Iſaaci æmulati) excogitarunt, quorum *Rex* Ιλος (ex אל *Deus*) poſt mortem in *Saturni ſidus* conſecratus eſt, *quare gurgitem & helluonem non unius hominis*, *ſed tumulum filiorum*, *quem omnes aræ*, *omnia ſacra locutæ ſunt*, *Tertullianus* vocat. De qua re plura mox. *Mercurium* fuiſſe *Arias* Montanus comment. ad Jud. 11. & *Amos* 1. deceptus fortaſſe quod nonnulli Mercurium Molocho æquarent, quod tamen CL. *Kirchmajerus ad Tacit.* Germ. cap. 9. p. 50. ſeqq. improbat, quanquam nullum peccatum foret, Germanorum Mercurium dicere Molochum, nam, ut ipſe ſubjicit pag. 151. Germani Gallique cum colerent maxime *Mercurium*, humanis quoque, ut dignioribus propitiare victimis ſtuduerunt. Vid. *Cyriacus Lentulus* Germ. c. 6. p. 165. & in *Principe abſoluto*, ubi de inſaniente religione Ethnicorum, & crudelitate multis agit.

*Dianam Scytharum* hominum victima placatam dum in *Floro* lib. 3. c. 4. legimus, vid. Freinsh. ad h. l. *Lunam* quoque *Molocho* non diſſimilem colligis. De *Sole in Molocho* juxta *Joann. Cocchium* notis ad *Sanhedr.* p. 63. *Dionyſ. Voſſ.* notis *ad Maimon.* p. 78. *Roſſæum* in 's werelds Godsdienſten p. 698. culto & *Venere* humanis victimis non neglecta, dabitur alibi locus dicendi. Nunc, *num revera infantes combuſtæ*, *an vero tantum februatæ fuerint*, *videndum eſt*. *Poſterius* affirmant plerique Hebræi non tamen ſibi ſatis conſtantes, nominatim *Jarchius*, *Kimchius*, *Moſes Kozenſis*, *Maimonides*: ſic enim הרבי הגדול *Rabbi Magnus*, ut audit Kimchio, libr. עכום c. 6. §. 5. reſpondet interroganti: ביצד היו עושין מדליק אש גדולה ולוקח מקצת זרעו ומוסרו לכומרים עובדי האש ואותן הכומרים נותנין הבן לאביו אחר שנמסר בידן הוא שמעביר בנו אל האש ברשות הכומרים ומעביר בצד זה לצד אחר בתוך השלהבת:

i. e. *Quomodo id fiebat? Accenſo igne magno partem ſui ſeminis accipiebant*, *quam dein ſacerdotibus ignem ſervantibus tradebant*. *At ſacerdotes*, *ubi filium accepiſſent*, *eum patri reſtituebant*, *quo ipſe ex ſententia ſua per ignem traduceret*. *Igitur pater filium permiſſu ſacerdotum per ignem agebat*. *Pedibus autem jubebat tranſire*, *donec flamma quicquid erat emenſus foret*. Et alii inter *Chriſtianos Patres* autoreſque & interpretes, *februatos tantum fuiſſe* credentes. Verum *contra flammis uſtulatos tamdiu fuiſſe*, *donec expirarent*, alii

alii ex *Rabbinis* asserunt, quos inter *Nachmanides*. Sic enim legibus: ודעת הרשׁ״י ז״ל והרמבּ״ם ז״ל שלא היה שורפו אלא העורת היה להעבירו לבר ומכיון שהעבירו כמו שהיה דרכם להעביר חייב ודעת הרמב״ן ז״ל שהיה מעירו בשלהבת עד שנשמתו יוצאת וראיותיו בפירוש חומש שעשה:
i. e. *Volunt autem* R. *Salomo Jarchi & R. Moses filius Maimon: quod illum* (*pater*) *non combusserit, sed quod cultus in hoc constiterit, ut traduceret eum tantum; & quod postquam eum more illorum traduxisset, reatum contraxerit. Sed R. Moses filius Nachman statuit, quod per ignis flammam tamdiu eum traduxerit, usque dum egressa fuerit anima ejus. Rationes ejus extant in comment. Pentateuch. quæ adornavit*. Et *confirmat* 1. *Emphasi* verbi ויזבחו & *sacrificarunt*, quod in hoc filii supplicio adhibetur Psal. 106. ubi dicitur *mactasse* filios suos, filiasque Dæmoniis, & expresse fit mentio *effusi sanguinis Ezech.* 16. 22. *Flacius* in clave scripturæ col. 1228. vid. *Coppen. Notæ Erud.* in h. l. p. 878. 2. *intentione tradentium*, quos oportebat tradidisse *tanquam sacrificium* legitimum, si reliquis & superstitibus bene esse deberet. Vid. *Hotting. de jur. Ebr.* s. 208. p. 307. ritum hujus *Idololatriæ cruentæ* describens de eadem ita refert. האב מוסרו לכומרים לשם שקוצבעין מה שבת בקרבנות כשירים ונתנם אל הכהן ואפשר שהכומרים עושין בו תנופה או הגשה לפני המולך ואחר כך מחזירין אותו לאב ומבעירין אש גדולה לפני המולך והאב לוקח בני ומעבירו בלהב האש וכך אמר בירושלמי אינו חייב עד שימסור לכומרי ויטלנו ויעבירנו:
*Sacra hæc ita peragebant: Pater tradebat eum* (filium) *sacrificulis, nomine Idoli, eo modo, quo scriptum est de legitimis sacrificiis; Et dabit ea sacerdoti, Lev.* 15. 14. *Fieri autem potest, ut vel ventilent illam vel adducant Molocho, posteaque reducant Patri Tunc ignem accendunt magnum, coram Molocho; acceptumque filium suum pater traducit per flammam ignis. Unde dicunt in Hierosolym. Non reus fit, usque dum tradiderit eum sacrificulis, eumque projectum traduxerit*. 3. *Scriptorum* fere omnium *consensu*, sententia & interpretatione, *scripturæ* loca, ubi de sacrificiis hujus Idoli mentio fit, ita accipientium: Vid. *Joseph.* l. 9. c. 12. de Achazi historia quæ extat 2. Reg. 16. vers. 3. qui tamen num Filium immolaverit unicum, *videatur Hacksp.* notis ad *Lipmani Nizzachon* p. 474. contra *Talmud. Massechet.* Sanhedrin. p. 63. c. 7. ubi dicitur *Matrem inunxisse filium trans ignem ducendum oleo Salamandræ*, applicant ad traductionem hanc 1. Cor. 3. 14. denotatam probationem, addatur *Philo* Jud. lib. de Abrah. Nachmanid. l. c. ex Comm. in Pentateuch. citatus. Ex *Christianis Euseb.* de Laude Constant. Κρόνῳ γὰρ φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυν τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων. & alii modo citati *Rabbini* in alteram sententiam, nam non satis certi sunt utram sententiam amplectantur, tum R. *Jos.* Karo in Cap. 6. *Misna Thora*, R. *Simeon in* Jalkut loco *citando*. *Isaacus Abarbenel*, *Lyranus*, & *Tostatus Abulens.* in Lev. 18. *Torniell.* in Annal. ad Ann. Mundi 346. *Adrichomius* in sua Jerus. num. 186. *Drusius* ex Megilla com. l. in voc. N. T. B. *Noster Luth.* gloss. ad Jer. 7. 31. Der Abgott Moloch / war ein ehern Bild / inwendig voller Glut / dem sie ihre Kinder in die Arme legten / und verbranten / und die Priester mit Schellen und Paucken klungen / dasz die Eltern der Kinder Geschrey nicht hören solten. & alii. Sed *neutra sententia alteram tollit*, *ut Vossii Pater* cum *Filio*, *ille* Idololatr. l. 2. c. 5. *hic* ad *Maim.* judicant, cum & *februasse*, perque ignem tantum traduxisse; *alii* vero eosdem & plerumque *plane totosque obtulisse* concremandos videantur, more scil. & consuetudine *notata Sap.* l. 4. vers. 23. in τεκνοφόνοις τελεταῖς *interdicta* κατ' ἔθος Judæis Lev. 18. vers. 21. *de semine tuo non des, ut consecretur Idolo Molech.* vid. *Sixtin. Amama* Antibarb. Bibl. p. 364. ubi vulgarem taxat, quæ LXX. ἄρχοντι secuta, expressit, *Principi non adorabitis*, juxta Theodor. quæst. 25. sed in Hebræo est *Moloch*. Adde *Deuter.* 18. vers. 10. *tum* quod præ cæteris turpis esset ut *Maimonides* scribit: לפי שהיתה רעה ביותר והיו ארוקין בה הרבה באותו זמן נתיחד בה אזהרה מלבד כל והאזהרות ע״א הרבה בתורה *Quia hæc Idololatria præ cæteris turpis fuerit, cui eo tempore multi adhæserint, ac proinde propriam ei destinatam admonitionem, præter crebras alias in Lege contra Idololatriam editas*. *Tum*, quod nimis invaluisset in nulla non orbis parte ἀνθρωποθυσία, nimisque familiaris esse cœpisset. Ex æmulatione, ut videtur Abrahami δοκιμασίας probeque ἐνδοξοτάτης, *Gen.* 22. immolaturi filium Isaacum orta, & confirmata fortasse *Jephtæo temerariò* voto *Jud.* c. 11. vers. 29. 30. autore innocentis exulantisque filiæ. Videatur *Danhauerus* peculiari dissertatione, & *Joseph. Antiqu.* l. 5. c. 12. *Chrysost. Operum* Tom. V. Homil. l. 14. ad popul. Antioch. p. 113. Tom. 1. p. 475. *Ambros.* aliique Patres, ut & *Zonaras* Annal. Tom. 1. p. m. 9. *Cocc. Sabellicus Ennead.* l. 6. p. 67. *Luth.* noster *Glossa Marg.* & multi alii. In *Phœnicum*

*cum regione*, qui teste Porphyrio ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. L. 2. de abstinent. animal. vide supra de Saturno notata, & adde de *Rhodiis* juxta *Theodoreti* l. 7. de Græcarum adfect. verba. ἐθύετο ἐν ῥόδῳ μηνὶ μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσαμένε ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ, ὃ δὴ ἐπιπολὺ ἐκράτησαν, εἰς ἔθος μετεβλήθη, ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι τοῦ συνεῖχον. Unde *Proverbium* illud. *Saturnia hostia*, & ejusdem fere originis, *Taurica ara crudelior*, de quo *Adrianus* Junius, Cent. 6. Adag. 15. adde *Parrhas*. Comm. in l. 3. *Claud.* de raptu Proserp. nam *teste Strabone* l. 3. *homines juxta Mætim Scythiæ lacum*, *ubi templum erat*, *Dianæ Tauricæ*, *hospites ac servos immolasse* memorantur. Vid. & *id.* l. 4. adde *Hygin. fab.* 261. & vid. *Saubert.* de *Sacrif.* p. 520. de *Germanis* aliisque.

A *Phœnicibus derivata* est in *Africam*, de qua nuper, ad *Pœnos*, hic furiose pertinaces in immolandis hominibus, cujuscunque ætatis, maxime impuberis, misericordia etiam alias hostium dignæ, *Deorum pacis exposcendæ causa*, vide quos jam citavimus *Curtium* l. 4. c. 3. §. 38. *Justin.* l. 18. cap. 6. n. 12. *Silium Italicum* l. 4. v. 767.

> *Mos fuit in populis quos condidit advena Dido*
> *Poscere cæde Deos veniam ac flagrantibus aris*
> *Infandum dictu*, *parvos imponere natos*,

& ante ipsum *Ennius* l. 7. Annal.

> *Et Pœnei solitei sos sacrificare puellos*.

*Quo* vero *ritu refert* Plutarchus l. c. *Rationem* vero ut obiter addam, victimarum humanarum communem, relictam a *Varrone* in *Augustin.* l. 7. c. 19. C. D. legimus hanc: *Ideo a quibusdam pueri Saturno soliti sunt immolari, sicut a Pœnis, & a quibusdam etiam majores, sicuti a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus hominum*. *Asiam* quoque & *Europam* inundavit, testibus superstitiosis in Palæstina Gentibus tempore populi Dei, Scriptura sacra & profanis scriptoribus, *Cæsare* de B. Gall. l. 6. §. 16. p. 111. & *Hottomanno* notatis ibidem p. 33. mihi pag. 681. cum *Strabone* lib. 4. *Joan.* Jac. *Chifletio* in descriptione *Vesontionis* part. 1. c. 14. De *Græcis* *Plinio* l. 8. c. 22. *Pausan.* in *Arcadicis & Achaicis*. *De Tauro-Scythis Lact.* l. c. nec de *Romanis* desunt testes. Etenim in *bello* Punico *secundo*, *ex fatalibus libris sacrificia aliquot extraordinaria facta*, inter quæ *Gallum & Gallam*, *Græcum & Græcam in foro boario vivos sub terram demissos* memorat *Liv.* l. 22. *Plin.* l. 28. c. 2. Consule *Grotium de veritate Religionis Christ.* l. 2. p. m. 43. & not. in istum locum ubi & de *victimis Baccho Omestæ* apud Græcos oblatis. *Hodieque*, ait Minutius Felix, *a Romanis latiaris Iupiter homicidio colitur*, *& quod Saturni filio dignum est*, *mali & noxii hominis sanguine saginatur*. Adde μυστικὴν θυσίαν *infantis materno exsecti utero & mactati* apud Lucan. 6.

> *Vulnere si ventris*, *non qua natura vocabat*
> *Extrahitur partus calidis ponendus in aris*.

Taceo *bustuarias victimas* in certaminibus funebribus, quibus litatum est mortuis, inque *spectaculis* mutuo cæsos, de quibus *Tertul.* lib. de Spectac. c. 12. *Alexand. ab Alex.* l. 3. c. 7. *Ludov. de la Cerda* in 4. Æneid. pag. 386. *Natalis Comes* l. 1. 10. *Lipsius* l. 1. *Saturnal.* c. 8. &c. 5. *judiciose* ita: *Iure Romani*, *quia gladiatorum sanguine placari manes credebant*, *eaque prima ludicri causa*, *hoc spectaculum dedicarunt crudo & sanguineo deo*. Quo traho etiam cultum sacerdotum ejus a reliquo vulgo secretum. Nam *pallio coccineo* mystæ Saturni velabantur. *Tertullianus* de Testimonio animæ: *Atque id plerumque facit & vitta Ceteris redimita*, *& pallio Saturni coccinata*, *& deæ Isidis linteata*. Idem de Pallio: *Cum lætioris purpuræ ambitio & galatici ruboris superjectio Saturnum commendat. Coccineus enim color* ( *quem Galaticum ruborem appellat*, quia Granum illud *Galatiæ* frequens ) *sanguinis & cædium est*: ideoque & imperatoris olim paludamentis, ait Plinius, dicatum coccum. *Adde Amphitheatr.* c. 4. nec adducam, *qui se devoverunt*, cum hujus loci non sit, & præter spem in hanc rem expatiati longius simus. De *Britonibus* noster *Seldenus* lib. 1. *Britoni Antiq.* cap. 4. de *Gothis ac Suedis Ioh. Loccenius in Antiquitatibus Suedicis* pag. 32. De *Americanis* Oviedus l. 7. Hist. Indicæ *Godofredus* in Archontologia Cosmica sæpius supra citata p. 333. de rebus Indicis. Vid. de *immani* hoc *sacrificandi hominum* sanguinem *ritu Sauberti* de sacrificiis c. 21. ubi multos adducit autores, quos transcribere tædiosum erat, & *elaboratissimam Disputationem de Victimis humanis*, Erffurti habitam *a M. Michaele Herzio*, adde *Magni Ostermanni* de sacrif. Gentil. Disp. aliosque, *Causam infanticidii* in combustionem datis liberis aperit noster ipse, *scil. ut alias homines pro salute alterius immolabantur*, *Principis scil. aut Civitatis*,

*tis*, quales hostiæ dicebantur καθάρματα aut περιψήματα; qualia, certos scil. homines promittebat pro vita propria Plutoni, *Amastris*, pro *salute Patriæ Protogenia* & *Pandora* Erechthei filiæ occumbebant, *Molpisque* deficientibus pluviis cædebatur, & *Germani nostri* si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrabantur, humanis hostiis eorum aras & templa funestabant, *ut ne religionem quidem colere potuerint, nisi eam prius scelere violarint*. *Cicerone* autore *Oratione* pro M. *Front*. Coss. vel *sicuti* narrante *Theodor. de Bry* von Eigenschafften der Niedergengischen Indien p. 383. *porrecto Regibus nuper electis sceptro, ducenti pueri* 4. *inter & 10, annos immolabantur, imo incolas omnes liberos suos primogenito Regi immolare* consuevisse, eodem autore *de Bry* aon Schiffarthen in West Judien p. 188. vel *ægrotante Rege vel privato* etiam liberos sacrificasse, decollatorum sanguine lineam sibi duxisse ab una ad alteram aurem &c. accepimus. *Sic Parentes* persuasos fuisse, unius morte, reliquos liberos hoc sacrificio a morte ereptum iri, seque tota vita futuros prosperrimos scribit *R. Bechai* Lev. 18. factumque esse affirmat & R. *Levi Barselonius*: מפני שהכומרים השקרנים היו מבטיחין אבי הבן כי על ידו תקרובת בן זה יצלח שאר זערו בכל אשר יפנה ותהיה הברכה והטובה מצויה בביתו ולרוב תרומות לא רצו מתחלה לקבוע החק רק כמי שיש לו זרע מלבד אותו שהוא נותן להם בן ימאנו מלשמוע אליהם הן לשורפו לגמרי הן להעבירו בתוך הלהב כדעת קצת המפרשים ולמען יבטיחו גם כן על הברכה והטובה בנשארים ויתפתו אליהם מתוך כך הפתאים: h. e. *Falsi flamines patri prolis spondebant, beneficio oblati filii reliquum ejus semen prospere habiturum, quocunque se verteret, adeoque domi suæ locum habituram benedictionem & prosperitatem. Utque dolus facilius succederet, nullam initio fixerunt legem, nisi illi, cui præter semen datum aliud superesset, ne obsequium detrectarent, sive comburendus fuerit plane filius, sive tantum traducendus juxta quosdam interpretes, per flammam, & ut certos eos redderent benedictionis & prosperitatis in reliquis, sicque his blanditiis commodius simplices pellicerent. Acclamasse scil. Sacerdotes Patri sacrificanti*, Utile erit tibi, *dulce condimentum erit tibi*, יהנה לך: unde & nonnulli *vallem Hinnom* Jos. 18. 8. sive גי בן הנם *Ge ben hinnon, vallis filii Hinnon, vel* גי הנם Jer. 7. 31. *Ge Hinnon, vallis Hinnon* dictum malunt potius, quam ex *nomine proprio*, nescio *cujus Hinnon*. Vallis ista erat locus, ob fœdam hanc Idololatriam, infantum *Molocho* tostorum ululatus, elatas sordes, & perpetuum ignem infamis, vid. *Dilberr. Eclog. Sacr.* p. 129. atque *ad inferorum horrorem* repræsentandum quam aptissimus; quare & *Judæi* Orcum sive locum damnatorum usitatissime per vocem גהנום *Gehinnon* efferunt. Vid. *Lightfoot*. *Horis Talmud.* ad Matth. 5. 2. ubi nec ipse Salvator & Scriptura in hoc significatu ab hac voce abhorret, & *Marci* 9. 43. 45. 47. *Luc.* 12. 5. Jac. 3. 6. vid. *Glass. Gram. Sacr.* pag. 878. & *Hotting.* Diss. *de Usu script.* Rabb. in N. T. Est *enim infernus, ut vallis hæc urbis* Hierosolymæ erat, *communis totius Orbis sentina, quo itidem confluxit omnis generis, atque omnimoda spurcities, qua sepeliendi improbi nunquam morituri, perpetuo flammis ustulandi*, sicut commune sepulcretum Urbis vallis illa credita nonnullis est, nam LXX. Jer. 19. 2. & 6. per πολυάνδριον i. e. *locum ubi multa sepulcra sunt*, reddiderunt, juxta illud Jer. 31. vers. 4. 32. vers. 35. & *perpetuo igne ad consumenda ossa & reliqua sordida fumabat*. *Erusim* fol. 19. 1. Applicant hic nonnulli illud *Es.* 66. vers. ult. *exibunt* &c. Glass. *Gramm.* S. p. 879. Vid. iter. *Lightfoot. Horis Talmud. Chorog.* c. 39. p. 77. Dicebatur & תפת *Tophet*. 2. Reg. 23. vers. 17. 31. 32. c. 19. vers. 6. ob *tympanorum* usum, quo lamentabilem puerorum vocem quæ נהם (unde & Hinnon fit,) *rugiens* erat, supprimeret, ne audiretur a parentibus. Vid. *Bertram.* in l. c. *Matth.* pag. 129. *vel* a תפים *ipsis Tympanis*, vel *tympanorum* sono no *toph!* ita *Pas.* in *Lexico* N. T. putat. Videatur *Buxtorf.* in *Lexico Chald.* & *Schindl.* in Lexico Pentagl. *Malcken* מלכן præterea appellabatur, quod significat *furnum ad conficiendos lateres* alias, sed hic comburendam tenerulam ætatem. Non conveniunt Autores in formando hoc *sive idolo*, vel *formato exprimendo*. *Statuam* fuisse asserunt nonnulli *septem cubitorum, facie vituli, manibus extensis, hominis quasi aliquid accepturi*, quale pictum nobis in *decade Deastrorum* hieroglyphica exhibet una cum *templo Samaritano Kirch. Tom. I. Oedip. Ægypt.* Sint. 4. cap. 19. p. 367. & ex eodem *Umbra in Luce* c. 2. §. 11. in fine. *Structuram septem sive cellularum*, sive *conclavium* ex *Fagio* noster refert, quem ex *Jalkut* mutuasse dicit, quod quidem aliqua ex parte verum, non autem plane, nam aliter in dicto *Jalkut sive Comment.* Bibliorum *mystico* & quidem hoc modo ac hisce in verbis: Etsi fuerint omnes domus

mus idololatricæ in ipsa urbe Jerusalem; Molech tamen fuit extra urbem in loco separato. Quomodo Molech erat factus? Imago erat habens faciem vituli, manus expansas hominis manus aperientis, ut ab alio aliquid accipiat, intrinsecus excavata. *Septem* ipsi extructa *fuere sacella*, antequam imago ista fuerat collocata. Avem sive pullum columbinum afferens primum ingrediebatur sacellum: Ovem aut agnum, secundum: Arietem, tertium: Vitulum, quartum: Juvencum: quintum: Bovem, sextum: qui denique Filium proprium obferret, septimum occupabat sacellum. Hic Molech osculabatur, juxta illud: Sacrificatores hominum, vitulum osculantur. Hos. 13. 2. Filius ante Molech ponebatur, Molech igne supposito succendebatur, donec ignitus fieret instar lucis. Tunc sacrificuli acceptum infantem candentibus Molech manibus indebant; ac ne parens (quod pro piaculo habebatur) ejulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulsarunt. Vide præterea de *Forma Dilher.* Tom. I. Dispp. Phil. pag. 144. seqq. *Ejus generis statuæ in Insula Carolina*, teste *Ludovico Vive* in l. 7. c. 19. *August.* de C. D. pag. 401. frequentes visuntur, *æneæ*, *intrinsecus cavæ*, *manibus junctis passisque*, *in quibus infantes & pueros statuant*, *divis immolandos*, *ibique crudeliter urantur*, *igni in cavis simulacris accenso & ære calorem immodicum concipiente*. De his & aliis huc spectantibus consuli potest *Cœlius Rodiginus lect. Ant.* l. 13. c. 23. p. 599. *Girald.* in Histor. Deorum Syntagm. 17. Ad *Portas Mythræ septem*, quarum meminit Noster occasione dubii *de 7. conclavibus* p. 170. pro numero scil. Planetarum affictas, devenimus, cum quibus Præparationum (ad horrenda scil. ejus sacra) probationum, initiationum negotio excogitatam & apparatam fuisse scalam, portarumque unamquamque e peculiari Metallo (fortasse eo, quod cuique tribuerunt Chymici Planetæ) constitisse, inque sacris Mithræ erigi solitam legimus apud citatum *Origenem* l. 6. contra Cels. *incidit tum latior* τῆς πύλης *portæ pro aditu vel medio* ad aliquid perveniendi, vid. Glass. Rhetor. Sacr. p. 391. *acceptio* & varia Phraseologia & *Scripturæ S. & Judæorum*, qua plurima in religione exprimuntur; *vid. Genes.* 28. 17. *Psal.* 118. *vers.* 19. 20. *Matth.* 16. 18. apud *Judæos* memoratur *porta pœnitentiæ a Chaldæo Paraphr.* in Jer. 33. vers. 6. & *porta lachrymarum Bab. Berachoth* fol. 32. 2. *ex quo excisum est templum*, *occlusæ sunt januæ orationis*, *at non occlusæ januæ lachrymarum* &c. *tum* στενὴ πύλη, *parva porta ad vitam*, *& ad mortem lata Matth.* 7. 13. Luc. 13. v. 24. per quarum *priorem* εἰσελθεῖν ἀγωνιζώμεθα, annitamur *meliore jure*, ut olim *consecranei Mithræ*. vid. *Glass. Meditat. Epist.* p. 1. p. 948. licet: οὐχ ὁδὸς ἐστρώθη πρὸς ὄλυμπον ἄγυστα ῥοδοισιν, *sed* τεθλιμμένη, variis afflictionibus obsessa. διὰ πολλῶν γὰρ θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ *Actor.* 14. v. 22. *confer*. 2. Cor. 4. 18. 2. Tim. 2. 11. Nam nec illis *Idololatris* & *damnationem operaturis* dabatur ad iniquitatis sacra, currere lata via; Qui *enim Mithræ sacris* initiari vellent, *eorum probationes variæ* (*istæ* sunt *portæ*) fuerunt, ut *per gradus* (en! *scalam*) quasi quosdam βασάνων καὶ κολάσεων ac cruciatuum explorarentur, & ad ea suscipienda præpararentur. Nullus initiari poterat, *nisi omnes cruciatus corpore suo excepisset*, ut se quasi ἀπαθῆ καὶ ὅσιον nullis perrurbationibus amplius obnoxium & sanctum, ἄλυπον καὶ ἀκέραιον καὶ ἀπερίσπαστον testaretur. In *ipso probationis ingressu* quam προκάθαρσιν appellabant, per *dies quinquaginta* fame cruciabant admittendos. (Indi vescuntur vaccarum fimo, de quibus supra) deinde per *biduum* cædebant *flagris*: *tum* in nivem *per dies viginti* immittebant, *tum urebant*, fortasse certa signa imprimentes ferro ignito partibus, ut stigmatiis: διὰ χρύσης, διὰ πείνης, διὰ δίψης, δι' ὁδοιπορίας δεῖ παρελθεῖν τὸν τελούμενον, καὶ τῶν λοιπῶν, *Nicetes* Dadybrensis Episcopus *Schol. Nazianz.* στηλιτευτ. & *Comm.* in *Orat.* *ejus* εἰς τὰ ἅγια φῶτα τῶν ἐπιφανίων. *Nonnus* in *Collect. Histor.* ad *Orat.* στηλ. primam Naz. ritus initiamentorum etiam nominat τὸ διανήξασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολὺ *per dies multos in aquis natando morari*. Et *multiplicia unius Numinis Mithræ* sacra fuere, in inscriptionibus, 2. p. CCCIII. & 4. 5. p. MLXXXVII. nominari *Leontica*, *Coracica*, *Patrica*, *Persica*, *Eliaca*, *tradita*; item *ostensos Cryfios*, *testatur Magnus Reinesius* Ep. 69. p. 647. quæ omnia ad *Mithram* pertinere, non ad *Isidis* sacerdotes, multo minus ad *Eleusinia Mysteria*, ut visum sit *Gutherio* l. 1. de *Ver. Jure pontif.* cap. 25. & ex Ep. Hieronymi ad Lætam cognosci posse dicit: *ante paucos annos*, inquientis, *propinquus vester Gracchus*, *nobilitatem patriciam sonans nomine*, *cum præfecturam gereret urbanam*, *nonne specum Mithræ & omnia portentosa simulacra* (vel sacra) *quibus Corax*, *Gryphus*, *Miles*, *Leo*, *Perses*, *Helios Bromius*, *Pater initiantur*, *subvertit*, *fregit*, *exussit*. *Specum* vero

ideo

ideo dicit, quia ſuſcipiebant οἱ μυθησόμενοι, ἡ μύσαι ἐν τόπῳ ἐπικαλυμένῳ παρ' αὐτοῖς σπηλαίῳ, teſtibus *Juſtino* in *Dialogo cum Triphone*, *Porphyrio* περὶ τοῦ ἐν ὀδυσσείᾳ τῶν νυμφῶν ἄντρῳ *Julio Firm.* de *Err.* prof. Relig. cap. 5. quo reſpicere poſſe illud *Eſa.* 45. v. 19. dices. De hoc *Spelæo* vide pluria apud *Lil. Gyrald. de Diis* Syntagm. 7. p. 226. *Biſſel.* Illuſt. Ruin. Dec. 1. depingitque nobis *tale antrum S. Ezech.* c. 8. v. 8. 9. 10. *in ipſo templo extructum*, *Magiciſque Sacris operantium*, *diras ceremonias & ſumigia* &c. *quos inter & Leones*, qui modo nominatis *Leonticis* appellationem dederunt, *ſacerdotes* erant Mithræ inde ſic dicti, quod *Leonis* vultu in Spelæolis coleretur, *Lactant.* in Theb. Stati. *Heliopolitani Syri in Jovis* templo *erecta Leonis forma* eum venerabantur τενάιον dictum, *Damaſc.* in *vita Iſiodori* apud *Photium* C. 242. & *Porphyr.* l. 4. περὶ ἀποχῆς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν Μίθρα ὀργίων λέοντας καλεῖν, τὰς τε γυναῖκας θαίνας (lege λεαίνας,) Erant *utriuſque igitur ſexus* hommes *Orgia Mithræ* ſuſcipere habiles, conſecraneis veto his peculiare, ut cum initiarentur, *mel vice aquæ manibus adfunderetur*, *quo ſignificabant*, *manus ſervari puras debere*, ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ καὶ βλαπτικοῦ καὶ μυσαγοῦ, *Porphyr.* l. c. περὶ τῶν νυμφῶν ἄντρου. *Perinde ac baptiſmum ſuſcipientes lac & mel prægustare in Eccleſiis Africanis mos fuit* ut patet *e Tertull.* 1. de cor. mil. cap. 3. & *Hieronym.* adverſ. Lucifer. cujus æmulationem diabolum in his ſacris tradidiſſe veroſimile eſt; quin & *Linguas* eorum oportebat melle purgari ἀπὸ παντὸς ἁμαρτωλοῦ, *aqua* vero ἐς χερόνιπτρον abſtinebant Leones, quod eſſet *ignis*, quem pro *Symbolo numinis habebant*, adverſaria. *Coracia* ſacra vero erant, quibus initiabantur *Coraces* genus quoddam miniſtrorum Mithræ, juxta *Porph.* l. c. voce myſtica & nefandorum ſacrorum conſciis & participibus nota. Vid. *Reineſ.* l. c. pag. 649. ſeqq. qui de reliquis omnibus docebit. *Criſyos* ſaltem tangam itidem *ex Mithræ conſecraneorum numero* quoſdam, quibus nomen fuit, ἀπὸ κρυφίου, inquit idem ibidem. *Specus* enim *tenebricoſus* & horridus μυστικὸς οἶκος erat Mithriaticorum, in quo θεῷ ἐκ πέτρας (ita *Mithram* vocabant) conſecrabantur. Idem Deus Κρύφιος apud ſuos audiebat; *vel* quod, ſed ex κακοζηλίᾳ Diaboli & perverſione oraculorum divinorum ut vult *Reineſius* e divinis ſcripturis ad eos fama pervenerat, *Deo nihil eſſe abſconditum magis*, Eſ. 45. 15. nomen *ejus eſſe occultum* פלא Eſa 9. 6. Jud. 13. v. 18. νεφέλη καὶ γνόφος κύκλῳ αὐτοῦ, φησὶ ὁ Δαβίδ *Procop. in* III. Reg. c. 8. *Deum lucem habitare inacceſſibilem*, 1. Tim. 6. 16. *poſuiſſe tenebras latibulum ſuum*; *eſſe altiſſimum*, *ſed ſimul proximum*, *ſecretiſſimum*, *& præſentiſſimum*, *ut* loquitur *Auguſt. confeſſ.* l. 1. c. 4. & l. 6. c. 3. &c. vel quod *Mithra Sol*, *quotidie abſconderetur*. Sed hæc paulo prolixius, anſa data ab Autore, cum quo nunc ad *Saubertum* de *Sacrif.* c. 23. p. 590. ſeqq. & *Urſin. Analect.* Sacr. Vol. 1. pag. 17. &c. ablegantes, *ſicuti* & *in dubio de Hercule* p. 187. *Deſanao*, &c. quod augeri poteſt nomine *Sancus* vel *Sangus*, ex Sabinorum lingua, apud Silium Italicum lib. 18.

> *Ibant & læti pars Sancum vocem canebat*
> *Autorem gentis* &c.

niſi *pro Sanctus* poſitum eſſe dicas, ad *Dn. Kipping.* remitto, qui p. 112. ſeq. de *Hercule* notatu digniora e multis congeſta exhibet. Cæterum *Herculem ſolem eſſe*, vel *a ſole nomen ejus*, idque *Phœnicium* ac quaſi אור-כל *Orcbol*, *illuſtrator omnium*, videtur, 2. Maccab. 4. 19. 20. occurrit, & *Tyrius* eſt, ſive *Lybicus*, de quo *Curtius* l. 2. c. 19. l. 8. c. 21. 25. *Arrian.* l. 4. legatur; alias *Melicartus*, quod eſt מלך קרתא *urbis præfectus* vel *rex* dictus, nec non ἄζιζος (ab עזז robuſtus fuit) *uti eſt apud Julianum Cæſarem* in *Hymnis* p. 34. & exponi nonnulli poſſe dicunt inde *Daniel* 11. verſ. 38. *Deus* מעזים *Deum Mauzim*, qui *Hercules* ἄζιζος *Phœnicius* & *novo majoribuſque ignoto ritu ab Antiocho Epiphane*, ut novus Deus cultus fuerit ex ſingulari ejus amore, quem *patere* ajunt, quod *ludos Herculis* Tyri ſpeculatum conceſſerit. Vide tamen *Magnificum Dn. Gejerum* in l. c. Dan. p. 931. & Diſputationem Dni D. Quenſtedi de Deo Mauſim. *Theuſæ* quarum p. 191. meminit, *vehicula* ſive *carpenta ſacra erant*, quibus *ſimulacra Deorum* & indigetum cum pompa ordinum & Officiorum in Ludis *Circenſibus* imprimis Numinum honoribus conſecratis apportarentur. Quale carpentum mulare in ludis Circenſibus productum, conſpicitur in *nummis Fauſtinæ*, in altera ejuſdem *facie Fauſtina* cum patera & *Sceptro*, ut *Dea*, apud *Anton. Aug. Tab.* 43. n. 20. 21. Videatur *Roſinus* cum aliis.

Tandem *locus Act.* 7. verſ. 43. quem Autor adducit p. 173. & 178. vexatiſſimus eſt, imprimis vox Ρεμβὰν, quæ pro *Amoſi* כיון legitur, & a *Kirchero* eſſe dicitur ῥηφάν, uti ex *Onomaſtico Copto Arabico* latino exhibet Tom. 1. Oedip.

dip. Ægypt. ſ. 4. c. 22. p. 385. ſive ῥεφαν, ubi *verſio Bibliorum Copta* lib. 2. *Actorum in Bibliotheca Vaticana* habeat, & *Æthiops* cum *Arabe & Syro* legunt aut ῥηβαν ut in *Prodromo Copto* c. 5. p. 146. niſi ſphalma ſit, legitur. *Verum a D. Majore* in *Acta* p. 387. rejicitur. *Stella* vero habetur, *fronti Molochi infixa* nonnullis, ut *Oecumenio*, quare etiam cum *Molocho* in l. allegato Actorum conjungatur. Sed fortaſſe infra *recurret*, vid. interea *Glaſſ. Philol.* ſ. p. 184. *Gram. S.* p. 69. 865. 869. *Rhet.* 5. pag. 595. *Calov.* Critico Sacr. pag. 483. *Urſin. Analect. Sacr.* Vol. 2. c. 27. Lorinus, *aliique*.

## Ad Cap. I. Synt. II.

### *De Baal.*

De *Nomine* בעל monuimus ſupra, dubiumque oſtendimus, num *Deo proprium* aliquando fuerit; non tamen negavimus, Id, *uti origine ſua Dominum* ſignificat, vid. *Conſummat. Theolog. Geier.* in *Dan.* p. 54. ſive ad *nomen Balthaſar*, (quale ſalva conſcientia, ſicuti & *Catharinæ* retineri, imponique poſſe, cum *paris eruditionis Theologo Danbauero Hodoſoph.* p. nov. Edit. 1077. vel p. 774. affirmat) & *Walton. Proleg.* de lingu. Hebr. §. 16. non potuiſſe, vel non debuiſſe, *Regibuſque* ac Poteſtatibus ſuperioribus competiiſſe, quibus & commune fuiſſe omnino credibile, & ab iiſdem *ad Idola* ſive *Dæmonas* ſive *Semnones*, quales poſt mortem ab ambitioſis ac Politicis ſucceſſoribus, ad ſtabiliendam in regimine majorem dignitatem credebantur, vel credi jubebantur, vid. *Urſin.* in *Zoroaſtre* ſect. 1. p. 11. dimanaſſe; & non aliter ac *Jovis nomen multis Diis*, *deinde cognomen* additum fuiſſe; modo ſub *Baal*, modo *Bel*, ut *Eſ.* 46. verſ. 1. *Jer.* 50. verſ. 1. c. 51. verſ. 44. & in Additamentis *Dan.* c. 14. 2. *Beli* notione, de quibus noſter accurate agit hoc capite non uno loco. De *origine nominis* hujus quoque & *cultu Idoli Voſſ. Theol. Gent.* l. 2. c. 17. Plerunque vero, (quod perfectum completumque ejus nomen eſſe dicit *Dn. Kippingius*,) *Baal Schmaim* audit, de quo noſter p. 214. & *Scalig.* ad *Fragm. Græcorum* Vet. in de *Emend. tempor.* p. 26. agunt, & eſt *Græcorum* ζὰς ὀλύμπιος 2. Macc. 6. v. 2. *Sol* nimirum *Deorum maximus*, βῆλος LXX. & *Belus* Latinis, ut in illo *Claudiani* de ejus cultu: lib. 1. de laud. *Stilicon.*

> *Thuris odorati cumulis & Meſſe Sabæa*
> *Pacem conciliant aræ, penetralibus ignem*
> *Sacratum rapuere aditis, rituque juvencos*
> *Chaldæo ſtravere Magi, Rex ipſe, micantem*
> *Inclinat dextra pateram, ſecretaque* Beli
> *Et vaga teſtatur volventem ſidera* Mithram.

Nam quod *belli* legebatur recte correxit C. *Barthius* animadverſ. in *Claud.* p. 196. ſecutus *illuſtrem Scaligerum* l. 6. de Emend. Tempor. & *Modius* corrigere debuiſſet, ſicuti & *Raderus* in *Notaris*, qui pag. 37. retinuit in *Curtii* verbis: *Eminebant duo aurea ſimulacra cubitalia, quorum alterum in alterum* belli *gerebat effigiem*, ſubſtituendo cum *Scaligero: quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem*, ſicuti cum *Nicol. Blancardo* in *annot.* p. 151. 152. *Loccenium* feciſſe legimus in Emendationibus pag. 340. *Belenum* vocatum *Apollinem*, & in hoc *Solem* exponit noſter pag. 218. & meminit *Beleni Herodianus* l. 8. c. 4. βέλιν (βέλινον legendum cenſet, *Salmaſius*) καλόυσι τῦτον, σέβυσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες, *ſive ſolem*: conſentit *Capitolinus* in *Maximin.* 22. *Deum Belenum*, vocans. Vid. *Auſonius* in autore citatus, *carm.* 4. & 10. *Confer Joſeph. Scaligeri Lect. Auſon.* l. 1. cap. 9. *Eliam Vinetum* commentarii ad l. c. num. marg. 145. *Pithæum* in *Adverſariis* l. 1. c. 4. Meminit quoque *Gruterus* e *Marmoribus Aquilejenſibus*, quorum Idolum erat, in *Inſcript.* orbis p. 36. Dehinc ad *Heliogabalum Deum Solem*, ut recte interpretatur noſter, ſed varie ſcribitur, devenit, de *quo nomine* multa *Scaliger* ad Euſeb. n. 2234. *Baron.* ad *Ann. Chriſti* 220. N. *Fuller.* lib. 1. *Miſcell. Sacror.* c. 14. poſt hos eruditius, *Caſaubonus*, & *eruditiſſime Salmaſius* ad *Lamprid.* notavit, ut *Voſſ.* l. citando loquitur *Screvel.* notis ad *Hiſt. Aug.* p. 458. *Hotting.* in *Epitom. Hiſtor. Eccl.* part. 1. p. 112. *Voſſ.* l. 2. *de Idol.* c. 5. & 21. unde noſter derivat audita ratione derivationis: vide p. 223. *alii* aliter *dividunt* & primam partem ab *Elah* ſive *Arabica* voce *alah*, Deus: alteram vero a *Gabalitis*, vel *Gibalitis*, aut *Giblitis*, vid. *Joſ.* 13. verſ. 5. *Pſal.* 83. verſ. 8. *Ezech.* 17. verſ. 9. 1. *Reg.* 5. 18. in ſacris notis, & Tyriis vicinis populis deducunt, ut ſit *Gabalitarum Deus*: *alii* vero ab itidem *Arabica Gebel*, *mons*, ſive *Nomine proprio*, *promontorio Syriæ*, (Patriæ flagitioſiſſimi hominis Autoriſque hujus Nominis & numinis apud Romanos, vide

de de eodem *Valeſ.* ad *excerpta Peireſc.* pag. 111. ſeqq. ) apud *Plin.* l. 5. c. 20. ſic eodem recideret ; vel *Appellativo*, ut *Deus Montis* ſit, vel *Deus mons*, vel *in montis figuram effigiatus*, quod non multum abeſt ab eo, quod noſter de *Orbiculari*, ſed *montis ad inſtar in modum coni*, magnitudinis immanis lapide affert p. 223. *ex Herodian.* l. 5. c. 3. p. m. 228. *Sol* fuit, quocunque demum nomine aut forma fuerit, *mas Deus*, cui *Baſſianus* primo *Pallada*, mox *Uraniam* ἀςροάρχην *Imperatricem Aſtrorum*, *Lunam*, nomine & Idiomate Græco ( niſi ex עשת & זהר *Venus Ægyptiace*, & quaſi ἀςζοάργης eſſe velis vid. cap. ſeq. ) *magna ſolennitate & oſtentatione*, *auro argentoque affatim in dotem dato* elocavit; ut proinde non fuiſſet, quod expungeret τ̀ ἀςροάχην, & Α'ςάρτlω, ut alias vocatur, reponeret, *eruditiſſimus Vir*, *Petrus Faber* l. 3. *ſemeſtrium* c. 1. qui alias hic omnino, ut legatur, meretur ; vocavit nam & *Orpheus* Α'ςραρχην, & licet de *Phœnicibus* & *Afris* loquatur *Herodianus*, tamen *Græcas Voces* attendere voluiſſe videtur, quod de *Urania*, quam Latini *cœleſtem* vocarunt, ſatis clarum eſt. Vid. *Full.* l. c. c. 13. quanquam & *Luna* in genere Maſculino *Lunus*, culta legatur, tamen probabiliſſima & communiſſima eſt ſententia, in בעל שאמן *Solem*, in עשתרת & מלכת *Lunam veneratas eſſe Jud.* 2. 13. c. 10. 6. 1. *Reg.* 11. 5. *Jer.* 7. v. 18. cap. 44. 17. plura de his lege apud *Eruditorum Principem Salmaſium exercitationibus* ad *Solinum* p. 574. ſeqq.

Ad *venerabile* & *incommunicabile Dei Nomem Tetragrammaton*, ut audit, & *eſſentiale* ( vid. *Ritang.* in ſolennit. Judæorum, imprimis *Thelog.* in LL. CC.) יהוה venit, *quod & pronunciari potuiſſe*, *nec Gentibus non innotuiſſe*, imo inde *Jovem* ſuum derivaſſe, affirmat, contra fere multos doctos, inter quos de his omnibus nondum convenit, nec liquet, in contrarium diſſilientibus pleriſque ; quam crambem vel centies coctam apponere nolo, remiſſurus ſaltem ad eorundem quoſdam conſulendos, *an*, & *quomodo legi debeat?* Num, juxta *Ludovicum Capellam*, *Oratione* de Nomine יי p. 712. *Epiſt.* ad D. *Wolffium* Tigur. p. 738. ſeq. & *defenſ.* c. *Thomæ Gatacker. Angli.* p. 735. ſeqq. *Walton. Appar.* ad *Bibl. Angl. Polyglott.* Proleg. 8. §. 19. p. 50. יהוה *Javo*; quia, ut apud *noſtrum* legere eſt, & *Grotium* in notis ad *libr.* de *Veritat. Relig.* Chr. p. m. 214. *Jao*, Ἰάω reperiatur in Gentilium ſcriptis ; *in* & *a* quibus tamen commune fatum experiri potuit, quod reliqua indubie punctata experta ſunt, ut in iiſdem longe aliter legantur, quam initio erant ; veſtigiis tamen ſui adventus, & ruderibus originis, qualia in hoc eminenti nomine quoque ſunt, relictis: *an* vero, juxta *Druſ. in loca difficill.* Pentat. p. 142. *Jave* הוה vel יהוה ex *Samaritanorum* Ἰαβέ, ut Theodoretus teſtatur : de quo tamen etſi non variat lectio, dubitares, *an genuinum*, quo Deum vocant, *Samaritanorum*, & quod maximum eſt Nomen ſit Dei? aliter in odium Judæorum cur pronunciare potuiſſe, quis neget? *an* vero juxta *Mercerum* in Geneſ. 2. 4. & *Hotting.* Faſcic. Diſp. p. 259. יהוה *Jehevæ*, aut etiam ſecundum hunc יהוה Jehvæ, quam lectionem, ut firmo talo ſtet, alii verentur ; *an* vero punctis mutuatis, juxta *CL. Buxtorf. fil. diſſ.* 5. *Joſeph. Scalig. Thom. Erpen. Ariam Mont. Cevællerium*, *Schindler. Sixtin. Amam.* Antibarb. Bibl. pag. 541. *Grotium* ad Matth. 22. p. 378. alioſque *vel* ארני *Adonai*, unde & præfixa ad hujus normam gerat ; verum *irregulari & aliis quoque nominibus communi modo*, accedit quod cum (-) habeat, ſi verum eſſet, ( : ) ſimplex appareret, & perperam ſic hoc cum compoſito, ac diſtinctiſſima Dei nomina, confunderentur, nec Emphaſis nominis divini Exochici attenderetur &c. *vel* אלהים cum cujus punctis nonnunquam ornatum reperitur, *quanquam non ſemper*, & *ſolum*, ac iterum tali ratione, qua alia & nota verba ac nomina ſæpius dupliciter punctata legantur; *an* vero juxta *Fuller. Miſcell.* l. 2. c. 6. l. 4. c. 13. in *Append.* ad *Miſcell.* p. 192. alioſque innumeros *Galatinum* & rationes firmiſſimas ſecutos, *communiter ſubſtratis punctis* יהוה *Jehova* in nominibus ex hoc nomine compoſitis v. g. *Jehoſaphat*, *Jehonathan* &c. *reſiduis* ſuæ ſimplicis lectionis *teſtibus* & *lectione Indice*, *tum* Eſſentiæ, Eminentiæ, æternitatis &c. divinæ ; *tum* illius quod *Deus* ipſe *Exod.* 3. verſ. 14. 15. & *filius Dei Apoc.* 1. verſ. 8. de ſe pronunciat, quod ſit, ὁ ὤν, ϗ ὁ ἦν, ϗ ὁ ἐρχόμενος, vid. *Capell. Crit.* ſ. diatrib. de *Nomine Elochim Full.* l. c. Vocalibus notantibus, (י) *futurum*, (ו) *præſens*, & (ה) *præteritum*, egregio ordine & formatione temporum in Grammaticis recepta, vid. *Spicileg. Waltheri* de *nominibus Dei controv.* 10. a p. 112. 155. & controverſ. ſeq. *Exaluminati Theologi*, *D. Dorſch. Diſp.* de *Nomine Jehova tota*, *Dn. D. Calovius Criticis Sacr.* p. 234. ſeqq. CL. *Leuſdenius* in *Jona illuſtr.* p. 94. ſeqq. *Philol. Hebræo* Diſſ. 28. 29. 30. *Nec diſce-*

*ſceptabimus an plane ἄῤῥητον fuerit?* placet, quod *Magnus Theologus*, *Danh. Hodoſoph.* p. 192. (141) paucis ſed acutis de hac re & nervoſis verbis coarctavit. *Pronunciatio licita ſine dubio olim in Eccleſia veteri Hebræa, non obſtante interdicto, Lev. 24. verſ. 16. ubi nominatio cum προσθήκη blaſphemiæ, accipienda, vid. Joſep.* l. 2. c. 5. *Philon.* l. 3. de vita Moſ. p. 119. *poſt, pio ſtudio, ne vileſceret nomen ſacro-ſanctum, communis, ordinaria ac quotidiana prolatio in ſanctuarium revocata.* Vid. *Schik. in Medit. Alphab.* David. in Pſal. 25. &c. *Tandem in ſuperſtitionem vertit, qua factum ἀνεκφώνητον. Hodie ſine piaculo ( quod fingunt Paratragœdi Druſius in præfat. ad c.* 19. Apoc. *Genebrardus in Præfat.* Comm. *ad Pſalm.* ) *ea punctatione, quam habemus, enunciari poteſt.* Inde *Judæi* vocant שם המפרש *nomen ſeparatum*, a *lectione* ſcil. vel *pronunciatione*, ut exponit *Maimonides:* alii ἄρρητον, ἄφρασον, ἄλεκτον, ἀνεκφώνητον, ἀπόῤῥητον. Vid. *Kipp. ad* Prolog. Galeatum Hieronymi in Notis. Sed tamen *Ejuſd. celebritatem* in Gentiliſmum dimanaſſe, quamvis cum corruptione, documenta rei edunt *Joſeph. Scalig.* in *Calce* libri de emendatione Tempor. *Martin.* in *Lexico ad Nomen Jehovah Grotius* ad Matth. & ad libr. de V. R. notis ll. cc. Vid. de aliis, quæ hic conſiderationem merentur, Dn. *Pfeifferus* Diſput. *de Nominibus* Dei *Faſcicul. Diſſert.* p. 149. ſeq. qui pag. antecedenti quoque *de diverſarum Nationum nominibus*, quibus Deum appellant, agit, Vid. poſt. *Kirch.* Tom. 2. Oed. P. 1. c. l. 4. c. 7. p. 287. *Hieronym. Megiſſerus Theſauro Polyglott.* in voce Deus, & *pleraque Tetragammata*, licet non *eſſentialia & omnia ſint*, reperies, ut in mentem venire poſſit, fortaſſe eo reſpexiſſe *Pythagoram quaternario ſuo*, cujus meminit noſter Seldenus, & *de quo* conſulendus eſt, M. *Johan. Friderici* in Comm. ad *Som. Scipionis* p. 100. cum aliis. De *Zoroaſtris varie ſcripto & famoſo nomine*, omnium optime docemur *Exercitationibus morſos profecto ungues ſapientibus*, judice Dn. *Arnoldo* in *Spicileg.* ad eaſdem, *Doctiſſimi* J. H. *Urſini de Zoroaſtre* vid. p. 9. 20. 22. &c.

## Ad Cap. II.

PRO temporis ratione iterum ſaltem paucula quædam libabimus, in compendia Autoris prolixa conjiciendo, ſed nonnunquam quædam addendo. *Aſtharoth Judic.* 2. verſ. 13. 1. *Sam.* 7. verſ. 3. & 4. vel אשרה *Aſchera* vide Autorem p. 235. ( quæ vox *lucum* aliquando notat. Vid. *Urſin.* Vol. 2. *Anal.* pag. 99. ) LXX. ἀστάρτη, Atergatis, Derceto, Herodianus ἀστροάρχην vocat, vel quomodocunque tandem pronuncietur, *origine*, ut creditur, *Ægyptiorum*, *participatione Zidoniorum* 1. Reg. 11. 5. 31. aliarumque gentium, ut *Philiſtæorum* 1. Sam. 31. verſ. 10. *Numen*, Judic. 2. verſ. 13. c. 10. 6. 1. Sam. 7. 34. c. 12. 10. 2. Reg. 23. verſ. 14. derivatur *Kimchio* ab *Appellativo* עשתרות i. e. Deuter. 7. verſ. 13. *gregibus*, *vel* צלמים עשוים בצורת עשתרות *Imaginibus factis ad formam ovium*, juxta ipſum in libr. *Rad. vel Grege ovium*, ut & ipſe; ſed ut *Scaliger* judicat, *a victimarum multitudine*, juxta *Rabb. El. Levitam* in ſuis Animadverſ. ad *Kimch.* Lexicon. *Aliis* a *loco* ſive *urbe Aſteroth* in tribu dimidia Menaſſe ( de qua *Buxtorf.* & *Mart.* in Lexicis vide. ) in qua reperti forte ſint, qui id fabricare ſoliti ſint: *Philaſtrio* a *fœmina regina Aſtharoth*, ſicuti *Aſtar*, a Rege quodam Syrorum in numerum Deorum receptis: *Kirchero vel* ab Arabum Phœnicio זהרה *i. e. Venere; vel* ab Ægyptiaco Τσυρωτ, *ejuſdem ſignificationis nomine*, & *Regina Ægypti*, quod adeo improbabile non videtur; *tum* quod Ægyptii non pauca Idola ad alias Gentes tranſmiſerint, ut *Molochum*, *Rempham* &c. juxta nonnullorum opinionem; *item*, quod per *proſtheſin* vel *articulum* non difficile ſit ex Τσυρωτ ſive συρωτ Αςαρωθ factu; *tum* denique, quod nec *ſignificatu* adeo differant; equidem *Venerem* quoque notare *Aſtharoth*, nec Seldenus negat, ( quanquam *Lunam ſive Dianam* plerumque urgeat ) jam vero & Venerem indicare nomen Ægyptiacum audivimus.

*Phœnices* vocabant vel בעלת *Dominam* vel cum addito *Belſama*; ſive בעלת מלכת השמים שמים *Dominam* vel *Reginam cœli Jer.* cap. 7. & 44. juxta LXX. στρατιάν aut βασίλισσαν τῦ ὐρανῦ. *Certam aliquam conſtellationem & ſiderum congeriem*, *ſive Pleiades ſive Hyades* aut *Vergiliæ fuerint*, per hanc intelligit *Kircherus* l. citando, confunditque cum *Succoth Benoth*, ( videatur hic Sixt. *Amama. Antibarb.* Biblico p. 712. ) ſed ſine fundamento, nondum enim evictum a לאך derivandum eſſe, & vel ſolum א omiſſum obſtat; contra interpretatio per מלכת *reginam* optime quadrat, & interpretum celebriorum eſt. *Sol Rex*, *Luna Regina*, duo luminaria magna Gen. 1. 16. præſidia diei & noctis, Idololatriæ primum, ſed innocens illicium. *Illum* Viros, *hanc* Mulieres adoraſſe aſſerit *A-*

bar-

*barbanel*, quem cum non adeo absurdus sit audire non pœnitebit ad c. 44. Jerem. citatum *Excellentissimo Frischmuth.* in *Disp.* de *Melechet cœli* c. 1. §. 4. חשבו המפרשים שמלכת השמים הוא שם נאמר לכל הכככים שהם מעשה ומלאכתו אשר ברה ושהסר האלף במלכת השמים ומהם פירשו מלכת השמים על השמש שהוא הככב הגדול שבשמים ואני ככר הידעתיך רעתי שהבעל שהיו עוברים היה כנגר השמש והוא הנקנא מולך כי הוא מלך על כל רבני שחץ והאשרה שהיו עוברים היתה הלבנה והיא גם כן הנקראת מלכת השמים כמו שיאגרת הכתוב השמש בשם מולך כן כנה הירח בשם מלכת השמים וכמו שכינה השמש בשם בעל להיותו בערך חלהנה כבעל הנותן מהודו וזיוו צל אשסו ככה כנה את הירח בשם אשרה שהיא שם לנקבה כאלו היא נקרת השמש ואליו תשוקתו: *Opinantur interpretes τὸ melechet cœli esse nomen, de omnibus omnino stellis usurpatum, quod illæ opificium Dei sint, quod creavit* & א *deficere in* מלכת *Sunt ex illis, qui arbitrentur hac voce designari Solem, qui omnium maxima stella sit in cœlis. Cæterum ego, jam ante quid sentiam, tibi notum feci, quod nempe Baal, quem coluerunt, fuerit respectu Solis, atque is dictus sit Molech, quia ille est rex super omnes filios superbiæ* ( Job 41. 25. ) *Ascherah vere* ( vox Hebræa alias lucum quoque significat ) *cui serviebant, fuit respectu Lunæ, quæ & ipsa regina cœli vocabatur, quemadmodum Scriptura Solem nomine Molech appellat, sic vocat lunam nomine reginæ cœli. Et ut Sol respectu Lunæ Baal dicitur, quod respectu Lunæ sit instar domini, qui de suo decore & splendore uxori suæ communicat, sic etiam Luna vocatur Aschera, quod nomen est fœminini generis, quasi illa sit fœmina Solis, quia illius desiderio tenetur.* (Gen. 4. 7.) videatur item porro ad Jer. 7. ubi idem confirmat. Fœminarum hoc Idolum sive *Junonem Olympiam* diceremus, Latino Idiomate. *Babylonii Salambo, quasi* שלום בי paciferam, vid. *Voss.* l. 2. cap. 21. & *Reines.* de Deo Endovelico p. 15. seqq. (quod idem ac *Venus* sive ἀφροδίτη est,) eam dicunt, observante *Hesychio*, *vel Delephat*, a דלף *stillavit*; *vel Succoth benoth*, monente Kirchero in Panth. & ob admirabiles effectus, ut idem notat, *Reginam cœli* p. 362. & p. 355. *Gallinæ* cum *pullis simulacro* expressam; *Syri* vel *Assyrii Mylittam* Syriace מולדתב [illegible] sive [illegible] *quod parere faciat, vel pariat ipsa omnia*, quare *Mor Isaac Syrus* in Cosmograph. Syriaca de ea ita: *Astaroth est sidus de 7. errantibus, quæ etiam vocatur genetrix & obstetrix, eo quod ipsa velut Mater sit omnium rerum, omnium productrix, omnium quæ in mundo sunt nutrix & conservatrix* & γενέτειρα *Græce* diceres, vel εἰλειθυίαν, quod *Dianæ* sive *Lunæ* est alias *ejusdem significationis* nomen, uti refert *Plutarchus* lib. 3. *Convival. quæst.* numer. 1. *Pausanias* in *Atticis*, *Theocritus* Idyll. 28. *Oppianus* l. 1. de Venatione, & ex ילד *genuit, peperit*, compositum est, juxta nonnullos: juxta *Jos. Scaligerum* in notis ad indigitamenta *Orphei* p. 181. *Joach. Camerar.* in quæsitis promiscuis pag. 98. *Lylium Gyrald.* in histor. Deorum Synt. 12. p. 351. *Erasm. Schmidium* comment. ad Pindari Pyth. p. 115. & ad Nemea p. 152. ab ἐλλῦθειν παρὰ τὸ ἐς πικτύτας, *a succurrendo parturientibus*. Vid. Seld. supra p. 250. In *partubus Junonis maximæ* vicaria, & ὠδίνων ἐπαρωγός, ut vocat *Orpheus* in Hymnis pag. 145. nisi plane *eadem*: Equidem, *Venus*, *Diana*, *Juno*, *Minerva*, &c. una eademque dicitur *Apulejo* lib. 11. Metam. p. m. 239. & p. 241. ubi de se ipsa ita. En adsum, inquit, tuis commota precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, summa numinum, regina manium, prima cœlitum, Deorum Dearumque facies uniformis: quæ cœli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferorum deplorata silentia nutibus meis dispenso. Cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges *Pessinuntiam* nominant *Deum Matrem*, hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam: illinc fluctuantes Cypri Paphiam Venerem: Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusinii vetustam Deam Cererem: Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten: Rhamnusiam alii, & qui nascentis dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique priscaque doctrina pollentes Ægyptii, cerimoniis me prorsus propriis percolentes, appellant vero nomine *Reginam Isidem*. Adde *Pricæum* in notis pag. 654. quem locum propterea adduxi, ut & in hoc numine ostenderem multis nominibus idem appellatum, neque mirum debere videri, si *modo Lunæ Veneris* vel *alio* quoque nomine veniat; Notandum tamen, quod *triplicem* Venerem pagani coluerint: *Apostrophiam* exleges amores avertentem, *Pandemon*, sive *popularem lascivam*; & *Uraniam* castam ex Ebore & auro factam, pede altero testudinem prementem, vid. *Pau-*

*san.*

*ſan.* in *Bœoticis* & *Eliacis*, *Alciatus* Embl. 195. & 75. *Pierius Valer.* Hierogl. in Ariet. *Johannes Roſinus* Antiq. *Roman.* p. 176. ſeqq. *Urania rerum natura omniparens dicebatur*, quod convenit cum Apulejo, & alio Syrorum nomine, quo *illis* אמא; *Heſychio* ἄμμις i. e. *Ceres Proſerpinam*; de iis qui aliud longo tempore quærunt, vel juxta *Urſin.* Vol. 2. l. 2. cap. 21. Analect. p. 80. *ut ſementem feceris, ita metes*, *Ceres* ſemen ſignificat, quod frugum parens eſt, *Azeſia* florem, nam ציץ *Ziz*, *flos* eſt, & *Perſis* ستر מדר *Mater* (voce quam cum Germanis inter alia multa habent communem) *Magna* ſcil. unde כבר vel כברי *Cabar* vel *Cubar* i. e. *Magna*, audit, vide Selden. ipſum c. 4. Synt. 2. & *Hottinger. Hiſt. Orient.* pag. m. 153. quo loco valde ſuſpectum eſſe, quod noſter habet, de Muhammedica adorationis formula: Αλλὰ ὰὰ Κυβὰρ ἀλλὰ, quaſi adhuc ſibi propitiandam iſtam Deam cenſeant, ſed utentes *ſummum Deum*, profiteri, ait vid. 1. T. *Major* ad c. 7. Act. olim quidam adeo coluerunt, ut *inſignia corniculantis lunæ reciperent*. Vid. L. Alardus in Epiphyll. Philol. c. 11. *hodie adhuc reſidua*, cur vero? non ſatis conſtat, putat *a Byzantiis devictis*; quorum media luna inſignia fuerint, in ſignum victoriæ, ex ipſis aſſumſiſſe Turcas, Lipſ. Epiſt. qu. l. 2. Ep. 16. undecunque ſit, conſtat hodie non amplius colere. כבר ſignificat *magnus fuit*, unde *Adjectivum* כביר *magnus*, & כבירה *Magna*, כברי κατ᾽ ἐξοχὴν *Mulier magna* ſive *maxima*, alias in ſuperlativo אלאכבר dicta, ut in *Diſputatione* quadam *Arabica* inter *Muslaminos* quoſdam & *Georgium Monachum* habita p. 128. quærit Abuſalama Muhamedanus, Georgium, ignoret ne Muhammedem traduxiſſe Arabes מן עבאדה אלאצנאם אל מערפה אללה אלחי *a cultu Idololatrico ad notitiam Dei vivi*. *Georgius* Arabum cultum deſcripturus, fatetur: צנם יסכא אלאכבר וצלאתהם אמאמה כאנת אשעארא תשתמל מעאינהם עלי אלשק ואלעשק כאנוא יכתבוהא עלי אלאלואח ויעלק ונהא פוק דלך אלצנם ויצלון בהא: *Eos coluiſſe Idolum Alachar dictum, coram quo preces carmine recitabantur, quas, de rebus amatoriis agentes tabulis inſcripſerint, eaſdem ſupra illud Idolum ſuſpenſas, recitarint*. *Alias* nomine Αλιττα expreſſum apud *eoſdem* fuit, & legitur recte ſic in *Herodoto*, citato apud noſtrum Seldenum, qui locum corruptum, & *Alilath* (ab הלאלה *luna naſcente*) legendum ſuſpicatur, ſed ſine cauſa, cum *Allath* in ſupra citata *Surath.* 51. occurrat, quod quam procul ab *Allath.* vel *Allitha* abſit, quilibet videt, vid. *Hotting.* l. c. in *Hiſtor. Or.* p. 132. & *Pocok.* in *Specim.* p. 107. Dubitandum præterea num הלאלה *in fœminino*, ſenſu *Lunæ naſcentis extet*, quod vult noſter. הלאל quidem non *primam* modo ſignificare *Lunam* ejuſque *phaſin*, vel *primum*, *vel poſtremum Lunæ lumen*, prout reliquo tempore קמר vocatur, ſed *Solem* pariter atque *Lunam* conjunctim, notatum eſt, *an vero in fœminino quoque genere?* dubitatur. Nec *Etymologia* refragatur, etiamſi retineatur Αλιττα; ſive enim *ratione modi & formæ* cultus deducatur a לוי & לוא *flectere*, quod cultores γονυκλισίαν præſtarent; ſive a לת *miſcere*. (Vid. *Hiſt. Or.* l. c.) ſive a לאה *obtectum occultum*, vel etiam *excelſum*, *elatum eſſe* (unde & אללה Deum deducunt) nihil impedit, quo minus & huic applices, convenitque *primo nomini* בעלת שמים *Etymologiæ ratio*: vid. hic. *Specim Pocok.* p. 90. *De Venere Deo* ut obiter interſeram pag. 239. Vid. *Urſinus Theol. Symbol.* c. 51. p. m. 67. uterque enim ipſi *Sexus attributus*. *Cypri barbatum* in ſtola muliebri fingebant. Vid. nunquam ſatis laudatum piumque *Philologum Urſin. Vol.* 2. *Analect.* l. 2. c. 21. 22. 23. 34. ſicuti & *laudata* Theol. *Symbol.* c. 42. ſeqq. p. m. 58. ubi egregie, quæ præteriri cogimur, applicat ad ſacra, textuſque explicat.

*Occidentalioribus hominibus*, quod ex Apulejo didicimus, ſub multis nominibus culta fuit. Imprimis *Deæ Syriæ*, de qua *Lucianus* peculiari libro egit, qui *Lunam ſive Dianam*, *noctis arbitram* cum noſtro, ſicuti & Auguſtin. quæſt. 16. ad libr. Judic. *Maſ.* 9. in Joſ. c. 12. *Fullerus* l. 1. *Miſcell.* c. 13. & *Voſſius* l. 2. c. 21. Sed *Græcorum Venerem Cicero* l. 3. de N. D. *Cœlius Rhodigin.* l. 23. Antiq. Lect. c. 3. *Floridus Sabinus* l. 5. Lection. ſucciſivarum c. 7. *Philip. Cluverius* l. 1. German. Antiq. c. 27. *Dionyſ. Godofr.* notatis ad Varronem p. 1586. *Gaſpar Sanctius* Comm. ad libr. 1. Reg. c. 11. p. 1146. eſſe putant ſine magno diſſenſu, cum inter ſe non multum diſtent, niſi *plane unum*, *idemque Idolum fuerint*, quod tamen æque Kircherus, ut ſupra Apulejus vult. l. c. c. 17. his verbis: *Hoc unum, ex hiſce omnibus demonſtratis hactenus collige. Cabar illam Arabum aliam nullam eſſe, quam communem illam Venerem Aſiaticam, Uraniam cœleſtem, quam Ægyptii Iſidem, Babylonii Dagon, Decreto, Atergatis, Phœnices Aſtarten, Græci nunc Lunam nunc Hecatem, Lucinam, Dianam, Proſerpinam*, aut

*aut alio nomine*, *Arabes Alilath vocant rem eandem*, *nominibus diversitatem effectum denotantibus diversam esse*. vid. fin. cap. 1. §. 12. Disp. cit. de Melech. confunduntur, igitur, ut in reliquis quoque Deastris factum, & vix quicquam certi statuendum esse videmus. Videri præterea potest *Salmasius* Exercit. ad Solin. p. 574. *Petrus Faber* l. 3. *Semestr.* c. 1. 2. 3. *Dea illa* est *como saltationum genere*, quod tibia & fistula in comessationibus, cujusmodi erant Deæ Syriæ, passim agitabatur; Vid. *Johann. Minellium* in notis ad *Flor.* lib. 3. c. 19. n. 3. p. 185. ( Adde tamen *Rup.* in eundem locum p. 544. qui *Comas* retinet ) *honorata*, de qua *Florus* l. c. & *Suetonius* l. 6. c. 56. *Inscriptiones Italicæ* apud *Gruter.* & *Appianum*.

De *Lucis* ( non κατ' ἀντίφρασιν, quasi minime luceant, sed *vel* a *Luca* Etrusca voce, *senem* significante, juxta *Francisc. Sanctii Minerv.* p. 437. nam juxta *Lucan.* l. 3. Pharsal.

*Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo* &c. & *Claudian.* l. 1. de *Laude* Stilicon.

> *- - - lucosque vetusta*
> *Relligione truces*, *& robora numinis instar*
> *Barbarici nostræ feriant impune secures*,

*Truces*, ut obiter addam, propter *victimas humanas*. *Robora* vero *numinis* instar *barbarici* vocat *Deos arbores*, de quibus noster, sive *quercus* Germanis nostris *sacras*, teste *Plinio* l. 16. c. ultim. *Cranzio* Vand. 423. vid. *Sched.* de Diis Germ. 2. 24. *Vel* quia *maxime luceat* religionis causa Vid. *Scalig. Poet.* l. 3. c. 90. *Voss. Etymolog.* p. 296. ) omnis nequitiæ & spurcitiei latibulis, Diaboli consistoriis &c. quæ noster habet addi potest *Ursinus* vol. 2. l. 2. c. 27. & 29. *Anal.* ubi multa loca egregie explicat. *Origo* iterum ex κακοζηλίᾳ Diaboli, depravantis, non tam Abrahami factum, *locum* Deo vero consecrantis Gen. 21. 33. vid. *Roff.* in 's mereldts Godtsdiensten p. 5. *Dn. Hildebrand.* de precibus Vet. Chr. c. 1. §. 1. quam priscum & pium morem, quo templis nondum extructis, sub dio, & arboribus orabant & sacra peragebant. Etenim antiquiorem lucorum usum fuisse, patet ex *Gen.* 13. vers. 18. ubi in *quercubus Mambre*, quæ sunt in Hebron, altare cultui divino structum fertur, qui locus diu post N. C. ab Ethnicis, Judæis & Christianis precum causa adiri solitus est. Vid. *Sozomen.* l. 2. H. E. c. 3. quin imo longe ante invaluerat, novosque subinde constituerant: unde tot *querelæ* Prophetarum v. g. *Es.* cap. 57. *Dei minæ* *Ezech.* 6. 13. eorumque *excisio præcepta*, *Exod.* 34. 13. *Deut.* 7. 5. c. 12. 3. c. 16. 21. *Josias exscidit* 2. Reg. 23. 8. & 14. & Judæi propterea castigati sunt, *Ose.* 4. vers. 13. & quidem merito: nam præter Idololatriam & idola in iis culta, imo *arbores Diis certis sacratas*, *sacrasque* quibus vero quælibet? docet *Plinius* N. H. l. 12. cap. 1. *Benedictus Curtius* l. 3. de hortis. *Meursius* F. in arboreto sacro: *& cur?* nim. inter alias causas, *propter umbram*; *Wovverius* in *Pægnio* c. 9. in *Deorum censum receptas*, v. g. *quercus*, *Pinus*, &c. vid. *Cælius Rhodig.* L. Antiqu. c. 1. *Lipsius* ad Tacit. Germ. & *quos citat* CL. *Saubertus* de Sacrif. 378. & *Le Blanc* in 't tweede Deel van de vermaarde Reizen, c. 21. de *Guineæ* incolis, arborum observatoribus, & adde *Dn. Arnold.* in Append. ad Jan. Refer. p. 943. etiam *arboreta & Luci & Sylvæ* Speluncæ erant, in quibus libidini & lasciviæ, eo tutius, & sub specie religionis vacarent, & φιλοσαρκίας, juxta *Cyrillum* ἀφορμή. Sed vid. *Lavater.* in Jud. c. 6. fol. 38. *Dilher. Tom.* 1. Dispp. 127. *Urs.* l. c. p. 100. c. 28. sive præcedente etiam de *Meretricibus sacris*, de quibus noster p. 237. docere poterit. De *Luna* vero a nostro commemorata, præter *Dn. Kipping.* Rec. Antiq. p. 105. vide quæ in Proleg. ad cap. 3. addita sunt.

De *Lilith* לילית *Judæorum nocturno Dæmone* ( cujus vocis mentio fit Es. 34. vers. 14. sed non dæmonis; *avis* enim *nocturna* sive *strix est*, juxta *Hornbeck* contra Judæos p. l. 4. c. 1. p. 304. ) dictum *Hornbeck.* & in illo *Eliæ* in *Thisbi citata* verba, & Autores quos noster citat. Superstitionis *emblema* sic pingitur illis:




*Procul esto Lilith.*

*De Iside* ( *quam eandem* multi dicunt, & videtur *esse*, cum *hac Astarthe sive Melechet Cœli*, sicuti *Osiridem* cum *Sole*)

*le* ) *Dea* prius apud *Ægyptios* celebris, postea nec *Romanis* ignorata, Regina antea, post obitum in Syrii astrum relata, & *Anubis* appellata, præter jam citatos locos & Autores denuo *Kipping.* Recens. Antiq. p. 149. ex *Veter. Diodor. Sicul. l.* 1. Biblioth. c. 50. seqq. *Cælium Calcagninum* libro de rebus Ægyptiacis p. 229. seqq. operum, *Adrianum Junium* lib. 1. Animadv. c. 5. *Joan. Ricciolum* Tom. 1. Almegisti novi part. 1. p. 408. *Inscriptiones* apud *Appian.* p. 23. & 136. cum imagine insculpta, *proliniores*, sed omnibus *genuinas Arnold.* in *Append.* p. 900. seqq. ubi etiam *caput bovinis cornibus* ex *Casalii* libr. de rit. *Æg. Vet.* c. 26. mox *totam figuram* paulo scitiorem & *Junoniæ avis pennis* condecotato capite, ejusque applicationem. De Ejus *sacris*, *initiationibus consecraneorum*, ἐθελοθρησκέα cultorum, *qui sibi propitium numen cupientes, abstinebant voluptaria vivendi ratione.* Vid. *Reines.* Ep. 617. seqq. it. p. 5152. de *Deabus Matribus noster.*

De *nova* cœli *Melechet Maria* scil. *Beata Virgine*, in ejus locum erecta, docere Te possunt *Theologi B. Hopfnerus aureo libro de Justificatione præmissa præfatione*, *Hutterus*, *Chemnizius*, *Hulsem.* in Man. imprimis, *Danh. Dorschæus* &c. *Scherzerus* in Polemicis. *Firmianus* quidam de *Idolo Mariano toto Tractatu ex Pontificiorum scriptis congesto*, præsertim c. 4. quo *Divæ*, qualitates divinæ & regimen totius attribuuntur, c. 5. τὸ πᾶν, credi, ostendit, taceo libell. precationum, & alia. *Historici*, ut *Elias Ebingerus* in Thes. Antiquitatis passim, cum multis aliis, *Ursino* in *Analect.* Vol. 2. p. 89. & ex ipsis Pontificiis id acrius reprehendentibus, ut *Montaltius Epistol. Provincial.* Ep. 9. *Wendrockius* in notis ibid. (*)

## Ad Cap. III. & IV.

SEquitur Dagon, *Azotensium sive Asdodæorum Idolum*, cujus mentio fit *Jud.* 16. 23. 1. *Sam.* 5. 4. 1. *Maccab.* 10. 83. 84. quod Autor pro more suo i. e. eruditissime ita tractavit, ut vix spicilegium supersit. *Derivant* vero vel a דגן *frumento*, ut sit, quod *Philo Byblius* ait Σιτῶν, quia *invenisse* potuerit, vel in messe *prodesse creditus* est: Græcorum Ζεὺς ἀρότριος, *Agriculturæ Præses*, Ἀγρότης, nec adeo mirandum, unde vau cholem irrepserit, cum in terminatione Nominum adeo inconsuetum non sit. *Accedit cultus* ejusdem, ut videtur *colligendus* ex *transmissis quinque muribus* &c. pro quibus arcendis, ne frugibus nocerent, *aureis* coluisse verisimile est, de incolis in fertili solo & messium fæcundo, *confer circumstantias* 1. Sam. 3. & 6. quibus hæc non placent, derivant a דג *Piscis*, qualis ἐκ μέρους fuit, vid. *Autor. Humaea* scil. quoad *vultum*, *pedes & manus*; *marina* quoad corpus, ex quo *tamen pedes* eminuerunt, *forma* fuisse observatur a scriptoribus, ita enim Kimchius: אמרו כי דגון מטבורו ולמטה היה צורת דג לפיכך נקרא דגון ומטבורו למעלה צורת אדם כמך שאושר ושתי כפורת ידיו כרותו אל המפתן: *Ajunt, Dagoni infra ab umbilico suo fuisse formam piscis, propterea vocatur Dagon, & supra ab umbilico suo formam hominis, quemadmodum dicitur, & ambæ manuum ejus palmæ abscissæ super limine*: Et *Abarbanel* Comm. ad 1. Sam. 5. אהל שדגון היה צורת דג מן חטבור ולמעלה והיו ידיו ורגליו כצורת אדם:, inquit, *sapientes p. m. Dagonem habuisse formam piscis ab umbilico qua superiora, & qua manus ac pedes humanam.* Et *R. Salom.* ad vocem ברמות דג צלם עשוי דגה *esse imaginem ad similitudinem piscis factam*, commentatur, & ita a *Kirchero* ostenditur Tom. 1. Oedip. Ægypt. Synt. 4. c. 16. §. 1. quare *Nereidum Principem aliquem faciunt*, sive *Triton* ille esset, quod placet *Ariæ Mont. Tremell. Scholiastis Batavis* ad l. supra cit. *sive* etiam *Neptunus*, ut vult *Stuckius* libr. de Sacrific. Gentil. p. 25. *Præses Maris*, & proinde *ex mari quæstus*, cujus studiosi accolæ esse potuerunt. Vel *Venus Marina* quod malunt *Scaliger* ad *Varronem* pag. 25. *Serarius* comm. ad cap. 16. *Jud.* quæst. 23. *Sanctius* ad 1. Sam. 5. p. 113. cum nostro Seldeno hoc capite: *Dubio* enim *sexu* reperimus: sacræ literæ *Masculino genere*, ut & LXX. in loco Samuel efferunt: Δαγὼν πεπτωκὼς ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. *Profanæ* vero *fæminino efferunt*, Europæi præsertim, quibus *Atergatis*, quasi ἀτεργάτιδος *præter Gatidem*, nemo pisces scil. comedat, *ab interdicto*, ut alludi volunt, Reginæ cujusdam Syriæ, piscium esu furiose gulosæ, inter divas deinde *aureis piscibus* culta a Syris, piscibus abstinentibus. *Vid. Dilh. Tom.* 1. *Disp.* p. 114. *Adergatis*, *Atargata*, *Atergatis*, *Adargidis*, *Arthraga*, quasi אדר *Magnus* & דג *piscis*; *Lucianus* enim eam *dimidia parte hominis*; *dimidia vero piscis* ( sicuti Dagon ) fuisse dicit, vide *Ursin.* vol. 2. Anal. p. 92. *eandem proinde cum Venere*, quæ tradente *Manilio* l. 4. *Astron.* in Piscem mutata, Babyloniis *Salambus* dicta sit, vid. *Voss.* l. 1. c. 23. *Sched.* de *Diis Germ.* l. 9. *cum Astarte eandem facit Atergatim*,

(*) Ecclesia Romano-Catholica Mariam Virginem esse deam nunquam docuit.

*tim*, *Casaubonus* ad *Strabon.* l. *16.* Geograph. p. 265. & *Athenæi* l. 8. c. 8. sed reprehendit CL. *Rupertus* in observ. historicis ad *Besold.* p. 38. *illam* vero *filiam* & Semiramidem esse; *hanc* vero *Matrem* ejusdem *Mecreto* vel *Merce* facili mutatione ex *Atergate* appellatam dictitans, vide *Freinsh.* ad *Curt.* l. *6.* cap. 4. §. 25. *&* *Justinum* l. 36. cap. 2. §. 2. *Salmas.* ad *Solinum* pag. 574. qui accurate ut plurimum de his omnibus agit, ut & Seldenus noster.

De *odio Judæorum* erga *Samaritanos* consulantur, qui in Evangelistas commentati sunt, & videatur *Hotting. Thes. Philol.* p. 45. & quos citat Autores *Cun. de Rep. Ebr.* l. 2. c. *16.* Argumentum ejusmodi odii, asserunt esse *Columbæ simulacrum* tempore R. Meir in jugo montis Garizim inventum, Tract. *Cholin.* S. 1. meliora v. promittit de Samaritanis eorum *Chronicon.* p. 141. vid. *Ritang.* in Jezirah. p. 33. *Hotting.* Enn. p. 30. *Voss.* de Id. l. 1. c. 23. p. 175. *Benj. Tudel.* in Itiner. optimum illis perhibet testimonium, vid. p. 38. sq. *&* *L' Empereur*, in notis ad eundem pag. *169.* *Ludovicus Capellus* Criticæ sacræ L. 3. c. 20. p. 204. *Waltonius in Appar.* Bibl. proleg. 11. §. *6.* p, *76.* ubi absolvi & accusari Idololatrias, & odio dignos reperies. Quicquid sit, non *minimam causam* noster esse dicit, ad quas nunc fertur *Columbas juxta pisces* in honorem hujus numinis cultas, de quibus videri potest *Urs.* Vol. 2. *Anal.* l. 1. c. 7. p. 9. ubi locos ab Autore citatos remque evolvit ipsam. Addatur de hac superstitione *Alexand. ab Alex.* 16. c. *26.* *de vita & gestis Herodum*, *Christ. Noldius* p. 336. de Samaritanis ex R. *Azariæ Meor Enajim* fol. 90. qui putat Samaritanos videri ad eblandiendum Assyrii Regis favorem columbas veneratos esse, & *Rupertus* in Notis cit. p. 39. seqq. ubi probabilissimis argumentis ostendit, *fabulam de Columbis* vel *Veneri sacris* currumque ejus gemmeum subeuntibus, & suscepta domina avolantibus, vel *una*, *ovo insidente*, post aliquot dies *Deam Syriam* excludente, *ortum a Semiramide*, *Venere* illa sive *Astarte*, Dercetus filia traxisse, utpote de qua historici tradunt *ad lacum fuisse expositam* ( unde origo Veneris e spuma maris, & fluctibus eam edentibus, ) *columbarum alis fotam*, coagulato lacte ex pastorum mapaliis surrepto ab iisdem nutritam, & post *mortem columbis* consecratis honoratam. Cui quoque reliqua ad amussim conveniunt, quæ de Veneris *Patria* sive *Syria* sit, juxta *Diodorum Siculum* l. 2. Bibl. c. 4. sive *Tyrus* quoque, juxta *Ciceron.* l. 3. de N. D. c. 23. de *hortorum tutela* apud *Varron.* de R. Rustica, & *Plinium* l. 19. N. H. c. 4. de *adulterio* cum *Marte*, *libidinibus & libidinosis sacris*, quæ pudor dicere prohibet; de *barba* apud *Petronium* in Satyrico, de *Idolo* in *Cypro barbato* corpore, sed veste muliebri cum sceptro ac statura viri apud *Macrob.* rituque in ejus sacris Viriles aut muliebres vestes induendi, leguntur, nota enim est ex historiarum monumentis *Semiramidis in hortis colendis ambitiosa cura* ( vide tamen *Cunæum de Rep. Ebr.* qui ex Beroso lib. 1. c. 15. hortos aerios natales suos Semiramidi debere contra communem Græcorum traditionem negat, ) ejusque *horti pensiles*, septem mundi miraculis annumerati, noti sunt *spurci Hippomanicis furoribus calentis*, *&* *ab equo Murti sacro animali* se adhinnire passæ, amores, ex *Plin. lib.* 8. c. 42. *notum* denique quod *filium* simulaverit amore imperandi, vid. *Justin.* l. 1. c. 2. adeo ut insidiis filii tandem perierit, teste eodem *Justino* l. 2. §. 10. *Agathia* l. 2. p. 54. *Diod. Sicul.* l. c. vid. quoque, qui ambitiose e recentioribus de hac ipsa Regina scribit *Loeses*, *Tom. V. Critic.* l. 6. c. 22. Hæc de *hac Venere*, si non placeat, & *Venus omnium rerum naturæ materque magna* intelligatur *a columba exclusa*, dici potest *originem debere fabulam* vel male *intellectæ*, vel *depravatæ creationis historiæ*, in qua Spiritus S. מרחפת ut avis, κατὰ τ̀ εἰκόνα ἐπωαζούσης ὄρνιθος, ut loquitur *Basil. hom.* 2. *in hex. ut avis vel gallina*, *aut columba exclusura pullos*, *incubuisse* emphatice refertur aquis: vid. B. *Gerhard.* in Comm. ad h. l. *Varen.* itid. p. 34. 37. inde est quod *Orpheus* apud *Athenagoram*, *ingentis ovi*, quod in duas partes dissilierit, cœlum & terram, meminit: vid. *Grot. Notis ad de veritat. Relig.* Chr. p. m. 151. & ibidem *Nigidium* apud Scholiastem Germanici his verbis: *Ibi ovum invenisse miræ magnitudinis*, *quod volventes ejecerunt in terram*, *atque ita columbam insedisse*, *& post aliquos dies exclusisse Deam Syriæ*, quæ vocatur Venus. *Lucius Ampelius* libro *ad Macrinum: Dicitur & Euphratis fluvio ovum Piscis columba adsedisse dies plurimos*, *& exclusisse Deam benignam & misericordem hominibus ad bonam vitam*. *Hanc* sic exclusam *Deam* deinde vel *Lunam*, vel *terram* esse conjecerunt, *unam tantum ejus partem* assumentes, & *utramque* iterum variis, inter alia quoque *Veneris* nomine vocaverunt, inde *tot Veneres*, deque tot rebus *intellectæ*, quæ tamen

men *collectæ unum idemque*, ſic & hoc principium naſcendi ſortitæ ſunt; *Sive itaque terram venerem, ſive cœlum venerem*, (cujus utriuſque Seldenus ſequenti capite meminit) dictam legis, eo recidit, & fere ex *aquis prognatas* reperies ſive ἁλιγενῆ. Vid. D*n. Kipping. Recenſ. Antiq.* l. 1. c. 11. 17. p. 34. ſeqq. *Natalem Comitem*, imprimis *Roſin.* Antiq. c. 10. & D*empſterum* ibid. p. 176. ſeqq. aliosque, qui hanc D*eam vel* D*eas* deſcripſerunt: *vel* D*eum* quoque de quo, ut & de loco ex *Deuter.* 22. verſ. 15. ut dixi, videri poſſunt, *Hotting.* H. Or. p. 201. ſeqq. *Urſin.* jam locis citatis nim. Anal. Vol. 2. l. 2. c. 21. p. 81. capp. ſeqq. quæ additamentorum loco ad hoc 4. caput eſſe poſſunt. Sicuti & Vol. 1. p. 154.

### Ad Cap. V.

JAm ſupra, cum de *Peor ſacris* ageretur de *Priapo* plus dicebat, quam vel caſtus calamus debuit, eum nunc *Miphlezeth* interpretatur Autor, derivatum vel a פלץ a *tremendo* ſive *abſterrendo* aves & feras in hortis, nam juxta *Tibullum* l. 1. Eleg. 1.

*terret ſæva falce Priapus aves*

(dixi *ſæva*, ut noſter cum vulgo legit, non *ſcævas*, ut Janus *Gebhardus* in Animadv. p. 6. quia *ad finem poſitionis* magis facit, *terriculamentum* ſcil.) ἀγροφύλαξ *ſive cuſtos furum* atque *avium cum falce ſaligna poſitus erat*, juxta Horat. l. 1. *Sat.* 8.

*—— furum aviumque,*
*Maxima formido,*

an vero talis cujus in ſacris ſit mentio ſit, dubitatur. Inde *a riſu mirando*, quem excitaret, ſcilicet in libidinoſis, dum totus nudus & ποσθῶν extaret, (ſi modo *per Priapum* exponendum,) quod facit Hieronymus, vide *Toſtatum* qu. 11. in locis jam e ſcriptura citandis. Sunt enim qui 1. *Reg.* 15. verſ. 12. 2. *Chron.* 15. 16. *de Pane Deo paſtorum* explicant, ut *Caſtalio* in notis Biblicis pag. 361. De *Sole vero* exponit *Tholoſanus* l. 12. de Rep. c. 18. n. 12. LXX. *Aſtarthen* volunt, neque repugnat noſter, neque *infrequens hujus cultus in Oriente* & Iſraelitis, accedit *terminatio fœminina in* nomine מפלצת quare huc retrahere, quæ ad *Uraniam* pertinent, non erit difficile.

### Ad Cap. VI.

ACcaronitarum *Numen* בעל זבוב Baal Zebub (quod nomen etiam in locis Nov. Teſtam. Matth. 12. 24. Luc. 11. verſ. 15. *Syrus* ܒܥܠܕܒܒܐ בעל זבוב *Beelzebub*; *Perſa* بعلزبوب בעל זבוב *Italus & Gallus*, *Anglus* & *Danus*, cum Luth. noſtro Beelzebub, & *Bohemus* Beeltzebuben reddentes, locum 2. Reg. 1. reſpicientes, retinuerunt) *Abaziæ* Regi *ſatis venerabile*; a *Muſca* ſic dictum; vel quod *Muſcas*, & apud *Ægyptios* Muſcis a Nili eluvie infeſtatos, primo quidem; deinde propagatione apud *alias* gentes, ut Kircherus vult & Aben Nephio Scriptore Arabico, abigere crederetur, imo mallem aliquando abegiſſet peſtilentes ſcil. quod ex *Plinio* lib. 10. c. 28. adducto loco noſter confirmat. Solebant enim *Gentiles* nomina ſua imponere *Idolis* ab inſecti genere, quod fugare poſſe credebantur. Exemplis probat *Seldenus* & legatur *Ovid.* l. 12. Metamorph. *Lylius Gyrald.* Syntag. Deorum ſect. 1. p. 45. ſect. 2. p. 91. *Caſaubon.* animadverſ. ad *Athenæum* p. 18. *Phil. Beroald.* in annotatis variis p. 319. ſeqq. *Elmenhorſt. notis* in *Arnob.* p. 125. *Ioan. Camerſ.* Comment. *ad Solinum* p. 7. ex *citatione* Dn. Kipping. Rec. *Ant.* p. 60. qui *Muthumbal* eadem ſignificatione, ſed *Punica voce* in *Plauti Pœnulo* Act. 5. ſcen. 2. legi dicit verſ. 35. *Vid.* & Dn. *Saubert.* de *Sacrific.* p. 60. *Voſſ. de Idol.* l. 4. c. 1. *Inſtit. Orat.* l. 5. c. 5. ſect. 1. *vel quod Diabolus Muſcæ imagine ſe repræſentans coleretur*, ut hodienum familiarium ſpirituum poſſeſſoribus, vel annulo, vel auro, aut argento &c. incluſus circumgeſtatur fortunæ, ſcientiæ, divitiarum, amoris &c. conciliator. *Hac forma in moneta Phœnicum* quadam antiquiſſima, & multis verbis deſcripta, expreſſum, ſe poſſidere profitetur nuper μέγα μυστῶν καύχημα *Dn. D. J. Erneſt. Gerhardus in Analectis* ad *Matth.* l. c. p. 627. ſeqq. ubi & varias hac de re ſententias Auctorum videre erit, præſertim num idem Numen fuerit, cum βεελζεβουλ l. c. ex N. T. certe quædam verſiones, quas adduximus eo digitum intendiſſe videntur, qui *Baalzebub* verterunt, nec *Belzebul* i. e. *Dominus ſtercoreus*, (quod pleraque *exemplaria Græca habent*, & retinuerunt, *Verſiones Ægyptiaca* βελζεβουλ, *Æthiopica*, Beelzebul, *Arabica* tam ex Erpenii, quam Abylorum editione بعل زبول בעל זבול *Baalizebula*, *Hiſpanica Beelzebul*, *Polonica Beelzebulk*, ac *reperitur* in *Origenis*, *Athanaſii*, *Cyrilli*, *Chryſoſtomi* Commentariis) adeo abit *quoad literas* a Baalzebub, fortaſſe nec *quoad mentem*, qua

qua blaſphema natio Judæorum quaſi quendam *familiarem*, ſed *principem ſpiritum*, certe *Diabolum* reliquorum præſidem, alias אשמדי, verum hic per *paranomaſiam* Judæorum in hac re *frequentatam*, & in contemtum לנגל *per ignominiam* ita dictum habere calumniabantur; Sicuti enim ab adjuncta vanitate & turpitudine *ſpiritus S. ſtylo*, omnia Idola Hebraice אלילים per paronomaſ. vocantur גלילים *nihilum*, *ſtercora*; ita *longa* apud Judæos *praxi* obtinuit, ut ab Idololatris κατ᾽ ἐὐφημίαν ſuis Idolis tributa, perverterent probroſo aliquo nomine, exemplum nobis ſuppeditat vigilantia & lucubratio CL. *Lightfoot*. Horis Talmud. in Matth. l. c. p. 168. *Hieroſolym. Talm. Avodah Zarah* fol. 43. 3. R. *Akibah dixit: Polluit Idololatria, ſicut polluit fœmina menſtruoſa: ſicut dicitur, Abjicies* ( Idolum ) *ſicut quid menſtruatum, diceſque ei, Apage* ( Eſai. 30. 22. ) *R. Lazar dicit, Dices ei, Apage*: Illud quod vocant *Faciem Dei* ( vid. *Strabon.* lib. 16. pag. m. 874. ) vocent *Faciem canis*. Illud quod vocant עין כום *Fontem calicis*, *vocent* עין קיץ *Fontem Tædii* ( vel tribularum ) Illud quod vocant גדייה *Fortunam*, vocent גדייא *Fætorem* &c. Illud oppidum, quod aliquando dictum eſt *Bethel*, dictum poſtea eſt *Bethaven.* Vid. etiam *Shabb.* fol. 11. 4. ubi hæc eadem habentur. Inde ſubjicit: Vocem hanc in *Matthæo in Beelzebub* forment ii, quibus eſt audacia: ego Phariſæos, vocem *Beelzebul* enuntiaſſe, Matthæumque ita ſcripſiſſe, non dubito, ut vacillare ſenſum ſi aliter ſcribatur, etiam non dubitem.

*Occurrunt* apud *Talmudicos* nomina plurima malorum ſpirituum, aut Dæmoniorum, quæ hic memorare eſſet inanius. Inter omnia Dæmonia iſtum peſſimum, turpiſſimum, ac cæterorum quaſi principem duxerunt, qui dominatus eſt in Idolis, & per quem edita ſunt oracula apud Ethnicos atque Idololatras. Idque hac ratione ſunt opinati, quod præ rebus omnibus aliis ſumme nefariam ac abominandam duxerunt Idololatriam, ac malorum Principem ac Coryphæum. Hunc Dæmona Baal Zebul בעל זבול non tam *proprio nomine*, quam *generali & communi* appellarunt, id eſt, Dominum Idololatriæ, ( Rei peſſimæ Dominum peſſimum ) eumque Principem Dæmoniorum indigitarunt, quod princeps nequitiæ ſit Idololatria. Et talem habere Dominum calumniati ſunt, in quo calumniandi modo ſtrenue æmulus Talmud eſt, ex quo de ſuaviſſimo Salvatore quædam ſubjicit laudatus *Lightfootus* l. c. & quod hodierni Judæi nequitioſe & ſæpius occulte imitentur, oſtendit *Buxtorff.* Lexico Talm. Rad. כרא oſtenſumque eſt nomine *Jeſu* alibi, & ab aliis, in aliis rebus Chriſtianis, libris, feſtis, miniſtris &c.

## AD CAP. VII. SYNTAGM. II.

### *De Succoth Benoth.*

VEneris *Cultus* ut eſt perpetuus, *honeſtæ* puto non *Deæ Gentilis*; ita *hujus ſuperſtitioſus prolixus olim fuit*, & ſub multis nominibus celebris, de quorum numero præter adducta jam, etiam *Succoth Benoth* ſive סכות בנות 2. Reg. 17. verſ. 28. eſt, plerumque de *Venere* explicatum. Quanquam enim *Eucherius Lugdunenſis* Epiſcopus in loc. cit. & hunc ſecuti *Seldenus* noſter l. c. G. J. *Voſſius* l. 2. c. 22. p. 413. & *Hugo Grotius fanum ſaltem Idololatricum* interpretantur, quaſi a סכה *tabernaculum*, *ſpelunca* in pl. סכות *Speluncæ* proſtituendarum filiarum, quale ſcelus in his ſacris commune erat, *ædiculas* enim *eaſque duplices videntur*, inquit Doctiſſimus Urſin. Vol. 2. Anal. l. 2. c. 27. p. 96. *mulieres Idololatricæ facere ſolitæ, alteras pro idolis, alteras pro Idololatris, illæ dicebantur Succoth benoth, Tabernacula filiarum ſive Veneris*, 2. Reg. 17. 30. *ſive thenſæ, iiſdemque tegebantur, & circumdabantur Idola*, qualis erat σκηνὴ τοῦ μολὸχ Act. 7. 43. & Amos 5. 25. *Hæ iterum vel* paſtophoria aut ædiculæ in Atrio ſacerdotum, in quibus degebant ſacerdotes effœminati inter Mulieres templi miniſtras: *vel Luci* domunculæ, ἱλαραὶ κλισίαι tabernæ ad accumbendum paratæ pro epulaturis, ſacraque Veneris celebraturis, eoque pertinere locum *Baruch.* cap. 6. v. 43. Oſ. cap. 4. v. 13. Reſpuit tamen *contextus quo* non ſolum *Deos* expreſſe ſive *idola*; ſed & *quælibet* & proinde quoque *Babelica* natio *peculiaria ſibi efficit* ( reliquorum enim per *Idola* exponuntur; videntur itaque & horum talia exponenda eſſe, quare & פסיל *ſculptile* vocantur ) præterea *conſenſus Verſionum* tanquam nomen proprium retinentium, ut LXX. ap. Seldenum *Targum Jonathan*: ואנשי בבל עברוית סכות בנות: *homines Babel fecerunt Succoth Benoth*. *Arabs & Syrus*. *Incolæ* ( *Cives* ) *Babelis colebant Succoth*, cum *Luth. Vulgato*, *Vatablo*, *Pagnino*, *Aria Montano*, *Seb. Munſtero*, *Piſcatore*, *Fr.* Junio & *Tremellio*: in Comm. vertentium; his adſtipulantur *Rabbini*, quorum fidem in multis alias ne obulo quidem digna, & hic,

hic, sed sine suffragio multorum, suspectam noster Seldenus habet: Equidem *sententia* de hoc negotio, *Excell. Frischmuthi* harum literarum in celeberrima *Salana* Professoris, in Disp. de *Melechet Cœli* cap. 1. §. 2. *quia dissentit a Seldeno*, negligenda non est. Incidit vero in eandem occasione *Athanas. Kircheri Oedip. Ægypt. Synt.* 4. *p.* 362. *per certam aliquam siderum congeriem sive Pleiadum sive Hyadum aut Vergiliarum*, exponentis, *Judæos secuti*, Interpretationem *Talmudis Massechet.* סנהדרין cap. ארבע מיתות ut citat *Eruditissimus Juvenis M.* Joannes *Crausius*, *Amicus & Conterraneus oppido-charus*, in Disp. de *Succoth Benoth.* §. 5. ex editione Bambergiana 1520. ubi Tom. 4. pag. 62. ita legitur: אמר רב יהודה אמר רב אנשי בבל עשו את סכות בנות ומאי ניהו תרנגלת אנשי כות עשו נרגל ומאי ניהו תרנגל אנשי חמת עשו את אשימה ומאי ניהו ברחא קרחא העוים עשו את נבהז ואת תרתק ומאי ניהו כלב וחמור והספרוי שורפין את בניהן ואת בנותיהן לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים ומאי ניהו הפרד והסוס אדרמלך דאדר ליה למריה בטעונה וענמלך דעני למריה בקרבא: *Dixit R. Jehuda ex ore alius Rabbini: Viri Babel fecerunt Succoth Benoth. Ecquid est illud? Gallina. Viri Cuth fecere Nergal, i. e. gallinam. Viri Hemath fecere Asima i. e. hircum calvum. Avitæ fecere Nibbas & Tharthack sive canem & asinum. Sepharvaitæ combussere filios suos juxta cum filiabus Adramelecho & Anamelecho sive mulo & equo, ex quibus ille Adramelechi nomine venit eo, quod sit magnificus domino suo in opere: Hic vero audit Anamelech, quia mansuetus est Domino suo in prælio.* Communiter de Gallina exponunt, *Abarbanelem* supra audivimus, in prolixo loco Prolegomenis subjecto, quo sextam Idololatriæ speciem hanc facit. Idem paulo post in eodem Comm. & quidem ad vers. 28. 2. Reg. c. 17. perseverat in sententia, quanquam aliquantisper vallicans: referam, & quidem eo lubentius, quia ad reliqua Idola intelligenda facit, ipsius non tam verba, quam mentem, hæc huc recidit: *Quælibet gens suum colebat Deastrum, eumque in sacellum ab Israelitis, cum etiamnum in Samaritano districtu subsisterent, excitatum deportabat. Recenset autem Scriptura nomina eorum Deorum, quos gentes istæ venerabantur. Quantumvis vero Babylonii alias coluissent Deum Bel, ceu dicitur* ( Jes. 46. 1. ) *cecidit Bel, corruit Nebo: Impræsentiarum tamen sibi fecerunt Succoth Benoth. Jam tum autem innui, quod dicant Sapientes* b. m. *fuisse Gallinam quandam, ejusve imaginem, quam suspexerint Babylonii: Nam que in eorum lingua Succoth Benoth explicatur per gallinam* cum *pullis suis. Et viri Cuth, quæ erat alia civitas in terra Chaldæorum ad incolendam regionem Samariticam adventantium fabricavere sibi Nergal* i. e. *Gallum marem. Et viri Hemath fecere sibi Asima* i. e. *hircum, qui apud Sapientes b. m. audit caper calvus, & sic Asima idem quod pecus. Et Avitæ fecere sibi Nibbas sive canem vehementer latrantem, & Thartac sive figuram asini. Et tandem viri Sepharvajim combussere natos suos Adramelecho & Anamelecho Diis suis, qui sunt mulus & equus.* Et sic reliqui fere Judæi Doctores, vide ipsum Autorem nostrum, & *Kirch.* l. c. cum Christianis non paucis, *Buxtorffio* in Lexico Rabb. p. 1472. *Lyrano* & *Cornel. a Lapide* in h. l. *Abulensi* quæst. 20. in h. l. aliisque, ut proinde *si Gallina cum pullis* imago fuerit Pleiadum, hoc nomine antiquis celebrium, *Veneris cœlestis Symboli*, ( quam potissimum hic intelligendam putamus, etsi per Gallinam, ut Judæi volunt, culta fuerit, ) id iterum *ex depravata* vel non *intellecta satis* creationis historia, in qua Spiritum Sanctum ut supra diximus, aquis tanquam Gallinam incubantem legimus, *fluxisse, & per eandem naturam Venerem ab initio intelligendam propositam fuisse conjicimus*, quomodo vero propagata & in Gentes dispersa fuerit *Urs.* Vol. 2. Anal. 2. c. 23. p. 84. quanquam de die in diem pejor facta fuerit ista Idololatria, & in meram luxuriam degeneraverit, & nefarios, *scelestosque* potius *quam cœlestes* ritus aluerit, ut *descripti* legi possunt *Baruch* c. 6. v. 43. 44. *illustrati* vero in *Diatriba Majana exoterica* de *Panegyricis Majumis Andræ Rivini*, & apud Ipsum Seldenum, qui disquirit in locum Baruchi citatum, quem tamen omnium optime & doctissime ac prolixe exposuit, iterum *Ursinus* Vol. Anal. l. 2. c. 29. p. 154. seqq. a quo tamen l. c. p. 155. & vol. 2. p. 96. *digressi videri possumus*, dum *Succoth Benoth Idolum non ita pridem fuisse ostendimus*, cum ipse per *ædiculas sive tabernacula* Idolorum tegumenta exposuerit, qualia describit l. c. *Dum vero Benoth filiarum* ( a qua voce Seldeno nostro non refragante Vossio Idol. l. 2. cap. 21. quanquam aliter sentiat in Etymologico, a βαίνειν *veniendo* vel *congrediendo*, si derivandum sit, deducens, Venus latina vox est, ) *Venerem* exponi posse, non rejicit, *imo debere* conjicit *in plurali excellentiæ* causa ita dictam, quomodo vel Sapientia Prov. 9. 1.

&

& alia in numero multitudinis pro ſingulari in ſacris legantur, *quaſi ſit filiæ filiarum Dei*, qui Pater patrum eſt, vid. ipſe l. c. *ea expoſitione* nobiſcum convenit, qui *Venerem illam tanquam Symbolo*, Gallina, *indigitari diximus*, in *eo potiſſimum a Saldeno diſſentientes*, quod ſtatuerit *Succoth Benoth eſſe ædiculas iſtas*, *in quibus proſtare ſolebant Babyloniæ aliarumque Gentium Virgines*, cum *alteræ* & circumdantes ipſa Idola ſic fuerint. Cæterum videri poteſt quoque hic *Cunæus* de Rep. Hebr. l. 2. c. 16. de reliquis quoque ritibus *Saubert.* de Sacrif. p. 627. ſeqq.

## Ad Cap. VIII.

Nergal נרגל vel נרגל ut *Anglicana Biblia* legunt ſine Dageſch, *Cuthæorum* a *Perſidis regione* juxta *Joſeph.* Antiq. Jud. lib. 11. c. 14. *Chutha* & flumine *Chutho* ſic dictorum & traductorum, novorum Judææ incolarum *Numen*, vel a ניר & גל vid. *Seld.* pag. 319. vel ניר & גלא *Splendore lucis Ignis* ſcil. & *ſolis*, cujus utriuſque, illius vero tanquam hujus Symboli Perſæ erant cultores; vel *dictione Samaritana* נרגל pro תרנגול uſurpata, juxta *Kircherum* in *Pantheo* (ſed in Lexico Morini Samaritano, neque Bibliis extante,) qua teſte Seduna, Patriarcha Gazenſi, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervetur, *Gallus Gallinaceus*, Soli *ſacer*, vid. Saub. de ſacrif. p. 54. & ſic per eum *ſive Sol ſive Ignis* indicetur, ita nominatum. Vid. *Hotting. Lexico Harmon.* p. m. 557. *Buxtorff.* Lexico Talmud. p. 1474. & 1396. ſeqq. vel unde & quomodocunque appelletur, *in Igne* tamen *ejuſque cultura* terminatur & *conſiſtere* dicitur, *Deo* inter multos Perſarum Deaſtros ultimo (ut ſupra oſtendimus, & hic denuo in Autore legere poteris,) a *Chaldæis* ad ipſos derivato. *Orimaſda* enim ſive *pervigil Ignis* diu eſt, quod *apud Chaldæos* ſummo loco habitus ſit, unde & אור Chaldæorum Patria Abrahami, Gen. 11. 28. Nehem. 97. *Orchoe* apud Ptolomæum in Tabulis, ex qua cum Soli & Igni adorationem negaret, exulare juſſus eſt, vid. *Hotting. Smegm.* Orient. p. 293. inter varias Chaldæorum diſciplinas nota quoque eſt *Orchoena*, *pervigilis ignis tractandi & colendi ſcientia* apud *Plin.* l. 6. N. H. ab his ad *Perſas tranſiit*, quorum πυραθεῖα cum adjuncta ara ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσι μάγοι, a multis memorantur. Certos Sacerdotes alebant huic rei, quos πυραίθους, Græce, *Perſice* גבר nuncupant, de quibus ſupra *ad Proleg.* 3. vid. & *Theſ. Hotting. Philol.* 57. tompla, ſacella, ſana ei conſecrabant, πυραθεῖα, ut vocat *Strabo* πυρεῖα ut *Procopius* Lev. 26. 30. חמנים ut *Scaliger* ad Catullum conjicit: alias ab *Aria ſimulacra Solis*; Tremellio, & Junio *Statuæ ſubdiales Soli* ſcilicet expoſitæ & aduſtum colorem a colore Solis attrahentes, *R. Bechai* vero *loca Solis cultui*, *ignibus ſacris conſtructis*, *deſtinat.* Nec enim tam ſimulacra, quam loca fuiſſe conſtat ex *Eſ.* 17. 8. *Ezech.* 6. 4. ſed a Joſia 2. Paralip. 34. 6. diruta. Verum ad *Perſas revertimur*, *Ignicolas* tanto furore, ut ſe eidem nonnunquam devoverint, ut refert *Benjamin Tudelenſ. Itinerar.* quem non pigebit audire, ex *Magni Theologi Danhaueri Homiliarum part. II.* p. 237. ubi: Sunt, *inquit*, illic de magnatibus terræ, qui devovent ſemetipſos igni, numini ſcil. Perſarum: cumque id ſuis familiaribus & propinquis denunciant, ecce votum feci ſpontaneum, ut inſiliam in ignem vivus: reſpondent omnes & acclamant: o te felicem & beatum! quando autem appropinquat dies executionis, parant ei convivium lautum, ibi dum præceps ruit in flammas, omnes cognati ejus lætantur, tympana pulſantes & agentes choream, donec totus conflagret. Appetente tertia die, veniunt bini ſacerdotes, de primoribus in ædes combuſti, & dicunt Hæredibus ejus: parate domum, nam hodie accedet ad vos Pater veſter, ut præcipiat vobis, quid faciendum ſit, quaſi teſtamentum conditurus poſt fata: acceſſitis igitur teſtibus ex urbe, apparet Sathanas in defuncti habitu. Tunc Uxor & liberi ſciſcitantur, quomodo ſe habeat in altero ſeculo? reſpondet, veni quidem ad Collegas meos, ſed illi me noluerunt recipere prius, quam ſolverim univerſa debita, maxime illa, quæ Sacerdotibus alendis promiſſa fuere. Has expenſas conſignant advocati teſtes, ut ille abeat viam ſuam, nec diu detineatur, deinceps non amplius cernendus. Sacerdotes inſtant, ſimile miraculum, tam evidenter conſpicuum, non accidere in ulla natione. *Duraſſe* vero *inter ipſos* uſque *ad templa Saracenorum* colligitur ex *Sadi Roſerio* ſive *Chuleſtan* ubi 3. canit:

> *O beneſice, qui ex theſauro recondito*
> *Ignicolis & ſimulacrorum cultoribus alimenta præbes,*
> *Amicos, quomodo deſeras*
> *Tu qui hoſtium curam geris?*

*Num adhuc*, negat *Olearius* ſupra citatus. *Ad Omanum* noſter venit ſua expoſitio-

ſitione, ſed nota, *Indos* adhuc habere *Ignem ſanctum*, quem vocant *Homam*, vid. *Rog. Jan.* reſerat. p. 69. 72. & *in nuptiis*, p. 95. adde p. 474. Nec enim Perſas ſolum, ſed vere omnes totius terrarum orbis partes populoſque decepit pyrolatria. Vid. *Kipingius*, qui longo catalogo Autorum de ſingulis deque ſuperſtitioſo Ignis cultu luculenter probat, *lib.* 1. *Recenſ.* c. 1. n. 13. &c. 6. n. 10. *Confer. Voſſ.* l. 2. c. 9. 11. & 46. & quos citat adhuc dominus Saubertus de ſacrif. p. 362. ſeqq. quæ egregie illuſtrabunt præſens caput, eo vero lubentius cito, quia in omnium manibus eſſe ſcio. De reliquis ritibus, quorum meminit impræſentiarum pluria non addo, reſervans illa *alii tempori & conatibus*.

## Ad Cap. IX.

A *Sima* אשימא 2. Reg. 17. 30. *Chamathæum* idolum, *quid nominis in lingua Syrorum hodie?* quærit *Majer. Philol.* Sacr. part. 2. pag. 2. ἐπέχει noſter Seldenus, & reſpondet cit. *Majerus*: Hebræorum Magiſtri, *inquiens*, ne viderentur quicquam neſcire, dicunt eſſe תיש *hircum*? ſed qua fide? Sic enim *Raſi* notat ex Sanhedrin, אשימא דמות תיש; idem docet *R. D. Kimchi*. Sed *Elias Levita* in *Tiſchbi* vult fuiſſe *Simiam*. Bella ſane inter hæc nomina, Simia & Aſchima, convenientia, ſed mira ex hirco calvo & albo (ita enim Kimchi Aſchima exponit, quod ſit hircus abſque lana) in Simiam μεταμόρφωσις. Illi autem manifeſto φλυαρεῖν videntur, qui nomen hoc Syrum cum Hebræum exputantes, id exponunt *fundamentum maris*. *Hircus* itaque *Talmudiſtarum opinione*, vid. Buxtorff. in *Lexico Talmud.* p. 236. & 1473. *Schindl. Lex.* p. 132. & quidem *calvus* ברחא קרחא *Panos capripedis camillus*, quam opinionem *Kircherus* etiam tueatur in ſuo *Pantheo*, neque veriſimilior occurrit aut certior. Certe Ægyptiorum nonnullos Hermopolitanos *Simias* ſive Cercopithecos coluiſſe autor eſt *Strabo*, & Aoabes nonnullos itidem, vide *Diodor. Sicul.* l. 20. & *Gyrald.* Synt. lib. de Diis Gent. *Juven.* Satyr. 15. qui:

> *Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci*
> canit,

*Gallæus* in notis ad *Lact. de Vita beata* l. 7. p. 701. *Lucianus* in Deorum concilio, & in Inſula *Scylon Pegu*, & *regnis Bengala*, *cercopithecolatria* familiaris eſt, de *dente ſimiæ*, ni fallor dictum eſt, *quo* referente jam *Huygen van Linſchooten c.* 44. *in univerſis Indiæ Orientalis plagis ſanctius nihil eſt*, quare & haud ſecus ac *D. Jacob.* in Hiſpaniæ vel potius Galæciæ regione, & majore religione ab ultra 400. vel 500. milliaria diſtantibus viſi, & Luſitanis abreptum aliquando pluſquam ſepties cententis millibus ducatonibus Reges Zeilan, Pegu, & Bengala redimere voluiſſe dicitur. Vid. *Rogeri* Jan. p. 276. ex Edit. *Arnoldi*, in notis ad cap. 4. part. 2. *Arnold. in Appendice* p. 854. & *Roſſæus*. De *hircis* itidem audivimus, & τραγολατρεία multis gentibus fuit communis, de qua *Maimonides More Nevoch.* l. 3. cap. 46. *docuit nos lex divina* (ſecundum expoſitionem Onkeloſi) *Ægyptios coluiſſe ſidus, vel ſignum arietis, ac propterea non ſolum prohibitum fuiſſe inter ipſos mactare oves, ſed & in ſummo contemtu, & abominatione fuiſſe paſtores ovium Hinc dicit Moſes: Ecce ſacrificabimus abominationem Ægyptiorum, ad hunc modum ex aliis quidam fuerunt, qui dæmones colentes, exiſtimarunt, quod formam hircorum haberent, unde & Dæmones* שערים (i. e. hircos) *appellabant. Quæ opinio jam Moſis tempore longe lateque in orbe diffuſa fuit, ſicut ait, & non facrificabunt ultra ſacrificia ſua* (hircis) i. e. *dœmonibus ita appellatis* Lev. 17. v. 7. *& hinc apud hominum genus prohibitus quoque erat eſus hircorum*. An *Pan* igitur *hirſutus*, vel *Faunus*, vel *Satyrus*, hirco non diſſimiles vel depicti, vel apparentes, non liquet. Num vero Samaritani initio Pentateuchi pro: *in Principio creavit Deus Gen.* 1. *verſ.* 1. habeant אשימא *in initio creavit Aſſima?* videri poteſt *Hotting.* Exercit. *Anti morin.* p. 40. & *Diſſert.* de *Pace Eccl.* 2. S. 3.

*Nibchaz Haveorum alterum* numen (bina enim erant eorum, ſicuti & *Sepharvæorum bina* erant ſimulacra; *Joſeph.* l. c. quinque aſſerit, quem noſter ſequitur,) *in Jonathanis Targum* נבחז & in Hebræo textu cum notata litera *Sajin* (ſicuti pronunciatam hanc literam vult *Magnificus Ludolf. Gramm. Æthiop.* l. 1. p. 6.) *Magno*, h. m. נבחז quo etiam in *opere Anglicano* ab interpretibus exprimitur, at ſecundum LXX. ἔβλαπτε καὶ τὴν Ναιβὰς Syro *Jebzach* & *Arabi Jabelſabha* mutata una & tranſpoſita altera, *Tremellio Nibchan*, a Radice נבח *latravit*, derivant, ut *latrator Anubis* igitur fuerit, nam *Canem* exponunt, & *Anubis* canem lingua Ægyptiaca notet, per quem *Mercurium* ob ſagacitatem, vel *Dianam* ob venandi ſtudium, intelligunt. Vid. *Arnold.* App. p. 902. & *Voſſ.* l. 3. c. 74. & *Mayer.* Philol. part. 2. p. 26. qui ob convenientiam vocis *Nibchaz* cum נבח *latravit*, conjectum fuiſſe, *ait*, Idolum

hoc

hoc fuisse canis effigiem, inde ad *Hecaten* venit *tricipitem*, num fortasse fuerit, quia *e tribus* unum *caput canis forma* fuit, &c. vid. & *Buxtorff. Lexic.* Talm. p. 1287. *Schindl.* p. 1059. *Alterum* תרתק *Tartack* h. e. ut *Talmud* tradit cum *Rabb.* Kimchi & Jarchi ( vid. *Buxtorff.* Lex. *Talm.* p. 2666. ) *Typhonis Ægyptii hieroglyphicum*, חמור *Asinus;* unde *asinus* tanto honore dignatus sit, suspicare e Dn. *Sauberto* de sacrif. pag. 582. an *Martis* symbolum, ob turbulentum rugitum, vel an propter id, quo fœminæ perprurifcenti desiderabilis & amabilis erat, Apulejus l. 10. Aur. Asini, quove maxime valere traduntur, judicent docti. *Ab hoc* Numine, *quoad significationem* non procul abest *Adramelech*, quem *Muli* formam, si Talmudi *Babylonico*; si vero *Hierosolymitano* credimus; *Pavonis*, gessisse, & fere communem cultum cum Molocho habuisse tradunt Rabbini. Videtur *Moloch ut Baal nomen commune fuisse*, ut *sicuti Baal Zephon*, *Beelzebub*, *Peor* &c. *dicitur*, *sic & Adramelech*, *Anamelech dicatur*, vid. *Schindl.* in *Lexico* p. 1010. & *Kirch.* Tom. 1. Oedip. s. 4. c. 15. p. 328. T. 2. P. 1. cl. 6. c. 4. §. 2. p. 415. & quidem *juxta* LXX. *in genere fœminino*, quod, nisi ad Ellipsin εἰκόνος referre velis, ad *Junonis æqualem Deam* referre posses, nam & *Adramelech*, *venerabilem* significat, & per *pavonem* Junonis avem expressa legitur, eodem cultu, quo Molech fere dignata, vid. Selden. in Moloch, *Anamelech* ibidem alii vel *Phasani* ut Talmud *Hierosolymis*, alii *coturnicis*, alii denique *equi Martis victoris*, juxta Talmudicos, figura adoratum fuisse referunt. Postremæ sententiæ, favet cæterorum gentilium ἱππολατρεία, vel Solis Equorum cultus, quam sustulit *Josias* 2. Reg. 23. 11. vid. *Saub.* l. c. p. 580. *de Hipponæ* Deæ ortu ( cujus simulacrum in stabuli meditullio positum erat ) Vide *Plutarch.* in *Parallelis*, *Apulej.* l. 3. A. A. p. 60. & *Pricæum* in Notis p. 177. & *Salmuth.* in notis ad Pancir. de rebus memorabil. deperditis sive part. 1. p. m. 229.

## Ad Cap. X.

Nisroch Syriace ܢܣܪܘܟ *Nesroch*, *Arabic.* نسرخا *Nesracha*, LXX. Μεσεράχ, MS. ἐσοράχ *Sennacheribi numen*, 2. Reg. 19. 37. vel *Saturnus*, vel *Belus* sub alio nomine juxta alios. Qualis fuerit Deus, se ignorare profitetur noster Seldenus. *Kircherus* vero in *Pantheo* putat fuisse *naviculæ imaginem*, quam *arcam Noæ repræsentasse* conjicit, & quod putatur, in eadem *Janum*: id ut obtineat, & vere quidem *Historiam Noachi*, *diluvium*, *arcæ quietem* & *reliquias ejus fuisse Orienti notissimas*. Vid. saltem, quæ in notis adducit *Grotius* ad Lib. de Relig. Verit. p. m. 184. seq. & *Rupertus* in *Observ.* ad Besoldi Synopsin minorem p. 14. seqq. *extant enim hujus diluvii aperta signa* refusi in omnem terram, v. g. *cochleæ marinæ & alia aquatilia in rupibus & montosa collium eminentia in agro Richmondshire* apud *Cambden.* in *Britan.* pag. 592. apud alios alia sunt Cataclismi universalis indicia, sicuti & *Arcæ reliquiæ*, de quibus *Joseph.* l. 1. c. 4. ita: λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. Χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοῦτο ἀποτροπιασμοὺς. *Dicitur autem etiam nunc in Armenia*, *in Corydæorum monte pars esse ejusdem navigii*, *& quosdam inde bitumen auferre. Eo autem ablato utuntur homines maxime amuleto*. Adde *Rupertum* citato loco aliosque. Ab in medicinam conversis cultisque istis reliquiis pergit *Assyrios* mutasse suum נסרוך i. e. ut *Rabbini* explicant נסרא נוחא *Tabulam Noachi* ( נסר *Chaldaice* & *Talm.* *Asser*, *tabula est*. Vid. *Buxtorff.* Lexico p. m. 914. *Hotting.* Lexico *Harmon.* p. m. 283. *Schindl.* Lex. pag. 1180. ) adeo ut *Arcula fuerit*, sive *navicula* ab *Assyriis culta*, ansa fortasse etiam esse potuit, *arca fœderis* apud Judæos. Ferri posset hæc magis conjectura, quam sententia ( multa sæpe conjicimus, & nonnunquam a re ipsa alienissima in talibus dubiis, ) nisi forte *Assyriis Pyrolatræ* ab aqua abstinuerint. *Quid si* נסרוך *sit*, *quasi* נערא ניה *Aquila*, vel *Synecdochice*: *Avis Noachi*? *Columba* nimirum, ut creditur, *culta Assyriis*, de qua nuper egimus. Certe non plane peritiores in hac re Assyrios ab ὀρνιθολατρεία absolvunt; vocatur *Hebræis Aquila* נשר, *Accipiter Arabice* نسر, *quod cum articulo* אל *transit in nomen Idoli*, *Arabibus Dulkelaitis* in honore habitum, vid. *Pocok. Specim. Arabic.* p. 93. 94. *Hotting.* H. O. p. 156. Talmudici in Abad. Zar. *meminerunt* נישרא שבערביא *Aquilæ in Arabia*, *quia*, ut *Baal Aruch explicat in Arabia fuit ædes Idololatrica*, *& in ea figura aquilæ lapidi insculpta quam adorabant*. An aliquid commune habeat cum *illo animali* leonino *aquilinis alis* Dan. 7. v. 4. *Assyriacæ Monarchiæ tessera & indice* in Danielis somnio, & num eo nota fuerit ista Monarchia, conje-

jectura est sola. Si adhuc aliquid addere licet, *dicere etiam possemus*, esse ex *Chaldaico* נים *provincia*, *sive insula*, (unde Græcorum νῆσος) & רך, *sive Sol* in Seldeno p. 372. *sive Rex*, ut interpretantur in nomine *proprio Sadrach* apud CL. *Gejerum* in Comm. ad cap. v. v. 5. p. 52. ut *sit Nesroch*, *terrarum vel provinciarum rex Jupiter Conservator*, *Heliogabalus* &c. vel utcunque interpreteris *Majorum gentium aliquis Deus a tanto Rege divino honore exceptus*.

*Rimmon* 2. Reg. 5. 18. *Syrorum* celebre *Numen*, unde *&* *qualis* fuerit, cum ignarissimis ignorare nos profitemur. *Cornel. a Lapide*, *Serarius* & *Sanctius* in comm. *de Venere*; sed *Scaliger* de *Jove tonante* intelligit, lib. 1. animadv. in *Manil.* Huc referunt nonnulli *Remphan.* Actor. 7. 43. sono non adeo discrepans a *Rimmon*, Idolum in vicinia fuit Israelitarum, magni nominis, ad quod colendum, quam facile inclinare potuerunt, quod in *Actis* exprobratur ipsis, quanquam literis & interpretatione multum distent: posterius enim *Ludovicus de Dieu* com. ad Acta p. 69. 70. *Walleus* perpetuo Comm. ad Acta p. 1097. *multique alii*, de *Saturno* accipiunt. Sed de hoc infra.

## AD CAP. XI.

THammuz *Ægyptiorum* origine *Idolum*, ambigue scriptum, multis mendaciis involutum & fabulis, ut *Delio natatore* opus sit, si quis expedire hoc labyrintho se velit, & varie expositum, variisque attributum est ab interpretibus. De varia scriptione sicuti & de reliquis, quæ huc locum invenirent, pro more suo luculenter tradidit ipse Autor, unde eo pauciora in tanta angustia & temporis & suppellectilis addere debemus. *Vera scriptio* ex *Ezechiele petenda* videtur cap. 8. 15. *Thammuz*, cujus *Etymon* vide in *Kirch. Pantheo* p. 203. ex *Ægypto allatum*, in *duplici significatione* usurpatur: notat enim, monente *Junio*, *iisdem vel abstrusum & occultum*, sicuti & *Manetho Sebenites* apud Plutarchum interpretatur, *ut tributum Idolo* sit ideo, quia *sive Adonis sive Osiris*, *sive*, quem significasse nonnullis dicatur, *Sol occuleretur*, quotidie & quotannis declinatione sua, *vel* si Rex aut alius quis fuit, *morte occultus* fuerit, quo & ἀφανισμῷ respexerunt, eamque ob rem *sacra* illius quoque erant *opertanea*, sicuti *Firmicus de errore prof. gent.* rem in compendium referens, *hæc est* (quæ cum his convenit) *Isaaci sacri summa*. Vel *Mensem quartum solenni festo Thammuzi* sive Osiridis, nobilem. *Mense* enim hoc adulto erat festivitas, *inquit* CL. Hotting. Histor. Oriental. pag. 179. אלבוקאת *Albukat*, *mulierum plorantium*. Subjecit deinde fabulam, quam Autor noster ex *More Nevochim* l. 3. c. 29. recitat. Additque *ex Isaac fil. Muhammed Arabis MSto*, quo Sabæorum enarrat religionem, rejici id festum in medium mensem, & mulieres propterea in luctu esse & squalore, ut in memoriam sibi revocent, quod cum Thammuzum occidisset Dominus ejus, ossaque in mola ventis commisisset, ac propterea istas mulieres, nihil edere eorum, quæ in mola molita sunt, in cicere acquiescentes, dactylis aliisque id genus esculentis, & mox p. 180. *adducit* locum *Ezech.* c. 8. vers. 14. *& deducit me ad ostium portæ domus Jehovæ, quæ est ad aquilonem, ubi ecce mulieres sedebant deflentes Thammuzin; per mulieres*, *ait*, intelligit *Junius Sacerdotes Isidis* impudicissimas, quæ phallos & ithyphallos gestabant, (quemadmodum ἐν φαλληφορίοις, i. e. *Pampyliis* viri sacerdotes Osiridis,) indutæ vestibus lineis, & publica lupanaria incolebant, in domo Jehovæ cum pueris meritoriis, Osiridis administris, de quibus 2. Reg. 27. 7. De *ritu vero lugendi Thammuz* idem autor. de Orig. Muh. l. 1. sic scribit: *Deflentes*, i. e. *lugentes* Osiridem virum Isidis, ut Ægyptii narrabant: quem amissum in Ægypto quotannis defleri Isis mandaverat. His enim præstigiis suis, & incantationibus magicis, tanquam sibi viroque authoritatem apud Ægyptios comparavit, ut pro Diis summis haberentur, & mense quarto (qui mensis est ad messem in eo tractu ordinarius,) colerentur. Est enim *Isis Ægyptiis* eadem, quæ Ceres Dea frugum, *Osiris* vero, ut Plutarchus eodem libello testatur, est *dictus Ægyptiis Ammuz*, unde (inquit ille) *Jovis Ammonis* nomen corrupte est derivatum. Vocem vero Ammuz, quam Herodotus & Plutarchus usurpant, non dubitamus ex corrupto *Thammuz* derivatam esse, cujus *vocis duplex est significatio*: Primum enim *Ægyptiis* abstrusum & occultum significat, ut Manetho Sebennites apud Plutarchum ibidem interpretatur, quamobrem sacra illius quoque *erant opertanea*: deinde vero *mensem quartum significat*, a solenni festo Thammuzi sive Osiridis requisiti per sacerdotes administras Isidis cum ejulatu & planctu maximo. R. *Sal. Jarchi* scribit: צלם אחר שמחממות אותו מכפנים והיו עיניו של עופרת והם נתוכין מחום ההיסק ונראה באילן

:כאילו בוכה ואומרות חקרוב הוא שואל *Thammuz esse Idolum, quod intrinsecus calefaciebant: oculos ejus fuisse plumbeos, qui calore ita fuerint liquefacti, ut videretur lachymare: Tunc dicebant mulieres: Ecce munus postulat!* Didicerunt has mendicandi & miracula patrandi artes illi, qui hodierno quoque die Idola sua ita formant & fabricant, quasi lachrymis ad commiserationem homines pellicere possent. Luculentissima dedit exempla in ὁδηγῷ P. II. p. 288. Hottingerus. Plenius de hac fraude scribit *R. D. Kimchi* ad hunc locum: Addit tamen citatus Autor alios eum aliter explicare, & vel *ad lætitiam*, qua mulieres Thammuzi festivitate onustæ incedant, vel ad *tristitiam*, quam ex filiorum filiarumque combustione concipiant, referre. Vide authorem ipsum. Hæc harum literarum & rituum peritissimus hactenus egregie. Adde *Kirch. Panth.* pag. 289. & *Ursin.* vol. 2. *Anal.* lib. 2. c. 14. p. 63. seqq. c. 15. p. 64. c. 17. p. 69. & c. 18. p. 71. *Saubertum* de *Sacrif.* p. 705. qui ritus scite explicant colendi hunc Thammuz, sive fuerit, ut dixi, *Osiris, Rex Ægyptiorum a Typhone vita privatus & quotannis jussu Isidis præstigiis aliquam existimationem imo Diis dignam vel parem* jam consecutæ deploratus; *sive Adonis Veneris* deliciæ a Poetis decantatæ, & de quo Venus ipsa apud *Bionem Smyrnæum* in *Bucolicis* festivo & flebili Epitaphio Adonidis, ex edit Fulvii p. 236.

> θνάσκεις ὦ τριπόθατε πόθος δὲ μοιὼς
> ὄναρ ἔπτη &c.

Ex paraphrasi itidem metrica *Laurentii Gambaræ* Brixiani l. c. p. 357.

> *O nostri desiderium, & mea sola voluptas &c.*

*sive* ut *Persæi* vocant *Aboba* (pro quo forte legendum אבא quod pater proprie, deinde aliarum quoque dignitatum nomen est,) *sive* alius & unde fuerit; videtur *prima origo primogenitorum circa egressum Israelitarum, cædes & internecio*, quam ut palliarent, variis fabulis conspurcarunt, vid *Ursinus* l. c. nisi ad *Solis occasum & ortum, declinationem, & remeationem* aut *ad frumentum, & occultum & revirescens*, referre velis, physicam hujus Idololatriæ causam suppeditans *Vid. Voss.* l. 2. c. 4. *Sched.* de Diis Germ. 1. 4. *Dilb.* Tom. 2. Disp. Acad. p. 665. inde apud Varios populos & ut fit sub variis nominibus fuit. Habuisse tamen eosdem fere omnes in cultu ejusdem multa communia, legimus, *planctum* puta, de quo jam audivimus, & ita *Ptolom.* de Orientalibus: *qui Trigono subsunt Aquilonari* ait, *Venerem adorant & Martem, Adonim sive aliter eum appellantes* καὶ μυςήεια τινα μετα θυητῶν ἀποδιδόντες αὐτοῖς *mysteria quædam cum lacrymis litantes*; Deinde *mulierum cultum* de quo Junium audivimus. *Gaudium* denique, nam non tristabantur modo, sed & gaudio onustæ eodem die incedebant, quo Adonis sive Osiridis aut Thamuzi celebrabant festivitatem. De quibus ipse Seldenus consulatur. In quo tamen notes, *frustra eum suspicari Thamudum Alcoraneum* esse *lamentabilem Thamuzum*: nam neque Themud Arabum prophetam, neque cum Thamuzo quicquam commune habere: *Tzalechum* fuisse prophetam missum *ad Themudem* constat, quem *Hottingeruc* Hist. Or. p. 31. Nimrodo παραλληγίζει. Ipsi alias Arabes *Thamudo* sive *Themudo* vel proprie חמר בן עאבר בן ארם בן סאם *Themudum filium Aber*, (ita *Beedavi & Abulfeda*, *Pocok.* tamen in *spec.* p. 37. mavult עאחר vel גאחר *Gether*) *filium Aram, filium Schemi, vel Metonymice posteros ejus indicant.* Deinde sive *Adonidis* ab apro interfecti, Veneris illius celebris nepotuli; sive Osiridis a Typhone occisi fabula involuta sit *Thamuzi* involucris, nihil hoc prorsus ad *Themudem*, impietatis ita infamem, ut Muhammedanorum judicio in proverbium abierit, faciet. Tantum abest ut coluerint, ut potius abominati sint, sed nec opus est multis verbis, cum Seldenus noster tantum conjecerit. Quod de inconstantia autorum habet *in asserendo Rege Ægyptiorum, circa exitum Israelitarum*, id confirmatur communi querela *Historicorum* & chronologorum, qui nunquam conveniunt. Vid. *Ursini Isagoge Historico-Chronolog.* p. 198. seqq. *Rupertus in Notis* ad Besold. Synopf. minor. p. 128. seqq. πολυμαθέστατος *Jonstonius* Polyhist. p. 1. p. 49. *Usserius, Scaliger, Petavius, Calvisius*, &c.

## AD CAP. 12. & 13.

STeriles hactenus habuimus, nec qui sequuntur Deastri sunt fœcundiores, nisi forte erroribus & conjecturis de iisdem. Certe plerique contenti sunt cum Seldeno nostro, in numinibus hisce capitibus tractatis. Communis est sententia: *Nebo* Es. 46. 1. *fuisse aliquod Idolum apud Chaldæos*, idq; constare ex *prioribus vocibus multorum nominum*, imprimis Regum, & qui alicujus fuerint æstimii, ut *Nebu sar-dan Nebucadnezar, Nebucadnezar, Nabapolassar* &c. Chaldæos enim cum Judæis, nomina divina in compositione nominum usurpasse, asserunt.

runt. De Judæis res plana eſt, de Chaldæis colligitur porro Nergal Sarezer &c. Vid. *Excell. D. Strauch. in Brev. Chron.* p. m. 711. Huc referre non ineptum erit, quod *Martinius* in Lexico habet de his & aliis Deorum regumque nominibus, & ſimplicibus & compoſitis occaſione Nebucadnezaris Regis Babylonis fere ex *Scaligero*, quem citat, ita vero ille: Nebucadnexer Rex Babylonis, qui Beroſo Ναβυχοδονόσορος. Vox eſt compoſita ex נבו quod & לבו, & כר & נאצר, quod & לאצר & ראצר quæ ſunt inter nomina ſimplicia propria; quorum Catalogum habes apud Scaligerum. l.6. de Emendat. Temp. ubi monet horum & ſimilium nominum methodum utiliſſimam eſſe, & maxime neceſſariam chronologo, ſaltem ut ne reges Aſſyrios cum Chaldæis confundat.

*Nomina propria Chaldæorum.*

1. Nebo, Lebo, 2. Nego, 3. Neror, 4. Scheſchach שישך 5. Meſchach, 6. Schadrach שדרך, 7. Letzar, Netzar, 8. Schetzar שאצר, 9. Meltzar, 10. Nergal, 11. Belti. 12. Adam, 13. Hevvil, 14. Ochri, 15. Chen, 16. Bel, 17. Scheſch, 18. Phil, 19. Nit, 20. Dach, דך. 21. Zar זר. 22. Pal, 23. Pad. 24. Chad כר.

*Aſſyriorum.*

1. Schadran, 2. Schalman, 3. Teglith תגלת, 4. Herib. חריב, 5. Haddan, 6. Neſchroch, 7. Adar, 8. Etzer vel Atzer אצר, 9. Aſar עסר, 10. Ballut, 11. Oſen vel Oſn אסן, 12. Chuſchan כושן 13. Sen. 14. Phul, 15. Phar, 16. Schar.

Omnia *Aſſyria* & *Chaldæorum* nomina compoſita ſunt ex ſimplicibus, quæ quidem fere omnia ſunt *Deorum Babyloniorum nomina*, ut *Mero*, *Nebo*, *Bel.* Iſaiæ c. 46. *Scheſchach* nomen Deæ apud Jerem. c. 51. Neque enim *Scheſchach* Babylon eſt per modum, quem Atbaſch ineptiſſimi Rabbini tradunt. Aut igitur *ex duobus* componuntur, ut נבו-נאצר Nabo naſſar, Chaldaicum, ex primo & ſeptimo ſimplicibus נבו-לאצר Nabulaſſar apud Joſephum, idem nomen quod & ipſum ex tribus compoſitum dicitur *Nabopul-letzar*. Ναβοπολλασσαρος Euſebio & Ptolemæo. Aut componuntur *ex tribus*, ut, quod jam diximus, *Nabopallaſſarus*, & נבו-כר-נאצר *Nabuchodonoſor* Ναβυχοδονόσορος נבו כר ראצר *Nebuchadretzar* Jeremiæ Ναβυχοδρόσορος *Megaſtheni*, & ex eo *Straboni* nomen compoſitum ex 1. 24. 7. Raro ex quatuor, ut מרו-דך-כן-פר *Merodachenpad*, *qui* Μαρδοκέμπαδος Ptolomæo ex 3. 20. 15. 23. Vides etiam literas inter ſe commutare *Letzar*, *Retzar*, *Netzar*. Sic *Nabu & Labu*: ut qui *Labunitus* vocatur Herodoto, is ſit *Naaunidus* Beroſi ex 1. 19. Hæc omnia nomina ſimplicia fere ſunt Deorum propria. *Sic Bel & Belti*, 16. 11. ſunt nomina Deorum utriuſque ſexus *Megaſthenes*: ὅτε Βῆλος ἐμὸς πρόγονος, ὅτε βασίλεια, Βῆλτις. Vide tamen quæ de his *nominibus* judicet, *Judicioſiſſimus noſter Geierus* in Danielem p. 18. & quos ibidem citat de eorundem ſignificatione. *Kircher.* ll. cc. Jun. in notis. Noſter *Nebo* per *prophetiam* exponi tradit, & videtur fuiſſe *oraculum* quoddam, quod conſultum conceſſerint, an fortaſſe aliquid de *Monte Nebo Deuter.* 34. 6., *Moſiſque* tum temporis *maximi Prophetarum*, ad eos pervenerit, vel occaſionem dederit, non habeo dicere. Id vero quod noſtro & nupero quidem tempore *Sepulchrum Moſis* in *montibus Nebo* & *Abarim Maronitæ* ſe inveniſſe putarint diſceptatumque diu ſit, de ejuſdem poſſeſſione inter *Judæos Turcaſque* pariter ac *Chriſtianos*, diverſarum ſectarum, donec *Jeconias ben Gad*, *Saphetta* habitans integro libro de hac materia ſcripto, oſtenderet, *non Moſis fuiſſe ſervi Domini ſepulchrum*, *ſuaviſſimæ fragrantiæ licet*, *ſed alterius cujuſdam Moſis*, qui multis poſterior ſeculis fuerit, prout id nobis refert *CL. Georgius Horn. in Hiſtor. Eccleſiaſt.* p. 362. ſeqq. Certe *maximum* fuiſſe Moyſen etiam *in oculis gentium expulſarum*, & idololatricarum colligi poteſt ex prolixa deſcriptione, tum vitæ, tum imprimis mortis Moſis apud *Hotting. in Smegm. Oriental.* vid. a p. 455. uſque 462. ut facile quid inde exhaurire potuerint. Verum hæ ſunt conjecturæ, ſicuti & quæ de *Seſach*, ſive *Sacca* Jer. 25. 25. c. 51. v. 39. 41. ( quod videtur eſſe *Perſicum* Nomen *Schach* qua Regem appellant, inde compoſitum *Meſach* Dan. 1. v. 7. ) proferunt: volunt enim alii eſſe *Junonem* aut *Venerem cœleſtem*, *Phœnicibus Uraniam*, *Aſtartem*, *Derceto* &c. dictam, ſub Chaldæo nomine, ſic *Laurentius Fabricius* in *Partit. Cod. Hebræi* p. 24. ex Ignorantia Judæorum Cabaliſtarum per צתכש, *Babel* בבל notari, cum Nomen ששך *proprium ſit Deæ cultæ a Babyloniis*, cujus feſtum celebraverint licentioſius *per quinque* dies, qui dicti σακέαι, ἡμέραι, quibus capta fuit Babylon a Cyro &c. Vide noſtrum *Seldenum* & quem ipſe allegat *Scaligerum*, alioſque. His *Saturnalia* ſimilia videntur, nam

nam sicuti in saturnalibus servis Domini inverso ordine ministrabant, vid. Macrob. Saturn. l. 1. c. 7. ita quinque diebus Assyrii celebrabant quotannis hujus sive Deæ sive Dei festum, & per tempus illud Domini ferebant imperium servorum suorum, quod ex *Beroso* & *Ctesia* refert *Athenæus* lib. 14. Dipnosoph. Dum *Nebo a Chamos* & *Belphegor* haud alium esse putandum asserit, *Chamos Jer.* 48. 7. & 13. *Num.* 21. 29. *Jud.* 11. *v.* 24. 1. *Reg.* 11. 7. 33. *Moabitarum Numen nobis revocat in memoriam*, quod plane præteriissemus in hac festinatione. *Quale* vero fuerit *Numen*, parum ex antiquitate extat, quo ostendere possimus. *Hieronymus* solo nomine differre existimat a *Baal Peor*. Seldenus noster p. 165. paucis absolvit ipsum, agit de eodem *Voss.* l. 2. c. 8. & videatur *Appendix doctissimi Dn. Arnoldi* p. 954. ubi simile commessationis *Numen Indorum* describit, & depictum ostendit. *Illum* in sacris vero variis assimilant: *Bernhard. de Breidenbach. duo filii Loth Ammon & Moab domum Meccanam honorabant, ibique duo colebant idola, unum ex albo factum lapide, quod Mercurium, alterum ex nigro, quod Camos appellant*. *Kirchero* in *Pantheo* est *Bacchus*, unde deducit verbum κωμάζειν. Græcorum κῶμον putabit, quem *Deum temulentiæ* scribit *Forsterus* in lexico, *Tholosanus* in Syntagmate Juris universi l. 29. c. 12. sed cum hic Græcorum Κῶμος, prout Græcis mutatis scil. circumstantiis colitur, ( alias enim commessandi morem & artem antiquiores esse Græcis vix videtur dubitandum, tot sacris hinc inde cum mundi fere incunabilis celebratis Bacchi non dissimilibus, qualis Peoris &c. fuisse apparet ) Dn. *Kipping.* Recens. Antiq. p. 160. fit multo recentius figmentum, *Saturnum* mavult, patrocinatur eidem, tum *Etymologia*, sive enim deduxeris a כמש *abscondidit* fiet כמוש *absconditus*, idem quod כתור sive *Saturnus absconditus*: *sive* quasi כמוס dixeris, *tetricus* & ἄστοργος, *Saturnus* exurget, qui omnes liberos præter Jovem, Neptunum, & Plutonem devoravit, sive ab *Arab.* כמש *properavit, celer fuit*, derivaveris, conveniet eidem *ob actionum celeritatem & excellentiam*, qua homines sui temporis ex agresti vita ad humaniorem cultum traduxit, vid. *Phaleg*, *Bochart.* p. 2. *tum* quoque *sacra hujus Idoli*, de quibus *Maim*: כמוש עבודתו בפריעת הראש ושלא ילבש בגד תפור ודברים כלם מפורשים וידועים אצלם מקודם דת ישמעאלים : *Chemoschi cultus peragebatur nudatione capitis, & ut quis vestes sutiles non induat, quæ omnia apud illos manifesta sunt, & fuerunt ante conditam legem Ismaelitarum* i. e. ante Muhammedis tempora. Eruit *hunc locum* ex *Codicibus MSC.* celeberr. *Pocokius*, *specim.* p. 316. absque quo si esset, vix certi quid Hebræi suggererent. De hoc *ritu* vero non *adeo est dubitandum*, etsi ab ipso *Saturno* ( i. e. Noacho, utpote cui multa licet depravate conveniunt, vide *Bochart.* l. c. ) *lex lata sit, ne quis deos nudos impune contempletur*, ipsi tamen denudato capite sacra fuere soluta, insignis ea de re extat locus apud *Plutarch. Quæst. Rom.* Hunc *Chemoschi colendi ritum*, non solum receptum fuisse *Arabibus* colliges ex testimonio allegato Maimonidis, & *confirmatur Arabum autoritate*. *Scharestanius* refert, *Arabes & Indos septem habuisse delubra, totidem planetis sacra, & Meccanum quidem templum consecrarunt Saturno* i. e. *Chemoschо*. Sed & retinere adhuc; verum alio prætextu: nam ut *Maimon* l. c. ait, *Ismaelitæ nunc dicunt, ideo nos caput nudamus, & vestes sutiles non induimus, ut nos coram Deo submittamus, & cogitemus, quomodo surrecturus sit homo e sepulchro*. Præterea *Idoli nigri* i. e. *Chemoschi statua* locum in æde Meccana locum habet adhuc, alio tamen nomine, alioque usu. Neque enim a colore tantum *lapis niger*, sed & ab effectu βραχθὰν dicitur, i. e. ברכה *benedictio, quia ante & post Muhammedem benedictionem ab eo expectarunt*. Eum osculari Meccam religionis ergo visitantibus, non ultima cultus pars est, vide plura de hoc lapide citato *specim.* Pocokii p. 1. 4. 118. *in Hotting. H. O.* p. 155. traditurque esse *Lapis*, super quo frontem collimarit Abraham cum Hagar, aut cui alligarit camelum filium mactaturus. *Veneris* vero esse scribit *Euthymius Zygabenus* in Panoplia: Ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστὶν ἣν πάλαι, προσεκύνουν οἱ Ἰσμαελῖται: φέρει γὰρ μέχρι ἐν νῦν τοῖς ἀκριβῶς κατασκοποῦσιν ἐκγλυφίδος ἀποτύπωσιν κεφαλῆς, id est, *Jam dictis lapis est caput Veneris, quam Ismaelitæ olim adorabant: si quis accuratius spectet, etiam capitis in eo delineamenta non obscura erunt*. Et in *Catechesi Saracenorum*: Ἀναθεματίζω καὶ αὐτὸν τὸν εἰς τὸ Μάκκη οἶκον τῆς ἀρχῆς, ἐν ᾧ φασὶ κεῖσθαι μέσον λίθον μέγαν, ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχοντα. Τιμᾶσθαι δὲ τοῦτον, ὡς ἐπάνωθεν αὐτοῦ τῇ Ἄγαρ ὁμιλήσαντος τοῦ Ἀβραάμ, ἢ ὡς αὐτῷ τὴν κάμηλον προσδήσαντος, ὅτε τὸν Ἰσαὰκ ἔμελλε θύειν, τοῦτο δὲ εἰς ἀρχὴν ἐκεῖ ἀπιόντας τὴν μὲν μίαν ἑαυτῶν χεῖρα πρὸς τὸν λίθον ἐκτείνειν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τὸ οὖς κατέχειν τὸ ἴδιον. καὶ οὕτω κυκλοτερῶς ἑαυτοὺς περιφέρειν ἕως ἂν πέσωσι σκοτοδινιάσαντες,

τῆ, id est, *Anathematizo etiam ipsam illam precationis domum Meccæ: in cujus medio jacere ajunt lapidem magnum, Veneris effigiem habentem. Honorari autem istum lapidem, quasi Abraham super eo cum Hagar coierit, aut camelum ei alligaverit, cum Isaacum sacrificaturus erat. Eos autem, qui precatum illuc eunt, alteram manum ad lapidem extendere, altera vero aurem suam tenere, atque ita sese circumagere in orbem, donec e vertigine offusis tenebris concidant.* Scil. eadem fide iste erit lapis, qua *Jacobi lapis cervical* Gen. 28. vers. 18. adhuc in *Anglia* sub sella regibus coronandis destinata superesse dicitur, vid. *Francisci* Schaubühne p. 367. seqq. *sed meliore jure deberentur lapidi angulari Christo* Ps. 118. 22. *Matth.* 21. 42. *Marc.* 12. v. 10. *Es.* 28. v. 16. de quo *Theologi dispiciant*, nos ad *Saturnum* revertimur, sed alio nomine occurrentem in capite sequenti.

## AD CAP. XIV.

Nimirum כיון *Cijum Amos.* 5. 26. juxta *Schind. ler. Lex.* p. 847. *Buxtorff.* itidem in lexico Talm. p. 1023. *Arabice & Persice* كوان כיואן *Kevvan*, vid. γλωσσανατολικογνωσίας peritissimum *Golium lexico Arab.* p. 2080. id affirmantem, quanquam, de Arabibus sed perperam, sic neget *Kircherus Tom.* 1. œdip. *Ægypt.* s. 4. c. 22. p. 385. *Actorum* 7. 43. ῥέμφαν, de quo in fine Addit. ad c. 6. Synt. 1. ejusque natali solo egimus, & ipse Seldenus h. capite agit, ostenditque, unde *Drusius*, licet non sine temeritate derivet, quo tamen non opus est, si Ægyptiacum ῥηφάν sive ῥέφαν æquipoliens כיון & æque ac hoc Saturnum significans, retineatur. Quanquam enim sic, agnita licet Ægyptiaca voce, sint, qui observant, *Herculem Ægyptiorum Chon* dici, id tamen, nec Seldeno placet, nec satis, ut ostendit, huc quadrat. *Saturnum* vero confirmant *autoritas* N. T. *Coptici*, quæ ῥέφαν habet: *consensus tum commentariorum Copticorum* in c. 7. Actuum, tum *lexici Arabici-Coptici*, quod septem planetas ordine recenset, & inter eos ῥηφάν Saturnum; *locus denique* V. T. *parallelus Amos.* 5. v. penult. vid. *Hotting. Biblioth. Orient.* pag. 313. *Ludovicus* de Dieu ad Act. 7. 43. qui ad רך *Arabum refert*, cui tamen obstat Analogia Grammatica, quæ non facile hoc genus nominum ex surdis format; accedit *quod rarissima sint exempla verborum*, quibus *Arabes & Ægyptii* unam & eandem attribuant significationem, suæ ergo & plane primitivum Ægyptiacum esse videtur: videatur tamen D. *Major* in *Acta* p. 387. *Lunam* esse perhibet *Vossius* in laboriosissimo Tractatu de Idololatria l. 2. c. 23. *Victorinus Strigelius* p. 369. *Hypomnem.* in N. T. *Syrii stellam, veluti Numen cultum* apud *Ægyptios* pro felici inundatione terræ, quia circa *Syrii ortum* incipit Nilus ebullire, ut *Chion* sit quasi κύων canis, quod tamen *vix Phœnicum* Theologia permittet. Confer huc quoque *Vossium filium* ad R. Mos. de *Idol.* cap. 6. §. 5. *Pocok. specim. Hist. Arab.* p. 390. *Hotting. Smegm.* Orient. p. 89. *Camerar. ad Act.* loc. cit. præ cæteris vero *Glass. Gram. Sacr.* p. 1009. seqq. quo loco & כיון & ῥέμφαν egregie exponit.

## AD CAP. XV.

Occasione *Parœmialis locutionis* Regum Sapientissimi Prov. 26. vers. 8. בצלר אבן בטרנמה כן נותן לכסיל כבור *Sicuti inclusio lapilli in acervo lapidum, sic qui dat stulto gloriam*, vel ut a vulgata redditur: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem*, (ad quam explicandam *vate aliquo ex Hetruria sive Critico* opus esse dicit *Philippus Caroli in dissertatione de Criticis* cui cognitus sit mos antiquus, ad quem a Salomone allusum est,) Seldenus noster *Mercurii mentionem* facit, dictumque explicat egregie: quanquam enim dubium sit *morem istum colendi Mercurium*, (de quo noster accipit, & mox pluria adjicientur) tunc in Gente Israelitarum obtinuisse, adeoque Salomonem ad hunc allusisse: quare & nonnulli exponunt ex *R. Salomone*, *Chaldæo* & LXX. quem *Syrus Arabsque* sequuntur, *Margema* (solo hoc loco, neque etiam apud Talmudistas aut Targumistas,) teste Buxtorffio in Lexico majore occurrens *vel per fundam* & quasi Salomon dixisset: *Sicut qui lapidem fundæ impositum dat in manus stulti, arma ipsi suppeditat, quibus alios ipsumque feriat, sic qui stulto dederit honorem dabit lapidem quo vapulet ipse, ignari enim stulti legitimi honoris usus.* Vid. *Kimch.* Liran. Cajetan Pagninus, Buxtorffius in Lexicis, Junius, Belgæ Piscator, Quistorpius aliique secuti *Ambrosium Epist.* 7. *ad Simplic.* de rotatione in funda lapidis facile in caput rotantis casuri accipientem; *vel* cum *Abenesa* per *purpuram* hoc sensu: *ut lapidem* (*communem*) *circumvestire purpura, ita stultum honore ornare indecorum.*

Sic

*Sic Drusius* lib. 2. anim. c. 42. post *R. Josephum vel* per *congeriem lapidum vulgarium*, inter quos lapis pretiosus temere objectus ( sic & honor collatus stulto ) ignoratur, proculcaturque, vid. *Mercerus* & *Drusius ad Jobi* 28. vers. 3. adde *Filesac.* lib. 1. Select. pag. 264. *Zehn.* Cent. 1. ad ag. *Glass. Philol. Sacr.* lib. 4. vel denique ( *quæ simplicissima & apertissima est sententia*, cum omnium fere confessione *Margema* sit a *radice* רגם lapidibus obruit, v. g. *facinorosum*, *supplicio publico mulctandum*, ut *Lev.* 20. 2. &c. vid. Dn. *Gejer.* loc. cit. Prov. p. m. 1443. ) per *talem lapidum acervum*, qui *superstes est ex supplicio lapidatorum*. v. g. *falsorum testium* vel *Jos.* 8. v. 29. & c. 10. v. 27. *strangulatorum*, *in foveam abjectorum*, *lapidibusque obtectorum*, *funestusque merito habetur*, & *detestabilis*, ut est apud nos locus, ultimum supplicium subeuntibus destinatus der Rabenstein ( quo etiam respexit Luth. in sua versione Germanica ) utpote in quem non minus stultum esset ac absurdum damnosumque *lapidem pretiosum naturæ in compendium arctatæ Majestatem abjicere*, *quam in fungum ac peponem conferre honores &c.* quanquam, inquam, his similibusque aliis modis interpretantur, idque non sine suffragio Doctiorum, tamen φιλολογούντων Chorus non minus erudite *Margema* sensu eodem ad λόφον ἑρμαῖον, sive λιθίνους σωρούς ut vocat Anytas in Epigramm. Græcis, sive, juxta *Sibyllarum* centones, λίθων συγχώματα, sive ut est apud *Scholiasten Nicandri in Theriacis* λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ ἑρμοῦ moremque illum referunt, quo Mercurio, inter cætera officia & nomina viarum indigitatori Hermas i. e. statuas ita efformatas erigebant, ut caput solum appareret distinctum, pro requisitis partibus, reliquum corpus quadratum, rude & informe esset, ( unde & Juv. Sat. 8. *Trunco simillimus Hermæ est*, ) cum *notis adscriptis*, quo viæ concurrentes ducerent in triviis & quadriviis, penes vero illas acervi lapidum ejusmodi colligerentur adjectis subinde a transeuntibus pro more lapidibus, ut sensim cumularentur ( causam vide apud *Dionys. Voss. ex Cornuto* de natura Deorum, in notis ad Maimonid. libr. citandum. ) nec tamen constaret, quis & quid addidisset, de hoc more exponunt dictum, cum Autore nostro, occasione *dictionis Rabb. Merkolis*, quo citeriores Judæorum Doctores, interque eos non ultimus *Maimonides* Hal. Avod. c. 3. §. 2. *ad indicandum Mercurium utuntur*, *Drusius* loc. cit. a Seldeno, & l. 3. quæst. & resp. qu. 6. *Grotius* ad h. l. *Voss.* de Idolol. l. 2. cap. 32. p. 474. *Menoch.* de Rep. Hebr. fol. 418. seqq. *Martin. Delrio* t. 2. adag. a. p. 268. ad 279. qui satis prolixus est. *Erasmus* in Adag. Chil. 4. Cent. 7. adag. 7. *Cornel.* a lapid. in h. l. *Conferantur* quoque *Barthius Adversar.* l. 9. c. 5. Johan. *Conrad. Dieter.* part. 3. Antiquit. Biblic. p. 21. seqq. *Fessel Tom.* 2. *Advers.* Sacr. l. 6. c. 5. p. 56. *Ursinus Acerræ Philol.* p. m. 410. *Dominus Saubertus* de sacrif. & 3. p. 52. *Buxtorff.* Lexico *Talmud.* aliique fere multi. Unum adhuc nota, *Kirchero Merkolis sub trigono lapide cultus*, *Mercurius*, *est Ægyptiorum Deus Terminus*. Oedip. Ægypt. T. 1. f. 4. p. 392. qui etiam de reliquis Diis obscuris, quorum autor sequenti capite mentionem facit, consuli potest cum Vossio.

## AD CAP. XVI.

SI quid Deorum esset, quod noster & nos cum ipso prætermisissemus, quo quærendi sunt diximus, nobis non *licet esse linceis in tanta festinatione*; possemus *Dianam* sive Ναναίαν, uti vocatur, e 2. *Maccab.* 1. 13. & 14. cujus & templum memoratur, 1. *Maccab.* 6. v. v. 2. & quam *Strabo* l. 16. Georg. *Anæam*, proprio vero nomine ἀρτεμίδα *Polybius* apud Joseph. l. 22. c. 13. vocat, sed *Venus Elymæa* est, in medium producere, nisi iisdem vetaremur causis, & præterea luculenter eandem nobis descriptam dedisset *Doctissimus Kippingius* parvo, sed prolixæ eruditionis libro *Recens. Antiq.* pag. 29. seqq. ad quem etiam si *quid de Venere* præterea scitu opus est, Lectorem amandamus, ut & *in Herculis evolutione*, cujus mentio extat 2. *Macc.* 4. 19. 20. & cujus nomen supra *Phœnicium* אור-כול, i. e. *illustratorem omnium celebremque* fuisse Tyrium, a quo deinde Græci multa acceperunt, quæ fabularum involucris proponerent, & ἄζιζον ( unde Hebræorum מאזים Dan. 11. 38. Idolum *typi Anti-Christi* ) vocarent, diximus, plura apud laudatum *Kipp.* l. 1. c. 3. dist. 2. *Rosin.* & *Deorum descriptores* videantur. Porro *occasione Patæcorum distinctionem* nos quoque docet, autoribus familiarem, neglectam tamen, ut videtur *Brodæo* l. 1. Miscell. c. 10. & *Joan. a Wouvern.* animadv. ad *Petron.* d. 446. *inter Tutelam & insigne navis:* quorum *hoc in prora* erat depictum, animalis figura plerunque, nonnunquam Dei vel Herois; unde navi dabatur nomen, ut *Centauri* illi apud Virg. lib. 5. & 10. Æneid. & *centauro*

Ve-

Venetorum adhuc, multæque aliæ naves alii nominibus insignitæ sicque pictæ. *Illa* vero erat in *puppi appicta* aut effigiata semper Dei, vel Deæ alicujus navi Patrocinantis, ut *Apollinis* lib. 10. Æneid. v. 170. in illa, cujus

aurato fulgebat Apolline puppis

ubi *Taubin.* in *Comm.* p. 917. *hanc etiam cum illo confundit*; nec *pertinet ad hanc locus ex Act.* 28. *v.* 11. cætera, quæ adjicit, recte se habent: habebant enim *Lararium sive sacrarium* quoddam in puppi veteres, vid. *Turneb.* l. 19. c. 2. & moderni Indi Idololatræ, ut *Chinenses*, qui *Neoman* in puppi coluerant. Vid. *App. Arnold. p.* 600. & 616. *Navis* vero in loco citato ex *Actis*, qua *D. Paulus* in Insulam *Melitam*, (hodie *Maltham*, & a Rhodiis equitibus possessam, vid. *Camerar.* ad l. c. Act. p. 339. quod contra Geographorum dubitationes notetur, de quibus agit *Petrus Berlius* in Tabulis contractis lib. 4. p. 567.) vectus est, *Alexandrina* παρασήμῳ διοσκούροις *insigni Dioscuris* fuisse legitur, & παράσημον *Juvis & Lædæ filii*, *Castor & Pollux*, vel ut *Horatius* lib. 1. od. 3. vocat: *fratres Helenæ*, *lucida sidera erant*. Vide *Balduin. Walæum* comment. perpetuo ad libros Histor. N. T. p. 130. *Gruter.* not. ad *Senecam* p. 636. *Heinsium* notis ad *Silium Italicum*, *p.* 138. seqq. imprimis *Dilberrus* Tom. 1. Disp. Acad. pag. 238. Amne secundo reduces honorarunt Tutelas, *puppibus & læti nautæ imposuere carinas* &c. alias de *Castore* & *Polluce* iterum Kippingius adeatur Recens. Antiq. p. 118. seqq. Incidit hic ex eodem capite Actuum v. 4. Δίκη, quam alii quidem ut *Appellativum* nomen accipiunt, & *Justitiam* sive *ultionam* sive justam pœnam interpretantur; alii κατ' εἰδωλοποιΐαν *Dicen sive justitiam Numen*, *Nemesin*, quæ juxta Hesiod. παρθένος ἐστὶ δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα *virgo est justitia sive juris executio ex Jove prognata*. Vid. *Camer.* ad l. c. sive notatione figurarum p. 339. *Saubert. Patris Prodrom. Philol.* p. 26. *Dilh. Disp. Philol.* Tom. 1. p. 242.

## Ad Cap. XVII.

Pauca vel *nulla sunt*, quæ addi possent (si Autorem sequi volumus, quod hactenus factum est, alias enim innumera curiosus Lector adhuc & ego cum ipso huc requirerem) cum vel ubivis obvia sint, quæ Autor tractat hic, vel jam pro instituti ratione, v. g. *æneum serpentem*, &, quæ inde quoque ex parte orta est, ὀφιολατρείαν, sicuti & Deum *Mausim*, delibaverimus, vel ipse Autor evolverit luculenter, si quid præterea fuisset, de *Asino* sive *aureo Asinino* capite, *Judæis* primo, *Christianis* deinde pro Deo attributo, *Clariss. Theolog. Korthold.* docebit in supra *laudato tractatu de calumniis in veteres Christianos* sparsis, p. 3. seqq. *idem* & interea loco omnium sit, qui Te de *Cœlicolis* p. 25. seqq. quibus etiam contra Seldenum nostrum disputat, & de voce *Cœli* sive שמים pro Deo apud Judæos pariter, atque in Scriptura Sacra usurpata, erudiat, p. 22. seqq. Et sane *Hebræorum Magistris* usitatissimum esse, voce שמים Deum designare, negari non potest. Apud *Talmudicos* celebre est illud: הכל לשם שמים *Omnia ad cœlum*. Quod R. *David Kimchi* in Psalmum sic effert: מעשיך יהיו לשם שמים *omnes actiones tuæ sint in nomine cœli*, hoc est, *Dei*. R. *Elias Levita* in Tisbi voce שמים in hanc rem recitat illud: הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים *Omnia sunt in manu cœli præter timorem cœli*; item illud: שם שמים שגור בפיו *Nomen cœli assuetum in ore ejus*. Ubi cœlum notare Deum in aprico est. Pertinet insuper huc illud in *Medrasch Kobeleth*, cap. 5. 6. Qui venit visitatum ægrotum, dicit: השמים ירחמו עליך *cœli misereantur tui!* Sic in *Pircke Avoth* cap. 1. נמצא שם שמים מתחלל *invenitur nomen cœli profanatum*. Ibidem c. 4. כנסה שהיא לשם שמים *congregatio quæ fit propter cęlum*, מורא שמים *timor cęli*, & cap. 5. מחלוקה שהיא לשם שמים *contentio quæ fit propter cœlum*, quid aliud sunt, quam congregatio, quæ fit propter *Deum*? Ita in libro precum quotidianarum ארם ירא שמים *homo timens cœli est homo pius*, qui Deum timet. Et מיתה בידי שמים *mors per manus cœli*, Rabbinis notat *mortem repentinam*, quam Deus immediate infert. Quin & ipsæ *Sacræ literæ cœli* vocem pro Deo *non semel usurpant*. Sic Ps. 73. 9. de impiis dicitur שתו בשמים פיהם ולשונם תהלך בארץ: *Opponunt cœlis os suum*, & *lingua eorum pervadit terram*. Ubi *Euthymius*: Per cœlum quidem Deum intelligit, inquit, qui in cœlis habitat. Sic & *Hugo* de *S. Charo*, verba versionis latinæ: *posuerunt in cœlum os suum*, *considerans*, *in cęlum*, interpretatur, *contra Deum*. Eodem modo *Basilio M. cœlis os opponere est: blasphemiis contra Deum uti*; *Dionysio Carthusiano* (qui cum his verbis locum Jobi 15. 26. confert) erecto collo & tumida mente contra Deum loqui verba blasphemiæ. Similia apud *recentiores*, *Matthiam* Flacium, Jacobum de Va-

Valentia, Conradum Pellicanum, Augustinum Marloratum, Salomonem Gesnerum, Hieronymum Wellerum, Junium ac Tremellium, utrumque Osiandrum, aliosque legas. Huc porro pertinet *illustris locus* Dan. 4. 23. מן דיי תנדע די שליטין שמיא *ex quo cognoveris, quod dominentur cœli, hoc est*, (ut versu præcedenti exponitur) די שלים עליא *quod dominetur altissimus*; quomodo etiam explicat *R. Joseph. ben Jachija*, paraphrasi in Danielem. Referunt quoque huc nonnulli, quod Deus dicitur *attollere manus suas* על שמים ad cœlos *Deut.* 32. 40. cum hoc ipso nihil innuatur aliud, quam quod alibi dicitur, *Deum jurare per seipsum*. Vid. *Gen.* 22. 16. *Es.* 45. 23. *Heb.* 6. 12. Ex Cabalistarum sententia, teste R. Elia Levita, loco supra memorato, eo etiam spectat *illud* 1. *Reg.* 8. 32. אתה תשמע השמים quod sic explicant: *tu audies o cœlum*, i. e. *Deus*. Quanquam alii existiment, esse hic ellipsin præfixi מ ut sensus sit: *Audies e cœlis*; (quomodo legitur 2. *Paral.* 6. 23. & alias) Sic sane versio τῶν LXX. habet ἐκ τοῦ οὐρανοῦ; *Targum Jonath.* מן שמיא nec aliter *translatio Syriaca* & *Araaica*. Amplius huc refer illud 1. *Maccab.* 3. 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ, *non est differentia in conspectu cœli*, item vers. 19. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἰσχύς, *a cœlo fortitudo*, *conf.* & vers. 60. nec non c. 4. 10. Sic iu *Novo Testamento* Luc. 15. v. 18. 21. πάτερ ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν, *pater peccavi in cœlum* h. e. in Deum, (perinde ac in *Medrasch Koheleth* c. 9. 12. חוטא בשמים *peccans in cœlum*.) Ita Matth. 21. 25. Marc. 11. 30. 31. Luc. 20. 4. 5. quæstio movetur: *fueritne baptismus Johannis* ἐξ οὐρανοῦ an ἐξ ἀνθρώπων, id est, *a Deo vel hominibus*? Et βασιλεία τῶν οὐρανῶν, quod legitur Matth. 11. 11. explicatur per βασιλεία τοῦ Θεοῦ, Luc. 7. 28. Imo apud *alios* quoque autores vox cœli nonnunquam *Deum* significat. Sic, quando *Petronius in Satyrico* ait: *Nemo cœlum putat*, quid aliud vult, quam, neminem putare quod sit Deus? Apud eundem Circe ad Polienum. *Habebo*, inquit, *quod cœlo imputem*, si nos fata conjunxerint. Ita *Manilius* Astronom. lib. 5. 18. *Araque Divorum, cui votum solvit Olympus* hoc est, *Jupiter ipse*, Deorum summus. Poeta vetus apud *Diomedem* Grammaticum.

- - - *Cœlo gratissimus annus*; id est, *Deo*. *Claudianus* Paneg. in 6. Consulatum Honorii, v. 352.

- - - *providus æther*
*Noluit humano titulos auferre labori.*

*Sulpitius Severus* Dialogo: *Qui mundi gloriam calcans, cœlo teste frueretur*. *Phædrus*. *Ut videatur sapere, cœlum vituperant*. Huc *Caspar Barthius*, *Adversar.* l. 53. cap. 3. etiam refert illud *Sedulii* l. 4. 8.

- - - *per magnaque cęlo*
*Vox resonans venit per nubile: clarificavi,*
*Clarificabo iterum. Quid apertius est patre teste,*
*Cœlo assertore?*

Alias hanc acceptionem notarunt quoque *edecumati Theologi ac Philologi Dn.* D. *Scherzerus in trifolio* Orient. p. 84. & in *Disp.* de *Cęlo*. *De Ambigua cęli* & inter alia *quoque pro Deo ipso, acceptione* in sacris Pandectis B. *Danhauerus* in *Christosoph.* p. 302. *Christeid.* p. 28. *laboriosissimus* juxta ac *eruditissimus Fesselius* Tom. 1. Advers. Sacr. c. 6. p. 349. *Sicque in dicto celebri Matt.* 21. 25. Consummatissimus olim Theologus *Hulsemannus Manuali* pag. 306. nec *minor Dorsch. Theol. Zachar.* p. 1. p. 199. part. 2. p. 19. Triplici, Theologiæ, Philosophiæ ac Philologiæ scientia notissimus *Hackspan. part.* 3. *Notarum* p. 147. & alibi passim, *Musarum Delicium Dn.* Dillberus Tom. 1. Disp. pag. 314. *Mayerus* Philol. S. part. 2. p. 169. *Clarissimus Joan. Vorstius* part. 1. p. 72. de Hebraismis N. T. & tandem quis non? De *Gnosticorum spurcitie*, eorumque dogmatis, præter Eccl. H. Scriptores: *raræ & multæ Eruditionis, & vere Thaumasius Thomasius Schediasmate Historico* p. 18. seqq. sed manum de Tabula removemus, *Deo grates litantes, simul atque rogantes, ut & hujus, si quis est, laboris, sicuti omnis mei studiorumque, quam exigua sint, esse volo, sit Gloria Dei.*



# JO. CHRISTOPHORI WICHMANNSHAUSEN DISSERTATIO PRIMA DE DIVINATIONIBUS BABYLONIORUM

## PROLOGUS.

PRæclare sane eruditissimus ille inter *Græcos*, Plutarchus, sub finem libri *de Superstitione* differit: Οὐδὲν ἔτω πολυπλανὲς, καὶ πολυπαθὲς νόσημα, καὶ μεμιγμένον ἐναντίαις δόξαις, καὶ μαχομέναις μᾶλλον, ὡς τὸ τῆς δεισιδαιμονίας. i. e. *Nullus ita multivagus, & misere afficiens morbus est, contrariisque commixtus opinionibus, inter seque pugnantibus, ut Superstitionis.* Dicti hujus veritatem, ut omnium *Paganorum* colluvies; ita *Babyloniorum* cumprimis, *Chaldæorumque* cohors, suo exemplo, abunde confirmat. nullam, enim, gentem, quæ tam vanas, tamque futilitatis plenissimas, induxerit superstitiones, unquam, extitisse palam, & apud omnes, puto, in confesso est. Hi itaque ipsi, posteaquam, tota mente, omnique animi impetu, in artem divinandi incumberent, maximumque studium, operamque, in doctrina siderum, quam *Astrologiam*, vulgo, nuncupant, excolenda, perficiendaque collocarent; eo tandem amentiæ procedebant, ut non solum, ex superstitiosis suis divinationibus, hominum fortunam, mores, ingenium, actiones, annos, vitæ exitum, describerent; sed, etiam, ipsa horum consilia, varias voluntates, appetitiones, declinationes, ac repentinos, levissimis in rebus, animorum impetu, atque recessus e cœlo moveri, omniaque adeo humana, a stellis, immutabili necessitate, constricta, gubernari statuerent. Imo præstigiis mali Genii decepti, pravissimisque imbuti opinionibus, tantum sibi demum, sumebant, ut veneficiis suis, ac incantamentis, & mala ab hominibus, averruncare, & bona e contrario conciliare se iisdem posse, publice profiterentur. Et hoc quidem diserte nos edocet *Diodorus Siculus Biblioth. Histor. Lib.* III. *cap.* VIII. his verbis: Ἀντέχονται δ' ἐπὶ πολὺ καὶ μαντικῆς, ποιούμενοι προῤῥήσεις περὶ

τῶν

τῶν μελλόντων, καὶ τῶν μὲν καθαρμοῖς, τῶν δὲ θυσίαις, τῶν δ' ἄλλαις τισὶν ἐπῳδαῖς ἀποτροπὰς κακῶν, καὶ τελειώσεις ἀγαθῶν παρῶνται πορίζειν· Ἐμπειρίαν δ' ἔχουσι, καὶ τῆς διὰ τῶν οἰωνῶν μαντικῆς· Ἐνυπνίων τε, καὶ τεράτων ἐξηγήσεις ἀποφαίνονται: id est *Amplectuntur* ( Chaldæi ) *quoque vehementer vaticinationes, prædictionesque futurorum*, five oracula edunt, *& partim per purificationes, partim per victimas, partim incantationes eventuum mala avertunt, & bona ut acquirantur, efficere tentant. Habent & peritiam, & usum divinandi per auguria; sicut & somniorum, & prodigiorum explicationes promittunt.* Sed uti *Icarus* pennis, non homini datis, & factitiis, vacuum expertus aera, in mare, misere, decidit; sic *Babylonii* quoque cum rerum contingentium notitiam, quæ solius Dei est, temere sibi arrogantes, magna cœlitum templa peterent, alarum spoliati remigio, in pelagus mendaciorum, superstitionumque delabebantur. Hinc tot errores, hinc, maxima eorum animis, qui splendidiore veritatis cœlestis luce destituebantur, offusa caligo est. Primi enim isti fuisse perhibentur, qui duo principia esse asserebant, *bonum, malumque*, Larem, ( quos a *Græcis* δαίμονας appellari *Cicero* lib. *de Vaiversitate*, affirmat, ita tamen, ut alterum ex his *Jovem*, & *Oromasdem*, alterum autem *Plutonem*, & *Arimanium* appellarent, uti *Diog. Laertius, Lib.* I. *de vitis Philosoph. Segm.* 6. ex *Hermippo*, ( in *primo* de *Magis* ) atque *Eudoxo* ( in *Periodo* ) & *Theopompo* ( in octavo *Philippicorum* libro ) demonstrare fatagit. *Planetas* quoque in *Deorum* numeros, hac insimul cum cautela, referebant, ut duos ex *Diis* hisce, beneficos, totidem maleficos, reliquos vero medios esse, audacter satis pronunciarent. Studiose prætermitto religionem illorum, cum nequissima fœditate, vitæque turpitudine conjunctam, dum eo demum, libidinis æstus illos abducebat, ut nullum tam gratum, tamque acceptum, *Diis* cultum præstari posse existimarent, quam si omni honestate, ac pudicitia susque deque habita, amplexuum turpitudine coram ipsis *idolis* corpora sua contaminarent. Vid. *Herodot. Hist. lib.* I. *cap.* XIX. & *Epist.* Jeremiæ *Barucho* annexa v. 43. Nemini itaque mirum videri debet, quando B. *Hieronymus*, æque ac *R. Saadias* partim ob mores corruptissimos, partim etiam ob stupendorum, divinationumque, quas dæmoniaca virtute suffulti, edebant, multitudinem, כשרים, quo nomine *Chaldæos* alias notamus, per allusionem, dictos fuisse autumant, כמו שרים *quasi Dæmones*, five Dæmonibus simillimos, conf. *Matth. Martinus*, *in Lexic. Etymol. fol.* 219. ut & *R. Saadias*, & *Munsterus*, *in Comment. ad Dan. cap.* II. Licet vero hi nostri, apud sapientiores, & sublimiori indole, atque mente, præditos populos, non exiguo odio, contemtuque laborarent, sinistraque infamiæ nota afficerentur; nihilominu adeo pertinaciter tamen ac præfracte perversis & erroneis, suis opinionibus, ac superstitiosæ sigillatim divinandi rationi immorabantur, ut quod demumcunque agerent, aut molirentur, ad istius cynosuram prius attemperarent. Hoc istorum institutum, cum Deo permittente, bene nonnunquam cecidisset, majores indies animos capiebant, ferventiorique mentis adore negotium omne persequebantur. Atque hinc tandem evenit, ut factionibus, regnorumque divisionibus exortis, aut bellis, vel profligandis, vel suscipiendis, vel aliis rebus conficiendis divinationes suas exercerent, & caussam dubiam *nunc* sortibus conjectis, dirimerent, *nunc* oraculorum responsis, *nunc* auguriis, extispiciis, artibusque Magicis permitterent. Ne autem frustra nos hæc asseruisse quis existimet, ad veterum monumenta non solum nos referimus, sed ipsius quoque sacri Codicis auctoritatem in subsidium hic evocamus. Ut vero alia loca in præsentiarum taceam, meam hanc sigillatim, caussam perorabit *Ezechiel*, quando is *Cap.* XXI. v. 26. divinationes, ac fatorum scrutinia, ab ipso *Nabuchodonosore Babyloniorum* Rege instituta, luculentissimo, & a vario gentilitiæ antiquitatis, apparatu longe instructissimo oraculo graphice depingit. Hic enim cum altius secum perpenderet, imo animi prorsus penderet, quam in bivio constitutus, ex duabus viis, quarum altera ad *Hierosolymam*, altera ad *Rabbathum*, principem *Ammonitarum* urbem, ducebat, potissimum eligeret, ac utrum his, an *Judæis* potius bellum inferret, ad divinationes demum, ut certum quoddam capere secum posset consilium, confugiebat, ipemque concipiebat certissimam, fore, ut, si modo *ex telorum conjectione*, modo *ex Teraphim responsis*, modo *ex inspectione extorum*, de itineris ratione ineunda judicaret, exoptatissimum tandem rerum suarum eventum experturus sit. Cum igitur hæ *Babyloniorum divinationes* a nemine, quantum memini, ex instituto hactenus sint expositæ, me minime laterem lavaturum, aut *Penelopes* telam, ut ajunt, retextu-

rum esse arbitrabar, si, rationem, profectuum Academicorum, *Parentibus*, *Patronisque* redditurus, themati huic operam meam præ reliquis aliis jam nunc consecrarem, idemque in *quatuor Sectionibus*, sive *Dissertationibus* pro ingenii mei modulo pertractarem. Ita, autem, rem omnem, in his iisdem, informabo, ut in *Præliminari* hac generatim de *Babyloniorum Divinationibus* agam, ac quæ scitu, atque cognitu hoc in negotio maxime necessaria esse videbantur, proponam, insimulque super illarum divinationum *Ortu*, atque *Origine*, nec non *Subjecto*, sive hominibus istis, qui apud *Babylonios* eas potissimum exercebant, tantisper dispiciam. In reliquis tribus operam sedulam navabo, atque diligentem, ut singulas divinationum species, ad quas *Propheta* l. c. indicem quasi digitum extendit, easdemque ordine recenset, in lucem protraham, ac pro virili excutiam. Mentem modo, atque calamum Deus sanctissimus, hoc dum molior, ita moderetur, atque dirigat, ut semper is sibi constet; & a cœlestis veritatis tramite nullibi declinet.

§. I.

CUm itaque de קסמי הבבל seu *Divinationibus Babyloniorum* a Propheta Ezechiele *Cap.* XXI. vers. 26. introductis, nonnulla exponere semel in animum meum induxi, operæ me ante omnia pretium facturum esse existimo, si prius genuinum vocis קסם significatum in apricum produxero. Denotat vero proprie *divinare*, μαντεύεσθαι, unde etiam קסם *divinatio*, μαντεία, μαντεῖον, quod vocabulum, ut Mercerus docet, omne id, *quicquid ad sciendum futura fit*, sub se complectitur, quo & Kimchius inclinat, quando scribit, quod voce hac *omnis ars, quæ exercetur ad sciendum*, contineatur. Illud ceteroquin probe tenendum est, quod nomen hoc μέσον, *medium*, & *anceps*, sit, atque in *Sacro Codice* nunc in *bonam*, nunc in *malam partem* accipiatur. *Priori modo* sumta vox קסם innuit *sagacitatem*, *judiciique acrimoniam*, in rebus, quæ occultæ sunt, investigandis, atque cognoscendis, uti *Jes.* III. 20. *Prov.* XVI. 10. ubi sapientiam indicat humanam, atque civilem, quæ ex conjecturis, signis, & circumstantiis constat, & comparatur, in causisque alioquin obscurioribus dijudicandis multum valet, usurpatur. Veteribus *Romanis* quoque divinatio *judicii genus* fuit, ut est apud Gellium, atque alios. Divinare enim quodammodo judicem oportebat in ambiguis, quam ferret sententiam. Et hoc sensu קסם vir prudens est, qui ex circumstantiis causas judicat. *Posteriori* vero *modo* si capitur, quod plerumque fieri assolet in divinis, *divinare* mera est *idololatria* I. *Sam.* XV. 23. quando nimirum de Deo, & *rebus sacris*, extra Dei verbum, pro impetu, & libidine animi imaginamur, aut judicamus. In *Scripturis* sane denotat rationem conjectandi, & prædicendi res futuras, quæ per media, & modos, a malo genio suggestos, ab hominibus impiis, ac idololatriæ deditis, exercetur; & hæc notio obtinet *Num.* XXIII. 23. *Deut.* XVIII. 10. 14. I. *Sam.* VI. 2. C. XXVIII. 8. 2. *Reg.* XVII. 7. ut & in præsenti loco.

II. Divinatio autem *in malam partem* accepta, vel *media* est, vel *tantum mala*. Media est, quæ pro causarum, & circumstantiarum varietate, nunc *bona*, & *licita* est, nunc *mala*, & *illicita*. Ad *mediam* non immerito referri potest *divinatio*, quæ fit per *Sortes*, & per *Somnia*. *Divinatio* enim per *Sortes* est I. ) Divina, quando sortes, in negotiis, ac rebus divinis cum precibus, & invocatione nominis Dei, mittuntur, quæque adeo certo ejus voluntatem indicant; nec tamen adhibendæ, nisi *Deo* præeunte, & ubi vel speciale, vel saltem generale verbum ejusmodi quid jubeat. Sic *Lev.* XVI. 8. duorum hircorum unus per *sortem* Deo consecrabatur, alter autem in desertum, ut peccata populi asportaret, protrudebatur. Per sortitionem quoque Matthias, præcedente verbo Dei generali, *Judæ* successor *Act.* I. 26. designatus est. II. Humana, alias *politica* dicta, quando pro rebus humanis, ac in nostro arbitrio, & libertate positis sortes jaciuntur, sic tamen, ut etiam harum eventus precibus a Deo petatur, quippe qui eas sua manu dirigit, ac moderatur. *Prov.* XVI. 33. Hæc, autem, rursus est α ) vel *Divisoria*, quæ usurpatur in bonis communibus partiendis, & quando potissimum dubitatur, cui competitorum, æquali jure nitentium, aliquid sit adjudicandum. (β) vel *Decisoria*, quæ adhibetur in *litibus*, & *controversiis* dirimendis. *Prov.* XVIII. 18. (γ) vel *Consultatoria*, quæ in rebus liberæ electionis obtinet, ut cum e personis, quæ pariter idoneæ videntur, una aliqua eligitur. III. Diabolica, quæ est denuo duplicis generis. *Una* est, quando *sortes* jaciuntur citra Dei mandatum, ad res, sive sint præteritæ, sive præsentes, sive futuræ, inquirendas, cum tacita invocatione Diaboli.

boli. Sic sortitio super *Jonam* C. I. ab impiis nautis facta, prorsus temeraria erat, utut permissionem hujus temeritatis, ad perficiendum opus suum, Deus consilio suo intexerit. *Altera* est, cujus eventus proxime a Diabolo exspectatur, cum aperta hujus invocatione. Et hujusmodi erat secunda species divinationum *Babyloniorum*, debito suo loco fusius excutienda. Divinatio per Somnia, quæ a Græcis ὀνειρομαντεία dicitur, in *Divinam*, & *Diabolicam* dividitur. *Prior* est conjectio somniorum divinitus immissorum, ex quibus res futuræ prædicuntur. Ita Josephus, interpretatione somniorum facta, *Pharaoni* conjecerat futuram fertilitatem, magnamque, quæ sit secutura, annonæ caritatem. *Gen.* XLI. 28. & Daniel *Nebucadnezari* miram rerum commutationem. *Dan.* II. 27. Uterque enim non propriis suis viribus arduum hoc negotium aggressi sunt, sed cœlitus ad instruendos Reges tantam illuminationem in mente sua acceperant, siquidem συνάφεια textus ubivis illud ad oculum demonstrat: *Posterior* est interpretatio somniorum, a Diabolo hominum phantasiæ objectorum, ad res futuras indicandas instituta; Cujusmodi divinationes olim apud eos, qui *Amphiarai* oraculum consulebant, receptæ erant. Hi, teste Pausania in *Atticis*, in pelle arietis immolati substrata recumbebant, eique indormientes nocturna visa expectabant. Ita cum Cimon *Atheniensis* per somnium videret, canem exacerbatum se allatrare, atque ex latratu mistam edere humanam vocem: *I; mihi, catulisque meis redderis amicus*, Astyphilus *Vates* mortem ei denuntiari portendebat, vid. Plut. in *Cim.* Similiter Festus ex *Sinnio Capitone* refert, Sabinos, potissimum, hisce divinationibus fuisse addictos. Hi enim, quotiescunque sacrificia *Diis* grata non fuisse animadverteretur, in se recipiebant, se pro illis, qui rem divinam fecerunt, somniaturos esse. Posteaquam igitur evigilassent, omne, quicquid in quiete vidissent, narrabant, suaque simul vaticinia de cultus integritate edebant. Conf. Hadr. Junii *Animadvers. Lib.* I. C. XVIII. & inprimis Cicero in *Libb.* de *Divinat.* & *Somnio Scip.*

III. Divinatio *tantum mala*, nunc sensu *latiori*, nunc *strictiori*, capitur. Sensu *strictiori* sumta peculiarem divinationis speciem denotat, in qua vero desinienda mirum in modum dissentiunt Doctores, *Judaici* æque, ac *Christiani*. R. Sal. Jarchi in *Comment.* ad *Deut.* XVIII. 10. illam ejusmodi divinationem esse putat, quæ fit *ex baculo*, atque a *Græcis* dicitur *ῥαβδομαντεία*: Ita enim ait: איזהו קוסם האוחז במקלו ואומר אם אלך אם לא אלך וכן הוא האומר עמי בעצו ישאל ומקלו יגיד לו: i. e. *Quisnam est* קוסם? *iste, qui tenet baculum suum, & dicit: Ibone, an non? Et sic ipse* (Dominus) *dicit*: Populus meus lignum suum interrogat, & baculus ejus indicat ipsi. *Hos.* IV. 12. Et hanc forsan conjecturam celeberrimo huic *Judæorum* magistro nimia *Kabbalæ* admiratio subministravit. Si enim *Theoreticæ*, ejusdemque artificialis, *Kabbalæ* partem, quam Judæi גימטריא i. e. *Gamatriam* vocant, tantisper excutimus, vocemque קסם, secundum leges speciei illius, quæ *Arithmetica* dicitur, examinamus, liquet, tot numeros in illa deprehendi, quot continent voces אוחז במקלו. Demonstratio sequens est:

| | | |
|---|---|---|
| ק 100 | א 1 | ב 2 |
| ס 60 | ו 6 | מ 40 |
| ם 40 | ח 8 | ק 100 |
| | ז 7 | ל 30 |
| | | ו 6 |
| 200 | 22 | 178 |
| | | ... 22 |
| | | 200 |

*Aben Esra*, qui communiter ab *Hebræis* encomio חכם i. e. *sapientis* ornatur, in voces קסם קסמים *loc. cit.* ita commentatur: יתכן היותו שם כלל ופירושו חותכי משפט האומרים כי כן יהיה בלא ספק וכן גוזרין וקרוב ממנו קסם על שפתי מלך והפרט מעונן ומנחש ומכשף יתכן היותו שם פרט להוברי שמים וטעם קסמים שיש במשפטי הככבים ראשונים ושניים: i. e. *Non abs re erit* (si statuamus קסם קסמי) *esse nomen collectivum, & significare tales homines, qui decidunt judicium, dicentes: Sic erit absque dubio: nec alienum ab eo est*, (quando *Prov.* XVI. 10. legitur) Divinatio in labiis Regis: *& species* (ejus sunt) מעונן (præstigiator) מנחש (augur) מכשף (veneficus); *interim tamen non incongruum est* (asserere) *esse* קסם קסמים *nomen speciale*, (quod prædicatur) *de iis, qui observant cœlum, & denotare ejusmodi divinationes, quæ fiunt in judiciis stellarum, quæ vocantur primæ & secundæ*. Ab hac vero R. Abenesræ sententia R. M. Maimonides plane recedit, quando in הלכות de עלום *Cap.* XI. Sect. VI. ad hunc modum differit: הי זו קוסם זה העושה מעשה העשיות כדי שישוב ותענה ממשבתו מכל הדברים

הדברים עד שיאמר דברים שעתידים להיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאמר שראוי לעשות כך הזהרו מכך: i. e. *Quis nam est* קוסם? *qui hoc, vel illud agit cogitationibus, nulli intentus rei, donec futura prædixerit, statuendo hoc, vel illud futurum, aut istud vel aliud facere oportere. A tali cavete vobis.* Munsterus in *Comment.* ad *Deut.* XVIII. 10. observat, quosdam per קוסם intelligere בודק (*experimentatorem*), qui sortilegio, aut stipulatione investiget, num bonum sit iter arripere, aut opus aliquod inchoare. Alii loc. cit. istiusmodi divinationem intelligunt, quæ per *inspectionem viscerum*, & sigillatim quidem *humanorum* a gentibus quibusdam suscipiatur. Non enim tantum hominem immolatorum capita, sed inprimis etiam exta humana divinationibus suis *Pagani* destinabant, quibus *extispicinam* facientes futura ominabantur. Incolæ Monæ *Insulæ*, ut docet Tacitus *Annal.* L. XIV. captivos aris feralibus admovebant, & eorum fibris *Deos* de futuris consulebant. Similiter quoque *Cimbri* antiquiores ex captivorum extis victoriam interpretabantur, & auguria captabant, ut Strabo tradit *Lib.* VII. *Geograph.* p. 451. ut plurimum autem ad extispicinam istiusmodi pueri immolabantur. Nam, ut de Domitiano *Cæsare*, qui celebrem Magum Apollonium Tyaneum apud *Philostratum* L. VII. C. II. insimulat, quod in *magicis* suis *sacris* puerum immolaverit, nihil dicam, eandem maculam gloriæ suæ affricuit Menelaus, *Græcorum* Dux, utpote de quo Herodotus L. II. p. 130. adnotat, quod, cum ex *Ægypto* proficisci iste conaretur, & per ventos non posset, sumtis duobus pueris, quorundam indigenarum filiis, exsectisque haruspicinam exercuerit. Ad nefarium autem hunc, ex puerorum extis, divinandi ritum *Mosen* etiam *Deut.* l. c. respexisse, vel inde probare quoque satagit *Sim. Patricius*, quod in aliis etiam locis, ut 2. *Chron.* XXXIII. 6. res, in oraculo *Mosaico* memoratæ, cum traductione liberorum per ignem similiter conjungantur. *Hieronymus*, & *Grotius*, in *Comment.* ad *loc. cit.* קוסם קסמים reddunt: *qui Ariolos sciscitetur. Dionys. Vossius* in *notis* ad *R. Mos. Maim. tractatum* de עכום existimat, fortasse קוסמים peculiariter esse *γεομάντεις*, cum hi per orientem olim fuerint famigeratissimi.

IV. Vox קסם, seu *Divinatio*, *tantum mala*, significatu *latiori* accepta, *κατοπτρομαντείαν*, *ῥαβδομαντείαν*, *γενεθλιακὴν*, *κληδονισμὸς*, & innumera alia divinationum genera complectitur. Hinc *Mos. Maimonid.* l. c. ait: יש מן הקוסמים שמשמשים בחול או באבנים ויש מי שנוהר לארץ וצועק ויש מי שיסתכל במראה של ברזל או בעששית ומדמין ואומרים ויש שאוחז מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר הוא שהנביא אומר עמי בעצו שאל ומקלו יגיד לו: i. e. *Sunt inter* הקוסמים (Divinatores) *qui utuntur arena, vel lapidibus: Sunt item, qui humi procumbentes clamant: alii etiam, qui speculum ferreum, vel vitreum vas inspiciunt, ac ubi secum cogitarunt, proloquuntur: Sunt itidem, qui arrepto in manum baculo eidem innituntur, moxque terram percutiunt, donec cogitata proferunt. De hoc Propheta divit:* Populus meus lignum suum consulit, & baculus ejus indicat ipsi. (Hos. IV. 12.) & R. *David de Pomis* in *Lexico*, מלה קסם inquit כוללת לכל מיני חרטומות לראות את הנולד כמו גיאומנציאה נגרומנציאה אונומנציאה קירומנציאה ואחרים זולתם i. e. קסם *est generale vocabulum*, (complectens) *diversas species: ut sunt γενεθλιακὴ, γεωμαντεία, νεκρομαντεία, ὀνομαντεία, χειρομαντεία* &c. Et hoc sensu latiori, uti in aliis *Scripturæ* locis 2. *Reg.* XVII. 17. *Jer.* XIV. 14. *Mich.* III. 7. etiam hic a *Propheta Ezechiele* sumitur, cum statim adjiciantur *species Divinationum* illarum, quæ a Rege *Babyloniorum* fuerunt adhibitæ. Quapropter *Targum Jonathanis* verbum verbo reddidit למקסם קסם & LXX. *Interpretes*, generali voce usurpata, verterunt: *τοῦ μαντεύσασθαι μαντείαν*: cum quibus etiam convenit *Syrus*, & *Arabs*, quorum ille in translatione sua habet voces ܠܡܩܣܡ ܩܣܡܐ *ad divinandum divinationem*; hic vero vertit: تخمن تخمينا *divinando inquires.*

V. Evoluta jam *Etymi* notione, variisque ejus divisionibus instituti hujus ratio monet, ut in *Originem*, & *Ortum* divinationum *Babyloniorum* jam inquiram, & qua potissimum ætate hæ divinandi, futuraque prædicendi artes invaluerint, ostendam. Hoc autem argumentum melius, & commodius vix illustrari posse existimo, quam si prius incunabula totius cultus *Idololatrici* tantisper expendam. Ubi enim antiquissima *Idololatriæ* monumenta adaperiuntur; ibi & *Astrologiæ*, ex qua, tanquam ex scaturigine, omnes reliquæ divinandi artes fluxerunt, principia insimul manifestantur, quandoquidem in colendis astris ante omnia, & primum ista occupata fuit. Hoc vero dum assevero, inficias quidem ire non possum, quod negotium hoc in se satis arduum, ac difficile mentes *eru-*

*di-*

*ditorum* tantopere a se invicem distraxerit, ut lis nondum decisa, sed ad triarios potius res redacta esse videatur. Multi cum *Cyrillo Alexand. Lib.* III. adverf. *Julianum*, *Lactantio Lib.* II. *Instit.* CXIV. & *Alexandro* de *Hales Part.* II. *quæst.* CLXXVII. *Memb.* VI. quibus etiam adstipulatur *Jo. Henr. Reizius in not.* ad *Godvvini Mosen* & *Aaron. Lib.* IV. *c.* I. & *Jurieu*, *histoire Critique des dogmes*, & *des cultes de l' Eglise Part.* III. *chapitre* II. plane negant, *Idololatriam*, reliquasque superstitiones ante diluvium obtinuisse, & hanc potissimum rationem opinioni huic prætexunt, quod istis sub temporibus mentibus hominum constanter infixa inhæsisset *recens memoria ejus, qui creavit cœlum, & terram, quam ex disciplina Patrum habuerunt*. At enim vero tantum abest, ut firmiori hæc sententia innitatur talo, ut gravissimæ potius obstent rationes, quo minus tuto eidem subscribere valeam. In contrarium solummodo hic urgeo, 1.) quod, cum recens ista *Creatoris* memoria primos parentes, a gravissimo lapsu, quo sibi, posterisque fœdissimas maculas inusserunt, reatumque maximum contraxerunt, minime retardaverit, neque etiam alios, ante diluvium, viventes homines a vita profligatissima revocaverit, non utique verosimillimum sit, quod iidem hi propter recentem maximorum indulgentissimi Numinis, ac Creatoris beneficiorum memoriam ab omni idololatria, divinationibus quibuscunque, ac aliis Satanæ præstigiis prorsus, & semper immunes extiterint. 2.) Quod ex *Kabbala*, seu *traditionibus Patrum*, quæ continua generationum serie usque ad tempora *Mosis* fuerunt propagatæ, abunde, & ipsi cognoverint, *Solem*, *Lunam*, & *Stellas*, dierum, ac noctium dominos esse, iisdemque præsidere. Hoc autem cum in pejorem partem isti interpretarentur, id consilii secum inveerunt, ut ad captandam majorem gratiam, in Deorum numerum fulgentissima illa cœli lumina referrent, maxime, cum dominium istud pro infallibili divinitatis argumento reputarent, &, fraudibus insuper dæmoniacis irretiti, illis superiorem non cognoscerent. 3.) Quod licet inter mundi creationem, & diluvii immissionem, anni saltem 1657. secundum *Scaligeri*, & *Calvisii* computum, intercesserint, multo tamen minori temporis spatio, a diluvio, usque ad *Tharan*, Patrem *Abrahami*, qui anno, post diluvium, 352. circiter natus fuit idololatriæ non denuo cœperunt, sed jam crebro usurpatæ fuerunt. Cum itaque abunde, imo luculentissime hæc, & quæ his gemina sunt, evincant, quod post recentissimam tam inauditæ pœnæ, qua totus orbis submergebatur, atque omne genus humanum, unica excepta *Noachi* familia, extinguebatur, memoriam malesani plurimi gloriam, Deo supremo debitam, ad vanas creaturas retulerint; quis quæso! tam præfrictæ esse poterit frontis, ut amplius inficietur, quasi, ante diluvium, reperti non pauci fuerint, qui otio, & rerum abundantia affluentes, diaboli illecebris, atque blandimentis se submiserint, animique sui cultum, ac mores eidem consecrare voluerint? Conf. *Gen.* VI. 2. ubi בני האלהים *Filii Dei* i. e. *pii*, qualis *Seth*, & *Enos* erant, matrimonio sibi junxisse dicuntur בנות האדם *filias hominis* i. e. impiorum, qui a *Caino* originem duxerant, & veri Dei cultu relicto, Satanæ servitio se mancipaverant. Cl. *Juriaeus*, quod mirari satis non possum, utut eatenus cum prioris sententiæ patronis conspiret, quod idololatria sub temporibus, diluvium antecedentibus, plane non obtinuerit, in eo tamen prorsus ab iisdem discedit, quod asseverat, quasi nulla plane *religio*, sed merus *Atheismus* ubivis floruerit, atque adeo omnium cultuum sacrorum, probatiorum æque, ac falsorum, ritus cessaverit. Ita, enim, l. c. scribit: *Il y apparence, que le crime des hommes avant le deluge etoit l' impiete, & l' Atheisme. Cette disposition d' esprit a l' egard de Dieu est le souverain crime: car les Athees sont beaucoup plus odieux a la divinite, que les idolatres. De plus ce sentiment est plus propre a porter les hommes a cette excessive corruption, dans laquelle le monde tomba devant le deluge. La connoissance d' un Dieu de quelque nature, qu' on le concoive: & le culte de la divinite est de soi propre, a servir de bride aux hommes; c' est pourquoi l' idolatrie n' a pas ete inutile au monde pour en arreter la corruption. Il y a donc apparence, que les exces horribles, ou tomberent les hommes devant le deluge, ne venoient pas, que de ce qu' ils ne connoissoient point de Dieu, & ne le servoient pas.* i. e. *Verosimile est crimen hominum ante diluvium fuisse impietatem, & Atheismum. Hæc animi affectio, respectu Dei summum crimen est; nam Athei Deo multo invisiores sunt, quam Idololatræ. Præterea talis opinio magis valet ad ejusmodi immanem vastitatem, cladem que hominibus inferendam, qua mundus ante diluvium fuit affectus. Notitia Dei, quomodocunque etiam eum tibi concipias, & cultus divinus*, (qualiscunque etiam ille

le sit, ) *per se hominibus instar freni esse potest. Quapropter idololatria non minimum momentum attulisset ad calamitatem, ab hominibus propulsandam.* Hinc *probabile est, gravissima delicta, quæ homines ante diluvium commiserunt, Atheismum, & neglectionem cultus divini, fuisse.* Sed licet illud concedam, quod, ante diluvium, *Atheismus, practice* talis, quem Juriæus, ut arbitror, per *impietatis* notionem intellectum cupit multum invaluerit, nego tamen, ac pernego, Atheismum quoque *theoretice*, & quidem quoad actum continuum spectatum, quem verbis: *cette disposition d' esprit, a l' ègard de Dieu, est le souverain crime, & que les hommes avant le dèluge ne connoissoient point Dieu*, diserte, ac manifesto, asserere conatur, locum habuisse. Tantum enim, abest, ut ejusmodi mentis affectio cum cognitione Dei naturali, & principiis nobis in, cum, & per naturam insitis, & necessario competentibus, conciliari queat, ut potius omnem creaturæ, ratione gaudentis conditionem plane tollat, cum minime fieri possit, ut homo omnem numinis notitiam excutiat, eandemque penitus, ac perpetuo, ex animo proscribat. Deinde a vero quam maxime alienum est, quod nulla ullibi *Ecclesia*, sive vera, sive falsa, floruerit, cum vel *Gen. loc. cit.* ut alia argumenta nunc mittam, pii ab impiis, ante diluvium, aperte distinguuntur. Illud denique prorsus tolerari non posse existimo, quod idem *Criticus* asseverat, quasi *idololatria*, si modo homines illorum temporum operati isti fuissent, non minimum momentum ad calamitatem istam ab illis arcendam afferre potuisset, siquidem ne falcem in alienam messem intromittere videar, vel tribus saltem adnoto, quod *Israel* demum propter idololatricos suos cultus, partim interfectus, partim captus, & in omnes propemodum mundi angulos dispersus fuerit. Cum itaque cum idololatria omne nefas, omnisque malitia, ab antediluvianis quoque perpetraretur, nullusque amplius integritati morum, pietati, ac sanctitati, locus esset; neque isti, præterea *Noachi*, præconis illius justitiæ, admonitionibus, dirisque Dei comminationibus, ad sanam mentem flecti se paterentur, non potuit Deus, quin pro sanctitate, ac justitia sua, gravisimas, ab illis pœnas tandem repeteret.

VI. Ingens insuper inter *Eruditos* reperitur numerus, qui *idololatriæ* originem, artisque, quæ inde derivata est, divinandi incunabula, ab *Enochi* temporibus arcessenda esse arbitrantur. Inprimis huic asserto suffragantur e *Judæis R. Sal. Jarchi*, in *Comment. ad Gen.* IV. *R. Samuel Japhe*, in *libro Jephe Toar. fol.* 163. *R. Sal. Ben Melech* in *Comment. ad Gen.* IV. *fol. m.* 3. *col.* 4. *edit. Constantinop.* aliique; e *Christianis Seldenus*, de *Diis Syris*, *Prolegom. Cap.* III. *pag.* 28. 29. *Antonius Vandalen* in *diss. de Orig. ac Progressu Idolol. & superstitionum C.* II. & plures viri doctissimi ducti, vel potius seducti, auctoritate *R. Mos. Maimonidis*, qui in *Tract.* עכו״ם *Cap.* 1. *Sect.* 1. בימי אנוש טעו בני האדם טעות גדול ונבעתה עצת חכמי אותו הדור ואנוש עצמו מן הטועים היה וזו היתה טעותם אמרו הואיל והאל ברא כוכבים אלו וגלגלים להנהיג את העולם ונתנם במרום וחלק להם כבוד והם שמשים המשמשים לפניו ראויים לשבחם ולפארם ולחלוק להם כבוד וזהו רצון האל ברוך הוא לגדל ולכבד מי שגדלו וכבדו כמו שהמלך רוצה לכבד העומדים לפניו וזהו כבודו שלמלך: & *Sect.* II. כיון שעלה דבר זה על לבם התחילו לבנות לכוכבים היכלות ולהקריב להן קרבנות ולשבחן ולפארן בדברים ולהשתחוות למולן כדי להשיג רצון הבורא בדעתם הרעה וזה היה עיקר עבודת כו״ם: i. e. *Diebus Enosi homines errarunt gravissime, & stupore obruti sunt animi sapientum illius ævi. Etiam ipse Enos inter errantes erat, quandoquidem inquiebant: Deus creavit stellas, & sphæras illas ad regendum mundum, easque in sublimi posuit, & honoris participes fecit, & illis ministris suis utitur. Dignæ itaque sunt, quas laudemus, atque extollamus, & honorem ipsis impertiamur, atque hæc voluntas ipsius Dei benedicti est, ut magnificemus, ac veneremur, quemcunqne ille evexit, & honore affecit: perinde ac si Rex ministros suos honoratos vult, qui honor est ipsius Regis.* Et Sect. II. *Postquam hæc opinio occupavit animos eorum, cœperunt ædificare sideribus templa, & sacrificare, ac laudare, & ornare ea verbis seque coram iis incurvare, ut acquirerent benevolentiam Creatoris perversa sua opinione: idque fundamentum cultus stellarum & planetarum fuit.* Utut autem alias doctrinam, egregiamque antiquitatum *Judaicarum* peritiam hujus *R. Maimonidis* ( quippe de quo *Isaacus Casaubonus* in *Exercitationibus suis*, contra *Baronium Exercit.* XVI. *num.* 72. ut olim *Plinius* de *Diodoro Siculo* dicere non dubitabat, primum illum, inter suos desiisse nugari ) ex merito suo, & ut par est, magnifacio; quo minus tamen ipsius opinioni hac in parte, subscribam gravissimæ, & sequentes, potissimum obstant rationes. Si enim 1. ) scrutamur tempus, quo *Enos* hanc in lucem editus fuerat, subductis sane rationibus, in apri-

prico erit, eum circa 236. annum, mundi conditi, natum fuisse. Sed quis quæso! omnium tam ignarus rerum, tam rudis in *Republica* erit, qui Diabolum tam languido, ac remisso animo, fuisse credat, quo minus integro, & quod excurrit seculo præcedente homines, qui *Enosum* vivendo antegressi sunt, ad superstitiones hujusmodi seduxerit? aut quis inter tot mortales, immani naturæ corruptione infectos, & ad rebellionem, omnemque nequitiam, proclives, ne unum quidem repertum fuisse existimet, qui vero veri Dei cultu neglecto Satanæ suggestionibus, locum relinquere & ad peregrina, ac fictitia, hujus sacra se convertere voluerit. 2.) Altum, plane de eo in Scriptura S., est silentium, quod, nimirum, homines *Enosi*, demum, tempore, ad istiusmodi errores atque superstitiones, fuerint delapsi; neque unquam etiam probari ex Sacro Codice potest, *Enosum* istis sordibus sese polluisse. Objici quidem mihi hic poterat, quod *Mosis* ista *Gen.* IV. 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה, ita, a nonnullis, imo pluribus, *Hebræorum* Doctoribus accipiantur, quasi *tunc Enosi* scil. demum temporibus *cęperit Dei cultus profanari*, & *corrumpi* eo videlicet quod sacrum Dei nomen ad homines, & idola, quæ colerent, *Caini* posteri transtulerint. Et ne quid reticeam hanc etiam sententiam inculcat *Targum Onkelosi*, quod *Veneti* ediderunt, cujus tenor sequens est: בכין ביומוהי חלנ בני אנשא מלצלאה את בשמא דיי׳ i. e. (ut *Fagius* vertit) *tunc in diebus ejus*, *cęperunt* i. e. *profanati sunt homines*, *ut non amplius invocarent nomen Domini*. *Kimchius*, ut alios Magistros *Judæorum* non atingam, in *libro Radic.* præsentem locum ita exponit: כי בימי אנוש טעו אחר עבודה זרה וקריאה בשם י׳ אז הוחלה ויש מפרשין אותו מענין התחלה ופירושו כי אז הוחלו בני אדם לקרא שמות הנלולים והעצבים בשם יהוה׃ i. e. *Eo*, *quod in diebus Enosi erraverunt post idololatriam*, *& invocatio nominis Dei tunc profanata fuit*. *Sunt item*, *qui verbum hoc per incipere exponunt*, *ut sensus ejus sit*, *quod tunc inceperunt homines vocare nomina idolorum*, *& simulacrorum nomine Dei*. At enimvero utut prorsus non negandum sit, quod חלל *profanandi* etiam significatum admittat, hic tamen locorum, ubi præpositio ל immediate, in sequenti notione, eidem subjungitur, insuperque non nomen, sed aliud quoddam verbum isti appositum est, non per *profanare*, sed potius *incipere* verti debebat; quem significatum, vel inde, etiam hic, obtinere judico, quia conjugationes *Hiphil* & *Hophal*, profanandi notionem, prorsus excludunt. Accedit quod loc. cit. de *Sethi*, non de *Caini*, posteris agatur, atque doceatur, tempore *Enosi* pios *Adami*, & *Sethi* posteros publicos conventus instituisse, in quibus Deum non duntaxat, privatim, & quisque, in propria familia, verum etiam publice sacrificiis, certisque precum formulis, colerent. *Paraphrasi Chaldaicæ* exempli *Venetiani* opponimus *Hispanicam*, quam *Complutensem* vocant, quæ loc. cit. reddit בכין שריאו בני אינשא לצלאה בשמא דיי׃ i. e. *Tunc cœperunt homines orare in nomine Domini*. Kimchio vero, *Salomoni*, & aliis *Hebræorum* Doctoribus, *Aben Esram*, qui ad *Mosis* verba hic notat: הטעם שהחלו להתפלל i.e. *sensus est quod tunc cęperint orare*, seu ritus certos Deum colendi instituere, quos observarent *filii Dei*, i.e. membra veræ *Ecclesiæ*, quam in posteris *Sethi* hæsisse multi arbitrantur, conf. *Franzius Schol. Sacrific. disp.* II. §. 119. p. 38. 39. *Gerhardus Tom.* VI. L. de *Minist. Eccl.* p. 22. & *Tom.* V. de *Eccl.* p. 86. & in *Comment.* ad *Gen.* C. IV. *Calov.* in *Bibl. illustr.* ad *loc. cit.* *Clarius*, item *Drusius*, *Amama*, *Cartwrightus*, *Flacius Clav. Script.* S. P. II. p. 378. *Leusdenius Phil. mixt.* p. 292.; ex *Hebræis*, autem Doctoribus sigillatim, R. *Aben Esra loc. cit.* & *R. Isaac Abarbanel* in *Comment.* ad eundem loc.

VII. Illud minimum, pro certo, affirmari potest, quod ortus illarum superstitionum, ac divinationum, omnisque cultus idololatrici, si ad primum fomitem curatius attendere velimus, non aliunde, quam a prima illa, qua *Protoplastos* in *Paradiso* Diabolus adgressus est, tentatione, & quæ eam sequebatur, seductione arcessendus sit. Simulac enim primi *Parentes* a Deo deficiebant, & concreata ita imagine divina privabantur, universa natura humana tantopere statim immutata, atque corrupta, est, ut pro luce, ac sapientia, in mente *cimmeriæ* fere *tenebræ*, incredibilisque rerum ignorantia; pro sanctitate in voluntate iniquitas, & fastidium optimi *Creatoris*; pro rectitudine appetitus utriusque rebellio dominarentur. Cum itaque hoc peccatum *Originis*, uti in Scholis *Theologorum* appellari solet, temere non quiescat, sed subinde, modo hunc, modo illum vitiosum actum exerceat, suasque vires, nunc per mala dicta, pravasque actiones, turpiter exerat; mirum plane non est quod primos etiam istos homines, qui ante

te diluvium, orbem incolebant, ad peccata quæcunque sollicitaverit. Factum hinc est, ut cum idololatria omnes superstitiones, morumque corruptelæ, verbis non exprimendæ, in nervum indies, magis magisque erumperent, & publicam inprimis rem misere, conturbarent. Utut enim non negem, quod in homine, post lapsum notitiæ quædam insitæ, quas *Græci* Κοινὰς ἔννοιας vocant, remanserint, & qualis qualis de Deo cognitio naturalis; manca tamen sunt hæc omnia, atque mutila, & ita comparata, ut miseri mortales in abdita, & præcipitia quævis facile, detrudi potuerint. Posteaquam igitur perfectiorem Dei notitiam isti amisissent, atque adeo supremum illud Numen, quod ab oculis nostris absconditum est, amplius non comprehendissent, ad exercitus cœlestis *Solis*, *Lunæ*, reliquorumque siderum fulgentissimorum cultum, divinitatem sensibus vitæque commodis metientes, deflexerunt, eademque vivere, animabusque insitis prædita, imo plane *Deos* esse judicarunt, cum admirabilem in illis splendorem, præstantissimamque motus rationem animadverterent. A perversissima hac consuetudine, *Israelitas*, per *Mosen*, Dominus deterrere *Deut.* IV. 19. studet, dum severe istis injungit, ne ad *cœlum oculos tollant*, *videntesque Solem*, & *Stellas inflexo corpore eas adorent*, siquidem illa omnia populis, sub universo cœlo degentibus, largitus fuerit, ut bene notat *Clericus*, in commune, & sine ulla divisione. Ad eundem hunc antiquissimum siderum cultum *Jobus* quoque C. XXXI. 26. 27. provocat, quando a se summovet nefandum *idololatriæ* crimen, & profitetur, quod, *licet viderit lucem*, *quod splenderet*, & *Lunam*, *quod pulchre incederet*, *cor tamen suum in secreto seductum non fuerit*, *osculumque manus sua ori non tulerit*. Ex profanis scriptoribus unicum *Diodorum Siclum* hic adduxisse sufficiat, qui *Lib.* I. *Biblioth.* C. II. τὸς ἀνθρώπυς, inquit, τὸ παλαιὸν γενομένυς ἀναβλέψαντας ἐς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας, καὶ θαυμάσαντας ὑπολαβεῖν εἶναι θεὺς ἀϊδίυς τε καὶ πρώτυς, τόν τε Ἥλιον, καὶ Σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι. Conferri insuper possunt *Clem. Alexandrin. Orat. Protrept.* ad *Gentiles*, & Lib. *Stromatum* passim, *Prodicus Chius* apud *Sextum Empiricum Lib.* VIII. C. II. *Seldenus loc. cit. Prolegom.* C. III. *Frid. Spanhem. Hist. Eccles.* V. T. p. 249. *Marshamus* in *Canon. Chron.* Sec. IV. & *Basnage Antiquites Judaiques Tom.* II. *Chapitre* I. p. 363. & 364. In caussa hæc quoque res fuit, ut *Judæi* omnem cultum idololatricum, communiter nuncuparent עבודת כוכבים ומזלות, quæ voces, si proprie transferantur, cultum *stellarum*, ac *planetarum* denotant. Nec aliunde, pariter profectum est quod in *Hieroglyphicis Ægyptiorum Stella Deus* exprimeretur. Ἀστὴρ, inquit Orus, παρ᾽ Αἰγυπτίοις γράφομεν, θεὸν σημαίνει. Ceterum, cum homines isti corpora cœlestia maxime suspicerent, ac venerarentur, eorumque fulgorem, & lucis vicissitudines, situm, ortum, atque occasum, nimium quantum, admirarentur; in istum tandem errorem delapsi sunt, ut ex illis de hominum fortuna, fatis, & actionibus variis judicare, ac quod cuique eventurum esset, præsagire conarentur. Et hæc quidem perversa *Gentium* instituta pro veris, ac genuinus fontibus, ex quibus omnes artes divinatoriæ, & diversa prædictionum genera demum promanarunt, & originem suam sumserunt, merito habenda esse censeo, utut ceteroquin quo potissimum tempore id acciderit, præcise, & accuratius definire nequeam.

VIII. Quemadmodum vero testa odorem, quo semel est imbuta diu servat; sic etiam post diluvium hominum mentes, cum semel superstitiosis opinionibus ob naturæ humanæ pravitatem essent imbutæ, illis mordicus, atque pertinaciter adhæserunt. Provocant nonnulli, ut fidem huic asserto faciant, ad ipsum etiam *Chamum*, atque arbitrantur, *idololatriæ*, aliarumque *superstitionum* vestigia in eo, haud obscura deprehendi posse, siquidem vero videatur admodum esse consentaneum, ut ille, qui *Patris* honori non pepercerat, sed eum potius, nefario ausu, lacessere satagebat, Deo quoque, & legitimo ejusdem cultui, derogare, & ad malas, atque idololatricas artes se conferre voluerit. *Judæi* sane palam istum pro magiæ auctore venditant; *Gentiles* vero per *Hammonem*, *Patrem* execantem, id quod per magicam ἐπαοιδὴν, seu *incantationem*, factum fuisse *Judæorum* pariter *Magistri* perhibent, eundem illum nobis repræsentant. Quod autem, *Cassianus Collat. Lib.* VIII. C. XXI. scribit, *Cainum* qui superstitionibus istis antiquioribus, quæ ante diluvium jam tum, obtinuerint, infectus, artibusque Magicis institutus fuerit, ipsas has diversorum metallorum laminis, quæ scilicet, aquarum non corrumperentur injuria, durissimisque lapidibus, quo magiæ doctrinam, quam secundum *Pseudo*

*Cle-*

*Clementem Lib.* IV. *Recognitionum Magicarum*, ab Angelis mulierosis, ante diluvium, traditam) accepiſſet, ad poſteros ſuos propagare poſſet inſculpſiſſe; illud omnino fruſtra, & ullo abſque ideo fundamento adſtruit. Intrepide potius, & majori cum plauſu affirmo, quod a *Chami* Filiis, nepotibus, hæ ſuperſtitioſæ artes poſt diluvium in primis excultæ fuerint quæ ipſæ, deinde facta confuſione linguarum *Babylonica*, & *Gentium* permixtione, majora indies incrementa ceperunt. Et quidem, quod ad idololatriam, ſuperſtitiones artesque divinandi *Babyloniorum* ſigillatim attinet, iſtæ a כשר *Cheſed*, filii *Nachoris*, qui *Abrahami* frater erat, (*Gen.* XXII. 10.) poſteris in terram, quam a genitore ſuo כשר *Cheſed*, *Chaldæam* nuncupabat, quemadmodum eadem ante quoque ab *Aſſure Aſſyria*, & ab inchoata turri *Babel Babylonica* dicta erat, auctoribus, *Zoroaſtre* inprimis ac *Belo* famoſiſſimis ſcientiarum, apud *Chaldæos*, ut multi docent, auctoribus introductæ ſunt: vid. *Diog. Laert. Lib.* I. *Plin. Lib.* XXX. *c.* I. *Suidas* in *Zoroaſtre*, aliique. Inter artes autem divinatorias, præcipue *Aſtrologiam*, eandemque *Apoteleſmaticam*, per quam *Adriano Junio* in *Lex. Græco-Lat.* docente, ea quæ cœlum ex aſtrorum compoſitione, & adſpectu mutuo, in natali cujuſque hora efficit, ſive effectus geniturarum, ab effectione cœli manantes, manifeſtabantur, potiſſimum magnifaciebant. *Chaldæi* enim, teſte *Cicer. Lib.* I. *de Divin.* propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cœlum ex omni parte patens, atque apertum habebant, in quo motus, viciſſitudineſque ſiderum contemplari, & pro ſitu, curſuque illorum divinationes inſtituere potuerunt. Cum vaniſſima hac *Aſtrologia judiciaria* alias quoque divinandi artes conjungebant, inter quas *Diod. Siculus loc. cit.* refert: Τὴν διὰ τῶν οἰωνῶν μαντικὴν ἐνυπνίων τε, καὶ τεράτων ἐξηγήσεις, καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν. *Divinationem per aves, ſomniorum prodigiorumque interpretationes, & quæ pertinent, ad Haruſpicinam.* In omne vero hoc negotium, ubi penitius quodammodo introſpexerimus, veritate compulſi, haud gravatim fatebimur; quod hæ artes *Babyloniorum* jam ante *Abrahami* tempora, caput dudum extulerint. Conſtat enim ex *Joſ.* XXIV. *Abrahamum* e parentibus idololatricis natum, ipſumque his ſuperſtitionibus ante vocationem ſuam, fuiſſe innutritum. Unde *R. Moſ. Maimon.* in *Hilchot* עכום cap. I. §. II. כיון שנגמל איתן זה התחיל לשוטט בדעתו והוא קטן והתחיל לחשוב ביום ובלילה והיה תמיה אפשר שיהיה הגלגל הזה נוהג תמיד ולא היה לו מנהיג ומי יסבב אותו כי אי אפשר שיסבב את עצמו ולא היה לו מלמד ולא מודיע דבר אלא מופקע באור כשדים בין עברי ע׳ז הטפשים ואביו ואמו וכל העם עבדי ע׳ז והוא עובד עמהם: i.e. *Poſtquam ablactatus, eſt fortis ille* (nempe Abrahamus) *cœpit vacillare animus ejus, dum etiamnum parvus erat, & orſus eſt cogitare, die ac nocte cum admiratione, quomodo fieri poſſet, ut orbis hic aſſidue regeretur ſine rectore, aut quis eum circumageret, cum ſponte ſua nequiret. Neque erat ei doctor, aut ullus omnino, qui ei quidpiam indicaret, ſed in terra Chaldæorum ſubmerſus erat inter fatuos Idololatras. Pater ac mater ejus quoque omniſque populus idola colebant, & ille una cum illis.* Conf. ejuſdem *More Neboch. Lib.* III. *cap.* XXIX. *R. Gedalias* ben *Jechajæ* שלשלת הקבלה *fol.* 8. *Alcor. p.*79.; e *Chriſtianis Euſebius Hiſt. Eccl. Lib.* I. *cap.* V. *Ephrem Syrus Lib.* II. *de Pœn. Ambroſ. in Pſ.* CXVIII. *Poſſevinus Lib.* II. *Bibl. Select. cap.* VII. *Cunæus* de *Rep. Hebr. p.* 271. *Rivetus Exercit.* LXX. *in Gen. Rainold.* de *Idol. p.* 196. *Chemnitius p.* I. *Exam. p. m.* 134. *Hunnius Quæſt. & Reſp. de Prædeſt. p.* 243. *Balduinus Conc.* LXV. *in Joſ. p.* 836. *ſeqq. & Calov. Bibl. Illuſt. ad Joſ.* XXIV. aliique. Omnino autem iſti non audiendi ſunt, qui a turpiſſimo hocce ſcelere, neſcio quibus argutiis, *Abrahamum* prorſus liberare diſcupiunt. *Quaſi vero*, ut *Maſius* habet ad *Joſ.* l. c. *Non tanto illuſtrior ſit Dei gratia, qua illum eſt complexus, quanto ipſe fuit ſceleratior, minuſque tanto dignus, ac non pro admirabili beneficio Dei toties memoret, inculcetque animis noſtris S. Hiſtoria, quod illum, quaſi manu acceptum, e patria & idololatrarum conſortio extraxerit.* Judæi enim, qui fabulam de אור *Chaldæorum* i. e. *igne*, ut ajunt commentiti ſunt, quem *Abrahamus* noluerit, patriis ritibus adorare refelli non merentur, cum loci nomen אור eſſe certiſſimum ſit. *Taran* autem, parentem illius tum temporis, cum in Ur hucdum degeret idololatram fuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt, imo *Judæorum* nonnulli in שלשלת הקבלה loc. cit. ad quem librum *Hottingerus* etiam in *Smegmate Orient.* c. VIII. p. 290. provocat, docent, quod *Sacerdos* fuerit; alii vero ex iſtis aſſeverant, quod fuerit *Statuarius*, qui ex materiis quibuſlibet imagines confecerit λέγων τούτους εἶναι θεούς, ut *Suidas* ait, ut pote qui una cum *Epiphanio* hanc ſententiam amplectitur. vid. *Bochart.* in *Phaleg.* l. II. c. V.

*Maimonides* interim l. c. poſteaquam de ipſo *Abrahamo*, quaſi iſte annum adhuc agens quadrageſimum octavum, ad cultum Creatoris converſus fuerit, ſuppoſuerat, ulterius monet, quod *Tarah* quoque pater ejus pœnitentiam egerit, & ad veri ac unici *Dei* cultum perductus fuerit, ſecundum *Gen.* XI. 31. quam tamen conjecturam laudatus *Maſius* l. c. variis rationibus in medium allatis enervare allaborat.

IX. Plura de Origine divinationum *Babiloniorum* hac quidem vice non urgeo, ſed pro inſtituti potius ratione contemplabor *Subjectum*, ſeu iſtud hominem genus, a quibus potiſſimum famoſiſſimæ divinandi artes apud *Babylonios* fuerint excultæ. Hi vero a *Daniele* cap. II. & IV. ſub diverſis quinque nominibus qualia ſunt: חרטמים אשפים מכשפים כשרים גזרים nobis manifeſtantur. Excubias quaſi ex his agit τὸ חרטמים nomen, ſuper cujus genuino ſignificatu *Critici* hodienum inter ſe non parum digladiantur. LXX. *Interpretes* τὸ חרטמים *Gen.* XLI. 24. per ἐξηγητὰς (ἐξηγητὴς autem *Heſychio* teſte, victimarum, extorum, atque oſtentorum interpres eſt,) *Exod.* VII. 11. contra per ἐπαοιδὰς *incantatores* exprimunt, quemadmodum in *Daniele* τὸ חרטם per ἐπαοιδὸς a *Theodotione* redditur, id quod *Sam. Bochartum Hieroz. Part.* II. *Libr.* IV. *cap.* XVIII. ſigillatim movit, ut confugeret ad *Arabicum* רטנא, quod *murmurare*, & *ignotæ linguæ verba proferre* ſignificat, imo & *incantare* apud *Chaldæos*. Oſtendere itaque conatur *Vir. Celeb.* quod ח vocibus interdum, & præfigatur, & detrahatur, מ vero & נ ſæpius permutentur. At enim vero additio τῦ ח & mutatio τῦ נ in מ in voce, nimis ſuſpecta foret, ſiquidem hac ratione, atque pacto nulla non *etymologia* procederet. *Syrus* & *Arabs* per ܚܪܫܐ & לחרשא *Conjectores* ſcilicet ſomniorum, ut addit *Hieronymus*, vertunt. Sed cum expoſitio hæc nimis generalis eſſe videretur, quidam eo delapſi ſunt, ut exiſtimarent, quod חרטמים apud *Ægyptios* æque ac *Chaldæos* ſuperſtitioſos ſuos ritus miniſterio, & ope oſſium e cadaveribus reſiduorum maxime exercuerint; ſiquidem notiones חרוים טומים *oſſa combuſta*, quæ ad præſtigias ſuas adhiberent, indigitent. Ad hanc autem divinorum claſſem in primis referendos eſſe judicarem בעלי אוב *Pythones* cum communis *Rabbinorum* gloſſa *tradat*: שבעל אוב של עצמות שעושה כישוף בעצמות מת: i. e. quod *Baal Obb*, ſive *Pytho oſſium ſit is, qui exerceat magiam cum oſſibus mortuorum*. Seceſſum ab his quodammodo facit in *Hiſtoria Philoſoph.* V. I. *Sect.* I. *cap.* IV. *Stanlejus* quando aſſerit, quod חרטום a *Perſica* voce חרד, mutato ד in ט, quæ ſignificat *ſcire cognoſcere*, deſcendat atque ideo חרטמים ejuſmodi *Philoſophi* fuerint, qui cognoſcendæ rerum naturæ operam dederunt, quos haud incongue *Theologos*, & *Phyſicos* appellarem, qui ſtudio *Phyſico* præcipue ſedulam navarunt operam, & abditas rerum naturalium cauſſas, ortum, ſtatumque ſcrutati fuerunt. Et huic quidem ſententiæ favere etiam videtur *Vatablus* in *Comment ad Dan.* c. II. item *R. Abeneſra*, qui in *Comment. ad l. c.* aſſerit: כי החרטמים הם חכמי התולדת היודעים העקרים ותולדת כל דבר וכל מעשים שיעשו בלט לפי קרא להם נבוכדנצר בעבור שהם יודעים עיקר החלמות ואיך תראה הנפש דמיונות בלילה: id eſt חרטמים *eſſe Phyſicos, qui intrinſecas quarumlibet rerum cauſſas, ortumque & naturam cognoſcunt, atque omnia ea, quæ vel clam facta ſunt deprehendunt. Unde & Nebucadnezar eos accerſivit, quod noſſent, quæ eſſent præcipuæ, ac intrinſecæ inſomniorum cauſſæ, & quomodo animus ipſe, noctu objectas rerum imagines & ſpectra conciperet*. Sed ut & huic criſi, quæ nimis generali ſignificatu gaudet, & ſcopum propius attingere non videtur, pluribus immoremur, operæ pretium non eſt; inde, porro potius, obſervamus, quod ex mente *R. Sadiæ*, qui vocem compoſitam eſſe judicat ex חור & אטום, ejuſmodi homines hi fuerint, qui ex arboris foramine obthurato, ſeu obſtructo, præſtigiis, veneficiiſque adhibitis divinationes elicerent; At enim vero, idoneis vix aliis ullis divinandi hoc genus comprobari poterit exemplis, ac teſtimoniis, niſi forte quis ad fatidicam *Dodonæ* quercum in *Chaonio Epiri* nemore, ſitam provocare, hic velit, utpote de qua *Homerus Odyſſ.* ξ. v. 328. ita canit: ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βυλὴν ἐπάκυσαι, quæ tamen ut & reliqua, quæ de *Columbis Dodonæis* a *Poetis*, aliiſque, proferuntur, fabulis, jure ac merito ſuo annumerat *Strabo loc. cit.* l. VIII. p. 505. Quidam ex recentioribus, curioſius ט interjectum conſentes ad חרם hic confugiunt, quaſi a *devovendo* fuerint dicti, quæ derivatio quemadmodum nimis contorta eſt; ita ea in media relicta, de *Jo. Clerico*, hucdum noto quod *Comment. ad Gen.* l. c. ſatis ſpecioſe doceat, hanc vocem ex *Syriacis* & *Chaldaicis*, חור *vidit*, & טום *claudere* eſſe deducendam, quoniam ſcil. *Majorum* atque *Hariolorum* fuerit, ut ea, quæ aliis homini-

ni-

nibus clausa, & incognita sunt ipsi clarissime quasi viderent ac perspicerent. Sed cum ipse *Clericus*, in applicatione vocis titubet, & nescius sit, ad quondam divinorum genus *etymologiæ* ratio *Caldaica* restringenda sit, tutissimum erit, ut præstructo scil. fundamento, quod notio hæc, quæ alias dubio procul pro peregrina, & ab *Ægyptiis* æque, ac *Babyloniis* olim usurpata, haberi posset ex ipso *Hebraismo* erui, quodammodo, debeat asseram, atque adeo quod חרטמים ejusmodi divinatores fuerint, qui varios characteres, & superstitiosas picturas, ac imagines, in impiæ divinationis suæ arte exercenda adhibebant. Firmat hanc interpretationem (1.) Vox חרט, quæ a Græcis redditur γραφὶς; Hoc autem vocabulum non tantum *stylum*, aut *cœlum*, seu *penicillum*, quod instrumentum est artificis, sed artem etiam ipsam v. c. *picturam cœlaturam* vel *sculpturam*, quæ stylo conficitur denotat, (2.) Aptissima vocis derivatio a Rad. חרת, *sculpsit exsculpsit*, ea tamen sub conditione, facta, ut *aspiratam*, solum in *tenuis* locum a *Scripturibus Sacris* surrogatam, & ח *Heemanticum*, insuper in subsidium hic evocatum fuisse conjectari poterat, ad formam מלכום 1. Reg. 11. 5. נרעום Jud. xx. 45. שלשם *Gen.* xxxi. 2. a *Radd.* מלך, גרע, & שלש (vid. Celeb. *Danzii Paradigm. nominum* &c. p. 38.) (3) *Chaldæorum* genius atque indoles, siquidem populi isti magnum super studium, in superstitiosis Characteribus, cælatisque imaginibus, perficiendis collocarunt; id quod vel ex imaginibus *Talismanum*, & *Theraphim*, prædicendorum futurorum caussa elaborati, de quibus infra in *Diss.* III. plura adnotabo aperte colligi potest. (4.) Celeberrimorum, tam *Christianorum* quam *Hebræorum*, auctoritas quandoquidem præter *Nicol. Fullerum* in *Miscell. Theolog.* lib. v. cap. xi. *Dionysius Vossius*, *Menasse ben Israel Problem.* xxii. de *Creat.* *Avenarius* in *Lex.* huic meditationi nostræ adstipulantur.

X. Secundum, inter divinos *Babyloniorum*, locum occupant אשפים, quorum mentio uti *Dan.* ii. 2. 10. 27. cap. iv. 4. c. v. 7. 11. 15. injicitur; ita *R. Sal. Ben Melech*, in *Comment.* ad *Dan.* c. ii. commemorat, quod fuerint החוזים בכוכבים i. e. *Astrologi*. Suffragantur Doctori huic *Hebr. Eduard. Leigh.* in *Crit. S. Ludov. Tomasinus in Glossar. Univ. Hebr.* & *Guilielm. Robertsonius in Thesauro L. S.* quando monet, quod אשף sit *Sophus*, *sapiens in Astrologia*, & *in auspiciis*, *augur*, *auspex*, *Astrologus*; Similiter, quoque, *Itali*, *Galli* & *Angli*, *gli Astrologi*, *Astrologues*, & *Astrologers*, notiones, hic habent, cum quibus, etiam, *Junius*, & *Tremellius*, concordant. *R. Jacchiades*, autem, per אשפים intelligit *Sapientes* בשכל המעשי, *intellectu practico* excellentes, quemadmodum οἱ חרטמים eidem isti sunt *Sapientes*, intellectu *Theoretico* præclari, quem tamen *L'Empereur*, in *Comment.* ad *Dan.* l. c. falli arbitratur, quod אשפים potius, *Arabum Sophoun*, demto scil. א ab initio, quæ vox *sapientem*, atque *pium*, significat, extiterint, quique adeo contemplationibus rerum divinarum vocaverint, omniaque in iis, *mystice* & *allegorice* explorare, consueverint. Unde non pauci sunt, qui existimant, probabile esse, quod ab אשף σοφία *Græcorum*, & *Sapientia Latin.* ortum trahant, item *sapio*, *sapere*, *sapiens* siquidem eandem hanc litteram פ alii modo, per *Pe*, πῖ, alii per *Phe* φῖ pronuntiant; *Hispanis*, vero *Sabio*, *Sabieza* est *sapiens*, *sapientia*, & forsan indidem, & ob consonantiam literarum, B & P; nisi consultius esse videatur, ut ab *Hebr.* & *Chald.* שיבא & שב *Sab*, & *Seba*, *Senex*, *Senectus*, ista derivemus. *Grotius* אשף censet esset *Græcorum* Σοφὸς, eo quod *Thales*, aliique *Græci*, ante ipsum, quoque, *Nebucadnezarem* floruerint. *R. Aben Esra*, contra, in *Comment.* ad l. c. contendit: כי אשפים הם הרופאים וקרא להם נבונדנצר שהיו יודעים בדפק הזרוע או במים לפי השתנות הגוף ורוב החלומות ההולכים על מתכנת הגוף: i. e. *Aschaphim esse Medicos*, *eosque accersivisse Nebucadnezarem*, *quia ex brachii* i.e. (arteriæ,) *pulsu*, *aut aqua*, (i. e. urina) *cognoscunt alterationem corporis*, *& multitudinem somniorum*, *provenientium ex corporis dispositione*. Pari modo accipit etiam *R. Nathan* in *Concordant.* insimul, tantum, adjiciens, aut חוזה *speculator*, *videns*, vel *Propheta*. Ut, vero, ultimam hanc sententiam, quæ pro *Medicis* pronuntiat, vel eam ob caussam, meam non facio, quoniam non *Versionum* solummodo, tam *antiquissimarum*, quam etiam *recentiorum* calculo destituitur sed quod ex historia insuper, profana probari, plane, non possit, quasi divinandi artes *Medici*, apud *Chaldæos* exercuerint; ita prioribus nuncium, prorsus non mitto, sed potius tolerari istas, quadantenus, posse arbitror, maxime, cum & ipse *Luth. Germ.* weiße autentico substituat. Cum vero, ceteroquin, *Syrus* vocem per suum ܐܫܦܐ plane, non vertat; LXX. *Interpret.* *Arabs* & *Vulgatus* autem ad μάγους apud *Danielem*, se recipiant, nomen etiam, *sa-*

*ſapientis*, uti & *videntis*, & *Prophetæ*, nimis generale ſit, & omnibus divinis adſcribatur; *Aſtrologi*, vero, ut infra percipiemus, per כשדים indigitentur, exiſtimarem, quod Magi notio haud incongue forſan eligi queat. Probe autem, notandum eſt, quod *Magorum* nomen nunc in *malam* nunc etiam in *bonam* partem accipiatur. In *bonam* partem quando ſumitur (1.) de *Theologis* (2.) de *Philoſophis* (3.) de *Politicis* prædicatur. (1.) tribuitur *Theologis*, utpote qui Deorum cultui olim vacabant, & publicos de Diis rebuſque divinis ſermones habebant, reliquaque ſacra obibant. Spectant huc *Clitarchi* iſta, quæ in *Lib.* XII. ap. *Diog. Laertium* in *vitis Philoſoph. Lib. I. Segm. 6.* ediſſerit ſcribens: τοὺς δὲ Μάγους περί τε θεραπείας θεῶν διατρίβειν, καὶ θυσίας, καὶ εὐχὰς ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους. Ἀποφαίνεσθαί τε περί τε οὐσίας θεῶν, καὶ γενέσεως, οὓς καὶ πῦρ εἶναι, καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ. Sic *Xenophon* Lib. VIII. Κύρου παιδείας pietatem *Cyri* magnis effert laudibus, quod, cum proſpero fortunæ flatu uteretur, de rebus divinis maxime laboraverit, *Magoſque* conſtituerit, ſacrorum hymnorum & ſacrificiorum præſides. Hoc ſenſu etiam *Varinus* μάγον interpretatur θεόλογον, καὶ ἱερέα. Conf. *Petrus Crinitus*, de *honeſt. diſciplin.* l. II. c. *Porphyrius*, l. IV. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *Barthius* ad *Claudian.* p. 290. *Apulejus*, in *Apologia* & *Plato* in *Alcibiade* primo. (2.) *Philoſophis*, iiſque præcipue, qui naturam, ejuſque diverſas qualitates, affectioneſque ſcrutantur. Ita *Philo*, in tractatu, *quod omnis probus liber*, p. 618. *Magos* vocat τὰ φύσεως ἔργα διερευνωμένους *natureæ perſcrutatores*, qui per otium, divinas virtutes contemplantur clarius, & alios iiſdem initiant myſteriis: *Photinus Magum*, naturæ miniſtrum, vocat, & *Marſilius Ficinus Comment. in Plat. Orat.* VI. cap. X. notat Magicæ opus eſſe attractionem rei unius ab alia, ex quadam cognatione. Nec negari poteſt, nonnunquam *Magum* denotare ejuſmodi *Philoſophum*, qui *Aſtrorum*, motuumque cœleſtium peritus eſt; quales, procul dubio, fuerunt *Magi*, ſtella duce, *Bethlehemum* profecti. (3.) *Politicis*. Sic Regum miniſtri, atque Conſiliarii, *Magi* olim, appellabantur, quibus maximos honores, imperiaque, fuiſſe delata teſtatur *Strabo loc. cit. Lib.* I. p. 43. De *Cambyſe* ſigillatim, legimus, quod, ad bellum *Ægyptiacum* proficiſcens, reliquerit *Magorum* unum μελεδωνὸν τῶν οἰκηίων vid. *Herodotus Lib.* V. *cap.* XXIII. ſeqq. De *Beleſo Babyloniorum* Imperatore conſtituto, memoriæ, quoque, prodidit *Diod. Sicul. loc. cit. Lib.* III. *cap.* VII. quod fuerit *Magus*, & in arte divinandi egregie verſatus. In fœderibus cum aliis populis pangendis, *Magos* ſimiliter adhibitos fuiſſe, docet *Lucanus Lib.* VIII. de *bello civ.* v. 218. ſeq. Eadem vero, *Magi* notio, in malam partem ſumta ſignificat ejuſmodi hominem, qui, maleficis artibus, dæmones conſulit, iis ex compacto imperat, rerum occultarum notitiam profitetur, ac incantationibus, faſcinationibuſque, aliis imponere ſolet. Et hoc in ſenſu, vocabulo hoc utitur *Aruch*, in Lexico, quando ait: מגוש בלשון יון מכשף גידופי כופר העיקר ורטין id eſt *Magus lingua græca eſt præſtigiator blaſphemus negans fundamentum* (ſeu *Atheus*), *&* *incantator*. Et ad hoc, quidem, *Magorum* genus indicem quaſi digitum extendunt *Talmudiſtæ*, quando mortis reum iſtum judicant, qui, faltem unum verbulum a Magis diſcat הלומד דבר אחד מן המגוש חייב מיתה vid. *Tract. Talmud.* שבת *fol.* 75. l. De his *Magis* porro & illud notari merebitur, quod ex matris cum filio, & patris cum filia concubitu, fuerint progeniti. Ita enim *Sotion* Lib. XXIII. apud *Diog. Laert. de vitis Philoſoph. Lib. I. Segm. 6.* Magos, inquit, ὅσιον νομίζειν μητρὶ ἢ θυγατρὶ μίγνυσθαι. Conſona his habet *Catullus* quando canit. *Nam Magus & matre, & gnato gignatur oportet*. conf. *Xantus Lydius* apud *Clem. Alex. Strom.* III. *Sextus, Empiricus Myrrh. Hypotyp.* III. 24. *Agathias Hiſt. Lib.* II. *Photius Epiſt.* 205. Plura de *Magis* dabunt *Cœlius Rhodiginus Lib.* IX. *cap.* XXIII. *Barthius Lib.* LVIII. *adverſar. cap.* II. *Heurnius* in *Babylon.* p. 89. ſeqq. *Iſidor. Lib.* VIII. *Orig. cap.* IX. *Cic.* de *divinat. Lib.* I. & *Strabo* in *Geographia* paſſim: quibus adde maxime Reverendum ab *Elſwig* in *diſſ.* de *Magis* Stella duce, *Bethlehemum* profectis, anno 1716. hic locorum, habita.

VI. Tertio loco nobis ſe objiciunt מכשפים, qui ſecundum *Hieronymi*, omniumque fere *Interpretum*, & *Lexicographorum*, conſenſum ſunt *præſtigiatores*, quippe qui, præ reliquis, in eo verſatiſſimi erant, ut veneficiis, incantationibuſque ſuis aciem oculorum præſtringerent, quo dolus minime adverteretur. Suam enim vox hæc trahit originem a כשף, quæ in *Piel*, cum in *Kal* in uſu non ſit, *faſcinavit*, *effaſcinavit*, ac *præſtigiis uſus eſt* ſignificat. Atque hinc *Aben Eſra* מכשפים vocat המשנים דבר התולדת למראה העין i.e. *qui mutant rem naturalem ad adſpectum oculi*, ſeu qui res ali-

aliter oculis objiciunt, quam, revera, sunt. Negari enim nequit *Babylonios* præ aliis gentibus, præstigiis maxime studuisse, artibusque suis, diabolicis, ac incantationibus, res tum futuras, tum præteritas, indagasse. Ut adeo multum opinione sua fallatur *Stanlejus*, quando loc. cit. statuit, quod מכשפים, proprie, sint *revelatores*, nempe absconditarum rerum, quia hæc significatio partim etiam, de חרטמים & אשפים, aliisque *Babyloniorum* divinis similiter prædicari potest.

XII. Tandem de כשדים, (de גזרים, enim in *diss.* IV. ex instituto quædam & quidem adprime necessaria in medium nos proponere oportebit,) tenendum est, quod singularis בשר sit, unde כשרי & כשריא *Chaldæus* seu *divinus*, siquidem divinandi artes inprimis profitebantur *Chaldæi*. Ea sane erat totius gentis jactantia, ut universim, atque generatim, *divinos* sese nuncuparent. Utut, itaque proprium quasi nomen nationis in regione *Chaldæa*, olim degentis, istud fuerit, facile tamen oraculi, ex *Danielis* l. c. depromti circumstantiæ, docent, quod cum *Nebucadnezar* Rex tum temporis inter meros *Chaldæos* versatus fuerit, non *Chaldæi* cujuscunque, demum conditionis, sed iste potius sapientum ordo, qui in gente illa, propter exquisitiorem artium ex sideribus divinandi culturam peculiariter, florebat, evocari ad eundem debuerit. Per כשרים enim, apud *Prophetam* istiusmodi divinos, qui apud *Babylonios*, se totos superstitiosæ illi *Astrologiæ judiciariæ* addicebant, ac in sideribus contemplandis, rerumque eventis, ex iis dijudicandis unice, erant defixi, intelligi debere testatur etiam R. *Sal. Ben Melech Comment.* in *Dan.* l. c. *fol. m.* 131. quando in vocem כשרים ita commentatur: הם חכמי המזלות שהם יודעים העתידות כפי מלאכתם בדעתם מולד האדם לנהוג המעלות על הגבולים ועל מבטי הכוכבים המשרתים ושני המאורות ותקופות השנה והחדש והשבוע והיום: id est כשרים *sunt Astrologi, qui cognoscunt futura, ex arte sua, contemplando diem nativitatis hominis, & reducendo gradus cœlestes ad terminos, & adspectus, siderum ministrantium, & duorum luminarium* (Solis nempe, & Lunæ, *& revolutionem anni, & mensis, & septimanæ & diei*. Apud profanos quoque scriptores *Astrologiæ* cultores *Chaldæorum* nomine insigniri, vel ex *Satyr.* VI. *Juvenalis* patet, quando canit:

> *Chaldæis sed major erit fiducia, quicquid*
> *Dixerit Astrologus, credent a fonte relatum.*

Paria inculcat *Cic. Lib.* I. de *Divin. Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset.* Factum hinc est, ut כשרים seu *Chaldæi* hi in maxima celebritate apud *Babylonios* versati fuerint. Peculiaris enim hanc ob caussam habitatio, ad contemplationem siderum apta, teste *Strabone Lib.* XVI. *Geogreph.* p. 1074. istis assignata fuit. Imo in celeberrimo illo, apud Regem *Nebucadnezarem* conventu soli subinde nominantur *Chaldæi*, quoniam horum dignitas, auctoritasque, major erat, quam reliquorum divinorum, & unusquisque augustos cœli interpretes summa veneratione prosequendos esse, judicabat. Quemadmodum autem *Chaldæi* a reliquis *Babyloniorum* Philosophis, & sapientibus, voce in strictiori sensu, accepta distinguebantur; ita & ipsi in varias sectas discriminabantur. Alii, enim erant *Hippareni*, ab *Hippareno* urbe *Mesopotamiæ*, dicti, alii *Babylonii*, a *Babylone*; alii *Orcheni*, ab *Orchoe*, *Caldææ* oppido, alii *Borsippeni*, a *Borsippe*, urbe *Babyloniæ*, *Appollini*, & *Dianæ* sacra vid. *Plin. Hist. Natur. Lib.* VI. cap. XXVI. & *Strabonem loc. cit.* Licet, itaque omnes hi prædictionem rerum futurarum, in fortuitis vitæ humanæ eventibus, sectarentur; unaquæque tamen secta peculiares suas opiniones, & dogmata fovebat, ac profitebatur.

XIII. Præter hos levi penicillo, hactenus, a me adumbratos *Babyloniorum* divinatores, insuper ab *Esaia*, & illustri quidem illo de *Babylone*, vaticinio cap. XLVII. 13. memorantur (1.) חוברי שמים (2.) החוזים בכוכבים & denique (3.) מודיעים לחדשים. At enim vero cum quantum attinet ad הוברי שמים *Hebræis*, hi isti proprie sint *Cœli Observatores*, qui conjunctiones astrorum, oppositiones, & constellationes observare solent; החוזים בכוכבים, autem, isti, qui contemplantur sidera, attentaque consideratione, oculos in istis figunt; & denique per מודיעים לחדשים innuantur, *scire facientes*, i. e. prænunciantes, *ad singulas lunationes*, seu *singulis quibusque mensibus quæ quove tempore huic*, vel *illi*, *contingant*, cum, inquam per hos, præter *Astrologos*, qui ex contemplatione cœli, stellarumque de futuris rebus judicare student, nulli alii exhibeantur, atque adeo ipsimet, כשרים seu *Chaldæi*, de

de quibus, modo quædam commentati sumus, per eosdem exprimi videantur, accuratiori, & prolixiori istorum expositione, merito, nobis temperantes, *Dissertationi* huic *Præliminari* imponimus.

# JO. CHRISTOPHORI WICHMANNSHAUSEN
## DISSERTATIO SECUNDA
## DE
## DIVINATIONIBUS BABYLONIORUM

§. I.

SErmonem in *Dissertatione præliminari* de iis, quæ generatim *divinationes Babyloniorum* concernebant, a nobis habito, pedem nunc ulterius promoventes singulas illarum species, a *Propheta Ezechiele* propositas, considerabimus. Docet vero sacer hic vates Regem *Babyloniorum*, in bivio cosistitutum, tres sigillatim *Divinationum* species exercuisse, quarum primam nobis describit his verbis: קלקל בחצים. Quamnam autem potissimum divinandi rationem Propheta hic locorum intellectam discupiat, de eo diversæ, distractæque *Interpretum*, tum *Christianorum*, tum *Hebræorum*, sententiæ circumferuntur. Nos operæ pretium facturos existimamus, si enucleata prius propria verborum vi, atque significatione, breviter in communiores Interpretum quorundam explicationes inquiramus, & nostrum insuper qualecunque judicium, ac quasi Symbolum de ardua hac, ac perdifficili materia in medium proponamus.

II. Primo autem loco nobis expendenda erit notio קלקל, quæ descendit a Radice קלל, & ab *Hieronymo*, *Commiscens*, *Vatablo*, & *Aria Montano*, *Tersit*, *expolivit*, *Castellione*, *expedit*, *Schmidio*, *adjuvabit*, & LXX. Interpretibus, *τῷ ἀναβράσαι ad faciendum ebullire*, reddi solet. Nostro judicio vix commodius hujus vocis sensus erui poteri, quam si relictis omnibus, propriam, & nativam Radicis קלל, ex qua vox קלקל derivanda est, significationem in apricum producere studeamus. *Proprie* vero *levationem*, aut *elevationem* denotat. Jam cum aliquid levari queat, nunc *ponderre*, nunc *bonore*, seu *existimatione*; variæ significationes exinde emanare solent, ita, ut nunc denotet *levem esse*, *ac imminui*, *Gen.* VIII. 8. 11. nunc *sperne re*, & *contemni*, *Nah.* I. 14. *Hiob.* XXXIX. 47. I. *Sam.* XVIII. 26. 2. *Sam.* XIX. 44. &c. nunc *velocem esse*, *Hiob.* VII. 6. cap. IX. 20. *Jer.* IV. 13. &c. nunc *maledicere*, *Jes.* VIII. 21. *Exod.* XX. 9. nunc *Tergere*, & *expolire*, *Eccl.* X. 10. nunc *destrui*, ac *perdi*, *Jer.* IV. 24. nunc denique *ejaculari*, & *jacere*; Et hæc ultima significatio hujus loci est, ut adeo omnium optime קלקל vertamus, *elevavit*, seu *ejaculatus est*, *jecit*. Quando enim hasta, vel sagitta, vel lapis, aut aliud quid ex uno loco in alium conjicitur, levatione opus esse, nemo, qui sanæ mentis est, temere, negabit.

III. Altera, quæ nobis sese offert notio est חצים cum *præfixo* ב a *Rad.* חצץ. Hoc autem verbum *proprie* significat *incidere*, *concidere*, *dimidiare*, & *reducere in partes minores*; unde חץ, חצים, *sagitta*, quoniam hæc ipsa rem, quam tangit, in duas partes dividere solet. Construitur cum *præfixo* ב, cujus quidem primaria significatio est IN, quatenus *casum auferendi* regit, ita tamen, ut modo *locum*, & *subjectum in quo*, *Gen.* XXXIX. 5. 2. *Reg.* IV. 40. modo *tempus*, *Gen.* I. 1. & *Habac.* I. 5. modo *qualitatem*, quando *elegantiæ* ergo substantivum pro adjectivo usurpatur, *Gen.* V. 3. *Psalm.* IX. 9. I. *Chron.* XXVI. 14. indigitet. Præter has, & alias significationes interdum etiam, ex singulari verborum quorundam contructione, *accusativum* denotat, *objectumque actionis* exprimit. Sic *Jes.* VII. *spernere* ברע malum, & *eligere* בטוב bonum, *Amos* V. 21.

Non

*Non odorabor* בעצרותיכם festa vestra. *Nah.* I. 4. *Increpans* בים mare &c. cujusmodi constructio, & significatio etiam in nostro oraculo deprehenditur. Conf. *Gussetium* in *Comment. Ling. Hebr.* in lit. ב *Glassium* in *Philol. S. Lib.* IV. *Tract.* I. p. 665. seq. & Cel. *Danzium* in *Interpretis Hebræo-Chald. Synops.* §. 14. 1. §. 15. 19. §. 88. & 52. Eruto jam genuino vocum significatu, non incommode τῷ קלקל בחצים reddi posse puto, *elevabit*, seu *ejaculabitur sagittas*. Utut vero in fontibus occurrat *tempus præteritum*; hanc tamen meram esse *Enallagen* unicuique, qui vel prima sacrarum litterarum limina salutavit, sponte patebit. Prophetæ enim rerum futurarum vaticinia verbis *præteriti temporis* explicare satagunt, ad infallibilem Dei notitiam denotandam, & evidentiam, certitudinemque rerum declurandam. Hinc *Augustin.* in *Psalm.* 3. *Tom.* VIII. col. 17. *In Prophetia*, inquit, *bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur. Quia ea, quæ ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt, secundum scientiam vero prophetantium jam pro futuris habenda.*

IV. Minime autem mihi probanda esse videtur opinio *Amandi Polani* a *Polansdorf*, qui in *Comment.* ad loc. cit. vocibus קלקל בחצים innui putat *solennia* quædam *sacrificia*, & *hostiarum mactationem*, quas Rex *Nebucadnezar* Diis immolaverit. Sic enim scribit: *Tersione cultrorum intelligitur* Synecdochice *quam plurimarum victimarum mactatio, & litatio* ..... & commemoratis aliorum interpretationibus ita pergit: *Prima explicatio est omnium aptissima, quia Textus* Hebræus *ad verbum proprie sonat*, exterget, *seu* levigabit, expoliet cultros. *Et paulo post subjicitur: Inspiciet jecur: cujus autem jecur, nisi victimarum?* sed quamvis opinionem suam levibus his rationibus stabilire conatus sit; nullam tamen aut saltem perexiguam vim illis, paullo accuratius expensis, & ad veritatis stateram revocatis, inesse deprehendemus. Non opus enim esse judico, ut 1.) a *sensu litterali proprio* sine urgente necessitate recedamus, ac *figuratam* quandam, & *Synecdochicam* loquendi *rationem* Spiritui S. affingamus, cum proprietas verborum, neque in fidei articulum, & charitatis præceptum impingat, neque etiam tropus evidenter ex hoc, aut aliis Scripturæ locis comprobari possit. 2.) A vero alienum est, asserere, textum *Hebræum* proprie sonare, *exterget*, seu *levigabit cultros*. Si enim proprietatem vocum קלקל בחצים spectes, nihil aliud, quam *levationem*, & *elevationem sagittarum* istas significare antea satis, ut existimarem, evicimus. Et sane, quod ad vocem חץ, aut חצים attinet, eam in scriptura S. nunquam *cultrum*, quin potius *sagittam*, aut *telum* denotare palam est. Sic 2. *Reg.* XIII. 17. חץ sagitta *salutis Jehovæ*, חץ sagitta, *inquam*, *salutis contra Syros*, *Jes.* XXXVII. 33. *Neque jaculaturus est huc* חץ sagittam, *Ps.* LXIV. 4. *Qui exacuunt sicut gladium linguam suam, intentant, ut* חצם sagittam suam, *verbum amarulentum*. v. 8. *Sed ubi jaculis petiet eos Deus*, a חץ sagitta *repentinæ fuerint plagæ eorum*. 2. *Reg.* XXIII. 15. *Sume arcum*, וחצים & sagittas, *& sumsit arcum*, וחצים & sagittas, *Jes.* VII. 24. בחצים sagittis, *& arcu veniet illuc*, &c. 3.) Scopus *Textus*, ejusque cum antecedentibus, & consequentibus collatio manifesto huic sententiæ repugnat. Totus enim *Propheta* in eo est, ut vivis quasi coloribus depingat, quomodo Rex *Babyloniorum* varias quasdam, & memorabiles divinationes sit suscepturus, quo animum dubium, neque satis sibi de ineunda itineris ratione constantem confirmare possit. Posteaquam igitur Sacer Vates in antecedentibus ostendit, istum, cum in animo habeat, aut Rabbathum, aut *Hierosolymam* bello opprimere, dubiusque insimul sit, quonam præcise exercitum suum dirigat, totum tandem negotium ad divinationum cynosuram attemperaturum esse, statim addit, eum ex exercitio harum divinationum esse conjecturum, quod neglecta Rabbatho, *Hierosolymæ* sibi armis infestis appetendæ sint. 4.) Licet inspectio jecoris, cujus *Propheta* mentionem protinus quoque injicit, peragi non potuerit, nisi prius hostiæ, victimæque essent cæsæ; hæc tamen hostiarum immolatio jamjam vocibus ראה בכבד *inspiciet jecur* comprehenditur, cum inter omnes sacrificii divinatorii actus *inspectio jecoris* emineret. Et sane dubium non est, quin Rex *Babyloniorum* etiam reliquas victimarum oblatarum partes exploraverit, imo omnes sacrificii totius divinatorii actus instituerit, cum arctissimo vinculo omnes isti inter se essent copulati; nec tamen iis recensendis sacer vates immorari voluit, quia sub enarratione actus primarii, a quo etiam tota haruspicina, quæ *Græcis* ἡπατοσκοπία dicta erat, dependebat, ceteri jamjam tacite quasi continentur.

V. Ab hac *Polani* sententia non parum abhorret eorum explicatio, qui, retenta quidem eadem vocis קלקל signi-

ficatione, hanc tamen divinationem in eo tantum, ut ferrum sagittarum sollicite exacueretur, riteque ita in illud introspiceretur, positam fuisse existimant. Istiusmodi enim divinandi genus, teste *Casp. Sanctio* in *Comment.* ad h. l. ipsi hi agnoscunt, quale erat illud quod ex speculo sumebatur, aut ex aqua pellucida, ubi ab imaginibus ab aqua, seu a crystallo redditis, futura rerum eventa divinatores portendere studebant. Sic ergo opinantur, quasi in sagittis politis aliquid resplenduisset, tanquam in speculo, ex quo per conjecturam divinassent, quid facto maxime opus esset. Huic opinioni potissimum *Munsterus*, *Vatablus*, *Clarius*, *in Comment. Bochartus*, aliique accedunt, ducti forsan auctoritate R. D. *Kimchii*, qui ad h. l. ita differit פירוש קלקל כמו והוא לא פנים קלקל והוא המחדדין ומלטשין פני ברזל החץ עד שיהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם כמו שרואין בבוהן היד בצפורן לבהירות הצפורן וכן רואין בסייף וכן במראה וכן רואין בכבד שיש לו בהירות: i. e. *significatio vocis* קלקל *patet ex loco* ( Eccl. x. 10. ) & ille aciem non expolivit, *& in eo consistit, quod acuerent, & expolirent aciem ferri sagittarum, ita, ut valde splenderet, & divini in ea viderent*, ( quid futurum esset ) *quomodo vident in ungue manus, in pollice, quia splendet; ita quoque in gladio, & in speculo, nec non in jecore vident propter nitorem.* Et sane inficias ire non possum, in veteri æque, ac recentiori historia passim occurrere exempla, quod homines impii, magicisque incantationibus, ac superstitiosæ divinandi rationi dediti furem, vel alium, quemcunque velis, in phiala aquæ, vel speculo conspiciendum exhibeant. *Ælius Spartianus*, *de Didio Juliano* Cæsare refert, cum tanta amentia fuisse, ut per Magos pleraque conficeret, quibus vel odium populi deliniri, vel militum etiam arma optime compesci posse putaret. Imo quasdam a *Romanis* sacris alienas hostias immolasse, eaque, quæ ad speculum dicunt fieri, suscepisse, utpote in quo pueri præligatis prius oculis incantando vertice respicere consueverint. Accidisse itaque hoc modo, ut puer tam adventum *Severi*, quam etiam *Juliani* decessionem animadverterit. *Bodinus* in *Dæmonomania Lib.* III. Aap. 3. tradit, *Tolosæ* quendam *Lusitanum* fuisse, qui res occultas in ungue pueruli conspiciendas exhiberet. Sed utut hæ divinandi, futuraque prædicendi rationes, ex crystallo, aut ungue fricato petitæ, aliqua ratione cum voce קלקל, quæ apud *Ecclesiastem* loc. cit. levigationis, & expolitionis significatum obtinet, possint conciliari; quominus tamen huic sententiæ calculum nostrum adjiciamus, id potissimum obstat, quod vox קלקל in nostro oraculo multo aptius reddi queat, prætereaque lis nondum decisa sit, utrum ejusmodi divinationis genus apud *Babylonios* olim revera etiam in usu fuerit. Certe apud omnes scriptores profanos, qui *Babyloniorum* mores, ac ritus nobis exposuerunt, nullum exemplum hactenus deprehendere mihi licuit, ex quo palam fieret, istos in rebus dubiis talem divinationem], qaæ ex inspectione sagittarum facta fuerit, exercuisse; id quod tamen potissimum in disceptationem venire solet.

VI. Majus adhuc robur *Hieronymi* opinio præ se fert, qui in *Comment.* ad h. l. asserit, vocibus קלקל בחצים ejusmodi futura præsagiendi modum innui, quo Rex *Babyloniorum* ex ritu gentis suæ sagittas in pharetram miserit, easque, nominibus illarum provinciarum notatas, commiscuerit, & attenderit, cujus scilicet provinciæ sagitta exeat, & quam prius civitatem invadere debeat. Manifestum enim est, & ex veterum monumentis abunde satis constat, similem quandam sortium consuetudinem apud antiquissimas gentes fuisse receptam. Hinc notæ, ac pervulgatæ sunt sortes *Lyciæ*, *Prænestinæ*, *Antiatinæ*, *Paravinæ*, *Dodoneæ*, aliæque plures, quæ tanta colebantur religione, ut non, nisi solennibus lustrati, ac præparati ritibus, istas consulerent; cum illis peculiaria numina, quæ missas sortes dirigerent, adesse, seque earum adminiculo abdita, ac abstrusa eruere, cœpti eventus portendere, incerta confirmare, ignotaque experiri, atque cognoscere posse statuerent. Sic de sortibus *Herculeis*, in spelunca *Herculis*, ad *Buram Achaicam* editis *Pausanias* in *Achaicis* ait: Μαντεῖαι δὲ ὑπὸ πίνακί τε, καὶ ἀςραγάλοις ἐςὶ λαβεῖν. Εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τȣ̃ ἀγάλματος ὁ τῷ θεῷ χρώμενος, ἐπὶ δὲ τῇ εὐχῇ λαβὼν ἀςραγάλȣς ( οἱ δὲ ἄφθονοι παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ κεῖνται, ) τέσσαρας ἀφίησιν ἐπὶ τῆς τραπέζης, ἐπὶ δὲ παντὶ ἀςραγάλῳ σχήματα γεγραμμένα ἐν πίνακι ἐπίτηδες ἐξήγησιν ἔχει τȣ̃ σχήματος. i. e. *Oraculi sortes capiuntur ex tabula per talos. Quis consultum venere, precatione ad signum per acta, votisque nuncupatis talos ( quorum in promtu est copia ad Herculis signum, ) quatuor sumentes, eos jaciunt super mensam; Inscripti sunt certis notis tali singuli: earum illi notarum interpretationem in tabulo requirunt.* Romani cum rem ali-

quam

quam ſortibus decerni voluiſſent, eas in urnam immiſſas permiſcebant, & hanc miſcendarum ſortium provinciam pueris mandabant, ut certius dolo caveretur, vid. Cic. *lib.* II. de *Divinat.* Huic ſortium conſuetudini non multum abſimilis erat mos ſortiendi apud *Iſraelitas* receptus, qui ſortitionem in *Feſto expiationis* facturi, uter ex duobus hircis ſit in deſertum emittendus, aut Domino immolandus, ſortes nominibus *Domini*, & *Aſaſelis* notatas conjiciebant in urnam, eaſque inter ſeſe varie permiſcebant. Cap. IV. *Tract. Jom.* 8. 4. טרף בקלפי והעלה שני גורלות אחר כתוב עליו לשם ואחר כתוב עליו לעזאזל׃ i. e. *Succuſſabat arculam, & ſortes inde eruebat, alteri* לשם *alteri* לעזאזל *inſcriptum erat*: & *Gemara Sanhedr. Cap.* I. בללן ונתנן בקלפי *confudebat eas* ſcil. ſortes, *& in urnam imponebat*. Sed ut e diverticulo in viam redeamus, licet *Hieronymi* opinio ex his aliquo modo illuſtrari queat; nulla tamen neceſſitas exigit, ut, a proprietate vocum recedentes, in illius ſententiam pedibus eamus, cum ipſemet non ſatis ſibi conſtaret, ita, ut præter commiſtionem ſagittarum (cujuſmodi divinationis genus ſe nullibi reperiſſe *Seldenus* de *Diis Syris Syntagm.* I. C. II. teſtatur) etiam quandam divinationem per virgas agnoſceret. Sic enim *Hoſ.* C. IV. 3. in verba: *Populus meus lignum interrogat*, &c. commentatur: *Hoc divinationis genus Græci* ῥαβδομαντείαν *vocant: Unde in* Ezechiele *legimus, quod virgas ſuas miſcuerit* Nabuchodonoſor *contra Ammon*, & *Jeruſalem, & exierit virga contra Jeruſalem*.

VII. Recentiſſima eſt *Feifferi* explicatio, qui in *Dubiis Vexatis Cent.* IV. *Loc.* LX. p. 579. hanc divinationem *Babyloniorum*, de qua nobis eſt ſermo, ἀπόρροιαν βελομαντείας *Arabicæ* eſſe putat. Refert enim *Eduardus Pocokius in Specimine Hiſtoriæ Arabum* Oxoniæ 1650. edito p. 327. apud *Arabes* præter iſtud præſagii genus, quod الميسر *Al Maiſer* dictum ſagittarum ſacculo incluſarum extractione exercebatur, aliud quoddam الازلام *Alazlam* vocatum in uſu fuiſſe, cumque eſſet alicui vel ſuſcipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, ſagittas, quarum tres vaſcule incluſæ erant, conſuluiſſe; Harum primæ inſcriptum fuiſſe أمرني ربي *Juſſit me Dominus meus*, ſecundæ نهاني ربي *Prohibuit me Dominus meus*, tertiam autem غفل nulla nota inſignem fuiſſe: Jam ſi harum unam manu quis extraheret, & occurriſſet illa, quæ *juberet*: tunc alacri animo, tanquam Deo annuente, rem illum ſuſcepiſſe; ſin autem illa, quæ *vetaret*, ſtatim a propoſito eum deſtitiſſe; quod ſi illa denique, quæ nullis characteribus notata erat, emerſiſſet, repoſitam eam denuo fuiſſe, donec tandem ea exiret, quæ vel *moneret*, vel *dehortaretur*. Verum enim vero quia hoc divinandi genus a temporibus *Muhammedi* demum increbreſcere cœpit, prætereaque ipſimet Scriptores *Arabici* inter ſe diſſident, cum *Al Motarezi*, & auctor libri *Al Moſtatraf*, aliique, teſte ipſomet *Pocokio*, tertiæ ſagittæ nullam mentionem faciant; alii e contrario ſeptem ſagittas parvas, nullis pennis, aut ſpiculis inſtructas, adhibitas fuiſſe affirment, ac denique auctoritas *verſionis Luth.* labefactari ſoleat: tutius eſſe cenſeo, ſi ademta malevolis hac reprehendendi occaſione ſtatuamus, Regem *Babyloniorum* aliquot ſagittas in altum fuiſſe ejaculatum, ſimulque attendiſſe, ad quamnam regionis partem illæ deciderent, utrum ad dextram verſus *Rabbatum*, quo conjectura ex eo loco, quem dejectæ attingerent, capta de exercitu in expeditionem feliciter educendo judicare poſſet.

VIII. Hanc itaque interpretationem omnium optimam, reliquiſque longe præferendam eſſe, his potiſſimum rationibus, & argumentis demonſtro, quia (1.) illa cum propria, & nativa etymi קלל ſignificatione optime cohæret: Hoc vero proprie elevationem denotare ſupra jam declararatum eſt. Hinc *Polychronius* in *gloſſa* ad LXX. *viralem* hujus loci *verſionem* ἀναβράσαι ῥάβδον ait ἀντὶ τοῦ ῥῖψαι (ῥῖψαι) βέλη· ταύτῃ γὰρ τῇ λέξει ἐχρήσατο καὶ Ἑβραῖος. & *Jo. Bapt. Villalpandus* in erudito *Comment. Sane Verbum*, inquit, *Hebræum* קלל *in tertia conjugatione valet aliquando jaculari*, & *jacere*. (2.) Non parum quadrat ad illuſtrationem commatis ſequentis, quando a *Propheta* aſſeritur, quod בימינו היה קסם id eſt *ad dextram ejus fuerit divinatio ſuper Hieroſolymam*. Cum enim ſagittæ delaberentur ad dextram partem, exinde conjiciebat Rex *Babyloniorum*, arma ſibi contra hanc potiſſimum urbem circumferenda eſſe. (3.) In tuto collocat verſionem *Luth.*, in qua locus hic ita transfertur: Der König zu Babel wird ſich an die Wegſcheide ſtellen vorne an den zweyen Wegen, ... daß er ... mit den Pfeilen um das Looß ſchieſſe. Quæ verſio adhuc magis illuſtratur in *Gloſſa marginali* adjecta: Und (Nebucadnezar) wird Zeichen verſuchen, als nemlich

ſchieſſen / und acht haben / wo der Pfeil hinfallen will. Denn NB. ſolche Zeichen haben dieſelbigen Krieger gebraucht. (4.) Nec recedit ab antiquiſſimis *Veteris Inſtrumenti* translationibus *Chaldaica* ſcilicet *Jonathanis*, *Syriaca*, & *Arabica*, quarum iſta reddit: קשת בנרריא *arcu ejaculatus eſt ſagittas*, illa: [illegible] *jecit ſagittam*; hæc: ليرمي سهما *jaculando ſagittam*. Quibus *verſio* Bibliorum *Germanica Wilbermsdorffiana* ſuffragatur, hiſce verbis utens: Er läutert die Sach durch die Pfeilen / da hat er gewuſt / wo er ſoll hingehen / er hat geſchoſſen in die Höh / iſt die Pfeil gefallen gen Jeruſalem zu ec. (5) nititur auctoritatibus celebrium quorundam *Hebræorum* Interpretum *R. Jarchii*, & *R. Joſeſh. Kimchii*, quorum ille verba קלקל בחצים ita exponit: קלקל בחצים ליהט בלהט חצים זרק חץ כלפי למעלה והיא פונה מאליה לימין או לשמאל ולמקום שהיא פונה הוא הגורל i. e. קלקל בחצים *idem eſt, ac incantavit incantationibus ſagittas, effudit*, ſeu *jecit ſagittam ſurſum verſus, & iſta vertebat ſe ad dextram, aut ſiniſtram, & locus, in quem dejecta cadebat, ſors* ſeu pro omine *erat*: Quibus hic fere ſimilia habet, quando teſte filio *R. D. Kimchio*, & *R. Sal. Ben Melech* in *Comment.* ſcribit. קלקל עניז קלות כלומר צוה לירות החצים למעלה ואם יפול החץ לצר בני עמון ילך שם: i. e. *vox* קלקל *notat quandam elevationem, ac ſi diceret Propheta: juſſit jacere ſagittas in altum, quo, ſi decidat ſagitta in partem regionis filiorum Ammon, eo progrediatur*. Ab his parum aliena ſunt ea, quæ in *Midras Tillim* ad Pſ. LXXIX. I. referuntur quod nimirum *R. Levi* dixerit, in domo *Nebucadnezaris* 18. annis fuiſſe בת קול ſeu *vocem cœleſtem*, quæ iſtum incitaſſet, ut armis contra *Judæos* arreptis *Hieroſolymam* everteret, illum vero, cum probe ſciret, quantam calamitatem *Sanheribus*, obſidione hujus urbis facta, acceperit, eam bello aggredi noluiſſe, neque ad credendum adduci potuiſſe, quod Deus eam vellet deſtructam. Adſuiſſe autem quendam divinum, ac hariolum, ſuaſque divinationes exercuiſſe, quo experiretur, num expeditionem ſuſciperet, nec ne? Cumque projeciſſet ſagittam propter *Antiochiam*, aut propter *Tyrum*, aut propter *Laodiceam*, ſemper fractam iſtam fuiſſe, ſalvam contra, integramque manſiſſe, cum eam ejacularetur Hieroſolymæ cauſſa, hincque conjeciſſe *Nebucadnezarem* adverſus *Hieroſolymam* bellum ſibi inſtruendum eſſe.

IX. Imo (6.) ex MSC. libro *Muhammed. Ben Iſaac* dicto apud *Hottingerum Hiſt. Orient. Lib.* I. c. VIII. p. 269. conſtat, apud *Zabios* olim ejuſmodi divinandi modum fuiſſe receptum, qui ejectione ſagittarum expediebatur. Teſtatur enim iſtos die 27. Menſis tertii famoſo Deo ſuo Sammaeli, quem ajebant Deum eſſe, qui *ſagittas volare faciat*, i. e. qui ſagittarum jactum dirigat, ſacrificia offerre ſolitos fuiſſe. His peractis *Cumarim*, ſive *ſacrificulos* ſagittam, ignem ex attritu ligni cujuſdam concipientem, duodecies ejeciſſe: deinceps humi inſtar repſiſſe, & ex duobus linis, ſagittæ annexis, de religionis ſinceritate, cultuſque ſanitate judicium tuliſſe. Jam vero partim hujus ipſius libri auctoritate, partim communi fere eruditorum ſuffragio comprobatur, *Zabios* iſtos fuiſſe *Chaldæos*, ac ritibus illis ſuperſtitioſis, quos *Maimonides*, celebris iſte *Judæorum* Doctor, in *More Neb.* P. I. & III. paſſim inter *Chaldæorum* ceremonias retulit, maximo cum animi ardore adhæſiſſe. Hinc *Abulfeda* apud *Pocokium loc. cit.* p. 145. ſectam *Sabæorum* religionem antiquiſſimam appellat, & *Maimonides* loc. cit. p. I. cap. LXIII. affirmat, totum olim terrarum orbem iſtam occupaſſe, ut omnes prope in univerſum homines nonniſi paucis exceptis, Idololatriæ addicti fuerint. Imo idem loc. cit. pag. III. cap. XXIX. refert, *Abrahamum* fuiſſe educatum fide *Zabæorum*: Atqui Scriptura S. docet, *Abrahamum* primo inter *Chaldæos* hauſiſſe Spiritum, & eorum ſuperſtitionibus idololatricis fuiſſe imbutum. Unde non parum confirmatur id, quod eruditus *Scaliger* litteris ad *Caſaubonum* datis Epiſt. Lib. I. ep. 62. ſcribit: *de Zabiis ſcito eſſe Chaldæos*: & *Gregorius Abul-Pharajus Hiſt. Dynaſt.* D. 9. p. 281. *Illud quod apud nos conſtat de ſecta* Zabiorum, *& profeſſione eorum, eandem prorſus eſſe cum* Chaldæorum *antiquorum profeſſione*. conf. *Maim.* l. c. c. LXX. p. 129. p. III. c. XXIX. p. 427.-427. c. XLVI. p. 480. cap. XLVII. p. 492. & *Comm.* in *Miſchn. Avod. Sar.* c. IV. §. 8. *Averroe* in *diſp. Metaph.* 4. p. 351. edit. *Venet.* in 8. *Conſtant. L'Empereur not. ad Itiner. Benj.* p. 214. & *Spencerus Lib.* II. de *Legibus Hebr. Ritual.* Lib. II. c. I. &c. p. 211. ſeq. Denique (7.) interpretationi noſtræ multum roboris accedit ex eo, quod ſummi belli Duces, atque Imperatores apud antiquas gentes, emiſſo jaculo in agrum hoſtilem, lætum belli auſpicium caperent: id quod vel *Alexandri* M. exemplo apud *Juſt. Lib.* XI. c. V. evinci poteſt, qui ad bellum *Perſicum* profectus, & jamjam in continentem delatus, jaculum in hoſtilem terram jecit, lætuſque auſpicium egregium

gium esse, seque Diis auctoribus rem esse gesturum ominatus est, ac de navi prosiliens hostias cædit, precatus, ne se regem illæ terræ invitæ accipiant.

X. Ab hac divinatione modo a nobis explicata non multum deflectit illud prædictionis genus, quod *Græcis* ῥαβδομαντέα dicitur. *Theophylactus* enim ad *Hos.* c. IV. de Idololatris nos edocet, quod virgas duas statuentes carmina quædam admurmuraverint, deinde virgis ministerio Dæmonum cadentibus, consideraverint, quonam utraque cadat, retrorsum, an antrorsum, ad lævam, aut ad dextram, sicque tandem responsa dederint insipientibus, virgarum casu pro signis usi. Scholiastes *Nicandri* quoque ex *Dione* commemorat, quod Μάγοι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ· καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις μαντεύονται. Hæc tamen *Magia Baculorum*, seu *Virgarum* pro locorum, ingeniorumque diversitate variis exercebatur modis. Unde ex *Herodot. Lib.* IV. c. 67. perspicimus, aliam per *Baculos* divinandi rationem fuisse apud *Scythas*, quam apud reliquas gentes. *Scithæ* enim divinabant virgis salignis ad hunc modum: Ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται θέντες χαμαὶ, διεξελίσσουσι αὐτοὺς, καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες, θεσπίζουσι, ἅμα τε λέγοντες ταῦτα συνειλέουσι τὰς ῥάβδους ὀπίσω, καὶ αὖτις κατὰ μίαν συντιθεῖσι. *i. e. grandes virgarum fasces, quum attulerunt, humi positos dissolvunt, ac separatim collocantes illarum singulas vaticinantur, simulque, dum hæc dicunt, virgas rursus convolvunt, (quas videlicet evolverant) & in unum componunt. Narees* vero, teste eodem *Herodoto*, tiliæ fronde vaticinabantur, ἐπεὰν τὴν φιλύρην τρίχα σχίσῃ διαπλέκων ἐν τοῖς δακτύλοισι τοῖσι ἑωϋτοῦ, καὶ διαλύων χρᾷ. i. e. *Tiliam, ubi quis trifariam sciderit, digitis suis eam implicando, ac resolvendo tractat, futuraque prædicit. Germani* e contrario, ut recenset *Tacitus*, virgam frugiferæ arbori decisam, in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere, ac fortuito spargebant. Mox si *publice* consulebatur, *sacerdos civitatis*, si *privatim*, ipse *Paterfamiliæ*, precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollebat, ac sublatos secundum impressam ante notam interpretabatur. Apud *Persas* alio rursus modo hanc ῥαβδομαντέαν exercebant, cum secundum *Strabonem Lib.* XV. p. 733. hostias mactatas comburerent virgis gracilibus, & fasciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes imprecationes facerent. *Alanorum* autem fœminæ virgas rectiores colligentes, easque cum incantamentis quibusdam præstituto tempore discernentes futura portendebant, uti tradit *Ammianus Marcellinus Lib.* XXXI. cap. 2. Conf. *Villalpandus* loc. cit. *Seldenus loc. cit.* p. 101. seq. *Delrio Lib.* IV. *disquisit. Magic.* cap. II. *quæst.* 7. *Sect.* I. *Cœlius Rodiginus Lib.* VII. *antiq. Lect.* c. XXIX. *Paulus Venetus*, in *Tartarorum* rebus lib. I. c. XLIII. & *Liebentanzii diss. de Magia Baculorum.*

# JO. CHRISTOPHORI WICHMANNSHAUSEN

## DISSERTATIO TERTIA DE DIVINATIONIBUS BABYLONIORUM

§. I.

SEcunda divinationum, quas Rex *Babyloniorum*, expeditionis ſuſcipiendæ exitum rimaturus, in bivio inſtituerat, ſpecies a ſacro Vate in eo collocatur, quod conſulendo interrogaverit ſtatuam quandam idololatricam, quæ *Teraphim* vulgo appellari ſolet. Ita enim verba in fontibus ſeſe habent: שאל בתרפים *conſulendo interrogabit* τὰ *Teraphim*. Hic non abs re eſſe exiſtimo, ſi duo potiſſimum momenta in hac exercitatione excutiam, & partim de Teraphim ipſis, partim etiam de eorum reſponſis pauca ediſſeram.

II. Antequam vero arcem rei aggredior, ab inſtituto alienum non erit, ſi paullo curatius pro ingenii mei tenuitate in notiones שאל בתרפים inquiram, & præcipue, quoad vocem תרפים, diſſidentium quorundam opinionibus breviter examinatis, veram ipſius originem, quam *Etymologiam* appellant, in medium producam. Priori vero loco nobis ſe objicit notio שאל, de qua conſtat, quod tribus maxime ſignificationibus iſta gaudeat. 1.) enim ſignificat *petere*, *poſtulare*, *deſiderare*, *interrogare*, *quærere*, *Joſ.* XIX. 50. *Deut.* X. 12. *Gen.* XLIII. 6. &c. 2.) *mutuari*, *mutuo accipere*, *Exod.* III. 22. 35. 1. *Sam.* I. 28. &c. 3.) *mutuo dare*, *commodare*, 1. *Sam.* I. 28. *Exod.* XII. 33. Quæ cum per ſe conſtent, nec copioſiori indagatione indigeant, id ſaltem moneo, quod verbum שאל cum ב conſtructum præter vulgarem *loci* ſignificationem 2. *Sam.* XX. 18. tria hæc in primis denotet, α.) *petitionis*, & *interrogationis modum*, ac *rationem*. Sic *Job.* XXXI. 30. לשאל באלה *ad petendam cum diis*, *ac imprecationibus animam ejus*. Num. XXVII. 21. *& ſtabit coram Eliezare Sacerdotes*, *& conſulet pro eo* במשפט האורים *Judicio Urim Dominum*. β.) rem ipſam, ſeu objectum (ut rotunde me exprimam,) reale, quod interrogando quæritur. Sic 2. *Sam.* XVI. 23. *ac ſi* ישאל בדבר באלהים *interrogando quæſiviſſet verbum Dei*. γ) In conſultationibus Dei objectum (ut vocant,) perſonale, cujus oracula interrogando expetuntur. Sic 1. *Sam.* XXII. 10. וישאל לו ביהוה *& conſulit pro eo Dominum*, & v. 13. *cur conjuraſtis contra me tu*, *& filius Iſai*, *cum dederis ei panem*, *& gladium* ושאל לו באלהים & conſuleris pro eo *Deum*, conf. v. 19. 1. *Sam.* XXII. 2. C. XXX. 2. ſq. Eadem ſignificandi ratio locum habet, quando in conſultationibus *idolorum* ejuſmodi vocum conſtructio occurrit. Sic *Hoſ.* IV. 12. *populus meus* בעצו ישאל lignum ſuum conſulit. conf. 1. *Chron.* X. 13. & hæc ſignificatio pariter in præſenti noſtro oraculo obtinet. Poſteriori loco nobis hic ſe offert notio תרפים, ubi *Hebræi* æque ac *Chriſtiani Interpretes* maximopere inter ſe digladiantur, quænam origo ipſi aſſignanda ſit. Nonnulli ex *Hebræis* eam deducunt a voce תרף i. e. *turpitudo*, *ignominia*, hac inſuper cum conditione, ut in (ִ) producto ו penacutum in *Schva* corripiatur, ad formam רתם *juncus*, quod in *plurali* ſimiliter רתמים habet. Sic *Tanchuma* in *Sect.* ויצא: למה נקראו תרפים לפי שהן תורף מעשה טומאה i. e. *quare vocantur* תרפים? *propterea quod ſunt opus turpitudinis*, *& opus immunditiei*. Hanc inſuper *Etymologiam* aſſerti hujus patroni confirmant ex antiquiſſimo illo *Commentario Cabbaliſtico* זוהר dicto ubi col. 376. frequentia leguntur: אמאי אפרי תרקים בנין הוה כמה דתנינן במקום התרף? i. e. *Quare appellantur* תרפים *propter ignominiam*, *ut dicere ſolemus*: *In loco turpitudinis*. Sed quo minus huic ſententiæ ſubſcribam, id maxime obſtat, quod vox תרף in *Sacro Codice* non occurrat; nec probabile etiam ſit, quod antiquis *Hebræis* cognita fuerit, cum demum a *Miſchnicis* ſcri-

ſcriptoribus primum adhibita reperiatur. Quidam teſte *Luth. Comment.* in *Gen.* C. xxxi. ii. 19. a רפא *mederi*, aut *ſanare*, derivant, quaſi dicas: *Salutares Salvatores*, h. e. *Deos*. Sic quoque *Gregorius Gregorii Francus* Lex. *Sanct.* n. 357. p. 358. aliique, qui præterea *Græcorum* θεραπεύειν, *colere*, *ſervire*, hic in ſubſidium advocant, ſuamque inde opinionem eo magis illuſtrare conantur. Verum utut non negem, ab horum *Teraphim* cultu vocem θεραπεύειν aliquo modo deduci poſſe, ſecundum illud *Heſiodi* Εργ. καὶ Ημερ. verſ. 134. ὐδ' ἀθανάτοις θεραπεύειν ἤθελον *nec diis ſervire volebant*; iſti tamen *Etymologiæ* repugnat *Analogia Grammatica*, cum in nominibus a verbis לא deductis ultima radic. א per *Apocopen* perire non ſoleat. Alii cum *Joh. Mercero* in *notis* ad *Theſ. Ling. S. Pagnini* fol. 1385. & *Simeone* de *Muis* Tom. ii. *variorum Sacr.* fol. 19. vocem hanc peregrinam, & exoticam eſſe judicant. Hinc *Lud. Dieu* in *Crit. S.* fol. 41. cum quo etiam Jo. *Gaffarellus Curioſites innouyes ſur la ſculpture taliſmanique* &c. C. iii. facit, pro *Syriaca* agnoſcit, ut adeo תרפים idem eſſent, quod שרפים mutato ex *Syrorum* more ש in ת. Ut vero alias rationes taceam, ideo cum primis hæc opinio mihi videtur eſſe rejicienda, cum maxime ſit periculoſa, & *Genebrardi* inſimul, qui *Chronol. Aet.* 6. per *Teraphim* intellectas vult *imagines ſacras*, aliorumque notiſſimis erroribus receptaculum quoddam ſuppeditet.

III. Nec *Hottingeri* derivatio nobis probatur, qui *Smegm. Oriental.* Lib. i. C. v. p. 90. cum *Athanaſio Kirchero Oedipo Ægyptiaco Tom.* i. *Synt.* iv. C. iii. aſſerit, תרפים eſſe vocem *Ægyptiacam*, ipſaſque *Ægyptiorum* ſtatuas, quas *Serapidas* vocabant, & loco φυλακτηρίων adhibebant, denotare. Verum enim vero licet hanc opinionem ex *Arabico* quodam *Scriptore Aben Nephio* confirmare conetur, iſtam tamen *Etymologiam*, qua תרפים ex σώρ & ἀπ deducitur, valde contortam, nulliſque inſuper argumentis idoneis ſuffultam eſſe arbitramur. Miſſis itaque reliquis *etymi* rationibus exiſtimo, vocem תרפים *Hebræam* eſſe, ac omnium optime deduci a Rad. רפה *remiſſus fuit*, *debilis eſt*, ſecundum formam תעלה *aquæ ductus* a Rad. עלה, & quidem ita, ut in *plurali* declinetur more maſculino, ſicuti תאבה, תאבים, cum præſertim ה ſit *littera radicalis*. Voluerunt nimirum *Scriptores Sacri*, a quibus primitus notionem hanc adhibitam fuiſſe quidam non ſine cauſa ſtatuunt, hac eadem innuere, quod *Teraphim* res infirmæ, & debiles, omniaque eorum reſponſa vana, ac inania ſint. Quibus, ut nihil dicam de loco iſto, qui extat *Zach.* x. 2. non parum reſpondent ea, quæ R. *Bechai* in *Comment.* ad *Gen.* xxxi. profert: מלת תרפים נגזרת מלשון נרפים ויקרא להם רפים לרמוז עליהם כי דבריהם כמו נבואה רפה תבא ברב ותכזב לעתים רחקות i. e. *Vox* תרפים *deductum eſt* a נרפים (ſ. a rad. רפה remiſſus eſt) *& vocavit ita Scriptura S. quaſi* רפים (*i. e. laxa*, *remiſſa*, *infirma*,) *ad indicandum*, *quod verba ipſorum ſunt*, *quaſi prophetia inanis*, *& vana*, *quæ ut plurimum eveniat*, *mentiaturque multos poſt annos*. Et ſane, re paullo attentius expenſa, negari non poterit, *Idola* in *Scriptura* S. plerumque nominibus, quæ *imbecillitatem*, *vanitatem*, & *turpitudinem* eorum indicant, nuncupari. Sic *idola* frequenter appellantur אליל, אונים, quæ nomina pariter eorum *vanitatem*, *falſitatem*, &, ut ita dicam, *nihilitatem* arguunt, quibus cum congruit illud, quod ait *Plato* in *Theeteto*: ψεύδη καὶ εἴδωλα περὶ πλέονος ποιησάμενοι τοῦ ἀληθοῦς *mendacia*, *& idola pluris facientes*, *quam veritatem*, ubi mendacium cum idolo conjunxit, & veritati oppoſuit. Dicuntur etiam גלולים *res ſtercoreæ*, quia exterius fumo, & pinguedine illita, ſordibus, & ſpurcitiis plena interius ſunt: ut & שקוצים *res abominandæ*, quæ ſenſus, & animum offendunt, & propter fœditatem maxime deteſtandæ ſunt. Quemadmodum vero vox אלהים unum, ac verum Deum notat, utut pluralem terminationem habeat; ita etiam ipſius oppoſitum תרפים de una ſaltem imagine dici, & nihilo minus numero plurali efferri palam, ac in confeſſo eſt.

IV. *Interpretes Biblici* variis modis hanc vocem reddunt. Inter *Paraphraſtas Chaldæos Onkelos* vertit *Gen.* l. c. v. 19. צלמניא *imagines* v. 30. ית דחלתי *timorem meum*, i. e. *Deum meum*, a Rad. דחל *timere*, unde דחלא *timor*, it. *idolum*, *Deus falſus*, quia homines illum, ceu verum Deum, timent; *Targum* vero *Jonath.* loccit. צלמי מעותי *imagines errorum*, ſeu *idolorum meorum*. *Jud.* xvii. 5. דמאין *ſimulacra*, *Hoſ.* iii. 4. ומחוי *& qui reſponſa reddunt*, a חוא, quod *indicare*, *annunciare*, & *oſtendere ſignificat*. Sic in hoc, quo nunc verſamur oraculo, reddunt בצלמנייא *Imagines*. *Syrus*, *Gen.* l. c. & i. *Sam.* xix. 15. vertit ܨܠܡܐ *imagines*, *Jud.* vero l. c. ܨܠܡܐ [illegible] ܐ

ſimu-

*simulacrum sculptile*, apud Hos. ܦܬܟܪܐ ܡܒܣܡܐ *ponens*, seu *adolens aromata*, apud Zach. ܝܕܘܥܐ *noti*, *familiares*: In nostro vero oraculo ܨܠܡܗ *idolum suum*, quæ vox convenit cum *Chald.* פתכר *idolum*, *imago*, & *simulacrum*. *Arabs* in *Genesi* transfert per تمثالا *imaginem*, *simulacrum*. Jud. l. c. & 2. *Reg.* XXII. 24. per صنم *idolum*, apud *Zac.* per المتفوهين *loquentes*, *garrulos*, apud *Hos.* مرشد *docentem*. In præsenti oraculo vero per لمنحوتات *sculptilia*. A lxx. *Interpretibus* diversissime quoque vox תרפים redditur. Etenim in *Jud.* l. c. transfertur illa per θεραφίν, in 2. *Reg.* l. c. per θεραφὶν, in *Gen.* per εἴδωλα, apud *Hos.* per δήλους, in *Zach.* adhibent vocem ἀποφθεγγόμενοι, in *Sam.* κενοτάφια, quæ teste *Bocharto Hieroz.* P. II. p. 623. erant imagines cenotaphiis imponi solitæ, ut absentem aliquo modo referrent; in nostro vero vaticinio γλυπτὰ *sculptilia*. Ex his abunde satis liquet, antiquissimos *Interpretes sacros* minime inter se concordare, sed in longe diversas, distractasque sententias abire. Quicquid autem sit; nostro judicio vix opus est, ut tot significationes voci תרפים adscribamus, cum in uno significatu commode acquiescere possimus, si non per nudas imagines, sed per *statuas idololatricas* reddamus.

V. Evolutis itaque notionibus telam ipsam exordior, & primum תרפ׳ Teraphim naturam breviter excutere pro instituti ratione aggredior. Monstrosa vero, & ab omni humanitate abhorrentia sunt ea, quæ *Talmudistæ* æque ac *Targumistæ* de iis nugari, ac more *Judaico* nimis superstitiose fabulari solent. Scriptor antiquissimus R. *Elieser Magnus*, filius *Hircani*, qui in *Gemara* κατ᾽ ἐξοχὴν R. *Eliesér* appellatur, & *Rabban Gammalieli* secundum, qui fuit præceptor Apostoli Pauli, affinitate junctus fuisse fertur, in *Capitulis* suis *Cap.* XXXVI. Teraphim ita describit: שוחטים אדם בכור ומולקין את ראשו ומולחים אותו במלח ובשמן וכותבין על ציץ זהב שם רוח טומאה ומניחין אותו תחת לשונו ונותנין אותו בקיר ומדליקין נרות לפניו ומשתחוים לו והוא מדבר עמהם i. e. *mactabant hominem primogenitum*, & *ungue secabant caput ejus*, & *saliebant illud sale*, & *oleo*, *scribebantque super laminam auream nomen spiritus immundi*, & *ponebant illam sub lingua ejus*. *Postea reponebant illud caput ad parietem*, & *incendebant lampadas coram eo*, *ac procumbebant coram ipso*; & *sic loquebatur simulacrum illud cum eis*. *Jonathan* in *Gen.* c. XXX. fere eadem profert, nisi quod R. *Eliesér* paullo fusius rem persequatur, & spiritus immundi, nominis ejus, lampadisque accensi, mentionem faciat, de quibus vero *Jonathan* in suo *paraphrasi* tacet, & ejus loco tradit, quod scripserint, קוסמים בציצא דדהבא ויהבין תחות לישניה i. e. *divinationes in laminam auream quam posuerunt sub lingua ejus*. His vero fabulis refellendis diu immorari operæ minime pretium esse censeo, cum sola illarum enarratio sufficientem insimul Lectori refutationem subministret.

VI. Quemadmodum autem *Judæi* maximopere in descriptione תרפ׳ *Teraphim* hallucinantur; ita non desunt e *Christianis*, qui fere eadem, aut non multum absimilia, commenta in pulverem, atque solem (ut ajunt,) proferre satagunt. Taceo jam *Nicol. Lyranum*, & *Alphonsum Tostatum*, qui istas *Elieseris* fabulas *Commentariis* in *Gen.* & *Jud.* inserere, eamque insuper suffragiis suis approbare minime dubitarunt. Taceo *Genebrardi*, & *Jo. Gaffarelli* somnia, quæ ab Excellentissimo, Celeberrimoque Domino *VVichmannshausenio*, LL. OO. *Professore in alma hac Academia Gravissimo*, *Patrono nostro omni religionis*, *pietatis*, & *obsequii cultu prosequendo*, in Philogemate de *Teraphim* jam solide sunt discussa. Unicum saltem *Spencerus* hic in medium adduco, qui *Lib.* III. *de Legibus Hebræorum ritualibus Cap.* III. *diss.* VII. *Sect.* II. asserit, *Teraphim nihil aliud*, *quam Urim fuisse*. *Urim enim* putat *fuisse instrumentum concavum*, *decore fabricatum*, *effigiem humanam referens*, *quod antiquitus fuerit Teraphim appellatum*. *Hoc autem reconditum gestasse Sacerdotem intra concavas rationalis plicaturas*, & *eo mediante Deum*, *aut Angelum illius vicem*, & *nomen gerentem ad Pontificis interrogata respondisse*. Hanc inopinatam, ut ipsemet vocat, addo, non sine maxima absurditate merito abominandam sententiam multis rationibus, & argumentis confirmare studet, ubi circa eas saltem, quæ ex Scriptura S. petitæ sunt, quales ingenii vires huc dum periclitabor, & quam imbecilles istæ sint, quo fieri poterit studio, demonstrabo. Præ ceteris autem locis opinioni suæ plurimum lucis, roborisque afferre gloriatur *Hos.* cap. III. 4. ubi sacer vates prædicit *Israelitis*, istos diu esse futuros אין מלך ואין שר ואין זבח ואין מצבה ואין אפוד ותרפים: i. e. *absque Rege*, & *absque Principe*, & *absque Sacrificio*, &

*& absque statua, & absque Ephod, & Teraphim.* Hic per *Teraphim* non idola gentium ad consulendum, aut colendum comparata, sed *Urim, & imagunculas sacras*, ex hypothesi ipsius in pectorali *Pontificis maximi* repositas, intelligendas esse, fuse quidem, sed absque argumentorum pondere probare conatur. Primum ipsius argumentum ita sese habet: *Rationi minime consentaneum est, Prophetam, flebilem gentis Israeliticæ sortem prædicturum, inter mala futura, idolis destitui, ponere voluisse. Rem bonam, & licitam oportet esse, quam Deus minatur, se ablaturum Israelitis, ut de peccatis eorum vindictam sumeret; alioquin eam auferre non pœnæ, sed beneficii loco habendum esset.* Ratio recta, nullisque præjudiciis occupata hæc facile concedit, præsertim cum idola illa, *Teraphim* dicta, tanto in pretio sint ab *Idololatricis*, ac superstitiosis hominibus habita, ut etiam hi, periculorum gravitate oppressi, aut aliis calamitatibus affecti ad illa confugerent, omnemque spem, atque fiduciam in eorum cultu unice defigentes angustiarum, quibus premebantur, levamentum ab ipsis expectarent. Et sane ipsa natura nobis suggerit, ut Deum summo amore complectamur, cum sit omnium nostrum conditor, omniumque bonorum, quæ in nos quotidie redundare solent, fons. Quia vero idololatræ, præstigiis Satanæ seducti, a vero Deo ad idola deflexerunt, non potuerunt, quin, ductui rationis, utut corruptæ, obtemperantes, idola, quæ pro Deo agnoscebant, in oculis ferrent, quippe quæ ipsis bonorum omnium affluentiam procurare, mala vero quæcunque averruncare posse credebantur. Hinc constat ex historia *Labanis*, quod nihil prius, nihilve antiquius istis habuerit, & potius generum, filiasque ferro, armisque persequendos, quam jacturam illorum idolorum, ex Rachele pio ex affectu subductorum, faciendam duxerit. Sic *Micha* incredibili studio, & amore τῶν *Teraphim* capiebatur, ut, cum *Danitæ* manus ipsis afferrent, istaque *idola*, cum aliis *sculptilibus* ablata, secum asportarent, multis lacrymis effusis, jacturam eorum ægerrime ferret: *Danitæ* pariter summo *Teraphim* habendi desiderio æstuabant, & præ amore illorum gravissimum in se concipere scelus non dubitabant. Cum itaque *Israelitæ*, simili ratione in cultu Idolorum demersi, tanta veneratione, tantoque τὰ *Teraphim* affectu prosequerentur: sane Deus justissimus, & sapientissimus Judex vix graviorem, dorioremque pœnam ipsis infligere potuit, quam ut istos usu horum *Teraphim* privaret.

VII. Monet secundo: *Probabilitate omni destitutum est, Prophetam cœlum gehennæ uno adeo spiritu miscere voluisse, ut de ara, sacrificio, & Ephod sanctis, una cum idolis, nullo non dignis odio, loqueretur. Quasi Israelitæ, si calculos rite ponerent, eorum omnium amissione damno æquali mulctarentur.* Hoc argumentum levius est, quam ut responsionem mereatur. Jam enim ostendimus, intuitu *Israelitarum*, qui idololatricum cultum divino anteferebant, non minus exiguum fuisse damnum, cum hæc idola ipsis auferrentur, quam privatio Ephodi, seu cultus legitimi, ac Sacerdotii publici divinitus instituti. Ceterum, ut de eo nihil moneam, quod Cl. *Spencerus* vocem מצבה, quæ in fontibus occurrit, de *ara*, adeoque insuper de re sancta interpretetur, cum potius de *statua*, ad adorandum erecta, cujusmodi Deus serio interdixerat *Israelitis Deut.* XVI. 22. secundum Textus cohærentiam, & plerorumque *Interpretum* consensum intelligi debeat; non a *sacris Scriptoribus* alienum est, ut interdum de cultu veri Dei, ac idolorum simul loquantur. Cum *Micha*, qui non procul aberat a *Samaritanismo*, cultum veri Dei, & idolorum tempore interregni *judaici* impie misceret; *Sacer Scriptor* aliquoties ipsius cultum verum æque ac idololatricum uno etiam spiritu descripsit: Sic *Jud.* XVII. 5. *Et fuerat viro huic Michæ Ædes Deorum & fecit sibi* אפור ותרפים *Ephod*, & *Teraphim*, conf. C. XVIII. 14. 17. 18. 20. Hinc bene *Theodoretus* de hoc *Michæ* facto loquitur: Τὸ μὲν ἐφὼδ κατὰ μίμησιν τοῦ ἱερατικοῦ ἐνδύματος, τὸ δὲ Θεραφὶμ ταῖς μαντικαῖς ἦν ἁρμόττον προῤῥήσεσιν. & *Seldenus* in Syntagm. de Diis Syris I. C. 11. *Male cultum Dei veri, & idolorum, seu dæmoniorum miscuit Micha. Ephod enim, & Levitam Deo vero procul dubio; Teraphim & conflatile, & sculptile dæmoniis sacravit.* Tertium argumentum sequens est: *Scopus, & cohærentia Textus non fuerunt, ut de re aliqua malæ famæ Teraphim interpretemur.* Quidni? Propheta enim jussus est, ut conjugem, quam ob fidem non servatam, fœdusque maritale violatum dimiserat, non plane abjiciat, sed potius novo amore, novoque matrimonii vinculo sibi rursus jungat, hac fœderis insimul conjugalis conditione inita, ut neglecto familiari aliorum consortio sibi soli adhæreat, cum pariter promittat, se ipsi perpetuo adfuturum, sancteque officio suo satisfacturum esse. Hoc vero ideo

ideo factum est, ut illa quasi Symbolum, typusque evadat populi *Israelitici*, qui fœderis sanctissimi, cum Deo initi, fidem læserat, & ob cultum idololatricum adulterio spirituali se contaminaverat. Jam quemadmodum hæc uxor adultera a mariti, qui eam repudiare in animo habuit, consuetudine disjuncta antea sedebat; ita etiam Deus gravissime minatur *Israelitis*, se istos propter adulterium hoc spirituale diu abjecturum a facie sua, omnemque Remp. plane eversurum, imo eosdem non solum veri, sed etiam falsi cultus, ac idolorum exercitio, ac usu publico omnino exuturum esse.

VIII. Argumentatur quarto porro: Spiritus S. de *Ephod*, & *Teraphim hoc in loco tanquam de rebus ejusdem familiæ loquitur: de aliis autem omnibus, quasi nullo cognationis vinculo conjunctis, sed ab invicem natura diversitate longe separatis. Nam hæc omnia vocabulo illo disjunctivo* אין *Absque sic a se mutuo separantur: Sedebunt filii Israel Absque Principe, & Absque Sacrificio, & Absque Ara, & Absque Ephode. Sed Ephod, & Teraphim conjunctim, & quasi continuo Spiritu legenda in hunc modum proponuntur*: *Absque Ephod, & Teraphim, missa illa disjunctionis nota, rebus, & personis aliis, hoc in libro memoratis, interposita*: Nullam hic sane subesse causam video, cur Vir CL. nodum in scirpo quærere conetur. Palam enim, & in promtu est, particulam אין, uti alias, ita & hic per *Ellipsin* fuisse omissa, cum jam in præcedentibus aliquoties fuerit adhibita, ut adeo præfixum ו in voce ותרפים post negationem semel, iterum, tertiove repetitam, *nec* vel *neque* denotet. Similem loquendi rationem a Spiritu S. usurpatam potissimum deprehendo *Jes.* XLI. 28. *Et respicio*, ואין *nec adest quisquam, & illos intueor*, ואין *nec adest consiliarius, & interrogo* eos, וישיבו דבר *Neque respondent quicquam*. Sic *Deut.* XIV. 20. *Et veniet* Levita, *quia* אין *non est ipsi pars* ונחלה *Neque hæreditas* coll. v. 9. 2. *Chron.* XV. 5. *Eccl.* IX. 10. *Deut.* XII. 12. *Gen.* XLI. 39. &c. Urget quinto: *Teraphim hoc in loco non cum* זבח *Sacrificio, vel* מצבה *Statua, vel Altari, sed immediate cum Ephode sacro copulatur*. Addit: *Hoc autem indicio est*, *Teraphim hic* pro *Urim Ephodi conjunctissime cohærente capiendum esse*. Infirmitas hujus argumenti ex iis, quæ ad secundum ipsius commentum reposuimus liquet, cum demonstravimus, in libro *Jud.* aliquoties *Ephod.* & *Teraphim* conjungi, & hoc tamen non obstante *Teraphim*, non *Urim*, sed idola denotare. Sextum argumentum plus roboris præ se ferre videtur, quando præsupponit, hæc *Hoseæ* verba non de tribubus decem Israelitarum, sed de tribubus reliquis capienda esse, cum illis nunquam adfuerit Ephod Pontificium, nec Rex aut cultus Teraphim unquam defuerit, prætereaque omnis spes de decem tribuum ad Dominum conversione, quæ vers. seq. innuatur, jam diu decollaverit. His præstructis addit, nullum superesse dubio locum, *quin Teraphim de re licita Urim nempe, interpretari debeamus*. Locum quidem hæc argumentandi ratio aliquo modo haberet, si eam, quam denuo præstruit hypothesin, luculentis rationibus, e visceribus Textus depromtis, demonstratam dedisset. Contrarium vero ex vaticinio hoc evinci posse, nemo facile negabit, si modo accuratius perpendatur, expressam hic filiorum *Israel* mentionem fieri, qui uti in antecedentibus æque ac consequentibus aperte discernuntur a *Judæis*, sic nullam hic adesse causam patet, cur alio sensu hic sint accipiendi. Quæ enim *Sacer Vates* distinxit, ea confundere Interpretem quoque non oportet. Et utut legitimum *Ephod*, quo induebatur summus *Sacerdos*, saltem in *Juda* deprehenderetur; dubium tamen non est, quin *Jeroboam* aliquod illegitimum ad illius exemplar in *Israele* confici curaverit: ut nihil de eo dicam, notione hac generali sensu sumta totius cultus veri abolitionem a *Propheta* describi. Deinde concedo quidem, *Israelitas*, in captivitatem *Assyriorum* abductos, nunquam fuisse absque omni Rege, omnique Principe, cum sub extraneorum *Regum*, *Principumque* potestate essent, nego autem, ac pernego, istos proprium Regem, aut ullam Regiminis proprii formam habuisse, cum hæc penitus destructa, atque abolita continue duraret. Eandem quoque rerum faciem quoad cultum idolorum fuisse eo minus dubitari debet, cum inter omnes constet, istos in captivitate *Assyriaca* publicum idolorum cultum propria ex auctoritate nunquam exercuisse. Quod autem conversionem decem illarum tribuum attinet, fusius hoc argumentum persequi possem, si modo in Philosophico, in quo jam nunc versor, foro licitum id mihi esset; ne vero rem sicco, ut ajunt, pede transiisse videar, istud saltem moneo, minime a *Luth. Wigandi*, *Winckelmanni*, aliorumque explicatione recedendum esse, qui in *Comment.* ad h. l. statuunt, populum *Israelem* tam diu inter gentes mansisse disseminatum,

tum, donec *Evangelio* per *Apostolos* gentibus annunciato converti cœperit ad Dominum Deum suum, non quidem *conversione generali*, qualem futuram esse Judæorum multi frustra contendunt, sed *particulari*, quam etiam sententiam alii cordatiores, & probatiores Scripturarum S. expositores nobiscum amplectuntur. Denique septimo *Hieronymi*, *Bonserii*, *Menochii*, ac aliorum suffragia in medium profert, suamque malesanam sententiam vel per ista etiam stabilire conatur. Tantum vero abest, ut horum auctoritatibus commoti ipsi subscribamus, ut potius in contrarium testimonia clarissimorum apud *Judæos* pariter, ac *Christianos* Interpretum *R. Sal Jarchi*, *R. Davidis Kimchii*, *R. Sal. Ben. Melech*, *Abarbanelis*, *B. Meisneri*, Tarnovii, *Riveti*, *Cornelii a Lapide* &c. obvertamus. Ex his itaque, quæ in medium hactenus proferri nobis licuit, facile unusquisque perspiciet, quantopere *Spencerus* a justo veritatis tramite aberret, cum nullis firmioribus argumentis demonstrare hucdum iste potuerit, quasi *Teraphim* augustissimum istud *Israelitarum* oraculum, quod in pectorali *Sacerdoris Magni* repositum erat, & *Urim* nuncupabatur, constituerit.

IX. Nostro itaque qualicunque judicio vix commodior τῶν Teraphim descriptio adornari poterit, quam si asseveremus, quod ista fuerint imagines idololatricæ a superstitiosis hominibus ex variis materiis ad figuram humanam elaboratæ, ad res occultas, futurasque indicandas, omnisque generis bona ipsis concilianda. Utrum vero certis quibusdam, ac statis temporibus ad siderum situm fuerint effabricatæ, id quidem tacente *Scriptura* S. in medio nos relinquimus, quamvis inficias ceteroquin ire haud possimus, plerosque *Judæorum* Magistros in hanc propendere sententiam. Sic *R. Sal. Jarchi* in *Comment.* ad loc. præsentem: תרפים צלם שמדבר במכשפות ויש שעה שמכוונת שאם עושם באותה שעה יש בו דבור לעולם i. e. T*eraphim est imago, quæ loquitur per artem magicam, estque certa hora præparata, qua si quis effigiaverit, est in illa sermo perpetuus.* Consone his fuet ea, quæ tradit in *Comment.* ad 2. *Reg.* C. XXIII. 24. nisi quod hic insuper addit, quod præter certam statamque horam etiam העושה אותן צריך לכוין שנה אחת ראויה לכך *is, qui faciebat istas (Imagines) debuerit respicere annum huic operi convenientem.* Idem *R. Levi Ben Gerson* in *Comment.* in *Gen.* contendit, quando ait: דתרפים הם על צורת אדם וגו׳ והיא צורת נעשית בשעות ידועות

Hoc si liquido pateret, tunc sane T*eraphim* non multum ab *Arabum* طلسمات T*ilsemas* vel T*alismas* discreparent, quæ pariter juxta certam constellationem, & stellarum situm erant confectæ; quemadmodum R. Mos. *Maimonid. Avoda Sara* C. III. id memoriæ prodidit conf. eundem in eleganti libello More Nev. L. III. C. XXIX. & alibi, *Sharestanium* apud ED. *Pocokium not.* ad *Abul. Farajum* p. 140. *Leunclavium in Pand. Turc.* C. CXXX. *Joseph. Albo Fundament.* L. III. C. VIII. *Scalig. Epist.* 2. *ep.* 119. &c. Hinc procul dubio factum est, ut *Hottingerus Hist. Orient. Lib.* I. C. VIII. p. 288. sq. *Teraphim Arabum Tilsemas* fuisse palam adstruat, quam tamen opinionem nullis idoneis rationibus suffultam minime esse approbandam existimo.

X. Id vero potissimum jam in disceptationem venire solet, utrum *Teraphim* revera responsa ediderint, nec ne? *Antonius* van *Dalen* in *Diss.* de *Divinationibus Idolol.* C. XI. p. 677. nullo modo liquere putat, ipsa *Teraphim* fuisse locuta, cui etiam *Jurieu Histoire Critique des dogmes &c. Part.* III. *Chap.* V. p. 469. & recentissime *Basnage Antiquites Judaiques Tom.* II. p. 569. sq. adstipulatur, qui insuper addit: *C' etoient ces sacrificateurs, qui rapportoient souvent, qu' elles avoient parlè ou manifestè l' avenir par quelque signe*, i. e. Sacrificuli sæpius referebant, quod istæ (imagines) fuerint locutæ, aut res futuras signo quodam manifestarint. Verum id quidem negare non possum, quod interdum Sacrificuli per efficta idolorum responsa plebi rudi, præstigiisque Satanæ infectæ, imposuerint, atque adeo non defuerint, qui oraculorum responsa publicis Scriptis in dubium vocarent; quorum in numerum *Demosthenem* inprimis, *Ciceronem*, atque *Eusebium* refero. Utcunque autem hæc se habeant, non facile tamen quisquam, qui rem digitis, ut ajunt, metiatur, omnem plane fidem isti rei derogabit, cum ex omni historia manifestum sit, quod Diabolus vix quicquam efficacius, ad superstitionem hominum animis ingenerandam, quam ejusmodi responsa *Teraphim*, ac idolorum fingere, & excogitare potuerit. Noverat enim malus Genius, quantum auctoritatis accessisset *Judaicæ* religioni ex secretis *Dei* cum *Mose* colloquiis, quantum fuerit *Urim*, & *Thummim* dignitas, ac existimatio, quantumque ad homines continendos valeat Numinis responsio. Unde etiam crebrius per *Teraphim* de rebus gravibus, ambiguisque responsa edebat;

bat; de quo minus dubitandum, cum oraculi nostri verba exserte testentur, Regem *Babyloniorum* ista consuluisse. Jam vero illum *Coroebo*, *Morychoque* stultiorem merito haberes, quod responsa τῶν *Teraphim* sibi expetere voluerit, nisi Diabolus illius spem oraculis, e *Teraphim* sæpius jam ante redditis, plurimum lactasset. Ita *Danitæ*, fama de *Michæ Teraphim* ad ipsos perlata, statim se ad hujus sacerdotem contulerunt, & ab eo petierunt, ut de itineris exitu istud interrogaret. Imo ex *Gen.* xxx. 30. non solum haud obscure colligitur, sed etiam ex Zach. x. 2. evidenter probatur, *Teraphim* quandoque fuisse locuta. Accedit & illud, quod, uti jam supra annotavi, *Chaldæus Hos.* iii. *Teraphim* per מחוי i. e. *indicantes* l. *annunciantes*, & lxx. Interpretes *nunc* per δήλυς, *nunc* per ἀποφθεγγομένυς vertant. Quisquis vero מחוי, δήλυς, & ἀποφθεγγομένυς ea censet appellanda fuisse, ille etiam, ut loquendi futuraque prædicendi facultatem ipsis concedat, necesse habet. Ceterum hæc sententia non minus plerorumque Magistrorum *Judaicorum*, quos vide ap. *Buxtorfium* in *Lex. Talmud.* fol. 2661. sq. quam *Christianorum Criticorum Medi*, *Merceri*, *Seldeni*, aliorumque suffragiis comprobatur. Nec desunt exempla ex antiquitate, veterumque monumentis desumta, quibus luculentissime demonstratur, nihil absoni a me statui, si ejusmodi imagines fatidicas interdum responsa edisse concendo. *Lucianus* ἀπίςων p. 349. T. ii. ed *Amstel. Corn. Tacitus* Lib. ii. C. lxi. *Plinius Lib.* xxxvi. C. vii. aliique de celeberrima illa *Memnonis statua*, quæ in templo *Serapidis* in *Ægyptiis Thebis* erecta erat, perhibent, istam, radiis solis percussam, vocalem sonum emisisse, ac locutam fuisse. *Suetonius* de *Nerone* testatur, quod imaginem quandam habuerit, cujus monitu futurorum scientiam se esse assecutum fuerit gloriatus. Sic *Guilielmus Malmesburiensis* Monachus *Benedictinus* in *gestis Regum Angliæ Lib.* ii. C. x. tradit, *Gerebertum Rhemensem* primum, deinde *Ravem. Archiepiscopum*, & postea *Pontificem Maximum* fudisse sibi caput statuæ, certa siderum inspectione, quod nonnisi interrogatum loqueretur, verumque vel affirmando vel negando pronuntiaret; & cum diceret *Gerebertus*: *Ero Apostolicus?* respondisse statuam illam: *Etiam. Moriar antequam missam cantem Hierosolymæ? Non.* Verum hunc *Gerebertum* fuisse deceptum: Cogitasse enim eum urbem *Hierosolymam*, oraculum vero sacras ædes *Romæ* extantes, & eodem hocce nomine insignitas. Cum itaque *Pontifex*, oraculi mentem non assecutus, quadam quadragesimali die sacra obiret in *Basilica S. Crucis*, quæ *Jerusalem* vocabatur, misere vitam finiisse: conf. *Jo. Balæum*, *Actis Rom. Pontif.* p. 164. Huc etiam spectant statuæ illæ, quas *Trismegistus Mercurius* in *Asclep. cap.* ix. memorat, *sensu animatas, & spiritu plenas - - - statuas futurorum præscias, ea, quæ forte omnis Vates ignoret, in multis & variis rebus prædicentes*. Nec multum ab his discrepant ζόανα illa i. e. simulachra brevia, quæ teste *Servio Æneid. 6.* a veteribus quondam in lectica portabantur, & ab ipsis mota vaticinationes eloquebantur, ut & imagines *Arabum*, *Ægyptiorum*, ac inprimis *Avis* illa *Ænea*, quam ut Auctor *Chronol. Samaritanæ* ap. *Hotting.* l. c. pag. 290. tradit, *Romani* in vertice montis *Garizim* collocaverunt. Hæc si adscenderet *Samaritanus*, clamabat *Hebræus*: unde Romani colligentes *Samaritanum* in monte esse egrediebantur, eumque occidebant: conf. *Marsilius Ficinus* in libro de *Vita cœlitus comparanda cap.* xx. fol. 561. *edit. Basil.* & ea, quæ recenset *Ovid. Fast. Lib.* iv. de statua *Cybelis*, *Svetonius Lib.* iii. *cap.* 54. de simulacro *Jovis* cachinnum edente, *Jacobus Justus Judæus Chorograph. terræ S.* ap. *Hotting.* l. c. de Cane *Adonio*, & *Maim. More Nev. Lib.* iii. cap. xx. de imaginibus aureis *Zabiorum* futura prædicentibus, aliique Scriptores passim. Antequam vero hinc discedo, id probe inculcandum esse duco, quod istorum loquela, non nativæ cuidam, ac propriæ loquendi facultati, quam a Teraphim, aliisque imaginibus longissime remotam fuisse existimaverim, sed fraudibus potius, ac præstigiis Satanæ sit adscribenda, qui in iis verba formavit, & responsa jam vera, jam falsa, plerumque dubia reddidit. Unde recte Mercerus ad Gen. xxxi. ait: *Non est dubium, quin per ea, ut & in aliis idolis gentium dæmones responsa darent: nam alioqui organis naturalibus destituta scimus loqui non potuisse.*

XI. Facessat ergo Spencerus, qui loc. cit. audacter profiteri non dubitat, Deum T. O. M. quandoque per Teraphim fuisse locutum, cum impia hæc, & merito abominabilis sententia nullam probabilitatis, nedum veritatis speciem habeat. Ostendat ille de Deo isto gravissimo vindice, qui nomen suum i. e. honorem sibi debitum, gloriamve imaginibus deferre maxime non modo vetuit, verum etiam istum, hominem æternis cruciatibus

bus devovit: אשר יעשה פסל תועבת יהוה מעשה ידי חרש: *qui ſculptile conflaverit abominatione Domini & opus artificum?* Doceat nos, Deum per talia fuiſſe locutum, quæ ipſe tanto odio, tantaque abominatione eſt perſecutus, ut etiam iſtorum cultoribus duriſſimas pœnas inflixerit? Provocat quidem *Spencerus loc. cit.* ad *Jud.* XVII. & *Zach.* X. ac exinde peſſimum hunc errorem confirmare ſatagit, ſed non opus eſt, ut hic Deum quendam e machina, aut ipſum *Deum* T. O. M. in patrocinium *Teraphim* proponat, cum hæc loca nihil minus id evincant, quin potius præpoſtera ipſius placita falſitatis diſerte coarguant.

# JO. CHRISTOPHORI WICHMANNSHAUSEN

## DISSERTATIO QUARTA DE DIVINATIONIBUS BABYLONIORUM

### §. I.

CUM hactenus duas priores *Babyloniorum* divinationes, a Rege *Nebucadnezare* in bivio exercitas, perluſtravimus, filum oraculi noſtri nos tandem eo ducit, ut *tertiam*, ac *ultimam* breviter, ac pro ingenii noſtri tenuitate excutiamus.

II. Deſcribit eandem nobis *Sacer vates* his verbis: ראה בכבר *inſpiciet jecur*; ubi in rem noſtram eſſe judicamus, ut de notionibus hiſce ante omnia ſimiliter ſimus ſolliciti, & ſuper iiſdem maxime neceſſaria adnotemus. Primum autem locum tenet vox ראה, de qua conſtat, quod proprie de *viſione oculi* in *Sacro Codice* uſurpetur, *Gen.* XXXIX. 2. deinde vero per *metaphoram* transferatur ad *internam intellectus apprehenſionem*, ſeu mentis oculum, *Eccl.* I. 16.; & cum intellectus variæ ſint operationes, *nunc* cogitationem, ac conſiderationem, *Gen.* XLIX. 18. *Exod.* XXXII. 9. *nunc* approbationem *Lev.* XIII. 6. 8. 10. 13. ſeq. *nunc* anxium ſtudium, ac deliberationem in agenda aliqua re ſuſceptam. 2. *Reg.* XIX. 6. *Pſ.* XXXVI. 37. *Joſ.* VIII. 4. *nunc* ſenſationem internam ſignificat. Præter has autem ſignificationes denotat quoque cognitionem aliquam cum *affectu*, & *effectu* conjunctam, quam non male *compoſitam* dixeris, ita ut *modo* providentiam divinam, *Gen.* XXII. 8. 1. *Sam.* XVI. 1. *modo* pugnam, & conflictum, 2. *Chron.* XXV. 17. 2. *Reg.* XIV. 8. 10. *modo* caſtigationem, & pœnam, *Pſ.* X. 11. *modo* timorem, ac reverentiam Dei *Mich.* VI. 9. &c. ſimul complectatur. His ſignificandi rationibus in medio relictis id ſaltem obſervo, quod hæc notio, ſi conſtruatur cum ב, tam in *bonam*, quam in *malam partem* accipiatur. *Illo* modo notat *contemtum*, *Job.* XXXIX. 19. *viſionem doloris*, *& triſtitiæ plenam Gen.* XXI. 16. L. 15. *hoc* vero modo *videre*, & *ſpectare aliquid cum ſumma voluptate Pſ.* CXVIII. 12. & *ſingulari mentis attentione*, *imperturbato oculo æque ac animo*, *nullaque cura interpellante*. *Pſ.* lib. 23. CXVIII. 7. Et hæc ultima ſignificatio etiam hic locorum obtinet, ut adeo ראה non incommode vertas, *attente*, *magnoque adhibito ſtudio*, & *defixis non ſolum* corporis, *ſed etiam* mentis *oculis aſpexit*, *atque rimatus* eſt. Altera notio, quæ hic conſiderari meretur, eſt vocabulum כבר *jecur* a Rad. כבר *grave eſſe*, *ingraveſcere*, quod ideo a gravitate nomen ſuum nanciſcitur, cum omnium viſcerum ſit graviſſimum. *Syrus interpres* eam reddidit per ܫܘܒܚܗ *gloriam ſuam*, a Rad. ܫܒܚ *laudavit*, *glorificavit*: quem forſan in translatione ſua adhibuiſſe *Codicem Hebræum* nullis punctis diſtinctum cenſeo, ut adeo mirum non ſit, quod pro כבר *jecur* legerit כבר *gloriam*. *Arabs* vero transfert per عولاننه *ad dextram ſuam*, & reſpexiſſe mihi videtur verba Textum noſtrum ſequen-

quentia, quando *Propheta* tradit, quod divinatio sit futura ad dextram ejus בימינו היה הקסם. Ceterum tenendum est, quod istiusmodi sapientes, qui apud *Babylonios* ex inspectione jecoris, reliqurumque extorum futura præsagiebant, apud *Danielem* cap. II. & IV. dicantur גזרין, aut גזריא, quasi *sectores* a גזר *scidit*, *secuit*, quia scindebant victimas, ut ex ipsarum visceribus divinationes instituerent, eaque, quæ eventura essent, portenderent. Unde non incongrue *R. Aben-Esra* in *Comment.* ad *Dan.* loc. cit. גזרין vocat בעלי הקסמים ההולכי לקראת נשים: *divinos, qui ibant ad auguria captanda.* Hi enim non modo extispicinam exercebant, sed etiam *portenta*, *prodigia*, *ostenta*, *monstra* publice dijudicabant, & tanta in celebritate, ac existimatione versabantur, ut etiam epud *Romanos* certe, quoddam *Haruspicum*, quales hi ipsi erant, *collegium* publica auctoritate sustentaretur, quo adversis Reip. temporibus saluti civium prospicerent, & quid potissimum consilii, imminente quadam gravi calamitate, aut belli periculo capiendum, ex extis præcipue ostenderent.

III. Notionibus hisce explicatis ultimam hanc *Babyloniorum* divinationem in oraculo nostro propositam paullo altius contemplari instituo, ubi statim deprehendo, Regem *Nebucadnezarem*, peractis reliquis divinationibus, leviter hactenus a me descriptis, istam insimul futura præsagiendi rationem, quam *Haruspicinam* appellamus, adhibuisse. *Haruspicina* autem, quæ vox ab *Hadr. Jun.* in *Nom. Gloss.* ab *Harugis* i. e. hostiarum extis deducitur *est* nihil aliud quam *ejusmodi divinandi ratio*, *qua* גזרין, sive *Haruspices*, *extis victimarum inspectis*, *futura prædicere*, *resque abditas*, *atque abstrusas prænuntiare studebant*. Hic vero probe annotari meretur, quod Haruspicina duplicis generis fuerit. *Alia* complectebatur istos actus divinatorios, qui suscipiebantur vivis, nondumque mactatis victimis: & hæc *Græcis* dicebatur οἰώνισμα θυτικὸν, seu θυοσκοπικὸν: *Alia* contra versabatur in dissectis victimis, divinationibusque ex iis capiendis, quæque a *Græcis* vocabatur Ηπατοσκοπια, seu *Extispicina*. Hæc *nunc* latiori sensu sumta involvebat præsagia ex signis salubribus, noxisque in extis præcipuis deprehensis, ex habitu, coloreque fibrarum, ex quibusdam particulis, in *hepate*, præcipue, *corde*, *liene*, *renibusque*, deficientibus, aut præter naturam adnatis; *nunc* autem strictiori sensu accepta jecori solummodo scrutinium denotabat.

IV. Utut Rex *Babyloniorum* hoc posterius divinandi genus saltem dicatur instituisse, verosimillimum tamen, nec ab oraculi nostri sensu alienum esse videtur, si asserimus, quod *Spiritus S.* hac inspectione jecoris, tanquam palmario divinatorii sacrificii actu, commemorata, totam *Haruspicinam* exprimere voluerit, & in ea quidem latitudine acceptam, quatenus οἰώνισμα θυοσκοπικὸς, & ἠπατοσκοπίαν simul comprehendit. Cum vero hanc paulisper discutere animus sit, nec tamen veteres promiscue omnia in illa pertractarint, sed justum, certumque ordinem observarint, e re nostra erit, tres potissimum distinctas sectiones conficere, & videre ea, quæ illam I. antecesserunt, quæ eam II. constituerunt, & quæ III. sunt subsecuta. *Haruspicinam* facturi victimas maximo cum studio *eligebant*, easque, quas integras, & incorruptas deprehendebant, ex reliquo grege eximebant, quæ idcirco & *lectæ* & *eximiæ* dicebantur. Unde apud *Virgil. Æneid.* IV. vers. 57. *Mactant Lectas de more bidentes*: & apud eundem *Georgic.* IV. vers. 550. *Quattuor Eximios præstanti corpore tauros ducit*. Mali enim ominis res esse videbatur, si hostia, ad *Haruspicinam* destinata, vitio, vel morbo aliquo laboraret, ac *caudam aculeatam*, *linguam fissam*, *auremque nigram* haberet. Vid. *Verativum* in *Quæst. Pontifical.* apud *Macrob. Saturn. Lib.* III. c. V. *Plinium Lib.* VIII. *Hist. Nat. cap.* XLV. *Alexandr. Lib.* III. *cap.* XII. & *Serv.* ad IV. *Lib. Æneid.* l. c. Utut vero hæc hostriarum dignitas duobus modis spectari possit, vel *secundum speciem*, vel *per accidens*; *Gentiles* tam *accidentalem* potissimum attendisse deprehendimus, quandoquidem hostias integras, ætatisque maturitate gaudentes, unice ad rem divinam expedire arbitrarentur. Hinc *Athenæus*, *Dipnos. Lib.* XV. *cap.* V. ex *Aristotele* in *Symposio* tradit, ὅτι ὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τὐς θεὐς ἀλλὰ τέλεια, καὶ ὅλα; conf. *Thucydides* de *Bello Peloponn. Lib.* V. & *Aristoph.* in *Acharn.* de *Sucula*. Et sane, quod ad ætatis maturitatem attinet, lege publica cautum fuisse ex *Adrotione Athenæus Lib.* IV. *cap.* IV. refert, μὴ σφάττειν πρόβατον ἄπεκτον, ἐ ἄτοκον, *nec ovis intonsa*, *aut priusquam peperisset*, *occideretur*. Inficias interim simul ire non possum, hanc maximopere pro diversitate victimarum immolandarum variasse. *Pecora* die octavo, *boves* trigesimo, *sues* die quinta, a partu, secundum *Plinium* l. c. cap. LI., secundum *Varronem* vero de *Re rustica*, *Lib.* II. *cap.* IV. decimo die, ad sacrificium

ficium divinatorium instituendum idonei erant. *Ovium*, & *ruminalium hostiarum* maturitas ad biennium revocabatur. vid. *Plinium*, *Servium* l. c. & *Agell. Noct. Attic. Lib.* XVI. *cap.* VI. Historiæ maturæ ætate ab antiquis appellabantur *Sacræ*, quia tum demum ad hoc negotium sacrum aptæ judicabantur. Unusquisque autem, qui veterum monumenta obiter saltem, ac per transennam, (ut ajunt,) inspexit, discrimen illud, quod intercedebat inter hostias *majores*, & *minores*, inde ortum esse facile cognoscet, siquidem apud *Livium* potissimum *Virgilium*, *Ciceronem*, aliosque Scriptores passim creberrima *majorum*, & *minorum victimarum* mentio fieri solet. Ceterum licet hæc, ut de *sexus fœminini* præ *masculino* præstantia nihil dicam, cum in sacrificiis ejusmodi fœminini generis hostiæ reliquis multum antecederent, externam corporis integritatem potissimum concernerent; nec tamen existimandum est, quasi in hac solummodo *Haruspices*, ac *Victimarii* acquieverint, quin potius non minorem curam internæ quoque perfectionis, animæque puritatis habuerint, hostiæque dignitatem exinde dijudicarint. De *Græcis* certe memorat *Lodov. Coel. Rhodiginus Lection. Antiqu. Tom.* II. *Lib.* XII. C. I. p. 81. quod tauros explorari apud istos moris fuerit farina apposita; *Capros* vero ciceribus: Si gustare abnuissent, inde eos conjecisse, haud satis illos valere, minimeque idoneos esse: *Capras* autem frigida aqua: nec secundum naturæ modum se habere putasse, quod inter libandum jaceret velut immobile, minimeque afficeretur. Hinc *Scholiast.* ad *Aristoph.* in *Acharn.* de *Sucula*: Τὰ γὰρ κόλȣρα ἐν τοῖς ἱεργίαις ȣ̓ θύεται, ϗ̀ καθόλȣ, ὅπερ ἢ μὴ τέλειον, ϗ̀ ὑγιὲς, ȣ̓ θύεται τοῖς θεοῖς. Quemadmodum vero *Gentiles* plerosque fere *Hebræorum* ritus fuerunt imitati; sic etiam, re paullo altius considerata, hic quoque aliquod vestigium offendimus, siquidem ex *Num.* XXIX. 8. edocemur, Deum in victimis omnimodam, & omnibus numeris absolutam integritatem maxime desiderasse.

V. Selectis victimis consultatoriis *coronas* circa collum apponebant, earumque cornua, auro obducta, vittis, quæ coloribus quibusque gratis distinguebantur innectebant, vid. *Ovid. Lib.* VII. *Metamorph.* Hostias *majores* ornabant coronis aureis; *minores* vero propriis Deorum frondibus vid. *Hom. Odyss.* γ. vers. 425. *Virgil. Lib.* I. *Georg. vers.* 349. & *Apoll. lib.* II. *Argon.* Hanc coronandi rationem inprimis illustrat locus, *Act.* XIV. 13. ubi *Sacerdos Jovis* dicitur attulisse ταύρȣς, ϗ̀ ςέμματα, i. e. *tauros* ςεμματιζομένȣς, seu *coronatos*, conf. *Sauberti Prodr. Phil.* S. p. 33. Hostias coronatas ad templa, & aras in quibus immolandæ erant, *adducebant* Popæ, & Victimarii: Interdum tamen, in lustris publicis præcipue, etiam peculiari modo eligebantur isti, qui hostias ducebant, ut refert *Cic. Lib.* II. de *Divinat.* & *Plinius Lib.* XVIII. C. II. Gravissimæ hic calamitatis indicium erat, si hostia ductorem non sponte sequebatur, sed magna cum vi ad aram trahenda erat, aut plane aufugiebat, quam tamen mactare debebant, ubicunque eam deprehenderent, ne majus piaculum fieret, teste *Gyraldo Syntag.* XVII. de *Sacrificiis fol.* 518. & 519. Si vero sponte ad illam accelераret, neque sese ex ducentium manibus proriperet, læti auspicii testimonium præbebat. Ductores victimarum tubis, tympanis, tibiisque canebant, carminaque dulcia decantabant vid. *Virgil. Lib.* II. *Georgic.* vers. 193. *Propert. Lib.* IV. *Eleg.* 6. *Arist. Polit. Lib.* VIII. C. VI. VII. & e recentioribus *Saubert.* de *Sacrific.* Cap. ult. Hunc vero ritum a *Judæis Gentiles* accepisse in professo est; siquidem hi in *festo Tabernaculorum* aquas, ex fonte *Schiloah* haustas, quas teste R. *Levi Ben Gerson* 2. *Sam.* XXIII. 16. pluviæ potissimum impetrandæ caussa obtulerunt, לבקש מהשי׳ ברכות הגשמים כי אז יבא עת הזריע, egregio nervorum, tibiarumque cantu in templum induxerunt, conf. *Tremel.* in *Cap.* VII. Joh.

V. Victimis ad aram allatis *Sacerdotes*, aut ejus ministros opus non prius, quam *lotis* rite *manibus*, auspicari oportebat. Sic apud *Dionys. Halic. Lib.* VII. *Sacerdotes ministris* præcipiunt, ut χερνιψάμενοι αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ περιαγνίσαντες ὕδατι *lotis manibus ipsi sacras victimas, aqua pura expiatas* mactarent. conf. *Hom. Iliad.* α. v. 449. Nam cum purus sit *Deus*, & ab omni prorsus sorde immunis, non convenire crediderunt ministro illi, qui ad ejus altare accederet, manus habere inquinatas. Inde *Hesiodus* ἔργ. *Lib.* II. graviter vetat, μηδέ ποτ' ἐξ ἠῶς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον χερσὶν ἀνίπτοισι, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισι: i. e. *Neque unquam mane Jovi libes rubens vinum manibus illotis, neque aliis immortalibus*. Lotiones autem illæ non ex qualicunque aqua fiebant, cum aliam præter *sacram* hic adhibere nefas esset. Hæc vero, vel *natura*, vel ex *ritu* quodam, ac instituto sacra erat. Ad *aquam* naturaliter *sacram* non immerito revocarem *mare*, *fontes*, ac *fluvios*, quibus *Deos*, Ge-

*Genios*, *Nymphasque* præesse miseri homines putabant, adeo, ut in quibusdam natare, in aliis navigare sibi religioni ducerent, vid. *Plin. Lib.* VIII. *Ep.* 8. & 20. Utut autem aqua ex mari, aut flumine vivo petita in his sacrificiis uti licitum esset; non tamen promiscue illam in omnibus sacris adhibebant, quandoquidem pro multitudine *Deorum*, eorumque diversitate aliam, atque aliam usurpabant. In templo *Vestæ* nonnisi aqua, ex fluvio *Numico* hausta, sese lavabant, ut testatur *Plutarch.* in *Numa*, & *Serv.* ad VII. *Æneid.* vers. 150. In templo vero *Isidis* aqua ex *Nilo* desumta adspersiones & lotiones factas fuisse idem *Servius* ad *II. Æneid.* vers. 116. perhibet. Ut de reliquis nihil addam, illud saltem moneo, quod si aqua ex mari, seu flumine ad lotiones hausta simul piscis effunderetur, maximæ felicitatis, lætique ominis indicium erat. Sic cum puer quidam *Atheniensibus* in *Delo* sacrificantibus aquam hauriret, & e phiala cum aqua piscem effunderet, *Vates Deliaci* istud in optimam partem interpretabantur, eosque insuper maris fore Dominos læti ominabantur, conf. *Athen. Dipnos. Lib.* VIII. C. I. Simile quid *Augusto* Imperatori contigisse tradit *Plinius Lib.* IX. C. XVI. Quo vero commodius Sacrificuli rem divinam peragere possent, *malluvia* quædam seu *labra*, quæ χερόνιπτρα, vel χερνίβια dicebantur, ad *aras*, & *templi fores* ponebant, ex quibus manus abluere consueverant; quod confirmat *Euripides Electr.* ὡς ἀμφὶ βωμὸν στῶσι χερνίβων τέλος, & tabella quædam vetusta, quam *Neapoli* in domo *Adriani* de *Guilielmo* se vidisse testatur *Camerarius Hor. Subcisiv.* P. II. C. I. p. 3. ubi antiquus sacrificantium mos exhibetur in ara rotunda, cui adstat *Sacerdos* manus lavans ex vase, quod in manibus gestat puella alata. Ejusmodi malluvium ante *Cereris Eleusiniæ* templum positum fuisse prodidit *Libanius Declam.* XIX. & *Lysias Orat.* in *Andocidem*. Aqua *naturaliter* sacra deficiente in malluvia aliam, *ritibus* quibusdam & *ceremoniis consecratam*, infundebant, quam hunc in modum conficiebant, ut titionem ardentem ab ara, ubi victima adolebatur, sumtum in labrum, aqua qualicunque repletum, intingerent, eaque postea manus lavarent; uti est apud *Euripid. Herc. fur.* v. 928. 929. Interdum tamen non tam ablutione, quam *adspersione*, utebantur, præsertim si Diis inferis litandum erat, vid. *Macrob. Lib.* III. *Saturn.* C. I. & *Virgil.* IV. *Æneid.* Similem lotionum consuetudinem olim apud *Hebræos* fuisse receptam ex *Cod. Talmud. Joma* C. III. §. 2. patet. Illotis enim manibus pedibusque sacra tractare pariter prohibitum erat. Hinc *Sacerdotem Magnum* antea deducebant in *domum lotionis*, quæ teste *Gemara* ad *num.* 5. *Cap.* 1. *Iom.* in loco profano על גבי שער המים *supra portas aquarum* erat, ubi prima vice se lavare debebat; reliquas vero lotiones supra tectum domus *Happarvæ* peragebat. Conf. *Excellentiss. Wichmannshausenii*, *Patroni nostri Suspiciendi diss. de Lotione Manuum*. Factis his ablutionibus, precibusque præmissis *vinum* inter cornua victimarum *fundebatur*, vid. *Ovid. Lib.* VII. *Metam.* dein farina hordei, cum sale permista, in tergus spargebatur, quam *molam salsam* vocabant. Hac molarum inspersione hostiarum patientiam explorabant, cum illis, & cultrum & illarum tergora conspergerent, cultumque insuper obliquum a fronte ad caudam deducerent, id quod docet *Virgil. Lib.* XII. *Æneid.* vers. 173. 174. Hic secundæ fortunæ signum esse opinabantur, si hostia libenter adstaret, aquamque auribus immissam absque reluctatione admitteret. Docet enim *Myrtilus* apud *Scholiast. Apollonii Lib.* II. *Argon.* gentiles aquam infudisse auribus, tentaturos, ὡς ἐπινεύη ταῖς τελεταῖς i. e. *utrum annuat immolationi*. Si itaque reluctaretur, ictumque plane falleret, exitii fortunæque adversæ omen præbebat. Quare *Lucanus* de *Bello Civil. Lib.* I. vers. 611. scribit: *Impatiensque diu non grati victima sacri*: Et hinc etiam factum erat, ut, cum *Cæsari* immolanti, teste *Cic. Lib.* II. de *Divin.* aufugisset hostia, *Summus Haruspex* tristis auspicii argumentum esse judicabat, eumque monebat, ut profectione adversus *Scipionem*, & *Iubam* dilata, in *Africam* ante brumam non transmitteret.

VII. Quemadmodum autem in sacrificiis *Hebræorum* Sacerdotes primo *incidere* solebant *cervicem* secundum Cod. Iom. C. IV. §. 2. ולנשחט כנגר בית שחיטה *& mactando ad domum mactationis*, ut etiam cervicem inde בית שחיטה *domum* seu locum *mactationis* appellarent, conf. *Cod. Tamid.* C. IV. §. 3. Sic & paganis idem moris erat. *Hom. Odyss.* γ. πέλεκυς δ' ἐπέκοψε τένοντας αὐχενίους, λῦσεν δὲ βοὸς μένος, i. e. *securis*, *vero abscidit nervos cerviciales*, *solvitque bovis robur*, & *Apol. Rhod. Argon. Lib.* IV. αἵματι χεῖρας τέγγεν ἐπιτμήγουσι δέρην i. e. *sanguine manus imbuit cervice incisa*. Hostia, ictu securis prostrata, si exiliisset altius, horridumque clamorem excitasset, aut homo dejecta terram pedibus cal-

calcitrasset, Numen offensum esse augurabantur. Quando e contrario ictum placide sustinuisset, collapsaque absque strepitu, aut pedum complosione jacuisset; lætum rerum eventum portendebant. Victimam percussam de terra tollebant, sublatamque jugulabant, quæ sublatio victimarum cum colli retractione in sacrificiis Deorum sacrorum erat conjuncta. vid. *Scholiast. Apollonii Lib.* I. *Argon.* & *Eustach. Comment. Homeri* in *Iliad.* α. quo cœlum contueretur, & sanguinem largiorem emitteret. Cruore solito non effluente, sed tetra, ac virulenta sanie, *Haruspices* expavescebant, acerbeque ferentes mali ominis argumentum esse dicebant: Hinc *Lucanus loc. cit.*

*Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo*
*Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.*
*Palluit attonitus sacris feralibus Aruns.*

VIII. Peracta jugulatione *exta* perscrutabantur, quæ *Deos notis* quibusdam signare, iisque, aut *favorem*, aut *iram* manifestare sibi persuadebant. vid. *Tibull. Lib.* II. *Eleg.* IV. Unde illud stratagema *Alexandri* M. qui teste *Frontino Lib.* I. *cap.* XI. *Stratagem.* medicamento inscripsit *Haruspicis* manum, quam ille extis immisserat, ubi litteræ significabant, victoriam *Alexandrum* M. reportaturum esse; quas cum jecur calidum rapuisset, militesque perspexissent, non modo non infracto, sed etiam confirmato animo erant, rati, Deum jamjam victoriam spopondisse. Antequam autem hanc materiam paullo diligentius evolvimus, & divinationes ex singulis viscerum præcipuorum speciebus examinamus, vel tribus saltem præmonendum esse duco, quod *Haruspices* aliquod peculiare in omnibus extis signum, quod *Deus* appellabatur sibi finxerint; id si integrum apparuisset, propitium Numen ostendere: sin vero dimidium, iratum, aut certe non præsens Numen significare autumabant, quo spectant illa verba: *Et in nullis spirat Deus integer extis.* conf. *Lactantius* in Quint. *Theb. Comment.* Hoc signum, ut & reliqua, cum *victimarii* & *Haruspices* sollicite quærerent, viscera manu contrectare minime debebant, ne aliquam labem hostiæ conciliarent, *Deique* iram excitarent. Adhibebant itaque *cultrum* ferreum, manubrio eburneo, rotundo, auroque & argento distinctum, æreque Cyprio ornatum, eoque mediante exta rimabantur, attenteque insimul explorabant, utrum omnia rite sese haberent, nec ne? In hac vero extorum contemplatione principium faciebant a *Jecore*, quod hujus artis divinatoriæ sedem primariam constituebat, ut etiam omnes reliqui sacrificii divinatorii actus ab hujus inspectione Græcis ἡπατοσκοπία, quemadmodum supra in *Diss.* II. jam audivimus, dicerentur; Cur potissimum initium extispicinæ ab *hepatis* consideratione facerent, caussam hanc a natura desumtam fuisse putat *Peucerus* de *Divin.* p. 147. qui inter viscera primo omnium *hepar* in corpore prægnantium ex sanguine menstruo, in matricem attracto formaretur, illudque insuper fons sit sanguinis, &, si valeat, vigeatque, sanguinem purum, naturæque convenientem gignat. Hinc ex bono sanguine fieri ait justam in ceteris partibus nutritionem, nec facile temperiem spirituum in corde, reliquisque membris infici, si foveantur sanguine exacte temperato. Cum in *jecore* deprehenderent Sacrificuli, quod omnia ipsorum voto, & exspectationi responderent, exultabant lætitia, & reliqua viscera, quæ nutrimento transmisso hepar aleret, integra pariter fore conjectabant. *Jecur* ceteroquin, ejusque caput in duas partes *familiarem* nempe, & *hostilem* dividebant, quibus inspectis vel pericula denunciare, vel commoda sibi ostendere satagebant. Pro diversitate harum partium etiam *duplex fissum*, quorum *unum* erat *inimici*, *alterum* vero *illius*, *cujus gratia exta rimabantur*, sibi concipiebant. Fissum autem ex nonnullorum sententia linea quædam, & limes erat, qui fibras in medio jecore bipartito dissecabat. Fisso, capiteque familiari non invento nihil tristius accidere posse credebatur; imo pro infortunii maximi indicio habebatur, si alterutrum capitum, vel corrugatum emarcuisset, vel in alium habitum, coloremque se convertisset. *Jecore* vel sanie, ulceribusque obstructo, vel a sede sua in alium locum translato, vel inter coquendum plane absumto, *pestis*, *perniciesque* summa portendebatur. Hinc *Seneca Oedip. Act.* II. mali ominis fuisse notat, quod felle nigro tabidum spumaret jecur; & CN. *Cornelius Cos.* cum immolatione facta, aquaque ex olla, ubi exta coquerentur, effusa *jecur* omne defluxisse videret, confuso vultu *Patribus Conscriptis* portentum exponebat, vid. LIV. *Lib.* XLI. *cap.* XV. Ita *Cajo* & *Claudio* successori ejus consulatum ineunti, cum *hepar* deficeret, funestum vitæ exitum, qui ipsis etiam contigerat, ominabantur, conf. *Plin. Hist. Nat. Lib.* XI.

XI. *cap.* XXXVII. Pro bono contra auſpicio reputabant, ſi *jecur* auctum, geminumque appareret. Quapropter *Julianum* exta rimantem, cum *jecur* duplici operimento vidiſſet, lætum rerum eventum obtinuiſſe tradit *Amm. Marcell.* Lib. XII. & *Plinius* l. c.

IX. Explorato *hepate Cordis* conſiderationem ſuſcipiebant. Quod ſi flaccidum, nec debita pinguedine veſtitum in varias plicas, rugaſque coiviſſet, aut plane non apparuiſſet, calamitatem non levem oſtendi perſuaſi erant. Id quod confirmat lepida illa hiſtoria, quam *Athenæus Lib.* IX. *Dipnoſoph.* ex *Euphronis Comedia*, *Fratres* dicta, refert. Nautæ quidam *Tænii*, poſt laborioſam navigationem Patriæ feliciter redditi *Diis* hoedum parvum gracilemque immolabant. Id cum indigne ferret *Popa*, cum non admodum lautæ epulæ ipſi eſſent expectandæ, jugulata pecude mirum in modum, viſcera tractabat, & nautis curioſius *jecur* conſiderantibus *renem* fraudulenter abſtulit, quem cum nautæ deficere animadverterent, maximo metu perculſi ſuccidaneam in vicem præcidaneæ ſubſtituebant. Cum & in hac *Cor* non viſeretur, fraude, malitiaque *victimarii* amotum, injecto ſibi mali præſagii terrore horreſcentes hœdum demum ſacrificabant. Ita *Cæſari* ante ipſius interitum eo die, quo primum in ſella aurea ſedit, & purpurea veſte indutus fuit, hoſtias immolanti in extis bovis opimi *cor* non adfuiſſe perhibet CIC. *Lib.* I. de *Divinat.* His peractis reliqua extra præcipua *fel* inprimis, *lienem*, *pulmoneſque* contemplabantur. Hæc ſi rite eſſent comparata, neque ullo fœdido cruore commaculata, aut horrido quodam colore adſperſa, & ex proprio loco dimota conſpicerentur, nec ampullis, aut ſalſilagine referta ingratum odorem ſpargerent, lætum quid denotabant, imo duplicata, & aucta *Deos* propitios, cœptoque annuentes ſignificabant, ſecundoſque fortunæ ſtatus confirmabant. Unde *Plin. Secund. Lib.* II. ep. 20. *Adſpice. Regulum*, inquit, *qui ex paupere, & tenui ad tantas opes flagitio proceſſit, ut ipſe mihi dixerit, cum conſuleret, quam cito ſeſtertium ſexcenties impleturus eſſet, inveniſſe ſe exta duplicata, quibus portendi millies & ducenties habiturum. Auguſto*, quo die apud *Actium* vicit, rem divinam facienti, victimaſque mactanti *geminum fel* victoriam ab *Antonio* reportatam indicabat, ut docet *Plin. Hiſt. natur.* lib. XI. cap. XXXVII. Si *dracones* inter *exta* prominebant, felicem propoſitæ rei exitum ominabantur. Ita teſte eodem *Plinio* l. c. *Cecinnæ Volaterrano* dracones emicuiſſe de extis læto prodigio traditur.

X. Inſpectis viſceribus, ac extis præcipuis, partes quaſdam *adipe* & *pinguedine* obductas e ſingulis membris ac inteſtinis diſſecabant, farreaque denuo adſperſas farina aris imponebant teſte *Hom. Il.* α. v. 461. ſeq. & *Dionyſ. Halicarn. loc. cit.* Ἀπαρχὰς ἐλάμβανον ἐξ ἑκάϛȣ σπλάγχνȣ, ϗ παντὸς ἄλλȣ μέλȣς ἃς ἀλφίτοις ἀναδεύσαντες ζέιας --- ϗ ἐπὶ τȣ̀ς βωμȣ̀ς ἐπιτιθέντες ὑφῆπτον. Farina iſta nihil erat frequentius, ut etiam apud *Romanos*, ac alias gentes in perpetuam conſuetudinem abierit. Sane ipſemet *Pythagoras* farinæ uſum in ſacrificiis maxime neceſſarium, hoc proverbio innuebat: μὴ θύειν ἄτερ ἀλφίτων vid. *Saubert.* de *Sacrif.* cap. XXVI. His membrorum profectis aræ impoſitis, ac incenſis *Haruſpices veſicam*, & *caudam* potiſſimum reſpiciebant, curatiuſque hi ineptiſſimi homines attendebant, quo pacto *veſica* ore lana colligato diſrumperetur, & quam in partem lotium emitteretur. *Cauda* vero ſi igni inflecteretur, maximas anguſtias bellique imminentis gravitatem ſignificabat; ſi extenſa deorſum corrueret, cladem futuram portendebat; Si vero in altum erecta fuiſſet, victoriæ indicium præ ſe ferebat vid. *Gyrald. Syntagm.* XVII. de *Sacrif. Tom.* I. *opp. fol.* 528. Quod autem ſigillatim *Ignem* attinet, plerumque quidem ille *thure*, *vino*, *oleoque* immiſſo excitabatur; nonnunquam tamen ſponte erumpebat, ubi Diabolus nequiſſimus ille impoſtor divinitatem æmulari, eandemque, qua *Judæorum* ſacrificia olim pollebant, auctoritatem conciliare, & Numinis præſentiam confirmare ſtudebat. Teſtantur enim *ſacrarum literarum* monumenta, ignem quondam cœlitus delapſum *Aaronis* ſacrificium primum accendiſſe *Lev.* IX. 24. qui ſancte aſſervatus omnibus deinde ſacrificiis accommodabatur. Quemadmodum igitur *ignis* hic e cœlo demiſſus favoris divini, acceptique cultus indicium erat; ſic Diabolus ſimili prodigio imperitæ, hebetique plebi inter *Gentiles* imponere, animoſque illorum ſuperſtitionibus, præſtigiiſque addictiſſimos, de hoſtiarum mactatarum dignitate, felicique inſuper rerum ſuſceptarum exitu certiores reddere volebat. Unde apud *Appianum* in *Syriac.* inter indicia futuræ potentiæ refertur ἡ ἑϛία αὐτȣ̃ ἡ πατρώα ȣ̓δενὸς ἅψαντος ἐκλάμψασα πῦρ μέγα· Ita *Solinus Polybiſt.* *cap.* XII. ap. *Franz. Schol. Sacrif. Diſſ.* V. §. 78. p. 110. recenſet in colle *Vulcanio* iſtos, qui divinæ rei operati fuerint, ligna vitea

ſu

ſuper aras ſtruxiſſe, nullo igni ſubjecto, ſi adfuiſſet *Deus*, & ſacrificium approbaſſet, ſarmenta licet viridia ignem ſponte concepiſſe, & nemine inflammante, a *Numine* iſto, cui hoſtiæ cæſæ erant, incenſa fuiſſe. Sic inter oſtenta, quæ *Tiberio* imperium ominabantur, hoc etiam accidiſſe tradit *Svetonius Tib.* cap. XIV. ut apud *Philippos* ſacratæ olim victricium legionum aræ ſponte collucerent ignibus. conf. *Servius Æneid.* XII. *Senec. Trag. Oedip. Act.* II. *verſ.* 305. *ſeq.* & *Virgil. Lib.* VII. *Æneid.* & *Statius Lib.* IV. & X. *Theb.*

XI. Si *Flamma*, nullis alienis coloribus infecta, clarius emicaret, & *pyramidis* inſtar ad cœlum uſque attolleretur, propitii Numinis omen eſſe ſuſpicabantur: quod innuit *Virgilius Georg.* IV. *verſ.* 385. 386.

*Ter flamma* ad ſummum tecti ſubjecta reluxit,
*Omine* quo firmans animum &c.

Hinc *Octavio Auguſto* per ſecreta *Thraciæ* exercitum ducente, in *Liberique* patris luco victimas immolante, cum flamma faſtigium templi ſupergreſſa ad cœlum uſque adſcenderet, *Sacerdos* de *Filio* ipſius præſagiebat, eum *orbis Dominum* aliquando eſſe futurum; cujuſmodi portentum etiam *Alexandro* M. apud eaſdem aras ſacrificanti eveniebat. Vid. *Svet. Aug.* cap. XCIV. Huic ex accenſarum hoſtiarum flammis divinationi, quam *Græci* πυρομαντέαν appellant, annexa erat prædictio futurorum ex *fumi* motu, recto ne, an obliquo, diverſoſque in orbes diſtorto, quæ *Græcis* dicitur καπνομαντέα. *Fumus* ſi directe adſcenderet, fauſta, ac felicia quævis denotabat; ſi vero in diverſas partes tenderet, aut in gyrum ſe contorqueret, infortunii indicium præbebat, quod patet ex *Senec. loc. cit. verſ.* 306. *ſeq.* & *verſ.* 324. *ſeq.* conf. *Ovid.* V. *Triſt. Eleg.* 6. & *Statius lib.* XII. *Thebaid.* Huc etiam facit Oratio paraſitica apud *Diphilum*, quam ex *Atheneo dipnoſ. Lib.* VI. *cap.* VIII. hic proponere licet:

Ὅταν με καλέσῃ πλέσιος δεῖπνον ποιῶν
Οὐ κατανοῶ τὰ τρίγλυφ' ὐδὲ τὰς στέγας
Οὐδὲ δοκιμάζω τὰς κορινθίας κάδας;
Ἀτενὲς δὲ τηρῶ τῦ μαγείρυ τὸν κάπνον.
Κἂν μὲν σφοδρὸς φερόμενος ἐς ὀρθὸν τρέχῃ,
Γέγηθα, καὶ χαίρω τε καὶ πτερύσσομαι,
Εὰν δὲ πλάγιος καὶ λεπτὸς, ὐθέως ἐρῶ,
Ὅτι τῦτο μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' αἷμ' ἔχει.

*Cum dives aliquis ad cœnam me vocat,*
*Non ego triglypha contemplor, nec laquearia*
*Nec laudo Corinthios cados:*
*Verum intentis oculis aſpicio coqui fumum;*
*Si directo impetu vehemens excurrit,*
*Gaudeo, lætor, exulto:*
*Si obliquus & tenuis, animadverto protinus*
*Illam mihi futuram cœnam abſque ſanguine.*

Si peractis his actibus divinatoriis *Sternutamenta* ſupervenirent, hæc iſtos ratos facere, omniaque præſagia confirmare ſtatuebant, quia ex capite originem ducerent. Cum enim hæc pars excellentior, & quaſi ſanctior hominis ſit, prodeuntem inde Spiritum, tanquam *ſignum augurale*, placatique Numinis indicium agnoſci debere exiſtimabant. *Themiſtocle* ante prœlium navale hoſtias mactante claram e ſacro flammam refulſiſſe, & *Sternutamentum* dediſſe a dextris ſignum narrat *Plutarchus*. Quapropter etiam *Pythagoras* divini quid illis ineſſe ap. *Ælianum*, *Var. Hiſt. Lib.* IV. *cap.* XVII. docet his verbis: ὁ πολλάκις ἐμπίπτων τοῖς ὠτὶν ἦχος, φωνὴ τῶν κρεττόνων i. e. *Sonus, qui perſæpe accidit auribus, vox eſt præſtantiorum* i. e. dæmonum vid. *Ariſt. Lib.* hiſt. Animal. *c.* XI. & *Probl. Sect.* XXXIII. §. 7. 9. 11. *Aug.* de *Doctrina Chriſti Lib.* I. *c.* XX. *Alexander* ab *Alex. Lib.* II. *c.* XXVI. *Ouzeelius* ad *Mimium Felicem* conf. *Cœl. Rhodig.* l. c. *Lib.* XXIV. *c.* XXVII. & *Voetii diſp.* de *ſuperſtitione* cum appendice hiſtorico-Theologica de *Sternutatione*.

XII. Tandem quædam de *epulis*, & *conviviis*, quæ peractis ſacrificiis divinatoriis inſtruebantur, mihi annotanda eſſent: Cum vero ad hæc præcipue non ſpectarent, ea in præſenti perſequi ſuperſedeo. Tu autem L. B. illa, quæ hactenus de *Babyloniorum Divinationibus* ductu illuſtris hujus vaticinii a me breviter ſunt expoſita, benevolo animo accipies. Si in ardua hac a multis difficultatibus involuta materia quædam non uſque adeo accurate propoſuero, aut forte omiſero, in mitiorem interpretaberis partem, tibique perſuadebis, me nullam prætermiſſurum eſſe occaſionem, ea, quæ deeſſe videantur, ſtudio induſtriaque compenſandi. Tibi interim, Deus Præpotens, immortales ago, habeoque gratias, quod tantum virium mihi pro inuſitata Tua gratia conceſſiſti, quo

has qualescunque meditationes ad exoptatum finem perducere valuerim. Ad sis & in posterum mihi, meisque studiis clementissime, eaque porro ita dirigas, quo Parentum, Patronorumque spem & exspectationem sustinere, ac eum, quem sibi præfixum habent scopum, auspicato attingere queant.

# JOHANNIS CLODII DISSERTATIO DE MAGIA SAGITTARUM.

## CAPUT PRIMUM.

### ARGUMENTUM.

*Chaldæorum superstitio. Occasio Divinationis a Nabuchodonosore institutæ. Syri error* חץ *pro* כבר *legentis. Opinio de* קלקל בחצים *pro sacrificiali actu refellitur.* חץ *unde & quid sit. Junii inconstantia in explicanda phrasi dicta.* קסם *est generale respectu sequentium trium actuum. Constructio Verbi cum Nomine conjugato αὔξησιν importat.* קסם *est vocabulum & per* Divinationem *recte vertitur. Divinatio quid sit secundum Ciceronem.* קסם *crebrius in deteriorem partem accipitur, quidquid tum sit, ex Rabbinis deducitur. Locus Hos.* IV. 10. *varie explicatur.* Ραβδομαντέιαν *Israeliticam cum* βελομαντέια *Babylonica male confundi probatur. Quid Seldeno sit* τὸ ἀναβράσαι ῥάβδον *apud* LXX. *Ritus Magorum in sacris quibusdam virgas myricinas fervefacientium adducitur. Cantio Theogoniæ. Persarum Reges Magiæ initiandi.*

§. I.

TAmetsi Superstitio fusa est per gentes, & omnium fere animos oppresit, nescio tamen, an ulla gens Chaldææ infamem vanitatis palmam præripuerit unquam. Tanta enim *Chaldæorum superstitio*, tanta Babyloniorum idololatria fuit, ut eorum nomina artibus magicis & ritibus superstitiosis ceu propria cesserint. Supersedeo ex profanis asserto fidem conciliare; neque animus est omnia, quæ in sacris monumentis de gentis vanitate prostant, documenta proferre. Sisto unicum ex tribus, quæ de Babyloniorum Monarcha, Nabuchodonosore, annotavit *Exechiel* cap. XXI. comm. XXVI. ( Germ. XXI. ) inquiens; כי-עמד מלך בבל אל-אם הדרך בראש שני הדרכים לקסם-קסם קלקל בחצים שאל בתרפים ראה בכבד: Nimirum Nabuchodonosor ut primum castra movit ex Babylonia, haud dubie bello infestare cogitavit duas gentes, Ammonitarum alteram, alteram Judæorum, idque forte ea fiducia, quod existimabat, fore, ut alterutra se ante dederet, quam ad arma veniret; aut etiam ut ( quod Principes rerum periti solent ) tum occultiora essent consilia ejus, tum ex rebus propius tentatis & cognitis statueret, in utram harum prius arma convertenda essent, id quod ex Arabibus facile poterat rescíscere. Namque, ut Herodotus prodidit, Reges Babyloniorum in hoc officii genere diligentissimos habuerunt administros Arabas, qui eo quoque nomine, quod consilia & res finitimorum explorarent, immunes fuerunt ab oneribus apud Ægyptiorum non minus atque Babyloniorum Reges. Ubi vero Nabuchodonosor partem itineris emensus fuit, stativa elegisse videtur, in quibus, uti res & tempus ferebat, consilia caperet, & quidem, & Junio Tom. I. Opp. Comment. in Ezech. f. 975. opinanti credimus, in Batanææ & Syriæ partibus, qua iter erat intermedium aut Philadelphiam (*Hebræis Rabbath* dictam) ad sinistram, aut Hierosolymam ad dextram petituri. Ibi ergo

ergo in bivio omen iſtud, quod dixi, ſuperſtitioſum viæ captavit, idque, ut eo certior redderetur, utram gentem prius adoriri deberet, tergeminum, quorum primum eſt קלקל בחצים, alterum שאל בתרפים *conſilium e Teraphim petitum*, ultimum ראה בכבד *inſpectio jecinoris* (ubi, quod obiter moneo, pro בכבד, dum vertit ܚܪ ܒܫܘܒܚܗ *inſpexit gloriam ſuam*, contra rationem mutatis aut ſaltem falſo ſubſtitutis punctis.) Hæc vero omnia etſi eodem fine ſuſcepta fuerint, nos tamen in præſenti, ſeclufis poſterioribus, priori curam cogitationemque unice impendemus.

II. Quid igitur ſit קלקול בחצים & quo cenſu habendum, imprimis ſcire intereſt. Eſſe autem ritum Magicum, confidenter aſſeram, ſimul ac oſtendero futilitatem opinionis atque vim, quam Tremellius & Junius huic phraſi intulerunt. Hi enim cum reddiderint: *terget cultros l. Ebr. diviſorios*, Synecdochice *plurima ſacrificia* denotari volunt in Verſione & Notis f. 243. Nec ſecus Piſcator Herbornenſis *cultros* intelligi exiſtimat, quibus uſi fuerint Sacerdotes in diſſecandis pecudibus ſacrificialibus; ut adeo ſecundum ſententiam illorum *actus ſacrificialis* deſcribatur, in quo Rex Diis ſuis litaturus, eoſque ita conſulturus fuerat. Verum ex vano eſt, quod aſſerunt. Ubi enim, quæſo Vos, חץ *cultrum* ſignificat? Nam etſi ſit a חצץ, quod cum חצה quandoque convenit in *dimidiandi* notione, non tamen propterea חץ erit *culter*, eo quod hic *dimidiet vel dividat* cibum aut victimam. Certe ſi Concordantiis habemus fidem, τὸ חץ & חצים in ſacris aliam non habebunt ſignificationem quam *Sagittæ*, *rem in duas vel plures partes ſcidentis & diſſecantis*. Ita enim *ſexies & quinquagies* vocem deprehendo, cui ex Judic. v. 11. jungam Arquites, ut Vett. vocabant Sagittarios, חצצים ex eadem Radice ſic dictos. Adhæc cur κατὰ μεταφορὰν phraſin potius explicem quam proprie? Plura non addo, quia opinio ſua ſponte in fumos abit. Ego enim, qui meus ſtupor eſt, *ex ipſius loci natura & aliorum comparatione* ceu *ſimpliciſſimam* hanc interpretationem cum Junio & Tremellio agnoſcere aut amplecti nequeo. Saniorem longe hic ſententiam fovent reliqui Interpretes, qui, quantum mihi conſtat, pæne uno ore & una mente Magicum quid ſubeſſe volunt. Atque, ut verum fatear, nec Junius ſibimetipſi conſtat. Ubi enim l. c. f. 974. verba reddiderat, *tergens cultros*, mox fol. ſeq. tres ait numerari ſpecies Divinationis, quibus Nebucadnezar in conſiliis capiendis uſus fuerit, primam fuiſſe σιδηρομαντέιαν, divinationem ex *ferro vel chalybe*, ſecundam εἰδωλομαντέιαν, divinationem *ex idolis eorumque oraculis*, tertiam vero *Aruſpicinam*.

III. Cum vero Magiæ fines latiſſimo ambitu contineantur, non erit ut circuitu utamur aut ambagibus, quin potius expreſſo vocabimus nomine Divinationem, prout nobis præivit Codex Sacer phraſi לקסם-קסם, hæc enim generalis eſt, cui deinde partes ſubjiciuntur, obſervante ad loc. cit. Ezech. R. Iſaaco Abarbinele in Comment. fol. 185. a. quando ait: ופי' הקסם מהו באמרו קלקל בחצים וכו *Senſus divinationis*, qualis ea ſit, *continetur in verbis* קלקל בחצים *&c.* Et ante eum adhuc expreſſius R. Dav. Kimchi, cujus Commentarium non pigebit adſcribere, cum non parum lucis phraſi afferat. Ita autem ille לקסם קסם לראות בקסמיו לאי זה דרך ילך אם לדרך שהיא לירושלם או לאותה שהיא לרבת בני עמון ובאמרו לקסם קסם בא שם הפועל עם הפעול לחזק הפעולה כמו טבוח טבח והדומים לו שכתבנו ואחר שאמר לקסם דרך כלל פירש הקסם מה הוא ואמר קלקל בחצים וכו׳ h. e. *ad divinandum divinationem, i. e. ut videat per divinationes ſuas, quanam via ire debeat, utrum via, quæ eſt verſus Jeruſalem, an illa, quæ verſus Rabbath Ammonitarum Dumque dicitur, ad divinandum divinationem, nomen agentis cum ipſo facto conjungitur, ad vehementiam actionis indicandam, quemadmodum* (*Gen.* XLIII. 16.) *ad mactandum mactationem dicitur, & ejus generis alia, quæ notavimus. Et poſtquam dixerat divinationem in genere, deinde exponit divinationem, quæ & qualis ſit* (in ſpecie), *inquiens* קלקל בחצים &c. Ubi non ſolum verba hæc a ſequentibus ceu generalia a ſpecialibus diſtinguit, verum etiam auxeſin atque emphaſin conſtructionis Verbi cum nomine conjugato obſervat, cujus exempla plura collegit Buxtorfius in Theſ. lib. II. c. 12. Reg. 6. p. 460. B. Glaſſius in Philolog. Sacr. lib. III. Tract. 3. Can. 32. alii. Et mox laudatus Judæus: וכל זה ממעשי הקסם *iſta omnia* (ſcil. tria illa Nabuchodonoſoris facta) *ſunt ex operibus divinationis*.

IV. Non pœnitebit hic explicare, quid radix קסם in ſua latitudine importet; quam dum ex ſacris literis inquirimus, ἐκ τῶν μέσων eſſe deprehendimus. Eſt enim τὸ קסם (ut verba Magni noſtri Geieri noſtra faciamus) *rem ignotam reddere planam ac manifeſtam*, *ſive*

*five per media illicita, qualia adhibent arioli, magi aut superstitiosarum artium cultores: five per media licita, ut est acrimonia judicii, solicite inquirens in rei causas, circumstantias &c. Priori modo reperies Verbum Deut.* XVIII. 10. 14. 1. *Sam.* VI. 2. XXVIII. 8. *Ezech.* XXI. 21. ( qui ipse est locus noster ) 2. *Reg.* XVII. 17. *&c. Quorsum pertinet, quod & Pseudo-Prophetis idem tributum legimus Jes.* xliv. 25. *Ezech.* XIII. 9. 23. XXII. 28. *Mich.* III. 6. 7. 11. *Zach.* x. 2. *Jer.* XXVII. 8. XXIX. 9. *Posteriori modo occurit Jes.* III. 2. *ubi auferre dicitur Deus* קסם *divinantem & Senem. Pariter usurpari etiam videmus Nomen* קסם *tam de divinatione illicita, Num.* XXIII. 29. *Deuteron.* XVIII. 10. 1. *Sam.* XV. 23. *Ezech.* XXI. 26. XIII. 6. 23. *Jer.* XIV. 14. *quam de licita, quæ per media naturalia aut politica exeroetur, ut Prov.* XVI. *v.* 10. Hactenus incomparabilis Exegeta Comment. super Prov. p. 817. & seq. Qui Latine per *Divinare* & *Divinationem* exprimunt Hebræum קסם, næ illi accuratissime rem & nervum tangunt, quum illæ voces non minus de naturali animi sagacitate, quam magica auguratione & ariolatione castissimæ Latinitatis Scriptoribus in usu sint. Instar omnium hic nobis esse potest Tullius, in duobus, quos de *Divinatione* inscripsit, libris. Et cum semel in Ciceronem inciderimus, lubet ex ipso audire, quid sit Divinatio. *Chrysippus*, inquit alicubi in lib. cit. *Divinationem definit his verbis, vim cognoscentem & videntem & explicantem signa, qua a Diis hominibus portendantur; officium autem ejus esse, prænoscere, Dei erga homines mente qua sint, quidque significent.* Et alibi de LL. *Divinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, esse censeo, & hujus hanc ipsam partem, quæ est in avibus cæterisque signis disciplinæ nostræ.* Similia habet de N. D. quando μαντικὴν *Græcorum Latine Divinationem* vocari asserit; & in de Divinat. iterum: *Divinatio, quam Græci μαντικὴν appellant, id est præsensio & scientia rerum futurarum.*

V. Sed hæc in transcursu. Redimus ad verbum קסם, quod frequentius in malam partem accipi, ex superiori inductione constabit, ut nimirum signet *Divinationem eam, quæ præstigiis fit aut malorum spirituum commercio.* Agnovit illud R. David de Pomis in Diction. hac Radice inquiens: מלה כללת לכל מיני חרטימות לראות את הנולד כמו ניאמנציא נגרומנציא אונומנציא קירומנציא ואחרים זולתם: i. e. *Est vox generaliter complectens omnia genera Divinationis, ad prævidendum futura,* ( ita enim malo vertere, quam cum Dionysio Vossio ad Maimonidis Idololatriam per γενεθλιακὴν) *ut sunt γεομαντέια, νεκρομαντέια, ὀνομαντέια, χειρομαντέια, aliaq; præterea.* R. Moses Maimonides in הלכות עבודת כוכבים וכו׳ cap. XI. §. 6. expositurus, quid sit קוסם *Divinator*, ita inquit: זה העושה מעשה משאר המעשיות כדי שישוב ותפנה מחשבתו מכל הדברים עד שיאמר דברים שעתידים לחיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאמר שראוי לעשות כך: h. e. ex Versione Dionys. Vossii: *Is qui hoc vel illud agit, cogitationibus nulli intentis rei, donec futura prædixerit, statuendo, hoc vel illud futurum, aut istuc vel aliud facere oportere.* Et §. seq. varia Divinationis genera affert: יש מן הקוסמים שמשמשים בחול או באבנים ויש מי שנוהר לארץ וצועק ויש מי שיסתכל במראה של ברזל או בעששית ומדמין ואומרים ויש מי שאוחז מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר הוא שהנביא אומר עמי בעצו ישאל ומקלו יגיד לו: h. e. iterum interprete Vossio: *Sunt inter Divinatores, qui utantur arena* ( quo ipso γεομαντέιαν designare videtur ) *vel lapidibus* ( en λιθομαντέιαν: ) *Sunt item, qui humi procumbentes divinent,* ( puto hic ἔκςασιν patientes describi ) *alii etiam, qui speculum ferreum* ( en κατοπτρομαντέιαν: ) *vel vitreum vas* ( en γαςρομαντέιαν: ) *inspiciant, ac ubi secum cogitarunt, proloquuntur. Sunt itidem, qui arrepto in manum baculo eidem innitantur, mox terram percutiant, donec cogitata proferant. De hoc Propheta ait;* ( Hos. IV. 10. ) *Populus meus lignum suum consulit, ut baculus ejus indicet ipsi.* En ῥαβδομαντέιαν: de qua etiam, licet alio modo explicata, τὸ קסם accipit R. Salomo Jarchi ad Deuteronom. XVIII. 10. Ita enim ibi: איזהו קוסם האוחז את מקלו ואומר אם אלך אם לא אלך וכן הוא אומר עמי בעצו ישאל וגו׳ h. e. *quisnam dicitur* קוסם? *qui apprehendit baculum suum atque dicit: ibo, an non?* ( i. e. interprete Chaskuni, qui metiens baculum digito aut manu alternis vicibus dicit: Ibo, non ibo; atque ita experitur in extremo baculi, utrum ire debeat an non ) *& sic dicit* ( Hoseas ): *populus meus lignum suum consulit* &c. Quanquam citatus Raschius in Comment. ad Hos., mutata forte mente, explicuerit de *simulacro ligneo*, secutus Jonathanem.

VI. Quanquam vero nobis jam non vacet inquirere in locum Hoseanum, qui ex mente plurimorum de ῥαβδομαντέια agit, interim commodum licebit transire ad illud, quod in hoc capite adhuc asse-

asserendum, videlicet Divinationem Nabuchodonosoris apud Ezech. fuisse diversi generis ab illa, quæ Israelitis secundum Hoseam tribuitur, quacunque etiam ratione illa explicetur. Mihi enim *Hieronymus* & *Seldenus* rem præter rationem confundere videntur. Ac Hieronymus quidem Comment. ad Hos. satis aperte contendit, de eodem illic agi genere, de quo egerit Ezechiel, & ibi ῥαβδομαντέαν vocat, quod apud Ezechielem βελομαντέα sit, eoque pro iisdem ista duo habuisse apparet. Jungendus Hieronymo e Patribus *Theophylactus* in Hoseam, qui, licet in declarando ipso ritu aliter sentiat, Nabuchodonosorem tamen ῥαβδομαντέᾳ quoque usum fuisse existimat: Itemque ex recentioribus *H. Grotius* in Comment. ad Ezechielem, qui nec ipse satis distinguere videtur duas illas Divinationis species, ῥαβδομαντέαν & βελομαντέαν. Nos, cum nihil cogat a litera abire, eas merito ceu distinctas agnoscimus. Aliud enim sunt חצים, aliud מקל; diversa sunt instrumenta, *Sagitta*, *baculus s. virga*; diversum quoque intercessisse modum divinandi utrobique, & verisimile est, &, quantum ad Sagittas, inferius paulo demonstrabitur. Opiniones autem de ῥαβδομαντέᾳ Hoseana alibi videri possunt. Nobis enim hic sufficit, nullum ῥαβδομαντέας rituum, prout ab Interpretibus recitantur, cum βελομαντέᾳ Babyloniorum, infra a nobis exponenda, convenire. Nec attinebat, militatum abiturum virga aut *baculo* omen captare belli, in quo pro more *Sagittis* erat pugnandum. Quæ omnia ita sunt comparata, ut βελομαντέαν *s. Magiam Jaculorum*, minime vero ῥαβδομαντέαν *s. Magiam Baculorum* firment.

VII. Quod ad Seldenum, is etsi ῥαβδομαντέαν vulgo sic dictam ex loco Ezechielis adstruere nolit, cum neget se satis videre, quomodo τὸ ἀναβράσαι seu fervefactio, quod lxx. Seniores habent, ad virgas fortium quadret, nihilominus tamen & ipse obelum merebitur, quod ῥάβδον ex lxx. virali Versione acceptare maluerit, quum dicti Seniores, ut infinitis locis aliis, ita etiam hic a fontibus multum recesserint; nisi forte ῥάβδον de Sagitta & τὸ ἀναβράσαι de expulsione vi æstus facta per metaphoram cum Nonnullis (de quibus infra) velis interpretari, quo ipso discedes a Seldeno, quippe qui propriam retinuit significationem, phrasi τῆ ἀναβράσαι ῥάβδους (vel ῥαβδία, ut alii Codd. notantibus Bibliis Anglicanis Polyglottis, legunt) alludi arbitratus ad ritum quendam magicum in sacris, πυραιθέᾳ Straboni, Procopio autem πυρείᾳ vocatis, quo Persarum Magi virgis myricinis ignem sempiternum tetigerint, suscitarint ac foverint, ubi virgæ illæ tum fervefactæ fuerint. Citat hanc in rem Strabonem lib. xv. Geograph. qui ex oculari fide testatur, se Magos in Cappadocia vidisse πῦρ ἄσβεστον custodire, eosque cottidie ingressos in Sacrarium, per horæ ferme spacium accinuisse (Theogoniam, ut Seldenus conjectat, quod Persæ nullum æque in Sacris efficax carmen judicaverint, autore Herodoto lib. I.) & quidem πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντος *fasciculum virgarum ante ignem tenentes*. Et alibi idem Strabo: ῥάβδοις λεπτοῖς ἐφάπτονται *virgis tenuibus tangunt*, quas *myricinas* fuisse Scholiastes Nicandri ex Dione docere potest: μάγοι, inquiens, καὶ σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται. Apertius autem hunc morem explicat Phœnix Colophonius apud Athenæum XII. Dipnosoph. qui Jambis arguit Ninum, quod apud Magos ignem virgis non attigerit, ut eum exuscitaret & foveret. Nempe quia ex Persarum instituto Magiæ initiari oportebat, quisquis in regium evehendus erat solium. Verum cum ista & ex ψευδερμηνείᾳ lxx. Seniorum oriantur, & meris nitantur conjecturis, non est ut diutius iis immoremur. Manet interim, קלקל בחצים esse genus divinationis per sagittas, quod aptissima nomenclatura Belomanteian jam ante nuncupavimus.

## CAPUT II.

### ARGUMENTUM.

*Transitio ad modum* βεγομαντείας. קלקל *quid significet Hebræis. Neq; maledictionem neque perditionem hic designare potest.* קלקל פנים *quid sit Ecclesiast.* x. 10. *Adjectivum* קלל. *Quod Radix* קלל *levitatem inferat. Duæ sententiæ probabiles de* קלקל. *Opinio de* κατοπτρομαντέᾳ, *ejusq; Patroni. Sententia de levi & veloci motu seu jactu Sagittæ, ejusq; defensores. Sententia Hieronymi & sequacium. Mos inscribendi nomina sua sagittis. Polychronius & Hieronymus circa* lxx. *notantur. Græcorum* βράσαι *cum compositis quid sit. An de arcu commode dici queat. Hieronymus de commixtione sagittarum in pharetra vapulat.* בבר *unde sit. Opinio de* κατοπτρομαντέᾳ *deseritur, & pro* βελομαντέᾳ, *quæ jactu sagittarum exercetur, pronunciatur, & quidem ex tribus fundamentis. Mater viæ quid Hebræis*

*bræis & cur ita dicatur Bivium. Cur Nebucadnezar in bivio consliterit. Bivia a Sagis & Magis frequentari amant.* קלקל *levem & velocem motam ac conseq. jactum significat. Targum, Syrus, Arabs itemque nonnulli Rabbini de* קלקל בחצים. *An* βελομαντέᾳ *fuerint additæ imprecationes.* קלל *in Piel maledictionem signat.* βελομαντέα *Babylonica non est confundenda cum* βελοβολίᾳ *Jonathanis.*

§. I.

REposuimus hucusque Magiam Nabuchodonosoris in classe Divinationum, sed a Magia baculorum diversa. Nunc vero altius proferendæ cogitationes ad investigandum modum, quem in βελομαντέᾳ sua observasse Regem Babylonicum verosimile est. Latet ille sub notione קלקל, quæ forma non nisi semel adhuc legitur, puta Eccles. x. 10. & non solum vi Radicis ( קלל ) verum etiam ex usu *levitatem* importat, sive ea jam opponatur *asperitati*, sive *gravitati*; ut adeo vel *politura*, vel *velocitati v.g. motus* respondeat. Etsi enim ista Radix יפרד לארבעה רבשים dicente R. Nathane in Concordant, i. e. *quatuor significata habeat, nimirum maledicendi, levitatis, perdendi & poliendi*, primum tamen hic προσδιόνυσον esse ultro patet; tertium vero, accurate loquendo, non Hebræum & Biblicum, sed Chaldæum & Rabbinicum est; quamvis illud citante Buxtorfio in Concordant. suos & hic Jerem. IV. 24. inveniat amatores. Ita enim lego apud R. Salomonem Ben Melech in מכלל יופי fol. 133. a. קלקל בחצים בהכ֗פל ה֗פא והוא מענין ההרס וההשחתה כמו שאמרו כל המקלקלים פטורין: i. e. *Verbum* קלקל *habet primam radicalem geminatam, significatq; destructionem & perditionem, quemadmodum dicitur; Omnes* המקלקלים *i. e. vastatores sunt immunes.* Ut adeo sensus foret: *perdet sagittis*. Verum quam inconveniens nostro loco sit hæc Chaldaica significatio, vel nuda textus σωέχεια docere valet.

II. Itaque quod ad notionem *poliendi*, pro illa militat locus jam citatus Ecclesiastæ, quo findens ligna jubetur קלקל פנים i. e. *exacuere & polire aciem securis* ( hoc enim est פנים, explicante R. Sal. Jarchio per פיהם וחדודם *os earum & aciem earum* ), ut R. Nathan non immerito dicat, gnificationem ejus esse לטוש והכין *acuendi & expoliendi*. Facit huc Adjectivum קלל tersus, *politus* instar æris Ezech. I. 7. Dan. x. 6. Alteri autem sensui favet communissima hujus verbi significatio, qua *levitatem* sive quantitativam sive qualitativam ( ut barbare loquar ) infert. Provoco ad inductionem Conjugationum omnium, provoco ad derivata verbi קל, קל & קלוקל: ut R. Nathan alteram radicis קלל significationem tecte iterum dicat esse לשון קלות *levitatis*. Harmoniam Chaldææ, Syræ, Arabicæ & Æthiopicæ Lingg. lubens prætereo.

III. Atque hic geminus verbi significatus geminam quoque præbuit expositionem Interpretibus de modo Divinationis Babylonicæ, ita ut alius ad κατοπτρομαντέαν vel ( ut Junius loquitur ) σιδηρομαντέαν, alius ad βελομαντέαν speciatim reduci queat. Illi enim, quibus *lævigandi & poliendi* notio placet ( placet autem plerisq. Interpp. Pagnino, Ariæmontano, Buxtorfio, Bibliis Anglicanis Polyglottis, Belgis &c. ) significari volunt *genus divinationis Catoptromanticum, quod augures in splendenti cuspide, velut in crystallo vel ungue, futura inspexerint*. Atque ita tersisse volunt Babylonios sagittas vel ferrum earum, ut splenduerit, inq; eo splendore velut in speculo cognovisse, quid voluerint. Exemplum κατοπτρομαντέας habet Spartianus de Juliano, qui Severi adventum & Juliani decessionem per speculum ferreum vidisse memoratur. Quod interpretamentum etsi recentiorum commentum vocitet Del Rio in Disquis. Magic. lib. V. c. 2. qu. 7. sect. 3. p. 567. Edit. Mogunt. in 4. invenio tamen R. Davidem Kimchium ( quamquam non sit paris cum Hieronymo vel lxx. Senioribus ætatis vel autoritatis ) jam ita accepisse hunc locum. Ita enim ille in Comm. ad eund. ופ׳ קלקל כמו והוא לא פנים קלקל והוא שמחררין ומלטשין פני ברזל החץ עד שיהיה בהיר מאד ורואין בו בעלי הקסם כמו שרואים בבהן או בצפורן לבהירות הצפורן וכן רואים בסיף וכן במראה וכן רואים בככר שיש לו בהירות וכו׳: i. e. *Significatio Verbi* לקלקל *eadem est, quæ in verbis: & ipse aciem non* קלקל *acuit* ( Ecclesiast. x. 10. ) & *sensus est, quod acuant & poliant aciem ferri sagittæ, donec fiat valde splendida, quam deinde Divinatores inspiciunt, sicut in pollice manus splendorem unguis inspicere solent. Similiter quoque inspiciunt gladium, speculum, jecur candidum &c.* quod totidem verbis exscripsit R. Abarbinel in Comment. loc. cit. Ante Kimchium autem Menachem, pro se itidem citans locum Ecclesiastæ, notante R. Salomone Ben Melech loc. cit. itemque loca Ezechielis & Danielis, de

de ære polito, quod Raschius prodidit.

IV. Contra qui τὸ קלקל in significatu *levis & velocis motus* capiunt, atque adeo per *allevavit, leviter & velociter movit vibrando*, explicant, βελομαντέαν præcise defendunt, ejusque modum ita declarant, Nabuchodonosorem, cum dubitasset, utram urbium, Rabbatham an Hierosolymam, adoriri oporteret, sagittas aliquot collectas sive manu in altum jecisse, sive arcu in aerem ejaculatum fuisse, atque adeo eorum casum, dextrorsumne an sinistrorsum recidissent, observasse, ac eo quidem, ut dixi, consilio, ut sorte experiretur, Hierosolyma, quæ ad dextram sita, an Rabbatha, quæ sinistram tenebat, oppugnanda prius foret: quod consilium & κατοπτρομαντέας Patroni agnoscunt, quemadmodum ex toties citato Kimchio iterum differit R. Abarbinel, inquiens: ובשלשת מיני הקסם האלה ראה נבוכדנצר אם ילך לירושלם שהיתה לצד ימינו או לרבת בני עמון שהיתה לצד שמאלו וכו׳ i. e. *per tres illas Divinationis species vidit Nebucadnezar, an proficisci deberet Hierosolymam, quæ erat ad latus dextrum, num versus Rabbath, filiorum Ammon, quæ erat ad latus sinistrum*. Hæc obiter. Cæterum sententiam istam jactu sagittarum amplectuntur Cornelius a Lapide Comment. in h. l. Hector Pintus Lusitanus Comm. in eund. loc. p. 302. 309. Nec displicet Martino Del-Rio loc. cit. qui pro illa etiam citat R. Josephum, & probabiliter quoque Paraphrasten Chaldæum; de quibus infra pluribus.

V. Paulo aliter βελομαντέας modum explicat Stridonensis Presbyter *Hieronymus*, Comm. in Ezech. Hic enim quum τὸ קלקל (perinde ut Vulgatus) reddidisset per *commiscuit*, modum divinandi dein ita exponit; *Stabit* (Nabuchodonosor) *in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, & quam civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci* βελομαντέαν *seu* ῥαβδομαντέαν *nominant*. Hactenus ille, cujus sententia saggitam cum inscripto Hierosolymæ nomine primum extractam fuisse oportet. Eundem fontem sapere videtur, quod habet Fridlibius Comment. ad h. l. f. 877. *Erat mos Regum Chaldæorum, ut in bellum exituri sagittas magico ritu Astrologorum opere conficerent, urbium & gentium nomina, quas invadere volebant, inscriberent, hinc commixtas invicem, cæco manuum assumtu, quamcunque sagittam capesserent, illius gentem vel urbem primo armis capesserent*. Nec adeo multum abludit Junius l. cit. *Sortes dextra in urnam conjiciebantur. Cum autem binæ inter se sortes comparatæ essent, de obsidione Jeruschalaimorum & Rabbathæ, credibile est, ambabus manibus sortes eductas esse ita, ut quæ sortitio ad dextram futura esset, ea divinitus imperare videretur. Nebucadnezar igitur, sive quisquis ad mandatum ejus urnæ admovit manum, dicitur h. l. ad dextram habuisse illud pyctacium sortitionis (quod divinatio dictum μετωνυμικῶς) cui hæc verba inscripta erant* ירושלימה *versus Jerusalem*. Hæc ille. De cætero, quæ morem Vett. attinent in inscribendis sagittis, illasque signando nominibus suis, (cujus rei exemplum affert Themistius Orat. IV. in Sophista) huc non pertinent. Interim Curiosus adire poterit B. Ursinum in Analect. lib. V. num. 27. pag. 284.

VI. Jo. Seldeni opinionem nolo repetere, cum natales suos nacta fuerit ex LXX. virali Versione, quæ nos parum movet, quippe ab Authenticis tabulis in totum abiens. Etsi enim Polychronius (Del-Rii fide l. c.) ἀναβρᾶσαι ῥάβδον velit phrasi Hebræa dictum pro *misit seu jecit sagittas*, ἀντὶ τῶ ῥῖψαι βέλη, τχύτῃ γὰρ τῇ λέξει ἐχρήσατο καὶ ὁ Ἑβραῖος, ut verba ejus habent; Hieronymus quoque addat, LXX. hic non tam sensu quam verbis dissentire, cum illud ἀναβρᾶσαι seu *ebullire* nihil aliud sit quam velociter exire sive ascendere; ægre tamen adduci possum, ut credam, LXX. Seniores phrasi impropriissima *jactum sagittarum* exprimere voluisse. Id equidem non ignoro, Suidæ ac Hesychio τὸ βρᾶσαι idem esse quod ζέει, ἀναβάλλει, *bullire, æstuando expellere, vi æstus & agitationis ejicere*; nec abnuerem, ἀνάβρασαι accipi posse pro ἀποβρᾶσαι *fervendo seu æstuando exspuere & eructare*. Verum unde fidem facient, Seniores per ῥάβδον intellectam voluisse sagittam? Seldeno certe non persuadebunt. Nec ratio erat, cur ῥάβδον potius dicerent quam βέλος. Denique non adeo commode sive ἀναβρᾶσαι sive ἀποβρᾶσαι dixeris de arcu ejaculante sagittas, aut (secundum Hieronymi opinionem) de manu educente sagittas ex pharetra. De mari, ejiciente ἐκβράσματα, itemque de aqua fervente atque ebulliente, occurrere memini apud Dioscoridem, Philonem, alios; sed ibi æstus locum habet.

VII. In hoc sententiarum divortio nobis quoque in compitis velut constitutis divinandum est, quænam Divinationis Ba-

Babylonicæ via hic loci omnium commodissima & accommodatissima sit. Eam vero dum paulo diligentius excutio, B. Hieronymus oppido displicet. Nullum in textu *Commixtionis* vestigium adest. Diversa vocabula sunt קלל & בלל, a quo ἀναλόγως fieret בלבל, cujus, cum ipsum inusitatum sit in Codice Hebræo, documentum exhibet nomen Regionis, e qua Rex noster βελομάντης oriundus, בבל, priori ל expuncto εὐφωνίας χάριν, ut posterius λάμβδα extrusum est in γολγοθα pro γολγολθα ab Hebr. גלגל Vid. doctissimus, Vir, Sam. *Bochartus* in Phaleg f. *69*. Sed hæc incidenter. Opinio autem de Catoptromantico Divinationis genere nobis videtur esse subtilior quam verior. Etsi enim politura Sagittæ neutiquam aliena sit a Verbo קלקל, (quam proinde etiam Belgæ retinuerunt vertentes: Hy faet syne Pylen sippen) non tamen sine causa in dubium venio, cum eo modo res nimis ambagiosa (cum Agellio loquor ( phrasi efferatur, siquidem parum a triplicata abfuerit metalepsi, ferrum Sagittæ polire, pro eo quod est inspicere ferrum Sagittæ politum, indeque augurium facti capere. Accedit, quod sequens phrasis v. 27. non adeo apta sit futura Divinationi Catoptromanticæ, ubi dicitur *ad dextram fore divinationem*; melius autem βελομαντέα, qua Sagitta nervo velociter excussa ex alto rediens dextrorsum cadit.

VIII. Quid igitur vetat, quo minus illi præferamus eam, quam modo dixi βελομαντέαν, qua Nabuchodonosor in bivio constitutus ad capiendum omen viæ duas vel tres sagittas in altum ejaculatus fuisse creditur, visurus, dextrorsum an sinistrorsum caderent. Ut autem isthanc βελομαντέαν Catopromantiæ præferam, non parum me movet *locus stationis*, qui h. l. memoratur fuisse אם הדרך *mater viæ* vel via gemellipara, quæ periphrasis est *Bivii*, siquidem hoc duas quasi videtur parere vias. Ita enim declarant Rabbini, e quibus produco R. Davidem Kimchium ad h. l. נקראת אם הדרך שהדרכים פונים אליה והיא להם כאם והם לה כבנות: i. e. *bivium vocatur mater viæ, quia duæ viæ ad illud divertunt, quibus instar matris est, & hæ illi sunt instar filiarum*. Similiter compilator ejus R. S. B. M. אמצע הדרך שהדרכים פונות לה מזה ומזה נקראת אם הדרך לפי שהיא כאם לדרכים הפונות אליה והם לה כבנות: i. e. *medium viæ, quo duæ viæ ab utraque parte divergunt, vocatur mater viæ, ideo quod illud velut mater est viis, quæ declinant ad illud, hæ autem ad illud se habent velut filiæ.*

Nec aliud vult Raschius cum suo קארפור בלעז, quod *mater viæ* in vernacula vocetur *Quarrefour*. Id vero Gallis *quadrivium* est. Sed quid multa? Bivium h. l. intelligi mox ἐξηγητικῶς docetur per ראש שני דרכים: quod est *caput duarum viarum*. Neque vero sine ratione in bivio divinationem instituit, quoniam omen viæ captabat ad alterutrum latus, dextrum aut sinistrum, quorum alterum, quod ad dextrum, iter versus Hierosolymam, alterum, quod ad lævum, Rabbatham repræsentabat. Ad utrum ergo latus vel rectius viam sagittæ excussæ caderent, eam ingredi destinavit. Quod si jam κατοπτρομαντέαν instituisset, certe in bivium egredi vix opus habuisset. Etsi enim in vulgus notum sit, quantum biviis tribuant Magi & Sagæ, dum conventicula sua ibi agere perhibentur, omnia tamen magica opera, quale etiam est κατοπτρομαντέα, non nisi in bivio fieri posse, nemo, arbitror, affirmare audebit. Quis enim fando non audivit, Crystallomantas iis, qui furta requirunt, fures in crystallo, speculo &c. domi ostendere?

IX. Adhæc *notio* קלקל non est aliena a nostra sententia. Neque enim repugnat, eam de *levi & veloci motu vel jactu* explicare. Præivit nobis ipse Codex Hebræus Jer. IV. 24. ubi התקלקל de *levi & veloci motu* collium adhibetur, ad quem locum observare juvabit expositionem Jarchianam, quæ ita habet: נתקו ונזרקו ממקומן ועם קלקל בחצים חברו מנחם: h. e. *dimovebuntur & dispergentur* (colles) *a loco suo; & Menachem confert hoc cum* קלקל בחצים (Ezech. XXI. 26.) Quid vero mirum, in simplici conjugatione obtinere significatum, quod in derivata habetur? His denique jungo *Suffragia* tum aliarum Versionum; tum Rabbinorum. Favet nostræ expositioni Targum Jonathanis, quod translulit phrasin per קשת בגרריא *ejaculatus est sagittas*; favet Syrus, qui legit: ܫܕܐ ܓܐܪܐ *emisit sagittam*; favet Arabs, qui Regem divinando inquisivisse ait لبرمي سهما *projiciendo sagittam*. Quibus etiam addendus est Luth. daß Er mit denen Pfeilen umb das Loß schiesse, qua de re plura habet in glossa marginali. Ex Rabbinis nostram expositionem firmant R. Jonas, R. Joseph Kimchi atque alii, de quibus audiamus autorem Michlal Jophi, hunc in modum disserentem; רבי יונה פירש לשון תנועה בענין הקלות: i. e. *Jonas exposuit de motione propter significationem levitatis.* Et mox:

כלומר

כלומר צוה לירות החצים למעלה ואם יפול החץ לצר בני עמון ילך שם וכן דעת יונתן שתרגם קשית בגריא h. e. *quasi dicat, præcepit* ( Rex ) *ut ejacularentur sagittas sursum; quod si sagitta ceciderit in latus Ammoniticum, illuc iturus erat. Et hæc etiam est sententia Jonathanis, qui vertit: De arcu mittebat sagittas.* De Josepho Kimchio testatur quoque filius, David, inquiens: ואא״ל כתב קלקל ענין קלות כלומר ירה החצים והפריחם באוויר לראות לאי זה צד יפלו וכו׳: h. e. *pater meus, f. m. scribit* קלקל *significare levitatem, q. d. jaculabatur sagittas & volare faciebat eas in aerem, ut videret, ad quodnam latus caderent &c.* Nec dissentire videtur R. Salom. Jarchi, quando ad phrasin nostram ita inquit: ליהט בלהט חצים זרק חץ כלפי למעלה והיא פונה מאיליה לימין או לשמאל ולמקום שהיא פונה הוא הגורל: h. e. *incantavit incantationem sagittarum, jaciendo sagittam sursum versus, quæ declinet ex seipso ad dextram aut sinistram, & ad locum illum, quo declinat, sors est.* Ita ille.

X. Utrum autem βελομαντέια isti *imprecationes & diræ hostium* additæ fuerint, ingenue me nescire fateor. Etsi enim præfractæ id inficiari nolim, interim tamen nemo mihi persuadebit, ut ex radicali verbo קלל, quod in Piel sæpissime *maledicendi* habeat significationem Levit. xx. 9. xxiv. 14. Jer. xv. 10. &c. in affirmem cum Non-nemine in Antiqq. Bibl. f. *667.* qui postea prolixam digressionem instituit ad locum nostrum de *diris & exsecrationibus Veterum.* Id equidem me non fugit, קלל in Piel esse לשון קללה, ut loquitur R. Nathan, seu *maledictionis* significativum, interim diluta nimis consequentia, ab unius formæ significatione ad alterius velle colligere. Aliud est קלל, aliud קלקל. Homiletis istam observationem atque ἔμφασιν condonabo, Antiquariis autem & Philologis neutiquam.

XI. Hæc de βελομαντέια Regis Babylonii, cum qua cave confundas *ejaculationem trium Sagittarum Jonathanis* 1. Sam. xx. 20. & seqq. descriptam, siquidem intentio utriusque jactus multum diversa fuerit. Jonathan enim instituto artis licito in salutem Davidis jaciebat, Nabuchodonosor autem opera Magica eoque illicita urbis exitium quærebat. Rectissime Jonathanis jactum περιφράζει R. Salomo in Comment. ad l. c. Samuel. ejaculatum illum fuisse sagittas למטרה in *scopum*, ut ne puer intelligeret; idque fuisse Davidi signum לנחש אם צריך לברוח *ut augurium caperet, num ipsi aufugiendum esset.* Fusius autem hac de re disserit R. David Kimchi, qui ternarium sagittarum numerum ad tres dies, quibus in agro abditus foret, refert כי שלשת החצים יורה לסימן שלשת הימים שיהיה נסתר בשדה, ne quis forte magicum quid ternario subesse existimet. Et de scopo inquit, Jonathanem misisse sagittas ad latus lapidis Asel להיורת לי האבן למטרה לשלוח שם לי הנער ללקט החצים והדבר שאומר לנער יהיה לך סימן אם הנה אם הלאה כי שמה לא אוכל לדבר פנים בפנים וכו׳ h. e. *ut sit mihi* (introducit enim Jonathanem loquentem παραφραςικῶς) *lapis iste in scopum, ut mittam illuc puerum ad colligendum sagittas, idque, quod puero loquar, erit tibi signum, num huc an illuc eundum sit, quia ibi tecum coram loqui non potero &c.* Sed non est, ut his diutius immoremur, cum Jonathanem a Magiæ crimine sua facile absolvat pietas.

## CAPUT III.

### ARGUMENTUM.

*Confirmatio sententiæ de Sortilegio Usus ῥαβδομαντέιας apud Chaldæos, Scythas, Slavos, Germanos veteres &c. Quod βελομαντέια etiam aliis gentibus in usu fuerit, licet diversi generis ab ea, de qua hactenus. Sortilegium Arabum tribus sagittis factum. Item Sabæorum. Sammael Sabæorum & Judæorum quis sit. Arabum* نوصبس *An βελομαντέια stricte dicta Tataris usitata fuerit secundum relationem M. Pauli Veneti.*

### §. I.

Exposui hactenus, quid mihi videatur de קלקול בחצים Nabuchodonosoris, ejusque sortitionis modo. *Ad sortium enim genera referri hanc divinationis speciem* ( sunt verba B. Dieterici in Antiqu. Bibl. f. 661. ) *satis edocent circumstantiæ; quæ an apud alias quoq; gentes usitata fuerit, non constat; referturq; inter eas Idololatriæ species, quæ per accidens eveniunt, atq; vocatur* נחוש *a* נחש *auguratus est &c.* Etsi vero illius βελομαντέιας exempla exacte paria proferre non habeam, alios tamen ejus modos adscribere non pigebit, quod illi procul dubio primam Originem Chaldæis debeant. Nam sicut ῥαβδομαντέια a Chaldæis ad Scythas, ab his ad Slavos, ab his ad Germanos devenit ( vid. de Chaldæis Scholiastes Nicandri ex Dione supra citatus, de Scythis & speciatim quidem Alanis Ammianus Marcellin. l. 31. de

de Slavis Adam. Bremensis Narrat. Eccles. c. *6*. de Germanis Tacitus de moribus eorum cap. 10. &c.) ita βελομαντεία, cujus tam multa vestigia in veteri & recentiori historia equidem non invenio, quam illius, haud dubie lucem vidit in Chaldæa, unde ad Arabes, Sabæos, Turcas, Persas, Tataros aliasque gentes superstitiosas dimanavit.

II. Divinationis igitur per sagittas documentum mihi occurrit apud antiquos *Arabes*, qui ut de successu & felici eventu itineris ineundi, uxoris ducendæ, vel alius magni ponderis negotii suscipiendi edocerentur, sagittarum ope usi fuerunt. Ritum hujus sortilegii ex Ebnol Athir & Comment. Beidavi in cap. v. Curani Cl. Pocokius ad Specim. Hist. Arab. Abul. Faraji p. 328. & seqq. explicat in hunc modum: Habuisse illos tres sagittas fasciculo inclusas, quarum primæ inscriptum fuerit امرني ربي *jussit me Dominus meus*; secundæ نهاني ربي *probibuit me Dominus meus*; tertiæ autem غفل *nulla nota insignis erat*. Extrahentibus igitur unam, si occurreret illa, quæ juberet, tanquam monente Deo, pergere; si illa, quæ vetaret, desistere a cœptis, sin ἀγράμματος illa, reponere sveviſſe, donec prodiret, quæ vel jussu præiret vel interdicto occurreret. Atque illam per sagittas divinandi rationem etiamnum apud Muhammedistas manifesta superstitionis antiquæ vestigia servare docet.

III. Arabibus subjicio *Sabæos*, ceu Arabiæ felicis incolas, qui ut superstitiosissima fuerunt gens: ita non mirum, Sagittarum Magiam apud illos in usu fuisse. Ii ergo cum certi esse voluerunt, cultum mystæ & religionem suam Deo placere, id beneficio Sagittæ inquisiverunt. Quia enim menstruum Dei cultum peragebant, in πλεισηργία mensis tertii blasphemos pariter & satis ridiculos se præbuerunt, prout rem enarrat Muhammed Ben Isaac in M. S. Nimirum die XXVII. dicti mensis non solum sacra fecerunt Sammaeli (quod Diaboli nomen est, cujus crebra apud Talmudicos fit mentio. Vid. R. Maimonides in מורה נבוכים lib. II. c. 30. & Buxtorfius in Lex. Talmudico f. 1495.) tanquam Deo الذي يطير النشاب *qui sagittas volare facit*, i. e. qui sagittarum ictum & jactum dirigit; verum præterea Cumar seu Sacrificulus ridicule nimis se gerit. Ipse enim sagittam, quæ ignem ex attritu ligni cujusdam, apud Harranæos frequentissimi, concipit, duodecies ejicit, deinde humi instar canis repit, & ex duobus linis, sagittæ adjunctis, de religionis sinceritate cultusq; perfectione judicium facit & conjecturam. Quod si enim lina ista aut vertex ignitus (ita enim vocem بوصبين vertit Hottingerus Hist. Oriental. p. 271.) extincta fuerunt, inde conjecerunt, cultum sacrificuli & religionem Deo non esse gratam. Sin autem contrario modo evenisset, contrarium tulerunt judicium.

IV. Pergerem nunc ad Tataros, vel, ut vulgo efferunt, Tartaros, quandoq; idem hos in βελομαντείας exemplum citat Hugo Grotius ad l. nostrum Ezech. ex M. Paulo Veneto de Rebus gestis Tartar. lib. I. c. 53. (ita enim corrigendum sphalma pro 43.) verum quia ῥαβδομαντείας potius specimen nobis exhibere videtur, (ut in Autore, Helmstadii Latine edito p. 78. b historia sonat, (quam βελομαντείας, dum arundinis mentio saltem fit, malo chartæ parcere, cujus angustia etiam nos hic cursum sistere jubet.

# DAVIDIS MILLII
## DISSERTATIO
## DE
## אוב ET אובות
### *Ad quale divinandi genus referendum sit?*

§. I.

PLurimos Interpretes in eam sententiam ire video, per אובות, quorum frequens in S. Litteris mentio occurrit, intelligendos esse *Ventriloquos* seu ἐγγαςριμύθους, qui Auctore Galeno in Lexico Hippocratis sunt οἱ κεκλεισμένῳ τῷ σόματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαςρὸς φθέγγεσθαι, ut rectius pro φθεγγεῖν legit Leo Allatius, in eruditissimo Syntagmate *de engastrimytho Cap.* I. h. e. *qui clauso ore loquuntur, quia videntur ex ventre loqui*: quare eo nomine tale vatum genus designari autumant, qui ore & lingua muti e ventre vocem edant; aut saltem, qui ventre ab אוב impuro Spiritu occupato ægre & anhelorum instar spiritum ducant, & confuso murmure loquantur. Sunt in hac sententia præter Bibliorum Interpretes Eruditissimi Viri, Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* I. c. 2. Fesselius *Adversf. Tom.* I. *L.* v. *Cap.* 8. Van Dale de *Idololatria* p. 649. aliique non exiguo numero.

II. Rationes quibus persuasi eam sententiam tuentur, sequentes fere sunt, I. quia אובות *utres* notat Job. XXXII. 19. ubi Eliahu adeo se verborum & argumentorum multitudine abundare, seu, ut ipse, *sermonibus plenum*, dicit, ut *venter ejus esset vini instar effervescentis & novos utres rumpentis*: הנה בטני כיין לא יפתח כאבות חדשים יבקע: Unde evidenter liquere putant, אובות *hariolos* esse, quorum venter a Spiritu tanquam uter inflatus, nonnisi ægre eos loqui permittat. II. Quia Alexandrini Interpretes plerumque Hebræum אובות per ἐγγαςριμύθους reddere solent. III. Quod non modo Josephus mulierem illam Endorensem בעלת אוב ἐγγαςρίμυθον vocat *lib.* VI. *Antiquit. cap.* 15. sed etiam Rabbini אוב per פיתום exponere solent, quod Græcum πύθων esse arbitrantur; quo nomine posterioribus temporibus Græci ἐγγαςριμύθους vocassent.

III. Verum re accuratius examinata, nondum inducere animum potui, ut pervulgatæ huic sententiæ calculum adjicerem; obstant enim non exigui ponderis argumenta, quæ assensum reprimere & tollere possunt. I. Etiamsi אובות apud Jobum *utres* significaret, ut tamen non levibus eam sententiam rationibus oppugnavit Cl. Gussetius *Comment. Linguæ Hebr.* voce אוב, incommode inde *ventriloqui* derivari videntur, qui potius *utriloqui* propterea dicendi forent, qui *ex utre* aut *per utrem* loquerentur, אובות enim omnium suffragio non *ventrem* sed *utres* denotat. Mirum ergo videri debet, qui factum fuerit, ut אובות non *Utriloquos*, sed *Ventriloquos* ἐγγαςριμύθους semper designarent. Nam quia cum utre apud Jobum venter comparatur, idcirco per utrem non venter intelligi debet, non magis atque per *vinum utre contentum*, cui pari modo hoc loco similis esse venter dicitur. Deinde II. LXX. versio non adeo morari nos debet, nam ex pluribus locis constat, illos Interpretes Hebraica vocabula, quæ non intelligebant, e conjectura vertisse; itaque cum illis hic obscurum esset Hebraicum אוב & אובות, fortasse ἐγγαςριμύθων sub ignoto illo vocabulo latere sunt hariolati, sed male & infeliciter: cum III. אובות Νεκρομάντεις fuisse ex jamjam dicendis appareat, & ex parte assentiantur ipsi illi Viri docti; quid vero ad Νεκρομαντείαν ἐγγαςριμύθῳ qui dæmonem in ventre gerat, & ex ventre depromat oracula, opus sit, fateor me intelligere non posse. Quod ad Rabbinorum τῷ אוב per פיתום interpretationem attinet, ipsi Rabbini non a Græco factum illud פיתום, sed Hebraicæ originis esse docent; neque quia soni affinitatem habet cum Græco vocabulo, idem ideo esse putandum est. Denique si Rabbi-

binis פיתום idem quod *πύθων* Græcum ſit, ab iis non minus atque ab ante memoratis Viris doctis diſcedere cogimur.

IV. Expendenda etiam eſt ſingularis & ingenioſa ſententia Petri Jurieu in erudito libro *Hiſtoire Critique des Dogmes & Cultes de l'Egliſe Part.* III. *cap.* 5. Nimirum per אוב intelligit *vas aqua plenum* ( unde etiam Latinis poculi quoddam genus obba dictum fuiſſet ) in quo Manium ſimulacra apparuiſſent Necromantum artificio; eodemque tempore obſcuram & exilem vocem e terra prodiiſſe, quaſi a Manibus editam. Eodem refert Græcum *ἐγγαστρίμυθοι*, quod pro Hebr. אוב & בעלי אוב in ſua verſione adhibuerunt Alexandrini Interpretes, quo nomine Magi ſignificari ei videntur, qui ejuſmodi vaſe Græce *γάστρη* appellato, in divinationibus uſi fuiſſent, idque divinandi genus Scriptoribus Græcis *γαστρομαντεία* audiret, ut docet e Budæi Lexico. Eandem ſententiam adoptavit Salomo Deylingius *Obſerv. Sacr. Part.* II. *p.* 198.

V. Recte quidem hæc ſententia ad Necromantiam refert hanc divinationem, ſed ejus modum male depingit quaſi per vas peracta eſſet aqua plenum, quod אוב vocaretur. Nam I. diverſum plane vas eſt אוב cujus mentio fit apud Jobum ab eo, cujus uſus erat in Necromantiæ quodam genere & Hydromantia: hic requirebatur vas in ſummo prorſus apertum, ut umbrarum formæ conſpici poſſent, quale etiam Obba Latinorum poculi genus eſt, ( licet ob ſoni affinitatem idem cum Hebr. אוב nondum videatur: ) at apud Jobum אוב vas undique clauſum in quo vinum efferveſcens exitum quærit ſignificat. II. Talia ſunt S. Scripturæ loca, quæ eam vaſis ſignificationem non admittant. Saul cum ad mulierem Endorenſem acceſſiſſet, & ut ſibi per אוב divinaret poſtulaſſet, hac ſententia admiſſa dixiſſe cenſebitur: *divina mihi quæſo per vas aqua plenum:* cum tamen Sauli perinde fuerit quacunque ratione Necromantia uteretur Endorenſis ( pro ut plures Necromantiæ modi erant ) dummodo manes defuncti Samuelis conſulere poſſet. Præterea notam ante Sauli eam Necromantiæ ſpeciem fuiſſe, ſupponitur qua de re tamen dubitare licet. Jeſaias autem ( ne alia adducam ) plane eam ſententiam evertere videtur *Cap.* XXIX. *c.* 4. והיה כאוב מארץ קולך ומעפר אמרתך תצפצף *erit inſtar* אוב *e terra vox tua, & ex pulvere ſermo tuus ſtridebit*: tribuit enim שׂ אוב vocem vaſi aqua pleno nullo modo competentem, eamque non ex vaſe, ſed e *terra* prodire dicit; jam vero ſi in vaſe Manium formæ apparent, & in vaſe Manes ſunt, qua ratione eorum vox non e vaſe ſed e terra prodibit? præſertim cum in *λεκανομαντεία*, quam hic eandem cum Divinatione per Obh facit Juriæus, non e terra ſed e vaſe audita fuerit vox, ut ipſe e Pſello docet p. 472. adi & Potteri *Archæologiam Græcam lib.* II. *cap.* 18. *pag.* 337. Denique incertiſſima & vana hariolatio eſt, *ἐγγαστρίμυθος* dictum *γάστρη*, cum Græci conſtanter intelligant *ventriloquos* ut §. I. expoſuimus, nec vocis compoſitio alium ſenſum admittat. *Γάστρη* denique *cavitatem* & *alveum* vaſis cujuſcunque, etiam crateris ſignificat apud Athenæum, non vero *craterem prægrandem*, ut exiſtimavit Deylingius.

VI. Ego idoneis rationibus inductus, divinationem per אוב, nihil aliud fuiſſe putem, quam *Νεκυομαντείαν*, i. e. tale divinandi genus, quo manes evocabantur, ut de rebus futuris aut dubiis conſulti, reſponſa darent. Evidentia ſunt S. Scripturæ teſtimonia. I. 1. Sam. XXVIII. 8. ubi Saul poſtquam ad mulierem Endorenſem בעלת אוב acceſſiſſet, ita eam alloquitur: קסומי נא לי באוב *Divina mihi quæſo per Obb*, qua in re videlicet conſiſtebat ars, quam profitebatur בעלת אוב id vero quid ſit, ſtatim diſtinctius exponit: והעלי לי את אשר אומר אליך & aſcendere fac Mihi, *quem dico tibi*. Proinde firmiter hinc colligo *divinare per* אוב in eo conſtitiſſe, ut reducerentur & conſulerentur Manes, adeoque אובות & בעלי אוב quibus illud divinationis genus tribuitur, tales fuiſſe, qui hac facultate inſtructi aut eſſent aut crederentur i. e. *νεκυομάντεις*. II. Idem probat Jeſ. VIII. 19. ubi Propheta populum Iſraeliticum docet, quomodo reſpondere debeat Paganis ad Idolorum ſuorum cultum invitantibus: videlicet quoties illi dicerent. דרשו אל האובות ואל הידענים המצפצפים והמהגים *Conſulite Obbotb & Jideonim ſtridentes & ſuſpirantes*, reſpondere deberent: הלא עם אל אלהיו ידרש בעד החיים אל המתים *Nonne populus* ( qui ſingulari ratione talis eſt i. e. Iſraeliticus ) *Deum ſuum* ( fœdere junctum ) *conſulet. An pro vivis mortuos?* hinc vero apparet: conſulere אל אובות in priore membro idem eſſe quod *conſulere* אל המתים *mortuos*, ſeu *Manes* in poſteriore, adeoque ad necromantiam referendum. III. Clare idem docet Jeſaias *cap.* XXIX. 4. *humiliaberis & ex terra loqueris, & ex pulvere ſubmiſſus erit ſermo tuus, & erit inſtar* אוב *e terra vox tua,*

*tua*, *& ex pulvere sermo tuus stridebit*. Manifestum est, אוב qui e terra & pulvere h. l. loqui dicitur, manes esse, qui interdum e terra & sepulcro respondere credebantur, ut deinde videbimus. Ἐγγαστρίμυθοι vero e terra fuisse unquam locutos, nemo adhuc quantum sciam, affirmare ausus est.

VII. Accedunt huic sententiæ Rabbinorum nonnulli, qui per אובות manes intelligunt, & eos quoque qui manes elicitos consulunt i. e. νεκρομάντεις. Auctor luculentus est R. Gedalia in שלשלת הקבלה pag. LXVIII. 1. ubi ita: כי כאשר הבעל אוב מעלה המת אם יבדקו בקבר האיש שהועלה לא ימצאו שם גופו עד אחרי חזרתו *Nam* בעל אוב *est qui mortuum elicit*, *& si interea aliquis mortuum in sepulcro quæreret*, *vacuum sepulcrum offenderet*, *donec* ( Magus ) *eum remiserit*. Assentitur Bechai in ביאור על החורה *fol*. CCVIII. *c*. 3. & 4. אוב מין ממיני הכשוף הוא ושמו פיתום ומעלה את המת *Obb species magorum est & Pythom vocatur*, *mortuumve elicit*. Accuratius hoc divinandi genus Magistri definiunt in Gem. סנהדרין fol. LXV. 2. Manes videlicet sub axillis Magi latentes vocem edere: חנו רבנן בעל אוב זה המדבר בין הפרקים ומבין אצילי ידיו דסליק ויתיב בין הפרקים ומשתעי *Tradunt Magistri Baal Obb ex brachiis & axillis eorum loqui*, *nam* ( mortuus ) *surgens sedet sub brachiis ejus & loquitur*. Eadem habentur in פירוש המשניות סנהדרין *f*. CXVIII. 1. vide etiam מדרש ילקוט שמעוני *Parr*. 1. *fol*. CLXXVI. 4. Alia Rabbinorum testimonia, dabunt Seldenus de Diis Syris Syntagm. 1. c. 2. & Ant. van Dale de Idolol. c. IX. Differt. III. p. 609. quæ non exscribimus.

VIII. Non leve sententiæ huic nostræ pondus accedet ex ostensa alia hujus vocis origine, quam quæ vulgo ab *utre* arcessi solet. Scilicet derivamus vocem אוב ex Arabica lingua, ubi آب perinde atque قدم cum cesra sæpius *redire* atque *reverti* significat. Hinc derivatur مآب & الاوّاب *regressus*, *locus*, *ad quem quis revertitur*. Unde etiam perinde ut Hebræorum שוב frequenter de hominibus resipiscentibus, qui relicta improbitate ad sanam mentem & Deum *redeunt*, in Arabum monumentis occurrint; ut آب الى الله *reversus conversus est ad Deum*. Sic in Alcorano *Sura* XVII. c. 25. لن تكونوا صالحين فانه كان للاوّابين غفورا *Si recte egeritis*, *ipse Deus redeuntibus* ( resipiscentibus ) *condonabit*. Sura XXV. v. 71. ومن تاب وعمل صالحا فانه يتوب الى الله متابا *Et qui resipuerit rectumve fecerit*, *is certe conversione recta ad Deum revertetur*. Et Sura XL. v. 8. فاغفر للذين تابوا واتبعوا سبيلك *Condona illis* ( Domine noster ) *qui reversi sunt*, *& insistunt semitæ tuæ*. Quod apprime convenit Manibus evocatis, qui *redeuntes* vocantur, quia post abitum in morte per Magum *reducuntur*, & ad corpus *redeunt*. Eodem modo in S. Literis anima hominis *redire* dicitur, quæ relictum emortuum corpus denuo occupat. Sic orabat Elias Deum 1. Reg. XVII. 21. ut mortuo puero anima redderetur: ותשב נא נפש הילד הזה על קרבו *redeat quæso anima hujus infantis in medium ejus*. Sic com. 22. & 11. Sam. XII. 23. *Migrabo ad ipsum* והוא לא ישוב אלי *At ille non revertetur ad me*. vid. Pf. LXXVIII. 39. & Prov. XXV. 13. Eodem plane modo etiam profani manes elicitos redire dicunt. Lucanus *lib*. VI. v. 704.

> ——*Tuque o flagrantis portitor undæ*
> *Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris*.

Apud Valerium Flaccum *redire* licere occisorum animabus dicitur, cædem suam ulturis; ita enim loquuntur *lib*. III. *v*. 383.

> *Quippe nec in ventos*, *nec in ultima solvimur ossa*:
> *Ira manet*, *duratque dolor*: *cum deinde tremendi*
> *Ad solium venere Jovis*, *questuque nefandam*
> *Edocuere necem*; *patet ollis janua leti*
> *Atque iterum remeare licet*.

Et Magi *reducere* manes dicuntur: Apulejus lib. II. Metamorph. p. 62. *Zachlas adest Ægyptius*, *Propheta primarius*, *qui mecum jam dudum grandi præmio pepigit*, *reducere paulisper ab inferis spiritum*, *corpusque illud postliminio mortis animare*. Cognata phrasis est העלה *ascendere facere manes*, quæ phrasis adhibetur 1. Sam. XXVIII. 8. & Jobi VII. 9. 10. quod Apulejus diceret *manes sublimare*, vide *lib*. 1. *Metam*. *p*. 15.

IX. Atque hanc etymologiam ei quoque præfero, quam Bochartus *Hieroz*. Part. 1. lib. 1. c. 3. f. 22. & Stephanus le Moyne *Var. Sacr*. p. 995. proposue-

runt: Obh fuisse credunt *Magum præstigiatorem* ab אוב *Serpente*, quia in præstigiis & incantationibus frequentissimus *serpentum* usus. Non enim sermo est de Magis, qui serpentibus ad præstigias suas utebantur; sed de illis, qui Necromantiam exercebant, in qua an talis usus serpentum fuerit, ut propterea a Serpentibus derivari hoc nomen debeat, a nemine probatum adhuc vidi.

X. Distinctius autem per אוב intelligo I. Manes *elicitos & reductos*; hoc sensu illa vox venit Levit. XX. 27. *Vir aut mulier* כי יהיה בהם אוב *si fuerit in illis* אוב *morte moriantur*. Ubi manifeste manes ab illis, qui eos eliciebant distinguuntur. Hæc tamen verba non ita sumenda sunt, quemadmodum a plerisque Interpretibus solent, quasi significaretur, Obh ita fuisse in illis hominibus, ut eorum corpora aut ventres occuparet, atque ex ventre funderet oracula, id enim quantum scio in Necromantia nullum usum habuit. Sed *quicunque commercium habuerit cum manibus, eosque elicuerit aut consuluerit*. Atque ita locum hunc exponit Aben Ezra: והמיתו אשר יטמא נפשו באוב *morte plectetur, qui se* אוב *inquinaverit*. Pro illo sensu facit Jes. XXIX. 4. *Erit instar* אוב *e terra vox tua, & ex pulvere sermo tuus stridebit*. Manium enim vox e terra e sepulcro audiri credebatur: vid. Gem. ראש השנה fol. XXXI. c. 2. עקרת יצחק *Porta* 65. & Abarbanel in פירוש על תורת *fol.* CXCVII. c. 4. Ita quoque de Samuele evocato Syracides XLVI. 30. ἀνύψωσεν ἐκ γῆς φωνὴν αὐτοῦ, *sustulit e terra vocem suam*. Ut quoque de Polydoro Virgilius loco mox citando. Idem confirmat in loco Jes. laudato, quod sequitur: ומעפר אמרתך תצפצף *& ex pulvere sermo tuus stridebit*: תצפצף enim proprie sumitur de *garritu avium* vid. Jes. XXXVIII. 14. quemadmodum etiam ad priorem Esaiæ locum notat Raschi: צפצוף הוא לשון קל לחש כקול עופות דקין. Tziphtzuph *significat vocem mussitationis instar vocis avicularum*. Hinc hoc verbum Jes. X. 14. vertitur: στρουθίζειν quod quoque avium garrulas voces indicat, & a Suida exponitur per τρίζειν, quod verbum itidem apud Auctores *de avicularum stridore* usurpatur, vide Homerum Iliad. β. v. 314. ibique Moschopulum.

XI. Egregie vero hoc verbum de Manium exili & tenui voce usurpatur, perinde ut τρίζειν a profanis. Homerus Iliade ψ. v. 101. ubi de anima Patrocli:

> Ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς, ἠΰτε καπνὸς
> Ὤιχετο τετριγυῖα.

*Anima autem sub terram tanquam fumus abiit murmure stridens*. Lucianus *Necyomanti* p. 332. ubi cum Mithrobartzane mago ad inferos descendisset: ἔνθα δὴ περιεπέτοντο ἡμᾶς τετριγυῖαι τῶν νεκρῶν αἱ σκιαί. *Ibi circumvolitabant nos stridulæ mortuorum umbræ*. Heliodorus autem *Æthiopicis l.* VI. p. 295. ὑποτρύζειν eodem sensu manibus evocatis attribuit: ὁ νεκρὸς οἷον ἐκ μυχοῦ τινὸς ἢ σπηλαίου φαραγγῶδους βαρύ τι καὶ δυσηχὲς ὑπότρυζων. *Mortuus tanquam ex abstruso loco, aut antro confragoso grave quiddam & asperum mussitans*. Eodem quoque modo *stridere* manes dicunt Latini. Petronius C. CXXII. p. 578.

> *Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis*
> *Umbrarum facies* diro stridore *minantur*.

XII. Eodem spectat, quod אובות Jes. VIII. vers. 19. המהגים *suspirantes*, דמכנים *gementes* dicuntur, ut recte exposuit Chaldæus, quod verbum pariter *de columbarum gemitu* capitur Jes. XXXVIII. 14. vide Bochartum *Hieroz*. P. II. l. I. c. 2. p. 12. quod recte quoque ad Manium *flebilem vocem* indicandam adhibetur. Sic enim Virgilius de Polydori manibus *Lib.* III. *Æneid.* v. 39.

> - - - - *Gemitus lacrymabilis* imo
> *Auditur tumulo & vox reddita fertur ad aures*.

Et Claudianus L. I. in Ruffinum v. 126.

> *Illic umbrarum* Tenui stridore *volantum*
> Flebilis *auditur* questus.

Quem locum debeo Elegantissimo Broekhusio ad Tibullum *Lib.* I. *Eleg.* II. v. 47. ubi plura de umbrarum *stridore* vide. Utrumque eleganter conjunxit Horatius jam ab aliis citatus *Lib.* I. *Sat.* VIII. v. 40.

> *Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes*
> *Umbræ cum Sagana resonarint* triste & acutum.

Rabbinis quoque innotuit, manes tenuem admodum edere vocem. Ita enim Raschi in Gem. סנהדרין *fol.* LXV. 2. ומיהו קולו נמוך לפי שאין בו חיותא *Verum vox manium admodum tenuis, quia vita sunt orbati*: & Rabbenu Ascher in סנהדרין fol. CXXIX. I. בלהטיהם אלו מעשה שרים בלטיהם אלו מעשה כשפים: id est, *tenui voce uti dæmonum est; verum* בלטיהם (sine ה quod quoque exilem vocem edere significat) *magorum est*. vid. Raschi in סנהדרין LXVII. 2. & in Exod. VII. 22. Pagani autem non Manium solum, sed etiam Dæmonum infirmam & confusam vocem esse credebant. Suidas voce Δωδώνη: αἱ τῶν Δαιμόνων

νων

νων γωναὶ ἄναρθροι ἐσί. *Dæmonum voces confuso murmure fiunt*: quemadmodum quoque Rabbini decantatum illud oraculi genus בת קול dictum, infirmo sono & vix perceptibili ad aures pervenisse, atque inde id nominis consecutum esse arbitrantur. vid. סנהדריז *f.* XI. ibique Tosephot: qualis etiam spiritus illius vox fuit, de quo Job. IV. 16. & quæ in מדרש יוב *f.* XC. I. ut קול דקה *Vox infirma & tenuis* describitur.

XIII. Utrum vero manes, aut eorum loco Diabolus, huic vatum generi apparuerint; an meræ vafrorum hominum & habendi cupiditate laborantium fraudes fuerint, in quam sententiam inclinat præter alios Abarbænel in פידוש על התורה *fol.* CCXCVII. *c.* 4. in hanc controversiam ingredi non lubet; id dixisse sufficiat: me non quidem negare sæpius fraudes malesanorum hominum intercessisse; tamen nondum tanti ponderis rationes vidi, quibus permotus crederem, solis hominum fraudibus artibusque Necromantiam constitisse, ut contendit Vir eruditus van Dale.

XIV. Per אובות (II.) intelligo ipsos νεκρομάντεις, qui אוב seu manes eliciebant, eosque consulebant. Locus evidens est Jes. VIII. 19. דרשו אל האובות ואל הידענים המצפצפים והמהגים הלא עם אל אלהיו ידרש בעד החיים אל המתים. *Consulite Obboth & Jideonim stridentes & spirantes; Nonne populus* (Israeliticus) *Deum suum* (fœdere junctum) *consulet. An pro vivis mortuos?* hic enim אובות cum aliis Magis conjunguntur. Erant impia hac arte cum Viri infames, tum mulieres, ut ex loco Levit. §. X. citato apparet. Ita tamen *ut mulieribus familiarior fuerit illa* Περιεργία. וזאת האומנות ביד הנשים יותר: ut Aben Ezra ad l. c. observat. Hinc vetulas fere manibus evocandis operam dedisse, sæpius legimus in antiqua historia: qua ex re id fere factum putem, ut hoc Magorum genus in S. Litteris per אובות fœminino genere designetur. Talis mulier vocatur אשת בערת אוב I. Sam. XXVIII. 7. quod omnes vulgo interpretantur *mulier habens Obb*, quasi illum spiritum in ventre latitantem haberet; sed meo quidem judicio potius significat, cui negotium est cum manibus, quæque excellit arte eliciendi manes, & peritissima est τῆς חכמת האוב seu Necromantiæ, ut Magistri loqquntur, v. Bechai in ביאור על התורה *fol.* CCVIII. *c.* 4. Ita vocantur בעלי חיצין qui excellunt in jaculandi arte Gen. XLIX. 24. Sic בעל לשון cujus totum artificium in lingue petulantia consistit, Eccles. V. II. Et ita בעלת כשפים insignis præstigiatris Nahum. III. 4. His exemplis omnem elegantiam & vim abstuleris, si per *habere* simpliciter exponas τὸ בעל. Sic quoque Rabbini *canendi arte insignes* vocant בעלי השיר in Gem. שבת f. LI. 2. *viros fortes* בעלי זתוע in שלטי הגבורים *fol.* XXXIX. I.

XV. Observatur a Magistris hujus generis magos reducere animam duntaxat posse, intra duodecim a morte hominis menses, seu anni labentis spatio; cujus rei rationem esse volunt, quod anima hominis defuncti tamdiu circa corpus hæreret, eaque tempore elapso relinqueret corpus, neque rediret amplius: unde omnes etsi alias efficacissimæ magi artes, post illud tempus adplicitæ ad animam reducendam irritæ redderentur. Sic enim Bechai l. c. יש דעות למקצת רבותינו חכמי התלמוד ז״ל שיש כח למי שיודע חכמת האוב להחיות את המת ולהשיב נפשו בגויתו וזהו חוץ שנים עשר חדש בלבד: *Quidam tamen eruditissimorum Magistrorum disputant, in quo scientia ejus consistat, qui hoc magiæ genus callet eliciendi mortuum, corporive ejus animam remittendi, & hoc duodecim duntaxat menses post obitum licere volunt.* Ex qua ratione Endorensi Samuelem evocare licuisse Magistri docent in Gem. שבת *fol.* CLII. *col.* 2. א״ל ההוא מין לרבי אבהו אמריתו נשמתן של צדיקים גנוזות תחת כסא הכבוד אובא טמיא היכי אסקיה לשמואל בנגידא א״ל התם בתוך שני עשר חדש גופו קיים ונשמתו עולה ויורדת לאחר שנים עשר חדש הגוף בטל ונשמתו עולה עולה ותוב אינה יורדה: *Dixerat aliquis hæreticus ad Rabbi Abbahu: tu dicis animas defunctorum, quiescere sub throno divino, quomodo* בעלת אוב *Samuelem magia sua reducere potuit. Respondit id factum intra* 12. *menses cum corpus nondum computruisset, tum enim anima cœlum quidem conscendit sed iterum* (in sepulcrum) *descendit*: *verum exactis duodecim mensibus, corpus dissolvitur, atque anima tscendit, non vero amplius descendit*. Consentiunt Profani, qui in Necromantia Manes inprimis recens vita defunctorum utilem operam navare credebant. Lucanus Lib. VI. v. 712. & *seq.*

*Non in Tartareo latitantem poscimus antro,*
*Assuetamque diu tenebris*, modo luce fugata
Descendentem Animam, primo pallentis hiatu
Hæret adhuc orci.

XVI. Reduci autem Manes putabantur, non per alium quendam spiritum, qui magos occupaverat; multo minus illi

li eliciebant dæmonem aliquem qui Manes poſtmodum reduceret, ut putant nonnulli Viri docti; ſed incantationum & carminum Magicorum vi reduci Manes cenſebantur, ut inter omnes conſtat. Rabbini etiam בעל אוב ſeu νεκρομάντιν ſuam artem exercuiſſe docent *ſuſurris & obſcuro quodam murmure*, vide Raſchi in Gem. סוטה *fol.* XII. I. & מדרש ילקוט שמו׳: *Part.* I. *fol.* 51. 4. quo incantationes & diras in Manes forte reluctantes concipiebant. Cui rei non quælibet vocabula idonea putabant Magi, ſed ignota, & quæ incognito & horrendo ſuo ſono ſingularem vim exſerere in Manes credebantur. Ita apud Lucianum νεκρομάντι de Mago inferos evocante: παραμιγνὺς ἅμα βαρβαρικά τινὰ καὶ ἄσημα ὀνόματα καὶ πολυσύλλαβα. *Intermiſcebat ſimul barbarica & obſcura vocabula & polyſyllaba*. vid. & Lucan. *lib.* VI. v. 685. Qualia proinde in alias linguas vertere vetabant, quaſi illa mutatione facta omnis incantatio vim ſuam foret amiſſura: videri meretur hac de re Eruditiſſimus Thomas Gale ad Jamblichum de *myſteriis Ægyptiorum* p. 290. & 292.

XVII. Obſervant præterea Magiſtri I. quod Magus qui educit Manes, eos quidem videat, ſed nihil audiat. II. Ille vero, in cujus gratiam anima reducitur, audiat quidem ſed nihil videat, ut Sauli accidit. III. Quod alii denique, quorum id nihil intereſt, nec videant nec audiant quidquam. Ita enim in עקדת יצחק *porta* LXV. והנה חז״ל במדרש הנזכר השיבו על שתי אלו התשובות במה שאמרו בדברים נאמרו באוב המעלה רואהו ואינו שומע מי שצריך לו שומעו ואונו רואהו מי שאינו צריך לו אינו שומע ואינו רואהו כך האשה שהעלתה שמואל ראהו ולא שמעתהו שאול שהיה צריך לו שמעהו ולא ראהו אבנר ועמשא שלא נצרכו ולא ראוהו ולא שמעוהו: Eadem docentur in מדרש ילקוט שמעו *Part.* II. *fol.* 20. 2. Denique שאל אוב ſive *qui Nanes conſulit per evocationem*, ita diſtinguunt a דורש המתים *qui conſulit mortuos*, ut hic ſit, qui poſt jejunia præmiſſa in ſepulcro penoctat, ut per ſomnia aut etiam alio modo a Manibus moneatur de rebus quas ſcire expetit. In Gem. סנהדרין *fol.* lxv. 2. כרתניא ודורש אל המתים זה המרעיב עצמו והולך ולן בבית הקברות כדי שתשרה עליו רוח הטומאה: *Traditio eſt eum cibo potuque abſtinere, tumque ſe ad ſepulcra conferre & ibi noctem tranſigere, ut Spiritus impurus ad eum accedat*. Ad quem locum Raſchi obſervat: שד של בית הקברות יהא אוהבו ומסייעו כשפו: *Dæmonem in ſepulcro eſſe animum illi additurum, opemque in Magia laturum*. Qui toties tanquam in ſepulcro pernoctantes, graviter a Prophetis caſtigantur. Jeſ. lxv. 4. quæ conſuetudo etiam Profanis uſitata erat, dum illi qui Manes conſulebant, exigere ſolerent noctem in eorum monumentis. Ita Theanor Lyſidis Manes conſulturus, ad ejus ſepulcrum noctem exegiſſe legitur, apud Plutarchum de *Socratis Genio* p. 579.

XVIII. Verbum adhuc de ἐγγαστριμύθοις addere lubet: nempe Photius ex Jamblico *de rebus Rhodanis & Sinonidis*, auctore XCIV. p. 242. Babylonios ἐγγαστρίμυθον σακχούραν appellaſſe memoriæ prodidit. Inter alia enim Magorum genera etiam recenſet ἐγγαστρίμυθον, ὃν καὶ φησὶν ὡς ἕλληνες μὲν εὐρυκλέα λέγουσι, βαβυλώνιοι δὲ σακχούραν ἀποκαλοῦσι. *Ventriloquum quem etiam dicit Græcos Euriclea vocare, Babylonios autem Saccburam*. Quid *Saccbura* ſit quæritur ab Eruditis: Seldenus de Diis Syris o *Saca* Aſſyriorum Numine, quo afflati ſe arcana revelare Magi ſimulaſſent, derivat. Alii a שקר *mendacium*, alii a שכר *ebrius fuit*, quia illa vox ab Heſychio exponitur μεθύουσα, μαινομένη. Stephanus le Moyne *Var. Sacr.* pag. 997. e Lingua Arabica derivat, ubi سحر Magum & incantatorem ſignificat. Sæpius miratus ſum Viros eruditiſſimos in hac voce exponenda aberrare potuiſſe evidens enim eſt eſſe Chaldaicum זכורה, qua voce Paraphraſtæ & ipſi Rabbini ad Hebræum ידעוני exponendum utuntur. Sic enim Onkelos ad Deuteron. XVIII. VII. ושאל בבידין והכולו וחבע מן מתיא: & alibi: & Magiſtri in Gem. סנהדרין *loc. cit.* ubi vide Toſephoth.

# DAVIDIS MILLII DISSERTATIO DE

## חרטמים,

## *Aliisve Orientalium Magis.*

§. I.

RAbbinorum nonnullis חרטמים *Genethliaci* sunt חכמי התולדות, in qua sententia est R. D. Kimchi. Alii deducendum hoc vocabulum credunt a חר & טימי a *testis ossibus*, quæ ad Magicas artes adhiberent, aut quod *ossa* seu defunctos consulerent: ita Raschi ad Genes. xli. 8. & Dan. i. 20. אלו שואלים בטימי מתים בעצמות מתים *Illi* ( חרטומים ) *sunt, qui consulunt* בטימי מתים *h. e. defunctorum ossa*. Alii denique ex חור *foramen*, & אטום *clausum obstructum* compositam vocem dicunt; quod hi Magi ex foramine arboris obstructo divinationes elicerent. Verum tam a veritate alienæ sunt hæ sententiæ, ut eas recensuisse sit confutasse.

II. Christiani Interpretes vel e peregrinis Linguis vel ex Hebraica, eam vocem repetunt. Persicum vocabulum esse ab insigni illorum hominum *Scientia* a خرد *scivit*, arbitrati sunt Hottingerus, Castellus & Stanlejus in *Historia Philos. Orient.* Hyde autem *Sapientem* in genere designari existimat, qui in Persia خردمند *Chiradmand* vocatur, de Religione *vet. Pers.* p. 373. Bochartus *Hierozoici Part.* ii. *Lib.* 4. *cap.* 18. ab Arabico رطن *murmurare & ignotæ linguæ verba proferre* derivat, aut ex Chaldaico רטן *incantare*, ut proprie ἐπαοιδὸν *incantatorem* qui *obscuro murmure ignotorum vocabulorum* utitur, significet. Denique ab Hebraico חרט factum censent, ita ut vel ejusmodi Magum notet, qui *cælaturas imagines* & *characteres* in arte sua adhibeat, in qua opinione versatur Fullerus *Miscell. Sacr. lib.* v. *cap.* ii. vel qui *magicas figuras fusiles facit*, quæ sententia est Gussetii ad Rad. חבר pag. 241. Quæ quidem etymologiæ aut leves sunt & longius petitæ, aut non satis rei accommodatæ, nec hoc Magiæ genus a ceteris distinguunt.

III. Ego mihi rectius derivaturus videor e Dialecto Aramæa, ubi חור *videre, prospicere* notat: ita Chaldæus *Prov.* xxiii. 33. ויחורון עינך בנכריתא *& intueantur oculi tui alienam*: & Syriace ܚܙܐ idem significat in versione *Gen.* xv. 5. *Luc.* vi. 10. *Hebr.* ii. 10. unde Rabbini quoque sæpius eidem voci *explanandi interpretandi & declarandi*, significationem tribuere solent. טום autem Rab. טמם & Hebr. טמן *clausit, obstruxit, abscondidit*, notat. Adeo ut hoc vocabulo חרטומים designentur, rerum Latentium & obscurarum interpretes: quod accommodatissimum erit hujusmodi Magis, quorum præcipuum munus erat, ut res occultas & obscuras v. c. somnia interpretarentur: cujus rei gratia arcessebantur חרטומים a Rege Ægyptio Gen. xli. 11. & Chaldæo Dan. ii. 2. Quare Aben Ezra *Comment.* in h. l. קרא להם בעבור שהם יורעים עוקר החלמות ואיך תראה חנפש דמיונות בלילה. ( Rey Nebucadnezar ) *eos advocavit quod somniorum indolem exacte scirent, & quomodo mens noctu objecta sibi repræsentaret*. Hinc apparet non Ægyptiorum duntaxat id Magorum genus fuisse, sed etiam Chaldæorum: proinde eodem jure e Chaldaica lingua, quam ab aliis ex Ægyptiaca repeti ejus vocabuli originem posse.

IV. Idem intellexisse Alexandrini Interpretes videntur, qui Hebraicum חרטומים vertunt ἐξηγητὰς Gen. xli. 8. 24. quo nomine Græcis *mysteriorum Interpretes* veniunt. Harpocration: Ἐξηγητὴς ὁ ἐξηγούμενος τὰ ἱερά. Hesychio Ἐξηγητὴς est, ὁ περὶ ἱερῶν καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος: quo sensu Diodorus Siculus *lib.* v. *Biblioth. Hist.* pag. 316. apud Romanos Tyrrhenos *prodigiorum interpretes* ἐξηγητὰς fuisse memorat: κατὰ τὰς ἐν τοῖς κεραυνοῖς διοσημείας τούτοις ἐξηγηταῖς χρῶνται. Pla-

Plato autem legum Sacrarum atque adeo totius religionis interpretes ἐξηγητὰς appellat, *lib.* VI. *de Legibus* p. 616. Igitur recte perspexisse vocabuli illius vim Alexandrini Interpretes, & erudite vertisse videntur.

V. Non male quoque Aben Ezra hos חרטומים descripsit in Commentario ad Dan. II. esse Physicos: כי היודעים העקרים ותולדת כל דבר וכל מעשים שיעשו בלט. *Sciebant enim rerum principia atque indolem, earumve occultas qualitates.* Cui Abarbanel accedit in פירוש על תורה fol. CIX. 2. חרטומים esse חכמי הטבע peritos naturæ sive Physicos scribens: הנה החרטומים שהם היו אצלם חכמי הטבע יודעים ומשינים בטבעי הדברים: *erant* חרטומים *Ægyptiorum Physici, qui longo rerum usu rerum naturalium peritiam sibi acquisiverant.* Verum eodem Commentario *fol.* CXXXIX. 3. hosce חרטומים Scientia illa abusos esse observat, atque præstigiis, aliisve nefandis artibus operam navasse. Pari autem ratione, quemadmodum in S. Litteris a Regibus Ægyptiorum & Chaldæorum consultos fuisse hos Magos legimus; Nimrodum eosdem arcessivisse de somnio consulturum, vetustissima traditione refertur in ספר הישר his verbis: ויהי בבקר ויקם המלך ממשכבו בבהלה ויצו ויבאו לפניו כל חכמי חרטומי ויספר להם המלך את החלום. *Mane Rex lecto cum surrexisset, territus omnes Sapientes & Magos adduci jussit, narravitque eis somnium.*

VI. Cum Ægyptiorum חרטומים iidem sunt sine dubio, qui ab Auctoribus Ægyptiaca sacra describentibus ΙΕΡΟΓΡΑΜΜΑΤΕΙΣ vocantur. Hi enim *Hieroglyphica* interpretabantur & *Astrologiam*: vide Clementem Alexandrinum *Stromat. Lib.* VI. *p.* 633. rerum arcanarum scientia & Magicis artibus clarissimi erant: qualis Memphiticus ille ἱερογραμματεὺς erat, qui in adytis subterraneis trium ac viginti annorum spatio, Magiam didicerat ab Iside: adi Luciani *Philopseud.* pag. 496. Futura etiam prædicebant: Josephus memoriæ prodidit, nativitatem Mosis & calamitates Ægyptiorum prædixisse Regi τῶν ἱερογραμματέων τινὰ, quale hominum genus futura verissime prædicere consuevisset, *Lib.* II. *Antiquit. Cap.* 5. quemadmodum in genere Ægyptiorum Sacerdotibus futura divinandi facultatem tribuit Diodorus Siculus: διὰ μὲν τῆς ἀστρολογίας καὶ τῆς ἱεροσκοπίας ΤΑ ΜΕΛΛΟΝΤΑ ΠΡΟΣΗΜΑΙΝΟΝΤΕΣ, ἐκ δὲ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ἀναγεγραμμένων πράξεων τὰς ὠφελῆσαι δυναμένας παραγινώσκοντες. *Ex Astrologia quidem & Sacrorum inspectione futura divinant, ex iis autem quæ in sacris libris scripta sunt præsciunt, quæ fieri expediat.*

VII. Cum itaque arcanarum futurarumque rerum scientia essent insignes illi ἱερογραμματεῖς, Magiæ quoque peritissimos eosdem fuisse credo cum חרטומים: quid igitur mirum, si & iisdem miracula patrandi potestas tributa fuerit, atque ut Mosen miraculis, vel æquipararent vel superarent, arcessiti? Certe Numenius Pythagoræus *Jannem & Jambrem* præcipuos illos e τοῖς חרטומים Mosi oppositos vocat Ἀιγυπτίους Ἱερογραμματεῖς *nemini Magicarum rerum scientia inferiores*, apud Eusebium *Præparat. Evangel. lib.* IX. *cap.* 8.

VIII. Ad חברים quod attinet, Rabbini magno consensu illos ad hujus generis Magos referunt, qui *serpentes in unum locum congregant*, ut eorum ope in divinationibus utantur. Verbum scilicet חבר *sociare, conjungere & congregare* notat: ita Raschi ad Deuter. XVIII. II. חובר חבר שמצרף נחשים או עקרבים או שאר חיות למקום אחד: *qui congregat Serpentes aut Scorpiones, ceteraque animalia in unum locum.* Nec dissentit Maimonides in עכו״ם Cap. XI. Sect. 10. איזהו חובר זה שמדבר בדברים שאינן לשון עם ואין ענין ומעלה על דעתו בסכלותו שאותן הדברים מועילים עד שהן אומרים שהאומר כך וכך על הנחש או על העקרב אינו מזיק והאומר כך וכך על האיש אינו ניזוק. *Quinam est incantator?* Resp. *qui verba profert nulli genti usitata, nullumve sensum fundentia, & sua stultitia aliis persuadet ea omnino prodesse: Ita dicunt si hæc vel illa verba protulerit coram Serpente aut Scorpione, eum tum damnum inferre non posse, aut si ejusmodi dixerit homini, eum quoque nocere haud posse.* Eandem quoque profitetur sententiam Bochartus *Hieroz. Part.* II. *Lib.* III. *cap.* 6. *p.* 389. quem plurimi Viri Doctissimi sequuntur.

IX. Verum enim vero, cum neque vox ipsa (*consociatorem* quippe duntaxat significaret) neque S. Scripturæ loca, de Serpentum similiumque animantium congregatione cogitare nos jubeant, non video, quare ad eam Magiæ speciem restringi debeat: præsertim cum loca in S. Litteris exstare videantur, ubi vel difficulter ea notio admitti possit, vel plane exulare debeat; felicius ejus vocabuli originem vimque mihi evoluturus videor, si a *Magicæ artis*, ut quidem vulgo creditur, *vi & efficacia* eandem repetivero. Nempe חבר, unde hoc vocabulum sine dubio derivandum est, significat *arctissime connectere, copulare, ligare*. Exod. XXVI. 3. *quinque* cor-

*cortinæ* חוברות *ligatæ una ad aliam*, cap. XXXVI. 18. *Et fecit fibulas æneas quinquaginta* לחבר *ad connectendum tentorium*. Hoſ. IV. חבור עצבים אפרים *alligatus Idolis Ephraim*. Pſ. CXXII. 3. *Hieroſolyma quæ ædificata eſt, tanquam urbs*, שחברה *quæ colligata eſt ſibi una*. Itaque חברים *Magi* erant, qui non modo *ſociare ſibi*, ſiſtere & adducere quæcunque vellent, ſed etiam *conſtringere efficaciter* & *ligare* ſolebant; atque ita nocendi vim adimere, & ad officium redigere poſſe credebantur.

X. Erat quippe vetuſtiſſima Idololatrarum perſuaſione tanta Magorum vis & potentia, ut ipſos Deos *ligare* & *cogere* cenſerentur, ut Hecate & Apollo ipſi fatentur, apud Euſebium *Præparat. Evangel. lib.* V. *cap.* 8. vide & *cap.* 9. ita ut Magorum imperio ſe ſiſtere, atque imperata facere cogerentur; quæ incantationis ſpecies δεσμὸς Θεῶν Deorum vinculum dicebatur, quod jam obſervavit Gaulminus *notis ad Librum de vita & morte Moſis* p. 189. Inferos inprimis & Dæmones ita ligabant; & in ordinem cogebant Magi Necromantiæ periti: qualem memorat Seneca *Oedipo Act.* III. v. 359.

> *Vocat inde Manes; teque, qui Manes regis,*
> *Et obſidentem clauſtra letalis lacus,*
> *Carmenque Magicum volvit, & rabido minax*
> *Decantat ore quidquid aut placat leves*
> *Aut cogit umbras.*

Eodem modo ſed majori impietate finxerunt Rabbinorum nonnulli, Salomonem Regem, quem Magicarum artium peritiſſimum & Magiſtrum alias faciunt, Dæmonem *Aſbmedai* ligaviſſe. Ita enim in עמק המלך *fol.* 14. *col.* 4. והביאו אבנים וצרכי בנין לבית המקדש וכשבקש השמיר היה מביא אשמדאי מלכא רשידי בשלשלאות של ברזל וטבעת שחקוק עליו שם המפורש והיה תפוס אצלו ימים רבים אפילו אחר בנין בית המקדש. *Salomone præcipiente Dæmones lapides, aliaque ad templi ædificationem neceſſaria adducebant: cumque verniculum Schamir deſideraret, Aſmodæum Principem Dæmonum vinculis ferreis, & annulo in quo Schem hammephoraſch exſculptum adduci curabat, qui diu etiam poſt exſtructum templum captivus apud eum* (Salomonem) *detinebatur*.

XI. Præter Deos autem Dæmoneſque, etiam Serpentibus ceteriſque animantibus nocendi vim auferre poſſe creditum eſt, qua ratione eos *ligabant*. Ita recte expoſuit hujus vocabuli vim, etſi male de Serpentibus aliiſque noxiis animantibus tantum loquatur Jonathan in Paraphraſi ad Deuteron. XVIII. 11. ומחברין ואסרין חיוין ועקרבין וכל מיני רחשין, *qui ſociant & ligant Serpentes & Scorpiones, & quaſcunque reptilium ſpecies*: & ad Pſ. LVIII. 5. דלא מקבל לקל מלי חרשיא אסורי נחשין. *Quæ* (nempe *aſpis*) *non audit vocem & verba Magorum qui ligant ſerpentes*. Inprimis quoque *amoris vincula* nodoſque *nectere*, & *colligare* amore animis injecto homines, pervulgata opinio erat: Seneca *Hercule Oeteo* v. 452.

> *Artibus magicis fere,*
> *Conjugia nuptæ precibus admiſtis ligant.*

Ibidem:

> *Quos non concordia mixti*
> *Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,*
> *Traxerunt torti Magica vertigine fili.*

Virgilius *Veneris vincula* vocavit Ecloga VIII. vſ. 77.

> *Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:*
> *Necte Amarylli modo, & Veneris dic vincula necto.*

Immo quæcunque in cœlo & terra reperirentur, ſubeſſe Magicæ poteſtati, gloriatur Medea apud Senecam in cognomine Tragoedia v. 754.

> *Et evocavi nubibus ſiccis aquas,*
> *Egique ad imum maria, & Oceanus graves*
> *Interius undas æſtibus victis dedit.*
> *Pariterque mundus lege confuſa ætheris*
> *Et Solem & aſtra vidit; & vetitum mare,*
> *Tetigiſtis urſæ temporum flexi vices.*
> *Æſtiva tellus floruit cantu meo,*
> *Meſſem coacta videt hibernam Ceres.*
> *Violenta Phaſis vertit in fontem vada;*
> *Et Iſter in tot ora diviſus truces*
> *Compreſſit undas, omnibus ripis piger.*
> *Sonuere fluctus: tumuit inſanum mare*
> *Tacente vento: nemoris antiqui domus*
> *Amiſit umbram vocis imperio meæ.*
> *Die relicto Phœbus in medio ſtetit,*
> *Hyadeſque noſtris cantibus motæ labant.*

XII. Eam autem *ligandi cogendique* po-

*potestatem*, tribuebant carminibus Magicis, quibus inerat arcana quædam & efficax potentia. Ovidius de Medea *Lib.* VII. *Metamorph.* v. 330.

> *Jamque neci similis, resoluto corpore, regem,*
> *Et cum rege suo custodes somnus habebat,*
> *Quem dederant* cantus, Magicæque potentia linguæ.

Præsertim si obscuris verbis barbarisque concepta carmina essent, efficacissima censebantur, quod magis naturam imitarentur; τὰς εὐχὰς ὁμολογοῦσιν οἱ ἄνθρωποι δυνατωτέρας εἶναι τὰς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας, *preces consentiunt homines efficaciores esse, barbarorum lingua conceptas*: testatur Clemens Alexandrinus *Lib.* I. *Stromatum*. Tali carmine utitur Sagarum potentissima Circe apud Ovidium *Lib.* XIV. *Metamorph.* vs. 60.

> Et obscurum verborum ambage novorum
> *Ter novies carmen Magico demurmurat ore.*

Nonnulla etiam huc pertinentia attulimus in Dissertatione de אוב & אובות. Atque eam consuetudinem his Magis חברים inprimis adscribit Maimonides in עכום Cap. XI. Sect. 10. cujus verba §. VIII. adduximus.

XIII. Etsi autem tanta carminum vis & *potentia ligandi* erat, utebantur tamen haud raro *herbis* nonnullis certo tempore & summa cura conquisitis: quo in artificio dubium est, an Magorum aliqui Thessalas mulieres superaverint: Circe utriusque artis erat peritissima, ad quam ita Glaucus apud Ovidium *Lib.* XIV. *Metamorph.* vers. 20.

> *At tu, sive aliquid regni est in carmine; carnem*
> *Ore move sacro*: Sive expugnacior herba est;
> Utere tentatis operosæ viribus herbæ.

XIV. Denique merito חברים *Ligantes* dicebatur illud Magorum genus, qui sæpius artem suam *ligaminibus* exercebant, *fila & licia varii coloris torquebant*, ut ea ratione quæ cuperent obtinerent: id agebat anicula apud Petronium *Satyr. cap.* 131. p. 620. *de Sinu licium protulit varii coloris filis intortum*. ubi multa afferunt Interpretes: & alia apud Virgilium *Ecloga* VIII. vs. 73.

> *Terna tibi hæc primum triplici diversa colore*
> *Licia circundo.*

Rhombo autem ducebant licia, eos quos petebant ita ducturos ligaturosque minati. Propertius *Lib.* III. *Eleg.* 4. *v.* 25.

> *Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.*
> Staminea rombi ducitur ille rota.

Id. *Lib.* II. *Eleg.* 21. *vers.* 35.

> *Deficiunt* Magico torti sub carmine rhombi.

Ovidius *Lib.* I. *Amorum Eleg.* VIII. *vers.* 7.

> *Scit bene quid gramen*, quid torto concita rhombo
> Licia; *quid valeat virus amantis equæ.*

Interea autem dum Rhombum torquerent incantationes addebant, obscuris barbarisque vocibus conceptas: Luculentus testis est Lucianus *Dialog. meretr.* p. 713. Εἶτα ἐκ τοῦ κόλπου προκομίσασα ῥόμβον ἐπιστρέφει ἐπῳδήν τινα λέγουσα ἐπιτρόχῳ τῇ γλώσσῃ βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα, *tum cum e sinu protulisset rombum, huc & illuc convertit carmen quoddam dicens volubili lingua, barbara atque horrenda vocabula*. Morbos etiam quoscunque *ligamentis* suis curare credebantur, unde Ligaturæ *execrabilium remediorum* audiunt apud Isidorum *Lib.* VIII. *Origin.* cap. 9.

XV. Magis Orientalium recte etiam annumerantur *Sacrificuli* כמרים appellati: hi enim thura Idolis offerebant, ut inde res futuras divinarent. Quænam vero sit nominis illius ratio, ingens sententiarum divortium reperitur inter Viros facile doctissimos. Rabbinorum præstantissimi, Abarbanel in פירוש על נביאים ראשונים f. CCCII. c. 2. Kimchi ad Zephaniæ I. 4. a *nigris vestibus* nomen כמרים illis sacrificulis impositum esse putant. Huic Rabbinorum sententiæ calculum adjiciunt ex Christianis permulti & magni nominis Viri, Seldenus, Fullerus, aliique.

XVI. Mea de his כמרים sententia est, illud nomen derivari a radice כמר *incendit, flagravit, ussit*: ea enim significatione illud verbum occurrit Gen. XLIII. 30. נכמרו רחמיו *flagrarunt viscera ejus*, sive *insigni ardore commotus est*: quare etiam Aben Ezra ad hoc loc. בערו ויקרו *incensa sunt atque arserunt* viscera Jo-

Josephi. Ita quoque explicare possimus Thren. v. 10. עורינו כתנור נכמרו *cutis nostra ut furnus usta*, *incensa est*: quemadmodum etiam a Raschi ad h. l. & Aben Ezra loco laudato exponitur. Sic sine dubio rectius vertitur, quam si cum aliis exponere velles: *nigra reddita est*, quia certum est aliis præterea locis כמר incendere, non vero nigrum fieri significare.

XVII. Ob hanc autem causam ab *incendio* & *ardore* inditum his sacrificulis nomen esse existimo, quia Idolis continuo thus & suffitum incendebant. Id quod e II. Reg. XXIII. 5. clare satis liquet, ubi distincte ita describuntur. *Abolevit* (scilicet Josias Rex Judæ) כמרים, *quos instituerant Reges* ויקטר ut suffitum offerrent *in excelsis*, *in urbibus Judæ*, & *circa Hierosolymam* ואת-המקטרים & suffitum incendentes *Baali*, *Soli*, *Lunæ*, *Planetis*, & *toti exercitui cœlorum*. Ex hoc loco clarum est, munus horum כמרים in eo constitisse, ut thura incenderent Idolis, atque propterea מקטרים, *suffitum incendentes* vocari: quod quoque liquet e posteriori hujus commatis parte, ubi Josias abolevisse legitur המקטרים לבעל quomodo כמרים qui suffitum offerrent Baali, abolevisset: ubi obscurior vox כמרים per clariorem מקטרים exponitur. Accedit quod thuris incensio singulari ratione אשה *ignita* vocetur Levit. II. 2. & cap. 3. קדש קדשים מאשי יהוה *sacratissimum incensorum Dei*. Atque ita quoque Latinis posterioribus temporibus, thuris oblatio in Sacris κατ' ἐξοχὴν *incensum* dicebatur.

XVIII. Commode igitur ab incendendo thure, כמרים quasi *incensores*, hi sacrificuli dicti sunt, quod continuo thura adolebant. Hoc autem non ideo tantum factum fuisse putem, ut Deorum gratiam conciliarent, atque eos colerent; sed valde verisimile mihi videtur, ideo quoque thura ab illis oblata esse, ut inde res futuras divinarent. Scilicet antiquis idololatris in usu erat celebris exthuris suffitu divinatio, in rebus sacris: nempe si post fusas preces, thus versus ignem projectum confestim corriperetur, ita ut etsi non plane in ignem conjectum esset, tamen ipsa flamma quasi accurreret, & thus extra ignem positum consumeret, id boni ominis loco habebatur, votique compotes fore significabat; sin id autem non contingeret, nihil rerum quæsitarum fore portendebat. Tale Oraculum e thure sacro incenso, Apollineæ olim erat, eo loco qui Nymphæum vocabatur: vid. Dio Cassius *Lib.* XLI. *p.* 196. Hoc etiam divinandi genus antiquissimum, & a populis Orientalibus ad reliquas gentes Idololatricas propagatum esse, inter Viros Doctos constat. Vide de eo Eusebium *Præpar. Evang. lib.* V. *cap.* IV. Alium divinandi modum quo e duobus linis sagittæ adjunctis futura prædixerunt, hisce sacrificulis כמרים tribuit Mohammed Isacides in MS., apud Hottingerum *Histor. Orient. Lib.* I. *cap.* 8.

# JO. CHRISTOPHORI WICHMANNSHAUSEN DISSERTATIO DE TERAPHIM.

§. I.

Teraphim tempore Patriarcharum jam tum in uſu, imo pro rebus communiter notis habitos fuiſſe ex *Gen.* c. XXXI. *com.* 19. 34. & 35. haud difficulter elicitur. His per Rachelem Laban ſurreptis, per Jacobum vero, ut probabilis habet ratio, juxta *Gen.* c. XXXV. *v.* 2. 4. una cum reliquis Diis peregrinis deſtructis, in *Moſis* ac *Joſuæ* libris iſtorum mentio amplius non occurrit, donec *Jud. c.* XVII. *v.* 5. & *c.* XIIX. *v.* 14. 17. 18. 20. in Hiſtoria *Michæ*, Viri ex Monte Ephraim, qui בית אלהים *Domum Deorum* habuit, denuo in theatrum producuntur. Addas his 1. *Sam. c.* XXI. *v.* 21. *Hiſt. c.* III. *v.* 4. & *Zach.* X. *v.* 2. quæ loca omnia adprime demonſtrant uſum τῶν Teraphim fuiſſe antiquiſſimum.

II. Quæ de *Teraphim* extra Scripturam S. in medium vulgo proferuntur, conjecturæ tantum probabiles ſunt, & ita comparatæ, ut eadem levi opera, qua ab his proponuntur, ab aliis quoque rejici queant. Dudum enim R. *Eliezeris*, quam in פרקי ſive *Capitulis* ſuis *Cap.* XXXVI. de horrenda *Theraphim* confectione exhibet, ſententiam ab ipſis contribulibus exploſam & in exilium quaſi miſſam eſſe, *Aben Ezræ*, *Kimchii*, *Jarchii*, *Levi Ben Gerſon*, aliorumque inter Judæos clariſſimorum teſtimonia, a *Buxtorfio* in *Lexico Magno* ſub voce תרף collecta, clariſſime evincunt.

III. Imagines, eaſdemque plurimum fatidicas, diverſæ utut molis ac magnitudinis, fuiſſe *Teraphim*, nullus, qui cum textu authentico Interpretum probatiſſimorum ſententias ſtudioſe conferet, temere negabit. *Onkelos*, ut *Syrorum* ܨܠܡܐ ac *Arabum* تمثال *tamtſalon* nunc mittamus in *Gen. c.* XXXI. *Teraphim* per צלמניא; *Jonathan* vero *Jud. c.* XVII. & XVIII. per דמאין voces, *imagunculas* ſignificantes, reddunt, quibus cum *Hoſeæ cap.* III. *v.* 4. qui vocem מחוי (*Indicans*, *Declarator* ſcilicet *Oraculorum*) ſiſtit ut & 1. *Sam. cap.* XV. *v.* 23. ubi vocabulum טעותא *idola*, eoſdem ſubinnuit, merito ſuo componimus. *Græci* horum ſubinde veſtigiis inſiſtentes *Teraphim* aliquando per κενοτάφια *Repræſentationes corporum demortuorum* 1. *Sam.* XIX. *v.* 13. quandoque per γλυπτὰ *ſculptiles imagines Ezech. c.* XXI. *v.* 21. per δήλους *Manifeſtationes Hoſ. c.* III. *v.* 4. ubi *Aquila* & *Theodotion* juxta *Hieronymum* φωτισμοὺς, alibi vero nonnunquam μορφώματα habuerunt; per τοὺς ἀποφθεγγομένους *Oratores* vel potius *breviter & conciſe loquentes Zach.* X. *v.* 2. imo per εἴδωλα *Gen. c.* XXXI. *v.* 19. τοὺς *Teraphim* interpretantur. Horum ſimulacrorum grandiora quædam fuiſſe 1. *Sam. c.* XIX. *v.* 13. parvula vero & mole perquam exigua alia etitiſſe præter *Rachelis Teraphim*, quæ ſub tenuiori corporis tegumento eos diſſimulabat, *Michæ* quoque *Teraphim* fuiſſe, inde conſtare videtur, quod Iſtius Levita mora omni præciſa *Jud. c.* XIIX. *v.* 20. una cum ſculptili & conflatili Eoſdem ſecum aſportaverit. Utrum vero ex התרפים voce, imagines figura humana præditas indicante, Græcum ἄνθρωπος formatum ſit, quod *Jacobo Gouſſetio* in Comm. L. E. ſub תרף placet, illud Lectori dijudicandum relinquimus.

IV. Originem vocis *Teraphim* non tam *Chaldæam* quam *Hebræam* eſſe, ipſa nominis forma, quæ *Hebræa* magis quam quam *Syra* eſt (hæc enim in plurali numero non *Men* ſed *Nun* adſciſcit) ut credamus, facile nobis perſuadet. Accedit quod *Laban* natione *Syrus*, dicto *Geneſeos* loco תרפים vocem negligens, in iſtius locum vocabulum אלהים ſubſtituat. Sane qui גלעד *Hebræum* per voces *Syras* יגר שהדותא v. 47. expri-

me-

mere non dubitavit, ab usu vocis תרפים, modo *Syriæ* suos deberet natales, prorsus ibidem non abstinuisset. A Scriptore itaque sacro, vocem hanc *Hebræam* primitus adhibitam fuisse, maxime cum *Dictionaria* & *Versiones* Scripturarum *Syræ* eandem nullibi nobis ostentent, erudite quidam conjiciunt, qui tamen insimul, ipsam hanc imaginum speciem, quam *Labanis* historia primitus manifestat, in Syria olim oriundam fuisse, sponte profitentur.

V. *Teraohim* & *Seraphim* nomina quo minus pro *Synonymis* habere queamus, gravissimæ obstant rationes, id quod tamen *Jo. Spencerus*, cui *Ludovicus* de *Dieu* in *Gen. c.* XXXI. cum aliis ducem se præbuit, inde Legibus Hebræorum Rtiualibus Differt. VII. quæ de *Urim* & *Tummim* agit *l.* III. *c.* III. *Sect.* VII. ob levem & frequenter apud *Orientales* usitatam τȣ̃ S. in T. mutarionem, insignesque, quibus hæ voces in *Scripturis* convenire videantur, circumstantias, magno molimine probare satagit. Sed cum nec vola nec vestigium, ut bene monet *Jo. Michael Dilherrus*, in sua de *Teraphim* Diatribe, (quæ in tomo secundo XIII. est,) §. 9. *Jacobum Gaffarellum* refutans, hujusce rei apud *Mosen* aut alios curiosissime rimantibus adpareat, cum *Andrea Riveto Exerc.* CXXVII. in *Genesin*, nos quoque *Gaffarellum*, *Spencerum* & omnes eorundem asseclas res suas sibi habere jubemus. Sane neque *Arabs* neque *Syrus* voci *Teraphim* in versionibus suis vocem *Seraphim* substituunt, nec ultimam quoque hanc in *Teraphim* ullibi commutant. Tacemus res diversis his nominibus insignitas tantum, quantum angeli boni & mali, cœlum & infernum, a se invicem distare, nudamque adeo & qualemcunque nominum convenientiam rerum ipsarum identitatem neutiquam inferre potis esse.

VI. Nec molliores *Athanasio Kirchero* aures hic substringimus, dum *Oedipo Ægyptiaco* tom. I. *Synt.* IV. cap. III. *Teraphim* vocem *Ægyptiacam* esse, idemque quod *Sarapis* vocem *Ægyptiacam* esse, idemque quod *Sarapis* operose demonstrare conaiur. Ab *Ægyptiorum* enim *Sor* & *Apis*, ut ipse putat, fit *Sorapis*, deinde *Sarapis*, postea *Serapis*, hinc *Terapis* & postremo tandem *Teraphim*. At eim spuriam hanc esse vocis genealogiam quivis facile, nobis non monentibus, persentiscit.

VII. Reliquas etymi rationes quod concernit, nonnulli ad רפא sanare, mederi, unde forte *Græcorum* θεραπεύω sano, medeor, & θεραπεία, medela, sanatio descendit; alii ad רפה, remissum, debilem esse; quidam cum *Schindlero in Lexico p.* 1991. ad חרף vocem quæ juxta istos imaginem denotat, hic confugiunt. Non desunt, qui in Arabico ترف *taripha*, bonis commodisque vitæ affluxit vel iis fruitus & lætatus est, unde مترف *Motraphon* & متترف *Motarraphon* est, bonis commodisque vitæ abundans, vocis hujus incunabula quærunt, maxime cum ipsa hæc radix, idem quod arroganter, dissolute, insolenter & inique sese gessit, *item*, seduxit, perdidit molliorem & dissolutum reddidit, errare fecit (*Teraphim* ita *Res errare facientes* vel *seducentes* essent) juxta *Jac. Golium* in *Lexico p.* 379. subinde quoque indigitet. Quibus *Arabum* عترف *Atrapha*, sordidus, impius & obscœnus, hic arridet, *Judæorum* תורף vel חורפה, turpe, sordidum & obscœnum a Paraphraste, qui *Ben Uzielis* nomen falso in Pentateuchum gerit, *Num. c.* XX. *v.* 9. *Deut. cap.* XXVIII. *v.* 57. & aliis Scriptoribus Chaldaicis adhibitum, præ oculis videntur habuisse. Juxa consuetum enim Scripturæ stylum idola per istiusmodi nomina, quæ contemtum & dedecus importtant, qualia sunt אלילים *Rex nibili*, בשת *Pudor* (in abstracto) שקוצים *Abominationes* & גלולים *Res stercoreæ*, communiter ræpræsentantur. Spectant huc *R. Jose* in Libro *Sohar* verba, quibus hanc quæstionem ita determinat. למה נקראו תרפים לפי תהם מעשה תורף מעשה טומאה i. e. *Cur vocantur Teraphim? Quia sunt opus fœdum, opus vitiosum. R. Tanchum* qui & in hoc Eruditorum calculos dudum promeruit, in *Jud.* XVII. & XIIX. ut & I. *Sam.* XXV. *Capitibus* illustrandis occupatus, ad harum imaginum, quas Gentes colebant, & Oraculorum arcana & futura sciscitantibus manifestantium instar venerabantur, usum respiciens, תרפים a פתר *interpretari*, *declarare* (literarum enim absque significationum alteratione, transpositionem apud *Hebræos* haud inusitatam esse nomina קהלה & להקת *Congregatio* כבש & כשב *Agnus* nos edocent) haud incongrue deducit. Nos quam in densa hac rerum caligine eligere velit sententiam, liberum cuique permittimus.

VIII. Rem per *Teraphim* designatam, respectu ad usum eorundem inprimis habito, insigni turpitudine dehonestatem ac malæ famæ fuisse *Calovius* affirmat, quando oracula ac responsa inde edita non pro divinis sed diabolicis habenda es-

esse, Satana hoc modo homines in superstitione ac idololatria sua confirmante, ad *c.* XIIX. *v. 6. Judic.* diserte asserit. Juxta *Gerhardum*, in Comment. super *Genesin*, *Laban* תרפים Deos suos vocat, quia in illis & per illas imagines Deum colebat & forte etiam oracula ex illis quærebat, in quo idololatriam suam sat luculenter prodidit. Qui enim angelos & similes creaturas, ut sequestres, inter se ac Deum colebant, ut habet *Josephus Albus* Judæus Hispanus & strenuus puritatis fontium assertor in ספר עקרים, *Libro Fundamentorum l.* III. *cap.* XVIII. pro idololatrarum antesignanis jure meritoque suo reputantur. *Michal Teraphim* licet juxta I. *Sam.* XIX. *v.* 13. grandior quædam pupa μύρμολυκέιον instar tumultuario opere ab eadem confecta & ita res indifferens, ut habet *Sam. Bochartus Hieroz. Parte* I. *l.* 2. *c.* 51. fuisse videatur, non desunt tamen, qui per idolum vel Philistæum vel etiam Cananæum, a *Davide* hostibus suis ereptum & omni absque superstitione in domo sua conservatum, eandem hanc imaginem interpretantur. Quid de *Michæ* & *Israelitarum Teraphim* habendum sit, *Schmidius* in *Hoseæ Cap.* III. *v.* 4. declarat, cum inquit: *Ephod Mosaicum, in quo Urim & Thummim ita mihi videntur imitati idololatræ, ut vestem Ephod retinerent, pro Urim autem & Thummim, cujus divina oracula habere non poterant, effinxerunt sibi Teraphim sive certas vanitates vel imagunculas suas per quas diabolus respondebat*. Deum enim quandoque per *Teraphim*, non divino quidem, honesto tamen licitoque cultu honoratos nec a Dæmonibns sed a purissimis Spiritibus animatos, cum *Urim* nondum institutum esset, aut forte temporis iniquitas omnem ad Pontificis *Urim* aditum prohiberet, consulentibus, quod *Spenzerus sect.* VIII. *Diss. Cit.* palam asserit, respondisse, nullo idoneo Scripturæ testimonio unquam firmiter adstruetur. Luci enim cum tenebris nihil est commercii.

IX. Concedimus Jeroboamum in *Israelitarum* suorum gratiam & ut populo Religionis, quam cudebat, fabula eo magis placeret, una cum *Ephode Urim & Thummim* quadantenus imitari, & aliud quid, quod horum vices sustineret, Teraphim puto, sacris suis inferre voluisse, (id quod & Chytræus calculo suo confirmat, quando ad *Jud. c.* XVII. *v.* 5. delatus docet, quod oracula & responsa, quæ per *Urim* & *Thummim* captabantur *Hos.* III. *v.* 4. καταχρηστικῶς *Teraphim* dicantur), negamus tamen & pernegamus, quod veram sancti hujus Oraculi formam, ut *Spenzerus p.* 337. *lib. cit.* iterum affirmat, per *Teraphim* suos exprimere potuerit. Unde enim, quæso, accuratissima τῶν *Urim* & *Tummim* figura *Jeroboamo* innotescebat? Nullibi legimus quod in חשן sive *Pectorale* Sacerdotis summi, a quo *Urim* & *Thummim* separari prorsus non potuerunt, penitus introspexerit, vel ullo modo introspicere eidem licuerit. Sacratissimas enim res a profanis oculis nec usurpari, multo minus manibus attrectari debuisse, Beth Samitarum pariter, equibus juxta I. *Sam.* VI. *v.* 19. quinquagies mille septuaginta homines, quod Arcam Jehovæ inspexerant, trucidati sunt, & Uzzæ, quem ad 2. *Sam.* VI. *v.* 7. Dominus percutiebat, eo quod arcam apprehenderat, exempla satis comprobant. Illud inprimis consideratione dignum est, quod ipse Sacerdos summus, Sanctum Sanctorum intrans, *Fœderis arcam* cum reliquis vasis sanctissimis nonnisi per nebulam, fumo per thuribulum facto, intueri debuerit, ipsaque adeo Oraculi hujus natura mysteriosa prorsus atque inperscrutabilis fuerit, ut mortalium nullus, oculo licet curiosiori, machinam istius usurpans, vim insitam atque occultam, quæ cœlitus ipsi obtigerat & animam quasi hujus rei constituebat, insimul exprimere valuerit. Hoc cum ex plebe infimis obscurum esse non poterat, vanitatem & imprudentiam Ducis sui *Israelitæ* rebelles summopere risissent, quando *Urim* & *Thummim* per Teraphim suos exacte sistere conabatur.

X. Ante Mosen *Urim* & *Thummin* sub *Teraphim* nomine in Orbe dudum obtinuisse, & ista in horum locum, mutato tantum nomine, licet res ipsa invariata manserit, successisse, eam ob causam, frustra licet, *Spencerus p.* 355. statuminare sustinet, quod nullam de Forma & Materia hujus oraculi, utpote rei seculis retro bene multis per se notissimæ, mentionem ullibi sacer Scriptor injiciat. *Mosen* itaque, Sacerdotem summum, aliosque forte nonnullos, qui scientia cæteris præstiterunt. *Urim* & *Teraphim* naturæ & usus cognati instrumenta esse, & ἰσοδυναμοῦντα seu potestatis æqualis vocabula facile & sine ope interpretis intelligere potuisse. Verum, quod ad silentium Mosis, quo sacram hujus Oraculi fabricam sicco prorsus pede transiisse videtur, attinet, illud forsan juxta *Nachmanidem* in *Exod. c.* XXIX. in causa est, quod non per manus populi aut artificum, qui res omnes alias

ad

ad sacrum Dei cultum pertinentes, juxta normam in monte a Domino *Mosi* monstratam, solicite perficiebant, sed vel ab ipso Deo, tabularum instar lapidearum, vel a *Mose* minimum, luce divina ad hoc singulariter collustrato, res hæc sanctissima & mysterio plena, omni alio artifice excluso, concinnata fuerit. Firmat hanc *Nachmanidis* conjecturam Virorum Synagogæ Magnæ eorundemque ex captivitate reducum singularis circumspectio, dum aliis omnibus summi Sacerdotis ornamentis, ut vulgo putant Judæi, in integrum restitutis, *Urim* & *Tummim* Artificis tantum supremi, reliqua vero Artificum inferiorum manu fabricata fuisse videantur. Et posito, (quod *Maimonides* vult apud *Seldenum*, *l.* 2. *de Success. Cap.* VIII.) sub Templo secundo novam Oraculi hujus figuram extitisse, bene tamen est, quod ipsemet fateatur, idem (Spiritu S. sub hoc Templo deficiente) non consultum fuisse. Porro si res ipsa, quæ τῶν *Urim* & *Thummim* nomine *Mosis* ævo indigitabatur, dudum ante hujus tempora fuit notissima, quæ causa est, quod augustissimum *Urim* nomen omnis Patriarcharum historia reticeat? Imo cur ritum hunc per *Mosen*, ut putat *Anglus*, quasi circumcisum, & a sordibus, quas a Gentium cultu attraxerat, perpurgatum, ipse *Micha*, cujus candidos Manes *p.* 341. tantopere prædicat, *Mose* ad plures dudum collecto, non per genuinum & novum suum, quod juxta *Spenzerum* acceperat, nomen *Urim*, sed per *Teraphim* titulum, qui infamis fere erat, *Judic.* XVII. & XVIII. capitibus designat.

XI. Non sequitur *Teraphim* Gentium & *Jeroboami* imagines fatidicæ fuerunt, unde oracula & sortes divinæ ducebantur, E. *Urim* & *Thummim*, quæ ex *Spenceri* mente τῶν *Teraphim* vices supplebant, & quæ in suis *Teraphim* Jeroboam accuratissime exprimere conatus est, itidem icunculæ fuerunt intra concavas *Rationalis* plicaturas reconditæ, quibus mediantibus *Deus* aut *Angelus* illius vicem gerens, ad Pontificis interrogata respondebat, Eique, quid agendum, quid non agendum, quid præsens, quid futurum esset, voce formata revelabat. Mosen enim per novum nomen *Urim* τῆς *Teraphim* Gentium, solenni ritu & ex Numinis mandato, inter ornamenta sacra referre debuisse jamjam negavimus; Jeroboamum contra per *Teraphim* suos *Urim* & *Tummim* accurate repræsentare non potuisse itidem, ut speramus, evicimus. Interim quod Jeroboam ne quidem forte voluerit *Urim Hierosolymitanum* per suos *Teraphim Israelitis* exhibere, inde, non absque ratione minimum probabili, constare putamus, quod hoc modo scopum suum, quo Israelem a cultu *Hierosolymitano*, ne commodam a se discedendi occasionem nancisceretur, abstrahere allaborabat, intervertisset potius quam promovisset. Annon enim *Israelitæ*, si tantum ectypa Oraculi hujus augustissimi aliorumque ornamentorum sacrorum, Jeroboamo ista curante, secum habuissent, ardentissimo semper, in ipsis *Hierosolymis* prototypa videndi, accuratissimumque, utrum hæ formæ cum ipsis Exemplaribus primis ubivis & exacte convenirent, examen instituendi desiderio flagrassent? His probe pensitatis istorum haud inviti subscribimus sententiæ, qui existimant, quod, in novæ suæ Religionis fabrica, *Jeroboam* res si non omnes, plurimas tamen itidem novas & perversis populi mentibus apprime accommodatas excogitare voluerit.

XII. Quadruplex testimonium humanum, ad quod *Sect.* VI. *Diss. cit. p.* 348. ut hypothesin corroboret, porro provocat *Spencerus*, ita comparatum est, ut nec Philo Judæus, nec Abenezra, nec R. Azarias, nec Christophorus Castro sive Castrus, e cujus sententiæ scoriis aurum sibi inserviens *p.* 350. studiose corradit, pro sententia sua aperte pronuncient. Neque LXX. *Senes*, ad quos tanquam ad sacram anchoram *p.* 335. *Anglus CL.* confugit, tutum ipsi præbere hospitium vel inde colligimus, quod δήλων & δηλώσεως voces, 1. *Sam. c.* XXVIII. & *Exod. c.* XXVIII. de *Teraphim* pariter ac *Urim* promiscue adhibitæ, generaliores sint & ejusmodi significatum inferant, qui Oraculi, tam sancti quam profani, indolem quoque ac naturam tantum generalem ubivis subinnuat. Ad quam vero familiam *Teraphim* oraculum stricte atque proprie reducendum sit, alibi, quando per εἴδωλα vocem *Teraphim* vertunt, Interpretes hi haud obscure determinant.

XIII. Petrus Jurieu in *Historia Critica Dogmatum & cultuum bonorum malorumque in Ecclesia ab Adamo usque ad Christum receptorum*, quæ *Amstelodami* in 4. *a.* 1704. prodiit, *Tract.* II. *c.* I. 2. 3. ab Eliezere, Mose Nachmanide, Bechai, Salomone Jarchio, Abenezra, Moncæo, Gaffarello, & Spencero, in doctrina de *Teraphim* itidem secedens *c.* IV. novam Eorundem expositionem ita adornat, ut κενοταφίων voce, qua LXX. *Michal Teraphim* designant, permotus, asse-

asserere non dubitet, quasi ad *Fœderis Arcam* cum duobus *Cherubinis* quadantenus repræsentandam isti antiquitus fuerint adhibiti. Erant vero κενοτάφια, ut *Bochartus L.* II. *c.* 51. *Partis* 1. *Hieroz.* cum aliis existimat, *Imagines*, *quales Cenotaphiis imponi tum solebant*, *quæ absentem aliquo modo referrent*, quibus *Suidæ* ista; κενοτάφια τινὰ ἦσαν ἑλισσόμενα (forte πλασσόμενα) ὡς τύπος νεκρῦ, μὴ ἔχοντα νεκρὸν, *p.* 623. *edit. Leusd.* superaddit. Monet hinc *Vir CL.* quod in simulata hac *Fœderis arca* non Forma sed Numerus *Cherubinorum* solummodo fuerit expressus, quorum vices illustrium in familia Virorum, quales v. g. Noah & Semus erant, imagines sustinuerint. Ultimos ædium recessus ejusmodi κενοτάφια cum *Majorum Imaginibus* exornata occupasse, eamque successu temporis sibimet conciliasse autoritatem, ut dictas Progenitorum Clarissimorum ceras, quas homines male creduli sollicite primum asservaverant, temporis successu adoraverint, imo tandem de rebus dubiis & obscuris, evocatis solenni ritu Mortuorum Manibus, interrogationes ad easdem instituerint. Sed, ut ὡς ἐν παρόδῳ pauca hic moneamus (1.) ex iisdem fontibus, turbidis puto, ex quibus *Spenzeri* profluxerat sententia, hæc eadem quoque promanat, dum κενοταφίων voci, quæ semel tantum ad *Teraphim* designandos a lxx. *Interpretibus* 1. *Sam.* XIX. usurpatur, molem propemodum universam *Autor CL.* superstruere videtur (2.) nec vola, nec vestigium in Scripturis extat, Davidem in Domus suæ penetralibus ejusmodi κενοτάφιον, quale *Autor* depingit, habuisse, maxime cum non duarum, sed unius tantum imaginis (*Teraphim* enim vocem terminatione quidem sed significatione pluralem semper non esse, locus cit. clarissime evincit) mentio ibidem injiciatur (3.) Ipsam τῶν *Teraphim* consultationem Manium tantnm evocationem, per quos Oracula edebantur, fuisse, cum *Zacharia* non congruit, qui *c.* x. *v.* 2. de statuis his diserte pronunciat, quod דברו עון *vanitatem loquantur*, sive, ut R. Salomon in 2. *Reg.* XXIII. *v.* 23. 24. adnotat, שמדברים על ידי כשפים *quæ ipsæmet loquebantur per artes magicas*, quo & lxx. alibi collimant, quando per δήλων sive δηλώσεως voces, hoc est, *Manifestationes* in abstracto, quibus *Spencerus* suam, de *Urim* & *Teraphim* convenientia, hypothesin superstruebat, usum & officium harum Imaginum designant.

XIV. Nos Codice *infallibili* & *etymologicis rationibus*, quæ rerum antiquitus notarum, hodie vero in usu non amplius positarum naturas haud infeliciter subinde aperiunt, nixi, sequentem qualem qualem τῶν *Teraphim* descriptionem adornamus. *Teraphim* fuerunt certæ quædam imagines sacræ & summo in pretio a superstitiosis hominibus eum in finem olim habitæ, quod futura istis prædicere, bonorum omnium affluentiam procurare, mala vero quæcunque averruncare posse existimarent. Si cui & hæc, quasi naturam & usum τῶν *Teraphim* vix exhauriant, minus forte ad palatum sunt, isti nos morose haud opponemus, cum opera longe faciliori κατ' ἄρσιν & quid *Teraphim* non fuerint, quam κατὰ θέσιν sive quid fuerint, procedi hic posse existimemus.

XV. Utrum vero Idola ex certis *Astrologiæ* Regulis & ad certas siderum constellationes confecta, quæ Græcir Στιχεῖα, θεοὶ Ἀλεξίκακοι, Ἀλεξιτήριοι & Ἀποπομπαῖοι *Malorum*, ut habet Guliel. Budæus in *Comment. L. G. p. m.* 264. *Depulsores & Tristium Amolitores*, *Dii* puto *Averruncunci*, quibus Σωτῆρες & Ἀποτρόπαιοι affines erant, appellabantur, ipsis T*eraphim* annumeranda veniant (id quod Jo. Henr. Reizio, in Notis ad Thomæ Godvvini *Mosen & Aronem L.* IV. *c.* IX. *p.* 373. prorsus non displicet,) vel istorum potius origo a *Teraphim* arcessenda sit, illud in medio jam nunc relinquimus. Certum est, hæc atque alia, quo στροφάλως ἑκατικὸς *Sphærulas* aut *cylindros aureos*, *Hecates* dictos, ac *Rombum Magicum*, ut vult *Propertius*, ῥόμβον χάλκεον, ut T*heocritus* habet, cum Jo. Seldeno de Diis Syris *syntag.* 1. *c.* 2. *p. m.* 113. *&* 114. nonnulli referunt, Eruditorum mentes non parum hactenus exercuisse. Illud interim, vel tribus hic monuisse sufficiat, Paraphrastis, qui Ben Uziel dicitur, & R. Eliezeris autoritatem, suppeditatamque ab iisdem τῶν Te*raphim* descriptionem, viros cæteroquin doctissimos atque summos seduxisse, siquidem non defuerunt, qui προσεγγίσεις sive modum *Appropinquationes Dæmonum* procurandi, non nisi a ratione confectionis τῶν Te*raphim*, de quo *Seldenus*, l. c. consuli potest, deducendum esse existimabant. Quæ Joh. Henricus Hottingerus, eadem hac, ut nobis videtur, suffultus hypothesi, in *Historia Orientali a pag.* 284. *ad p.* 297. *l.* 1. *cap.* VIII. *de Arabum* sive *Sabæorum* طلسمات T*ilsemath*, vulgo T*alisman*, quarum imaginum *Originem*, *Fabricam*, atque *Usum*, exemplis in medium allatis accuratissime describit,

bit, easdemque cum *Teraphim* erudite satis componere studet, inculcat, nostri non est instituti ut studiosius in ista inquiramus, sufficit, *Scriptura* præeunte nos ostendisse, quod *Teraphim* plerumque idola & res malæ famæ fuerint, qualia vero præcise ista extiterint, & cum quibus Gentium idolis aliis accurate ista componi queant, illud nec nobis determinare integrum est, nec alii cum Cordatiorum plausu unquam determinabunt.

# AUGUSTI PFEIFFERI EXERCITATIO DE TERAPHIM.

## SUMMARIUM.

I. *Ratio instituti*. II. *Scrutinium nominis* Teraphim, *ratione originis*. *Quæ non est* רפא. III. *Neque* רפה. IV. *Neque* תרף. V. *Vox est peregrina*. *Num eadem cum* שרפים? VI. *An idem quod* Serapides? VII. *Origo ex Arabismo*, *vel potius Syriasmo accersitur*. VIII. *An* תרפים *plurale tantum*? IX. *De vocis significatu*. *An in genere notet imaginem*? X. *Translationes variæ Interpretum*. XI. *De re ipsa*. *Qualia fuerint idola Labani*? XII. *De materia eorum & forma*; *sententia Hebræorum*. XIII. *Quæ rejicitur*. XIV. *An instrumenta astrologica*? XV. *An horologia*? XVI. *De* Tilsemis. XVII. *Earum exempla*. XVIII. *Earum analoga*. XIX. *An* Teraphim Tilsemæ? XX. XI. Teraphim *fuere idola*. XXII. XXIII. *De* Teraphim *in Historia Davidis*. XXIV. *De* Teraphim *apud Hoseam*. XXV. *Fuerunt* Teraphim *idola domestica*. XXVI. *Figura humana*. XXVII. *E diversis materiis fabricari solita*. XXVIII. *Per quæ Diabolus responsa dedit*. *Ubi de Belomantia Babylonica*. XXIX. *Expediuntur cætera ad descriptionem facientia*. XXX. *seq*. *De intentione Rachelis* Teraphim *amoventis variæ sententiæ cum decisione*.

### §. I.

QUod illi faciunt, qui homini furioso eripiunt gladium vel cultrum, a quo ipsi præsentissimum vitæ immineret periculum, id præstitisse videtur Patriarchalis illa anima Rachel, dum patri idololatræ idololatriæ surripuit materiam. Hac scilicet ratione eundem cohibere conata est, ne se in æternum præcipitaret exitium. De isto Labani idolo atque Rachelis consilio non abs re esse videtur, si quædam in medium producamus, & dissidentes variorum Auctorum opiniones pro ingenii nostri modulo, ea qua decet & par est modestia, examinemus. Conatibus faveat summus *Jehova*!

II. Cum vero nomina sint rerum ὀχήματα, a præsenti tractatione nostra alienum non videtur, si priusquam rem ipsam &, quod dicitur, causæ ἀκρόπολιν aggrediamur, ipsum nomen lustremus. Labani proinde idola in Sacris Literis non semel dicuntur תרפים *Teraphim*. Circa quam vocem, ut omnes expleamus bonæ tractationis numeros, primo considerabimus *originationem*, deinde *significationem* κατ᾽ ἀκριβέστερον investigabimus. Ubi illorum sententia initio nobis non admodum arridet, qui *Teraphim* deducunt a rad. רפא *sanavit*, *medicatus est*, quod morbos profligarint, velut Æsculapius; unde & conferre solent Græcum θεραπεύειν *sanare*. Ita præter alios Gregorius Gregorii Francus *Lex. Sanct. num.* 357. *pag.* 358. Verum ultima radicalis א in deductis nominibus ex analogia Grammatica abjici non solet.

III. Ex Hebræis nonnulli vocem derivant a rad. רפה *remissus fuit*, sed non eandem suppeditant etymi rationem. Quidam enim inde sic dici volunt hæc idola, quod avocarint cultores suos a suetis laboribus, & sic remissas reddiderint manus eorum. Ita Zohar *in Genesin*

*fin col.* 376. א״ר יוסי מאן תרפים אלא ע״ז הוה ואמאי אקרי תרפים בגון דבטשי וארפי ידה כד״א ועתה הרף ידך, id est, *Dixit R. Jose: Quid fuerunt* Teraphim, *nisi species idoli?* Et post pauca: *Quare autem vocantur* Teraphim? *Quia deprimunt & remissas faciunt manus, uti dicitur:* Et jam הרף remitte manum tuam 2. *Sam.* XXIV. 16. Alii hanc suppeditant rationem, quod ipsorum prædictiones essent remissæ & raro veræ. Ita R. Bechai *in Genes. h. l.* ומלת תרפים נגזרת מלשון נרפים ויקרא להה רפים לרמוז עליהם כי דברוהם כמו נבואה רפה: id est, *Porro vocabulum* Teraphim *significationem desumit ex* נרפים ( seu a rad. רפה *laxum, remissum esse* ) *quasi* רפים, *quod verba eorum essent prophetia quædam laxa seu inanis*. Nonnullos תרפים ideo a רפה deducere, quod in Sabbato illis eorumque cultui vacarent homines, ( cum רפה notet *desistere, vacare* ) refert D. David Rungius *Prælect. in Gen. c.* XXXI. *p.* 924. Alios, quod in tali loco reponerentur, unde non facile dimoverentur, sed illic semper persisterent, commemorat Joh. Mercerus *in Gen. c.* XXX. *pag.* 533. Verum cum ejusmodi forma ex talibus verbis in textu Hebræo non occurrat, & præterea additæ etymologiæ rationes non uno displiceant nomine, nostrum ægre & huic originationi addere possumus calculum.

IV. Neque ex Hebræis desunt, qui deducant vocem a תרף *turpitudo*. Sic in *Sohar l. c.* dicitur: ואמאי אקרי תרפים בגין נגאי ורוה כמה דתנינן במקום כתורף: id est, *Cur vocantur Teraphim? Propter ignominiam, ut dicere solemus: In loco turpitudinis vel ignominiæ*. Eadem quoque etymologia approbatur in *Tanchuma ad Sect.* ויצא his verbis: ולמה נקראו תרפים לפי שהן תורף מעשה טומאה: *Quare dicuntur Teraphim? Quia sunt opus turpe & fœdum*. Verum vocem תורף, vel תורפה, vel תורפיתא tempore Labani, nec Syris, nec Hebræis *turpitudinis* significatu venisse, sed recentioris esse ævi, Latioque cum aliis quibusdam ( de quibus conferatur עיר דוד Davidis Cohen de Lara ) originem debere non abs re suspicamur. Et quis credat idololatras Deastris suis a turpitudine nomen impositurus?

V. Nobis vox *Teraphim* non Hebraica, sed peregrina videtur. Idem agnoscit Joh. Mercerus *ad Thes. Pagnini pag.* 3185. sed qualis sit, non exponit. Lud. de Dieu *Animadv. ad Gen.* XXX2. *pag.* 41. inter alia ait esse Syriacam, eandem cum nomine שרפים *Seraphinorum*, mutato ex Syrorum more ש in ת. Verba ejus hæc sunt? *Fortasse Angelorum fuerunt imagines aut Angelis dicatæ*, ( Teraphim ) *unde Spiritus Angelicus eas subibat ac consulentibus per eas oracula edebat. Ex hac conjectura* תרפים *mihi idem essent, quod* שרפים, *notissimum Angelorum nomen, mutato ex Syrorum more* ש *in* ת. In eandem inclinat sententiam M. Johan. Gaffarellus Gallus in libro suo, quem inscripsit *Curiositez inouies sur la Sculpture Talismanique des Persans*, &c. h. e. *Curiositates inauditæ de Sculptura Talismannica Persarum, Horoscopo Patriarcharum, & Lectura Stellarum*, &c. c. 3. cujus sententiam infra examinabimus. Sed unde probabit Lud. de Dieu Syros nomen illud ab Hebræis accepisse, vel etiam nomen Angelorum שרפים tum temporis iis jam innotuisse? Et cur Scriptores Sacri Hebraice scribentes non adhiberent suum potius שרפים?

VI. Vir Clariss. Hottingerus *Smegm. Orient. l.* I. *c.* 5. *p.* 90. vocem existimat Ægyptiacam esse, & תרפים dicit fuisse *Serapidas Ægyptiorum*. Id hisce innuit verbis: *Vocabulum* תרפים *cum ipsa fabrica ex Ægypto in Judæam transiisse videtur. Erant autem pueri fasciis involuti, cujusmodi statuæ apud Ægyptios multæ sunt, quas* Serapidas *vocant, & loco* φυλακτηρίων *erant. Et sane* תרפים *esse Ægyptiorum Serapidas disertis confirmat verbis Scriptor Arabicus* Aben-Nephius in *Oedip. Kircheri T.* II. *P.* II. *Synt.* 4. *p.* 259. Serapis *autem vox composita est ex* σώρ cista & ἀπ, *quod Ægyptiace* bovem *notat, adeo ut proprie notet* arcam bovis. *Numen, cui multa Ægyptii tribuerunt miracula. Vide eundem Auctorem Synt.* III. *p.* 197. 199. *Postea ad varios adhibebantur usus. Ab hac ergo voce potius,* ש *mutato in* ת, ( *quam mutationem & illi admittunt, quibus* שרפים & תרפים *eundem Angelorum ordinem notant* ) *quam aliunde obscurum illud nomen deduxerim, præsertim cum idem fuerit utrobique officium. Varias earum figuras collegit Kircherus Synt.* IV. *p.* 261. *plura habet Tom.* III. *Synt.* XVI. *p.* 474. *& deinc.* Verum hanc suam sententiam vir doctissimus fere sine rivinis osculatus videtur. Nam & originatio, qua תרפים ex σώρ & ἀπ descendere dicitur, est longiuscule petita: licet enim Syri ש Hebræorum in quibusdam vocibus suis in ת mutent, num tamen aliarum Linguarum literas sibilantes in vocibus sua civitate donatis etiam ita transforment, nos dubitamus: neque etymologiæ addita ratio, quam Kircherus præterea *Supplem. Ling. Copt. Restit. p.* 590. prodidit, satis quadrat; quid arca bovis ad figu-

figuram pueri fasciis involuti? nec certum Syros *Teraphim* ab Ægyptiis accepisse.

VII. Ut nostram adjiciamus symbolam, existimamus vocem *Teraphim* Syriacam quidem, sed in Sacro Codice ad formam Grammaticam Hebræorum accommodatam esse, ejusque radicem quam commodissime restitui posse ex Lingua Arabica, & Hebraicæ & Syriacæ valde cognata. Hinc cum in Lingua Arabica adhuc usitata sit radix ترف *Tarafa*, non est absurdum eandem radicem antehac quoque in Lingua Syriaca, quin & ipsa Hebraica, exstitisse. Porro *tarafa* Arabice est, *bonis commodisque vitæ afuxit* vel *iis fruitus & lætatus est*: in Conj. IV. *vitæ commoda largitus fuit*, uti ex Alfiruzabadii Camuso & Maruphidis *Lexic. Arabico-Persic.* probat clariss. Jac. Golius *Lex. Arab. p.* 378. Franc. Raphelengius vero *tarafa* interpretatur *uberem & affluentem reddidit*, uti quoque eandem radicem vertit Lud. de Dieu *l. c.* Nisi malis vocem ex ipso Syriasmo restituere, qua de re vide, quæ in *Dubiis nostris ad hunc locum* adduximus. *Teraphim* proinde Labani Syri Deastros appellatos fuisse, quod mala (ut olim ἀλεξίκακοι) averruncarent & prospera quævis rei familiari conferrent, quo fine Romani coluerunt Averruncum, Æsculanum, Fortunam, nec non Lares, vero absimile non videtur.

VIII. Porro vox illa תרפים in Sacro Codice quinquies & decies (non ter modo & decies, ut Rangolius *ad* I. *Reg.* XIX. 13. observat) usurpata legitur, scil. *Gen.* XXXI. 19. 34. 35. *Jud.* XVII. 5. XVIII. 14. 17. 18. 20. 1. *Sam.* XV. 23. XIX. 13. 16. 2. *Reg.* XXIII. 24. *Ezech.* XXI. 26. *Hos.* III. 4. *Zach.* X. 2. & perpetuo in plurali. Inde dubium est, num vox ista pluralis tantum fuerit, an vero agnoverit formam quandam singularem, quam Schindlerus *Lex. Pentagl.* Avenarius in *Lex.* Mercerus *l. c.* faciunt תרף, unde in plur. תרפים. Nobis vox videtur fuisse pluralis numeri tantum, quia de uno individuo usurpatur in *Libro Samuelis* & procul dubio etiam *Judicum*; nec tamen repugnamus, quin quilibet abundet suo sensu.

IX. Disquiri autem (ut ad veram deveniamus significationem) ulterius jam posset, utrum per תרפים indicetur in genere quæcunque similitudo & imago vel humana vel cujusvis rei, an vero innuatur certa quædam idoli species. Prius placet Jesuitæ Ben. Pererio in *Gen.* XXXI. *Disp.* 1. *p.* 418. 2. *Significat autem* (inquit) *Teraphim imagines sive simulacra, sive figuras qualescunque & qualiumcunque rerum, sed plurimum hominum vel deorum, quæ idola vocantur: imagines dico & figuras vel per picturam, vel sculpturam, vel texturam expressas. Hujus interpretationis probatorem & auctorem habeo Sanctum Hieronymum Epist.* 113. *ad Marcellam*. Illi succenturiatur Jesuita Jac. Bonfrerius *ad l. c. p.* 260. his verbis: *Pro idolis in Hebreo est* Teraphim, *quæ vox quasvis imagines, figuras, statuas, idola significat, & vix in bonam partem sumitur, videturque primaria significatione significare idola*, &c. *Quin tamen* Teraphim *subinde etiam dicantur, & dioi possint quælibet statuæ & imagines, licet nulla responsa daret, mihi non videtur dubium, & probari potest ex* 1. Reg. XIX. 13. & 16. Consentit & Andr. Rivetus *Comment. in Hos.* III. *p.* 111. 2. ubi ait *certum* sibi *videri*, Teraphim *in genere significare imagines factas ad similitudinem corporis humani, & pro ratione locorum & eorum circumstantiis vel pro idolis & simulacris idololatricis vel pro alia quam humana repræsentatione sumi posse*. Eadem est aliorum quorundam sententia, quos operose nil attinet recensere. Sed posterius nobis magis videtur vero consentaneum. Nullus quippe produci potest Scripturæ locus, in quo תרפים de nuda imagine exponere queas, præter locum *Samuelis*, de quo nobis postea pluribus agendum.

X. Cæterum Interpretes Biblici non uno hanc vocem transtulerunt modo. Interpres Vulgatus ut plurimum vertit *idola*, in *Samuele statuam*, alicubi *Teraphim*. Ex Græcis Aquila plerumque μορφώματα, *figurationes*, in *Hosea* autem φωτισμοὺς. LXX. in historia Labani reddunt εἴδωλα, in historia Michal & Davidis κενοτάφια, apud *Ezechielem* γλυπτὰ, apud *Hoseam* δήλους, & apud *Zachariam* ἀποφθεγγομένους: alias Θεραφὶν retinere solent, (id quod faciunt quoque Symmachus & Theodotion,) ut *Jud.* XVII. 5. XVIII. 14. 17. 18. 20. *Sam.* XV. 25. 2. *Reg.* XXIII. 25. Chaldæus in historia Labani צלמניא *imagines*, & sic sæpius, in historia Michæ דמאין *simulacra*, apud *Hoseam* מחוין *annunciantes*. Syrus in *Genesi* vertit ܕܨܠܡܐ *imagines*, (non necessario *idola*, ut reddunt Angli) sic & 1. *Sam.* XIX. 13. in historia Michæ ܕܨܠܡܐ ܓܠܝܦܐ *simulacrum sculptile*, 2. *Reg.* XXIII. ܦܬܟܪܐ *idola*, apud *Hoseam* ܡܚܘܐ ܩܣܡܐ

ܡܒܣܡܐ *ponens* ſeu *adolens aromata*, apud *Zachariam* ܝܕܘܥܐ *noti*, *familiares*. ( Angli *divini* ) Arabs in *Geneſi* transfert per تمثال *imaginem*, *ſimulacrum*, ſic & 1. *Sam.* XIX. In hiſtoria Michæ & 2. *Reg.* XXII. 24. per صنم *idolum*, apud *Hoſeam* per مرشد *docentem*, ( juxta Anglos, proprie *in recta via dirigentem*, nam مرشد eſt Partic. Conj. IV. a رشد *rectæ inſtitit viæ* ) apud *Zachariam* per المتفقر هين *loquentes*, ( juxta Anglos potius *garrulos*, *loquentes*, ( juxta Anglos potius *garrulos*, *loquaces* ) apud *Ezechielem* per المنحوتات *ſculptilia*. Perſa Jac. Tavvuſius in *Geneſi* vertit اسطرلابها *aſtrolabia*. Æthiops *ibidem* retinuit vocem תרפין, ſic & Verſio Samaritana ות תרפיה. Quicquid ſit, poteſt una eademque ſignificatio voci תרפים aſſignari in omnibus Scripturæ locis, nec opus eam in tot ſignificata diſtrahere. Et nos quidem autumamus תרפים perpetuo per *idola*, & in ſpecie *Lares* vel *Penates*, nuſquam per nudas vertendum imagines, cui aſſertioni nullum locum Scripturæ Sacræ obſtare putamus.

XI. Et hæc haſtenus de nomine afferre placuit. Jam ulterius dicendum, tum *qualia fuerint idola Labani*, tum *quæ fuerit intentio quodve conſilium Rachelis eadem patri ſuffurantis*, vel ſi mitiori vocabulo uti velimus, eadem *amoventis*? Exhibemus proinde ante omnia ſequentem τῶν *Teraphim* deſcriptionem: *Teraphim fuerunt ſtatuæ idololatricæ domeſticæ ex diverſis materiis figura humana a Syris effabricatæ, ut eſſent fortunæ bonæ auctores & occultorum indices*. Ubi breviter innuimus tum *genus*, quod ſcilicet fuerint *ſtatuæ*, non quælibet quidem, ſed *idololatricæ*: differentiam ſpecialiorem deſumimus tuam a *cauſa efficiente*, Syris ſcil. a quibus, quantum novimus, talia idola inventa & ad alios populos propagata fuerunt: tum a *materia*: tum a *forma* externa, quatenus *Teraphim* conſiderantur ut ſtatuæ, quæ deinde per denominationem extrinſecam ab actu tum mentis de objecto divinam excellentiam concipientis, tum voluntatis ad ſubiſſionem & venerationem conſentientis, fiunt idola: tum a *fine* & *uſu*.

XII. Primo vero agemus de *materia* & *forma*, conjunctim tamen de tota fabrica ejuſque modo. Et cum in Hebræorum monumentis mira legantur, ea breviter hic perſtringemus, ut remotis obſtaculis deinceps in veritatis adyta eo facilius & felicius penetremus. R. Elieſer, Scriptor antiquiſſimus, in *Capitulis ſuis cap.* 36. de *Teraphim* ſequentia tradit: ומה הן התרפים שוחטים ואדם בכור ומולקין את ראשו ומולחים אותו במלח ובשמן וכותבין על ציץ זהב שם רוח טומאה ומניחין אותו תחת לשונו נותנין אותו בקיר ומדליקין נרות לפיו ומשתחוים לו והוא מדבר עמהם: id eſt, *Quid autem ſunt* Teraphim? *Mactabant primogenitum*, & *avellebant* ( ita vertit vocem מולקין Buxtorfius, *diffindebant* Hottingerus & G. H. Vorſtius, *præſcindebant* P. Fagius, *ungue ſecabant* vel *manibus diſcerpebant* Seldenus ) *caput ejus*, & *condiebant illud ſale & oleo*, *ſcribebantque ſuper laminam auream nomen Spiritus cujuſdam immundi*, & *ponebant illud ſub lingua ejus*. *Poſtea ponebant illud caput ad parietem*, & *incendebant lampadas coram eo*, *ac procumbebant coram ipſo*, & *ſic loquebatur ſimulacrum illud cum ipſis*. Eadem totidem verbis repetita leguntur in *Tanchuma ſect.* ויצא. Et Jonathan Pſeuduzielides ferme verbotenus Hebraica R. Elieſeris Chaldaice expreſſit hoc modo ונגבת רחל את צלמניים דהוון נכסין גברא בוכרא וחזמין רישיה ומלחין ליה במלחא ובוסמנין ויתבין קוסתין בציצא דדהבא ויהבין תחות לישניה ומקימין ליה בכותלא וממלל עמהון: id eſt, *Et furata eſt Rachel imagines*: *nam mactabant virum primogenitum*, *cujus caput avellebant*, ( *amputabant* Angli ) & *condiebant ſale & aromatibus*, *ſcribebantve divinationes ſub lingua ejus*, & *erigebant ad parietem*, & *ſic loquebantur cum illis*. Conf. & Eliam Levitam Germanum in *Tiſhbi*. Ex Hebræis fabellam in *Commentaria ſua* tranſtulerunt Nicol. Lyranus *Gen.* XXXI. & *Jud.* XVII. & Alphonſus Toſtatus Abulenſis *h. l.* Ille ex Judæo Chriſtianus, hic Judaizans, neuter fabulis inimicus.

XIII. Verum in iſta ſententia, nullis quippe ſuffulta argumentis, οὐδὲν ὑγιὲς, ecquis non videat? Unde eandem merito explodit Luth. noſter *Tom.* XI. *Witteb. Germ. f.* 216. Nec improbanda videtur cenſura G. H. Vorſtii *ad Pirke Eliezer pag.* 220. ſequentibus concepta verbis: *Quæ de horrenda* Teraphim *confectione hic R. Elieſer tradit*, *atque ex illo Tanchuma f.* 15. 3. *Targum Jonathan* Gen. XXXI. 19. *Elias Levita*, *aliique*, *nil certi continent*, *ſed ex traditionum* col-

*colluvie hauſta ſunt. Nimis crudelis hæc componendi* Teraphim *ratio videri debet & ab omni humanitate abhorret. Teſtis quidem eſt Carthago, humanis victimis Saturnum placari diu moris fuiſſe: ſed adeo ſævam ac fœdam idololatriam in familia Labanis obtinuiſſe neutiquam mihi veriſimile ſit, cum non penitus veri Dei notitia deſtitutum fuiſſe pateat ex Gen.* XXXI. 53. Et ut forte tanta eſſet Labani impietas, cum tamen nullus commento aliunde color ſit, nos meliori ducti ratione Judæis linquimus γραώδεις μύθους.

XIV. Alii exiſtimant *Teraphim* fuiſſe inſtrumenta quædam certo artificio ad ſtellarum poſitum effabricata, ut inde futura cognoſci poſſent. Sic ex Rabbinis plerique ſcribunt *Teraphim* fuiſſe imagines certis temporibus arte magica confectas, quæ futura indicarint. Ita Raſchi *ad* 2. *Reg.* XXIII. 24. תרפים צלמים שמדברים על ידי כשפיו העושה צריך לכויז שעה אחת ושנה אחת לאויה לכך: id eſt, *Teraphim fuerunt imagines, loquentes arte magica. Fabricantibus eas neceſſe fuit obſervare certam horam certumque annum rei huic convenientem*. Et *Ezech.* XII. 21. idem ait: תרפים הוא צלם המדבר במכשפות ויש שעה מכונת שאם עושהו יש בו דבור לעולם: id eſt, *Teraphim eſt imago loquens per artem magicam, eſtque certa hora præparata, qua ſi quis confecerit eam, eſt in illa ſermo perpetuus*. Sic & *Hoſ.* III. 4. תרפים הם צלמים הנעשים בכוון שעה אחת העשויה לכך ומדברים מאליהם ומגידין נעלמות: *Teraphim ſunt imagines factæ ex intentione certæ horæ huic rei congruæ, & ſic loquuntur ex ſemetipſis & annunciant occulta*. Hæc ille.

XV. Nonnulli τοῖς Teraphim præterea adſcribunt uſum horologiorum. Eam eſſe R. Moſis Nachmanidis ſententiam refert R. Bechai *ad h. l.* דעת הרמבן בתרפים כי היו כלים לקבל השעות ויקסמו לדעת העתידות: id eſt, *Sententia R. Nachmanides de* Teraphim *eſt, quod fuerint inſtrumenta facta ad cognoſcendum horas & divinandum futura*. Et R. Dav. Kimchi *ad* 1. *Sam.* XIX. 13. ſcribit: ויש אומרים שהיא כלי הנחשת העשוי לדעת חלקי השעות וילאו בהם העתידות במשפט הטלות: id eſt, *Quoſdam dicere, Teraphim fuiſſe inſtrumentum æneum, eo factum, ut cognoſcerentur inde partes horarum, viderenturque ſimul futura beneficio aſtrorum*. Sic & R. Aben Eſra *ad Gen.* XXXI. notat inter alia: יש אומרים שהוא כלי נחושת העשוי לדעת חלקי השעות: id eſt, *Eſſe qui dicant, Teraphim fuiſſe inſtrumentum æneum, factum, ut cognoſcerent inde partes horarum*. Idem in animo habuit Jacob Tavvuſius Interpres Perſicus vertens *aſtrolabia*. Sed Kimchi *l. c.* addit horologium ineptum eſſe, quod a Michale in lecto Davidis poneretur mentireturque Davidem.

XIV. Cæterum imagines, de quibus ſupra, juxta certam conſtellationem & pro ratione horoſcopantium ſignorum effabricatas, ut futura revelent vel voces edant, Arabes appellant طلسمات *Tilſemas* vel *Taliſmas*. Ita Ant. Giggæus *Theſ. Arab.* rad. طلسم ait: طلسمات *imagines ad influxum ſtellarum factæ*. Et Jac. Golius *Lex. Arab. p.* 1473. طلسم Tilſemon *eſt imago magica: quales ſub certo horoſcopo inſculpi rebus & conſecrari ſolebant ad certam efficaciam*. Nomen ex Græco τέλεσμα corruptum videtur, quanquam ad Copticum ⲧⲁⲗⲙⲉⲍ vel Samarit. טלסם *creare, facere*, referri queat. Rem quod ſpectat, ſolebant Magi ex ſtellis ſibi quædam fingere ſchemata, plura tamen aſteriſmis in globo depictis, quæ ſi ſol vel alius planeta ingrederetur, conficiebant imagines, quibus credebant ex influxu ſiderum communicari vim mala averruncandi, (ſic putabant Scorpionem quendam Scorpione cœleſti horoſcopante fabricatum abigere terreſtres ſcorpios) imo & voces edendi, quas tamen edebant formæ aſſiſtentes & hominum ſuperſtitionem augentes.

XVII. Unum atque alterum *Tilſemarum* exemplum ex Auctoribus in medium proferre ſenio nobis non erit. In *Chronologia Samaritana cap.* 46. citante Hottingero dicuntur *Romani collocaſſe in vertice montis Garizim* Tilſeman, *avem nempe æneam, quæ cum ipſo ſole circumferretur: quod ſi ergo Samaritanus adſcenderet, clamaſſe avem*, Hebræus; *unde colligentes, Samaritanum in monte eſſe, egreſſi Romani eum occiderint*. Aliud Tilſemarum exemplum ſubjicit Hottingerus *loco citando* ex Jacobi Juſti Judæi *Chorographia Terræ Sanctæ*: *Adonis fluvius Phœniciæ notus & a fabula Adonis ſic nominatus hodie dicitur fluvius* Canis, *ſiquidem illius regionis habitatores ſibi perſuadent in quodam monte alto vicinoque illi fluvio Canem ex metallo arte magica conflatum fuiſſe, &, cum hoſtium piratarum naves mare percurrerent, latraſſe, cujus latratu omnes commonefactos confeſtim conveniſſe & ad defenſionem arma cepiſſe, hincque fluvium nomen comparaſſe*. Hiſce tertium addemus ex Johanne Balæo, qui *Actis Rom. Pontif. p.* 164.

164. de Sylvestro II. refert sequentia: *Sylvester* II. *magicas artes in Papatu celabat, & necessitudinem illam, quam cum Diabolo habuit, dissimulabat. Caput veruntamen æneum in abdito quodam loco servabat, a quo, cum quicquam peteret a maligno Spiritu illo, responsa semper accepit. Tandem sibi pulchre placens in Papali fastigio, sciscitabatur ex suo congerrone Diabolo, quamdiu potiturus esset Pontificatu? Diabolus ambigue respondet: Non moriturum illum, priusquam in Hierusalem Missam celebraverit.* Paulo aliter tamen hæc refert Guilielmus Malmesburiensis Monachus Benedictinus *de Gestis Begum Angliæ l.* 2. *c.* 10. scribens: *De Gereberto* ( ita Sylvester ante Pontificatum vocitabatur ) *fama dispersit, fuisse sibi statuæ caput, certa inspectione siderum, cum videlicet omnes planetæ exordia cursus sui meditarentur,* ( dubium quid sibi velit ) *quod nonnisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmative vel negative pronunciaret. Verbi gratia cum diceret Gerebertus: Ero Apostolicus? responderet statua: Etiam. Moriar, antequam Missam cantem in Jerusalem? Non.* Verum hic Gerebertus, ( Balæo Gilbertus ) ut hoc אגב אורחא adjiciamus, responso de mortis tempore misere deceptus est. Cogitavit enim ille urbem Jerusalem; oraculum autem sacras ædes sic dictas Romæ voluit. Cum enim Pontifex oraculi mentem non assecutus quadragesimalis stationis die Romæ sacra faceret in Basilica S. Crucis, quæ Hierusalem vocabatur, pensum Satanæ reddidit, *vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

XVIII. Tilsemarum porro species quasdam fuisse Græcorum quoque στοιχεῖα existimat Seldenus, de quibus in *Centiloquio Ptolomæi*, quod vulgo dicunt, legitur: Τὰ ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ εἴδη πάσχει ὑπὸ τῶν οὐρανίων εἰδῶν. Διὰ τοῦτο χρῶνται τούτοις οἱ στοιχειωματικοί, τὰς ἐπεμβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτά, id est, *In generatione & corruptione existentes vultus subjecti sunt vultibus cœlestibus. Quapropter utuntur illis confectores στοιχείων, introitus stellarum in eis speculantes.* Eodem quoque reducit idem Seldenus τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου πλέγματα Justino memorata, & Iyngas, seu Strophalum Hecaticum sive sphærulam Hecaticam, cylindros scil. vel globulos aureos, Hecates dictos, characteribus variegatos, inclusum continentes sapphirum, & loro bubulo tortos, quos rotantes Dæmonas invocabant Magi Chaldæorum: nec non Rhombum Magicum. Sed illa nos fusius non prosequemur: plura de Tilsemis suppeditabunt R. Majemonides *ad Avoda Sara c.* 3. & 4. *More Nev. l.* 3. *c.* 29. & alibi, Leunclavius in *Pandect. Turc. cap.* 130. Jos. Scaliger *Epist. l.* 2. *ep.* 119. & *ad Sphæram Barbaricam Manilii*, Johan. Seldenus Anglus *Synt.* 1. *de Dis Syris c.* 2. Johan. Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 879. Edov. Pokokius *Not. ad Abul Farajum p.* 140. J. H. Hottingerus *Hist. Orient. lib.* 1. *cap.* 8. *p.* 188. *edit.* 1. Hugo Grotius *ad Gen.* XXXI. Athan. Kircherus *Oedip. Ægypt. Tom.* 2. *P.* 1. *c.* 5. *p.* 383. *s.* Joh. Gaffarellus *Curios. c.* 3. & alii.

XIX. Porro Tilsemas fuisse quoque Labani *Teraphim* existimat clariss. Hottingerus *l. c. p.* 196. unde necesse est Serapidas itidem Tilsemas fuisse, nisi Hottingerus sibimet contradicere velit. Nos vero Labani idola secundum certam constellationem efformata fuisse more Tilsemarum ut non omnino negamus, ita tamen nondum satis probatum putamus iis duabus rationibus, quas vir doctissimus profert, quarum prima est: Tilsemas Sabæorum ( his enim origo earum adscribi solet ) nonnisi certo tempore confectas esse. Idem de *Teraphim* testari Rabbinos. E Secunda: Tilsemas quidem ut plurimum Deos averruncos fuisse, aliquando tamen iis χρηματισμῶν vel *oraculorum* officium tribui. Idem officium fuisse τῶν *Teraphim*. E. Sed resp. ad 1. Utut concederemus, quicquid certis temporibus tantummodo conficitur, Tilsemam esse, quamvis in hæc sat lata sit consecutio, ex unius tamen vel alterius Rabbini sententia probari nondum posse, *Teraphim* nonnisi certo tempore confecta esse: nam Rabbinis Rabbinos alios Cadmæos fraterculos, qui nil tale in factura τῶν *Teraphim* requirunt, opponere possumus, neque quæ in cujusvis Rabbini liripipio nascuntur, protinus credenda sunt; nam ἄνθρακας ἀντὶ θησαυρῶν sæpe inveniet, qui nesciverit velut ex stercore Enniano margaritas legere: tum Michæ mater non legitur exspectasse certam horam ad ποίησιν τῶν *Teraphim Jud.* XVII. 4. sed aurifaber ex materia ἀπὸ τύχης sibi oblata dicitur fabricasse *Teraphim*. Ad 2. resp. Malum esse argumentum: Tilsemæ responsa dederunt. *Teraphim* responsa dederunt. E. *Teraphim* sunt Tilsemæ. Dederunt quoque responsa oracula, quæ tamen non necessario Tilsemæ fuerunt. Talia proinde, quæ de *Teraphim* ex Sacro Codice haurire non possumus, non facile cuidam obtrudemus, nec tamen præfractius negabimus.

XX. Sacri vero Codicis vestigia studio-

diose legentes, quid illic de *Teraphim* prodatur, dispiciemus. Persuasissimi igitur sumus 1. *Teraphim Fuisse Idola.* Facessat Genebrardus, qui *Chronol. ætat. 6.* per *Teraphim* intelligi vult sacras imagines: sic & in *Ps.* lxxiii. Similiter Joh. Gaffarellus *l. c.* statuit *Teraphim* fuisse figuras a Mose permissas & a Labano reliquisve Orientalibus pie usurpatas, quibus Deus admirando modo voluntatem suam patefecerit: imaginem Michæ fuisse ejusdem generis cum figuris Templi Seraphim & Cherubim, quibus etiam accenset vitulum in deserto & vaccas Jerobeami in Dan & Bethel, quæ impia hominis curiosissimi audacia digna certe fuit, quam Sorbonæ censura notaret. Sed *Teraphim* Labani idola fuisse inde patet, quod eadem diserte appellet *Deos* suos *Gen.* xxxi. 30. se autem idololatram esse innuit Laban *vers.* 53. discrimen constituens inter אלהי אברהם *Deum Abrahami*, & אלהי נחור *Deum Nachor & patrum*, qui alienus fuit *Jos.* xxiv. 2. Sic 1. *Sam.* xv. 23. 2. *Reg.* xxiii. 25. *Ezech.* x. 2. per *Teraphim* necessario intelliguntur idola, quia ponuntur ad latus τοῖς, שקוצים, גלולים, קסם מרי, אובות, ידעונים, aliisque abominationibus idololatricis.

XXI. Superest, ut de locis reliquis *Jud.* xvii. & xviii. 1. *Sam.* xix. & *Hos.* iii. idem ostendamus. Et quidem quod ad historiam Michæ, ejus *Teraphim* simulacrum veri Numinis fuisse existimat Gerh. Johan. Vossius *de Idololatria Gentium l. 1. c. 3. p. 20. Siquidem mater ejus argentum, unde factum simulachrum, sacrificasse dicatur* Jehovæ: *& Micham velle in eo colere* Deum *Israelis satis arguatur verbis istis: Nunc novi* Jehovam *benefacturum esse mihi, eo quod est mihi Levita in sacerdotem.* Verum Micha potius miscuit cultum veri *Dei* & dæmoniorum, præsertim tempore ἀναρχίας illius, ubi quicquid libebat, licebat, per אפוד verum *Deum*, per תרפים Diabolum consulturus; nam & תרפים declaratur per פסל & משכה, & hujusmodi spiritualia adulteria *Deus* in Israelitis sæpe reprehendit. Religio proinde & cultus Michæ non procul abibat a Samaritanismo, de quo 2. *Reg.* xvii. 33. 34. Et *Teraphim* Michæ idola fuisse plerique concedunt Interpretes, tam Christiani, quam Judæi. Hi quoque in Calendario suo ad diem 23. mensis *Sebat* notant jejunium ob cladem Benjaminitarum propter pellicem & idolum Michæ.

XXII. De *Teraphim* porro in Historia Michalis & Davidis 1. *Sam.* xix. variæ sese offerunt opiniones. Multi negant idolum fuisse. Ita R. David Kimchi *ad* 1. *Sam.* xix. 13. commentatur: התרפים יש מפרשים בי הם ע״ז כמו התרפים אשר ללבן שגנבתם רחל עובד ע״ז היה כמו שאמר לה׳ לטה גנבת אח אלהי וחלילה שהיה דוד ע״ז: id est, *Teraphim h. l. quidam Interpretes volunt esse idola, qualia fuerunt* Teraphim Labanis, *quæ furata fuit Rachel. Et Laban quidem fuit idololatra, unde dicit ad eam: Quare furata es* Deos Meos? *Sed absit longissime, ut existimemus in domo Davidis idolum fuisse.* Sic & Ramban *ad Gen.* notat, non esse verisimile in domo tam sancti viri idola fuisse, potius *Teraphim* quædam concedenda, quæ non sint idola. Eadem mens præter alios est Riveti, qui *Exercit.* 133. *in Genes.* ait: *Imaginem illam* (a Michale in lecto Davidis collocatam) *idolum non fuisse, confirmat singularis Davidis pietas, qui fuit vir secundum cor* Dei. Ille igitur cum Ribera *in Hos.* iii. *num.* 21. *ad idem Hoseæ caput pag.* iii. autumat, *Michalem ex variis hinc inde rebus fecisse statuam homini similem, quales tauris objici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas, vestibus scilicet virilibus palea aut fœno oppletis & humani corporis membra simulantibus, unde & pellem pilosam caprarum posuisse ad cuput ejus, videlicet ut ruffos Davidis capillos imitaretur.* Addemus & annotatiunculam R. Jacob Abendanæ in *Spicilegio* ad R. Salomonis ben Melech *Michlal Jophi* nuperrime edito referentis *ad locum Samuelis* ex Abravenele *uxores antehac solitas fuisse comparare sibi maritorum suorum imagines, ut illorum figura oculis semper obversaretur, idque ex magnitudine amoris sui erga eos, & ex harum imaginum genere etiam fuisse* Teraphim *Michalis ex amore vehementissimo erga Davidem facta, atque sic nihil impii in iisdem fuisse; quare Michal illa in locum Davidis substituerit, quod eum externa specie referrent.*

XXIII. Sed nescimus, quid valde obstet, quo minus & hic loci *Teraphim* per *idola* explicemus. Ea potuerunt in domo Davidis esse inscio ipso, & a Michale asservari animi gratia, non cultus causa, dicique idola & *Teraphim* in distractione a statu priori, quod talia fuerint. Adstipulatur nobis noster Lutherus *loc. cit.* cujus ipsissima verba adducere non gravabimur: Das bilde / das die Michal an Davids statt ins bette gelegt / halte ich / sey irgend ein bilde oder Gotz gewest / so noch irgends an einem ort uberblieben ist vom vorigen aberglauben und abgotteren. Gleich wie

ben uns noch viel bilder uberblieben sind / die an etlichen orten noch bewahret werden / zum gedachtnis der alten abgotteren / daß man irgends schauen und die kinder damit spielen last / und nicht zum Gottesdienst / solche Gotzen haben zu Davids zeiten in den hausern hin und wieder in den winckeln verborgen gelegen: Da ist die Michal in der Eyle zugefahren / danichts anders verhanden gewest ist / und hat das bilde ergriffen / und dasselbe an Davids statt ins bette gelegt / dann zu der zeit sing ohne zweiffel auch noch viel warzeichen gewesen von dem aberglauben und abgotteren / aus dem lande und religion der Jebusiter / &c. gleich wie das die schnliche Klagen in vielen Psalmen bezeugen / in welchen David mit grossen schmertzen wider die abgotteren streitet und betet. Adstipulatur nobis quoque Mercerus *ad Gen.* XXXI. *p.* 533. simul respondens ad R. Nachmanidis objectionem: *Sed ego* ( inquit ) *puto fuisse adhuc in Israelitis nonnullas reliquias idololatriæ, licet magna ex parte in communi & in cœtu Ecclesiæ expulsa esset; maxime Sauli tempore, ex quo reprobatus fuit: in Davidis autem domo hæc* Theraphim *velut ludibrii causa remansisse adhuc* ( *puto.* ) Consentit R. Jeschaja, Mischalis *Teraphim* idolum fuisse, ejusdem tamen consilium non satis dextre exponere videtur. Ita ille *ad* I. *Samuel.* XIX. מצאה התרפים ושמה שם כדי לומר לבאביה כי דוד מצאם והם הגידו כי אתה רוצה להרגו ובעבור זה ברח שלא יאמר לה שאול כי יגרת אתה לו הסוד וברח: id est, *Michal invenit* Teraphim *& reposuit illic, ut dicere posset patri suo: David invenit ea, & illa indicarunt ipsi, quod velis occidere eum, quapropter aufugit: ne proinde Saul dicere posset: Tu ipsi indicasti arcanum hoc, ut fugeret.*

XXIV. Nec denique dubitandum est *Hos.* III. 4. per *Teraphim genus Idolorum* intelligi. Quanquam enim D. Hieronymus illic loci Teraphim pro Cherubim aliisque Templi ornamentis accipi posse existimet, nec desint qui *Urim & Tummim* innui velint, quo fortean respexerunt LXX. vertentes δηλώσεις, & Aquila reddens φωτισμοὺς: & *vers.* 3. tamen fatis evidenter apparet idololatris prædici, quod & publico cultus veri *Dei* exercitio & idolis suis privandi sint, nec meretrices, nec maritæ futuri. Conf. Rivetus *ad huc loc. pag.* 112. Hakspanius *Not. Bibl. P.* 2. *pag.* 929. Hulsius *Theol.* Jud. *P.* 1. *pag.* 24. Hoornbeek *Teschuvat* Jehuda *p.* 130. *seq.*

XXV. Evicimus ergo hactenus I. *Teraphim* in Sacris Literis nuspiam nudas imagines, sed perpetuo significare idola. Ostendimus jam porro II. *Teraphim fuisse Idola domestica sive Lares.* Recte Buxtorfius *Lex. Talm. p.* 2660. Teraphim *imagines fuerunt sub specie humana, quas superstitiosi Gentiles pro Diis Penatibus & Laribus domesticis habebant, in dubiis ab eis responsa petentes.* Conf. etiam Junius & Tremellius *h. l.* & B. Gesnerus *ad h. l. pag.* 601. Patet hoc ex phrasi *vers.* 19. ubi Rachel surripuisse dicitur התרפים אשר לאביה, id est, *Teraphim ad patrem suum spectantia.* Et *vers.* 30. Laban vocat ea *Deos suos*. Hinc etiam Labano fuisse domi sacellum quoddam concludit Wolfg. Musculus *Comment. h. l. p.* 644. *Erat* ( inquit ) *Laban homo Ethnicus & cultor idolorum. Arbitror illi fuisse sacellum quoddam domesticum, in quo idola ista prostiterint, ut facilis fuerit ad illa accessus Racheli.* Idem confirmatur ex historia Michæ, cui etiam Jud. XVII. 5. dicitur fuisse אלהים בית, (Luth. Gottes-hauß / ) per quam sacellum hujusmodi commodissime intelligitur.

XXVI. Asserimus III. *Teraphim humanam Figuram gessisse.* Patet id luculenter ex I. *Sam.* XIX. 13. ubi Michal legitur *Teraphim* in lecto Davidis reposuisse, ut falleret legatos Sauli, hique Davidem ipsum præsentem putarent, eumque ægrotum conspicantes acquiescerent: stolidum consilium, si T*eraphim* essent σκιατήρια vel horologia, quæ nonnullorum e grege Rabbinorum est opinio. Agnoscunt tamen humanam figuram τῶν *Teraphim* R. Aben Esra *Genes.* XXXI. R. Sal. Jarchi, R. David Kimchi, R. Levi ben Gerson, & R. Jeschaja *ad* I. *Sam.* XIX. R. Sal. ben Melech in *Michlal Jophi ad Genes.* XXXI. & alii. Aben Esra ait: והקרוב אלי שהתרפים צורת בני אדם והיא עשויה לקבל כח העליונים ולא איכל לפרש והעד שהתרפים ששמה מיכל בת שאול במטה עד שחשבו שומרי הבית שהם דוד: id est, *Mihi fit probabile* Teraphim *habuisse formam humanam, ita actam, ut posset recipere virtutem superiorum, quod tamen explicare non licet. Rei hujus testimonium est, quod* Teraphim, *quæ posuit Michal filia Saulis in lecto, talia fuerint, ut custodes domus putarent ea fuisse ipsum Davidem.*

XXVII. Dicimus IV. *Teraphim ex diversis Materiis fabricata esse. Teraphim* Michæ ex argento constitisse ex Jud. XVII. 4. haud obscure colligitur. Ejusdem materiæ fuisse *Idola Labani*, quamplurimi sentiunt: certe Luth. *Tom.* V. *Germ. Comment. in h. l.* appellat die silberne Gotzen. Et Osiander ait: *Porro hæc idola fuerunt fortasse ex pretiosa materia, auro vel argento,* &c. Interim statua a Michale in lecto Davidis collocata argentea vix fuisse videtur. Existimamus proinde *Teraphim* semper quidem hominis figuram, non tam semper ejusdem justam staturam

ram repræsentasse, adeoque distincta fuisse ratione molis & materiæ, ut ubi major moles, materia vilior, & ubi minor illa, hæc pretiosior esset, ita tamen, ut utrobique idem esset respectus & usus. Liquido enim constat *Teraphim* in Davidis locum surrogata, & Labani, quæ Rachel inter camelorum vel stramenta vel clitelias occultare iisque commode insidere potuit, ejusdem quantitatis non fuisse. Michalis *Teraphim* fuisse *statuam panno, ligno, palea, aliisve rebus suffarcinatam & membra humani corporis simulantem*, conjicit G. H. Vorstius *ad Pirk. Eliez. p.* 220. Sed potuit statua illa & ænea esse, vel lignea, cava tamen, vel alia, nos tacente Scriptura nil decidemus, argenteam tamen vel auream fuisse vix credemus.

XXVIII. Denique v. novimus, *per Teraphim Diabolum hominibus responsa dedisse*. Certum est idololatras consuluisse *Teraphim* de rebus dubiis. Huc refert D. Augustinus *quæst. 94. in Gen.* verba ista Labani, נחשתי *Auguratus sum, quod benedixerit mihi* Deus *propter te*. Verba ejus sunt: *Quod tamen dixit: Quare furata es Deos meos? hinc est illud fortasse, quod & augurari se dixerat*. Sic & Aben Esra augurium illud de interrogatione תרפ׳ *Teraphim* exponit: id quod nos in medio relinquimus. Est enim alias נחש *sagaciter colligere*. Veruntamen *Ezech.* XXI. 26. Rex Babel *Teraphim interrogasse* disertis verbis dicitur. Ibidem recensentur & alia divinationum genera; sed divinatio per *Teraphim*, quæ apud Babylonios ex antiqua Chaldæo-Syrorum superstitione remanserant, (conf. Fullerus *Miscell. Theol. lib. 1. cap. 16.*) seorsim in prupositione quæstionis dubiæ constitisse innuitur. Afferamus integrum contextum: *Stabit Rex Babyloniæ in bivio, principio scilicet duarum viarum, ad divinandum divinationem*. (hoc primum fuit genus divinationis, ad quod peculiaris seligendus erat locus, quo fortean Cacodæmon certis ceremoniis & formulis vocabatur, ut enunciaret, quamnam viæ partem consultum esset ingredi, id quod patet ex *vers. seq.*) *Expoliet tela*. (secundum divinationis genus, de quo Hieronymus *ad h. l. Stabit in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas in pharetram & commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cujus sagitta exeat, & quam prius civitatem debeat expugnare*. Sed Edvv. Pokokius hujus βελομαντείας hanc ex Oriente accersit rationem *ad Abul Far. p.* 327. *Cum esset*, inquit, *alicui vel suscipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, sagittas, quas tres vasculo inclusas habebant, consulere solebant. Earum primæ inscriptum erat* أمرني ربي Jussit me Dominus meus, *secundæ* نهاني ربي Prohibuit me Dominus meus, *tertia autem* غفل nulla nota insignis erat. *Harum unam manu extrahenti, si occurreret illa, quæ juberet, alacri animo, tanquam monente* Deo, *pergere; sin illa, quæ vetaret, desistere; quod si* ἀγράμματος, *illam reponere licebat, donec prodiret, quæ vel jussu præiret vel interdicto occurreret*. Hactenus Pokokius.) *Interrogabit Teraphim*, (tertium divinandi genus. Poterat autem rogare domi suæ, cum omnia membri *Atnach* non necessario huc spectent) *inspiciet jecur*. (poterat & hoc in Templo vel alibi fieri, cum membrum *Atnach* non restringat *h. l.* membrum *Silluc*, sed peculiarem divinationis indigitet speciem: de extispiciis autem alias notis hic dicere nil attinet. Syrus impertinenter vertit ܚܙܐ ܫܘܒܚܗ *inspexit gloriam suam* pro כבד *jecur*, legens כבוד *gloria*) Porro Cacodæmonem se insinuasse in *Teraphim*, quæ consulebantur, atque in iis verba formasse & responsa jam vera, jam falsa, plerumque dubia, reddidisse tum ex *Jud.* XVII. haud obscure colligitur, tum evidenter probatur ex *Zach.* X. 3. ubi dicitur: התרפים דברו און, Luth. Die Götzen reden eitel mühe. Recte Mercerus *ad Gen.* XXXI. ait: *Non est dubium, quin per ea, ut & in aliis idolis Gentium, Dæmones responsa darent: nam alioqui organis naturalibus destituta scimus loqui non potuisse.*

XXIX. Et hæc de *Teraphim* ex collatione locorum Scripturæ asserere certo possumus, de modo conficiendi, formulis consulendi, generibus responsorum, modo propagationis a Syris ad quosdam Hebræorum, modo eadem venerandi & colendi, & si quæ sunt alia, malumus tacere & ἐπέχειν, quam sine fundamento plura dicere. Potuit equidem fieri, ut gens Chaldæo-Syra astrologicis vanitatibus deditissima in εἰδωλοποιήσει astrorum influxum observaret, certis ceremoniis & peculiaribus formulis idola consuleret, Diabolus vel disertis verbis vel nonnunquam aliter quoque responderet, idololatræ haberent statas horas & certas leges idola ista venerandi, sed quis quicquam horum indubitato determinabit? Novimus interim *Teraphim* Labani idola fuisse domestica, ex argento procul du-

dubio, humana forma, effabricata, quæ iste dubiis incidentibus consulere soleret. Posset etiam dici unicum modo Labani idolum fuisse, uti *Teraphim* Michalis, cum nomen plurale tantum habeat se ad significationem singularem & pluralem indifferenter, ( ut פנים de unius hominis una facie & de multorum hominum pluribus faciebus una terminatione effertur ) sed facile permittimus, ut quilibet hic suo abundet sensu & judicio.

XXX. Jam restat, ut promissi nostri memores inquiramus in consilium Rachelis, quare illa *Teraphim* patri suo surripuerit. Ubi recte quidem Musculus: *De causa facti hujus non potest certi quicquam responderi, cum Moyses non doceat, quare hoc fecerit Rachel*: licebit tamen dispicere, quænam conjectura sit probabilior & Scripturæ convenientior. Deprehendimus vero apud Auctores quinque de Rachelis consilio opiniones. Prima est eorum, qui putant propterea Rachelem surripuisse *Teraphim*, ne pater idola illa inspiciendo vel consulendo, per quod iter Jacob abiisset, cognosceret. Ita R. Eliefer in *Capitulis c.* 36. לפיכך גנבתם רחל שלא יגידו לאביה שברח ויעקב: *Propterea furata est ea Rachel, ne indicarent Labano, fugisse Jacobum*. R. Aben Esræ verisimile fit *Labanum fuisse peritum astrorum, Rachelemque veritam, ne pater inspiceret astra, cognosceretve quonam fugerit*. R. Albilda in *Olat Tamid ad h. l. p. 99.* ait: *Quod furata est Rachel* Teraphim, *causa fuit, ne auguraretur Laban & cognosceret iter ipsius*. A Judæis non dissentit Judaizans Tostatus *ad h. l.* Eademque opinio fit inter alias probabilis Jac. Bonfrerio *in h. l. p.* 260. Secunda sententia est Fl. Josephi, qui putat Rachelem surripuisse idola patris, ut ad ea adversus parentis iram confugere posset. Ita ille Ἀρχαιολ *l.* 1. *c.* 19. *Sigilla vero Deorum secum ferebat Rachel: non quod Deos coleret, quorum contemptum a marito didicerat: sed ut, si forte pater fugientes assequeretur, haberet, quo confugeret veniam impetratura*. Tertia opinio est eorum, qui existimant Rachelem a puellari ætate idolorum cultui adsuetam nondum omne idololatriæ studium tum ejurasse, eaque cultus causa suffuratam esse. Ita S. Chrysostomus *Hom.* 57. *in Genes.* Gennadius, Rupertus, Cajetanus, & Hieronymus ab Oleastro *in h. l.* nec non Cornel. a Lapide, cujus *ad h. l. p.* 345. hæc sunt verba: *Verisimilius alii putant eam idola non tam patris, quam sua, quasi Deos Penates secum abstulisse, eo quod iis dedita esset, ab iisque felix iter omneque bonum speraret; nam pater Laban ejusque domus ac consequenter & Rachel cum* Deo *vero etiam idola more gentis suæ colebat, ut patet cap.* XXXV. *vers.* 2. *ubi demum hæc idola abolevit Jacob*. Consentiunt ex Reformatis Joh. Mercerus *ad h. l.* Andr. Rivetus *Exercit.* 133. *in Genes. p.* 517. & alii. Ex nostratibus quoque idem placet D. Sal. Gesnero *ad h. l. quæst.* 3. *p.* 601. D. Joh. Gerhardo *in Gen. p.* 592. nec non D. Polycarpo Lysero, cujus in *Jacobo* seu *ad h. l. p.* 123. hæc verba sunt: *Sed ex duobus hisce alterutrum erit. Vel quia ipsa adhuc idolis erat addicta, abstulit, ut haberet imagines, coram quibus cultum suum divinum exequeretur: vel quia aurum adlubescebat, illa abstulit, ut auro vel argento rem suam faceret*. Quarta sententia est eorum, qui Rachelem sibi *Teraphim* ( idola scilicet aurea vel argentea ) & pro mercede marito & pro dote sibi sororique sumsisse autumant. Id verisimile Pererio & Osiandro *in h. l.* Quinta denique sententia est, Rachelem hoc pacto patrem ab idololatria revocare voluisse. Ea mens Basilii *Init. in Proverbia*, Nazianzeni *Orat.* 2. *de Paschate*, Theodoreti *quæst.* 89. *in Genes.* Lyrani *in h. l.* ut & magni Dn. D. Calovii nostri *Disp. Anti-Grot. in Genesin sexta*.

XXXI. Ex his si aliqua omnino accipienda est, ultimæ sententiæ nostrum non dubitamus addere calculum, cum eam nullis videamus urgeri difficultatibus, quibus tamen priores non omnino videntur carere. Certe quod ad primam opinionem, ea non probanda videtur. Nam Rachel veri cultus sectatrix scivit iter Jacobi *Dei* consensu imo jussu susceptum esse, *Deum* quoque Jacobi contra Labanum patrocinium suscepisse, id quod patet ex *vers.* 12. 13. 16. non proinde credendum eam adventantem Labanum valde reformidasse. Præterea tantum Jacobi comitatum & tot greges celari non posse, sed ab hominibus locorum illorum, per quæ transirent, indicatum iri, quo vel qua ivissent, facile conjiciebat Rachel. Et procul dubio alia adhuc *Teraphim* illic loci in promptu erant, quæ Laban adire potuisset, quæque non poterat surripere Rachel.

XXXII. Porro Josephi sententia absurda est; si enim Rachel idolorum contemtum a marito didicerat, quodnam sibi sperabat refugium? quodnam ab iis patrocinium? Ab irato patre autem qui speraret veniam ob idola, quæ furata erat? Operæ pretium fecisset Josephus, si suæ sententiæ rationes dilucidius exposuisset.

XXXIII.

XXXIII. Nec tertia sententia commode stare potest. Neque enim tum temporis Rachel cultrix idolorum fuisse videtur. Verum *Deum* invocasse, ab eo exaudita ejusque beneficium agnovisse legitur. Conf. *cap.* xxx. *vers.* 6. 22. 23. 24. & obedientiam suam erga eum λευκάδι φωνῇ testabatur *cap.* xxxi. *vers.* 36. Et quod si numinis quicquam τοῖς *Teraphim* inesse existimasset Rachel, num putandum, eam illa tam irreverenter tractaturam fuisse, ut insideret iis, simularetque passionem menstruam *vers.* 35. Consideretur & parrhesia ista Jacobi, qua usus nunquam fuisset *vers.* 32. suamque Rachelem præsentissimo vitæ periculo exposuisset, si eam idolis intentam adhuc & ad hujusmodi furtum proclivem scivisset.

XXXIV. Neque obstat reformatio a Jacobo instituta & descripta *Gen.* xxxv. 2. 3. 4. cum non nominatim ab uxoribus & liberis, sed a familia sua in genere dicatur idola postulasse. Non repugnamus autem quosdam ex servis & ancillis e Mesopotamia adductis pristini loci superstitiones retinuisse: vel potuerunt habere quasdam idolorum reliquias non ad cultum, sed ad alios usus. Veritus autem Jacobus, ne paulatim ad cultum adhiberentur, vel iisdem offenderetur *Deus*, etiam idolorum materiam quamvis sine cultus opinione asservatam e medio tollere atque exstirpare voluit.

XXXV. Cæterum Cornelio a Lapide respondisse Bonfrerius his verbis videtur: *Porro quod aliqui velint non tam patris sui idola, quam sua, quod ipsa idolis dedita esset, cepisse, videtur manifeste repugnere Scripturæ hoc loco, quæ diserte tam in Vulgata, quam in Hebræo, Chaldæo, & LXX. ea patris facit. Et vero si ea erant Rachelis, cur Laban rursus infra vers.* 30. *ea vocat Deos suos? cur tam inique tulit ea sibi sublata? cur non statim suspicatus Rachelem abstulisse, si ea plus aliquid in ea juris, quam cæteri, habuisset?* Absurdum certe Rachelem sibi ipsi sua idola suffuratam esse.

XXXVI. Nec quarta denique sententia nobis se valde commendat. Intellexerat Rachel jam pridem a marito *Deum* abunde compensasse laborem ipsius & adversus Labanum judicium exercuisse, unde dixerat superius *vers.* 16. *Omnes divitiæ, quas eripuit* Deus *patri nostro, nostræ sint & nostrorum.* Et cur non quidvis potius arripuisset pro *Teraphim illis*? Sic enim parentem superstitiosum rem subito resciturum facili conjectura assequi poterat. Nisi præter *Teraphim* nil pretiosi possedisse Labanum credere velimus.

XXXVII. Existimamus ergo maxime probabile esse, quod Rachel a Jacobo ad verum *Dei* cultum perducta & jamjam abitura στοργῇ & pietate mota conata fuerit parentem idololatriæ ex parte adhuc immersum a cultu idolorum abducere, surripiendo materiam idololatriæ, non aliter ac si furioso gladium eriperet, vel igni pabulum subtraheret. Quæ in contrarium a diversis afferuntur, facile diluimus. Objicit Aben Esra: *Si hoc esset, poterat ea in via abscondere, aut in profluentem abjicere, ubi Euphratem transmiserant*, scilicet non opus erat servare ea per septiduum, seque in præsens conjicere periculum, cum furtum a patre facile deprehensum iri nosset. Verum potuit Rachel asservare *Teraphim*, quod ex pretiosa constarent materia, auro vel argento, uti asserunt Luth., Pererius, Bonfrerius, D. Gerhardus, & alii; vel potius in rei testimonium, ut facti sui documenta marito demonstrare posset: tnm sciebat Rachel intentionem suam optimam esse, & se a *Deo* auxilio freta non putabat Labanum se & maritum consecuturum esse.

XXXVIII. Objicit vir quidam doctissimus: *Non esse facienda mala, ut eveniant inde bona.* Sed resp. nos tantum judicare de Rachelis intentione, factum in totum non excusare. Peccasse eam contra secundam tabulam non repugnamus. Optima intentione suscepta nonnunquam ex procedendi modo gratiam amittere possunt.

XXXIX. Objicit porro Mercerus: *Quasi alia sibi fabricari non potuisset, nisi forte præ avaritia nollet.* Ita & Rivetus. Sed utut alia facere potuerit, *magna tamen illa & Patriarchalis anima* (ita Rachelem Nazianzenus vocat) eo ipso demonstrare voluit *Teraphim* nec Deos esse neque Labanum tutari posse, quæ se tueri non possint, ne furto abducantur. *Sane non absurde cogitatur,* (ait D. Gerhardus *p.* 592.) *divina providentia hoc factum fuisse, ut Laban intelligeret, non esse Deos, qui furto auferri possint.*

XL. Objicit etiam Wolfg. Musculus: *Et marito suo hac de re significare debebat.* Et Rivetus: *Deinde si is ipsi propositus scopus, cur maritum celasset, quem noverat ab omni idololatria esse alienum? Saltem id ei significasset in via & consuluisset, quid judicaret faciendum, postquam semel ablata fuissent.* Sed quo minus cum Jacobo hac de re consultaret, obstabat præsens fuga, quæ non patiebatur moram: sciebat Jacobum plurimis districtum curis, noluit proinde eum turbare, præsertim cum sibi persuaderet factum

ctum suum ipsi minime improbatum iri, & procul dubio postea Jacobo post Labani discessum severius inquirente rem totam exposuit. Potuit & fieri, ut ob materiam privatis usibus servaret, vel si quid spectavit aliud, certum est intentionem ejus optimam & laudabilem, utut cum quibusdam imbecillitatibus conjunctam fuisse. Nobis in præsentia non de jure, sed de facto & instituto Rachelis sermo est, cætera ad forum Theologorum remittimus. Quod si in iis, quæ diximus, veritatem assecuti simus, *Deo*, qui ipsa veritas est, humillimas agimus gratias, & tribuimus gloriam; sin a veritatis tramite, quod non speramus, discessimus alicubi, homines nos esse recordamur, & Lectoris imploramus veniam.

# PAULI ERNESTI
## JABLONSKI REMPHAH
# ÆGIPTIORUM DEUS
## AB ISRAELITIS

*In deserto cultus nunc ex lingua, & Antiquitate Ægyptiaca erutus & illustratus.*

### §. I.

Locum illustrare aggredior Amosi, a Sanctissimo Protomartyre Stephano repetitum & in Oratione ad Judæos, quæ in Actis Apostolorum habetur, locum inquam, si quisquam alius in S. Codice, explicatu difficilem, & de quo, etsi ingenia præstantissimorum interpretum non leviter exercuerit, etiamnum dici posse reor, quod Vir κριτικώτατος, Lud. de Dieu, in Comment. ad Actor. VII. 43. cum ad difficultates hujus loci enarrandas pervenisset, suo tempore pronuntiare veritus non est. *Vox ῥαιφὰν, vel ῥεμφὰν, vel ῥομφὰ &c. quid sibi velit, hactenus nemo satis explicavit*. Usque adeo enim obscura est Numinis hujus Ῥεμφὰ, cujus ex Amoso Stephanus Protomartyr mentionem facit Actor. VII. 43. memoria, ut Commentatores invenias, eosque nec numero paucos, nec eruditione cuiquam postponendos, qui Numen aliquod *Rempha*, in rerum natura unquam fuisse, negent, quique ex *Kiun*, vel *Kevan* Amosi, per oscitantiam aut interpretum græcorum, aut librariorum, corruptum vocabulum ῥεφὰν prodiisse, sibi persuadeant, nobisque idem persuadere conentur. Facile autem fuisset Viris eruditissimis, & errorem hunc, de quo dixi, vitare, & lites omnes, quas Amosi & Stephani verba suppeditarunt, componere, si linguam Ægyptiacam, a Claudio Salmasio excoli cœptam, sed post (1) Bocharti judicium non adeo honorificum, vulgo spretam & neglectam, in consilium adhibere dignati fuissent. Numen enim illud, de quo hanc præsentem Disputationem instituimus, Ægypto Natales suos debere, Interpretum plurimi ultro agnoscunt, idque, uti mox probabimus, ipsis S. Scripturæ indiciis luculentissimis confirmatur. Operæ itaque pretium esse existimavi, ea, quæ ad illustrandum Numen hoc obscurissimum, ex Lingua Ægyptiorum conferri possunt, eruditorum examini subjicere, ut palam fiat, quantum subsidii, ad explicandam, in locis non paucis, S. Scripturam, ex linguæ Ægyptiacæ, vel, uti nuncupari solet, Copticæ, studio sperari possit, utque una eademque opera, bonam fidem, quinimo eruditionem græcorum interpretum, in loco Amosi transferendo, vindicem, ac denique ipsi illi historiæ, quam Amosus & Stephanus commemorant, aliquid lucis inferam. Ut vero pede inoffenso in hoc curriculo progrediar, ea omnia, quæ difficultatem aliquam pariunt, & de quibus Viri eruditi hoc loco disceptant, attingam, sed quam potero brevissime, quæsiturus: 1. Quid de versione verborum Amosi Græca lxx. interpretum, quam

quam Stephanus ſecutus eſt, in univerſum cenſendum ſit. II. Utrum cultus ille, quem ab Iſraelitis Molocho & Remphæ exhibitum eſſe, teſtantur Amoſus & Stephanus, fuerit cultus verus externus, certis ſuis ritibus, idolum hoc reſpicientibus, conſtans. III. Num. lxx. Interpretes vertendo Ῥεμφὰ, aut Ῥηφὰν, errorem commiſerint, vocemque hanc ex כיון hebraica, non recte lecta, corruperint. IV. Utrum vero Ῥεμφὰ ſit potius vox Ægyptiaca, & quid illa ſibi velit.

II. Priuſquam de Rempha ſpeciatim, quidnam iſtud nomen ſibi velit, ſententiam meam proferam, res ipſa id requirere videtur, ut Amoſi verba, quæ omne rei, de qua agimus, fundamentum continent, paucis conſiderem, & cum græcis conferam. Verba Amoſi, ad quæ reſpicimus, hunc in modum concepta leguntur Cap. V. com. 25. 26. הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל: ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמכם כוכב אלהיכם אשר עשיתם: Comma 25. ita ab omnibus redditur: *An ſacrificia & munus mihi obtuliſtis in Deſerto quadraginta annis, domus Iſrael?* Et ſic (2) fere lxx. Seniores Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι οἶκος Ἰσραὴλ, τεσσαράκοντα ἔτη ἐν τῇ ἐρήμῳ. Quæ ad verbum ex hac verſione repetuntur iu Oratione Stephani ad Judæos, Act. VII. 42. Cum autem ſenſus verborum Amoſi hic ſit: (3) *Iſraelitas in deſerto per quadraginta annos Deo ſacrificium non obtuliſſe*, non levis hic nobis objicitur difficultas. Quid enim, dices, an populus Iſraeliticus, recens a Deo in Rempublicam peculiarem formatus, de cultu, de ſacrificiis ſigillatim, eorumque ratione omni & modo edoctus, duce rerum omnium & auſpice Moſe, Deo non ſacrificaſſet in Deſerto? Satis bene, & ad rem prorſus accommodate reſpondent (4) viri eruditi (1) Leges de Sacrificiis, eorumque ordine & modo, eo fine a Deo Iſraelitis datas fuiſſe, ut non tam in Deſerto, quam in Canaane obſervarentur, adeoque in Deſerto fere fuiſſe neglectas. (2) Sacrificia in Deſerto, non eo, quo decebat, modo, Deo oblata fuiſſe, quare non majorem eorum rationem Deus habuit, quam ſi plane intermiſſa fuiſſent. Similem fere in modum Deus Iſraelitas alloquitur Jeſ. XLIII. 23. vel 10. *Non obtuliſti mihi pecudes holocauſtorum tuorum, nec me ſacrificiis tuis honoraſti*. Quibus in verbis illa ſacrificia ſibi non oblata eſſe, teſtatur Deus, quæ recte oblata, adeoque grata non erant. (3) rationem Deſerti etiam non permiſiſſe, ut hoſtiæ omnes in Lege præſcriptæ Deo ſiſterentur, dum illic hærebant Iſraelitæ. Non enim tantus in Deſerto erat animalium proventus, ut ſacrificiorum Legibus commode ſatisfacere poſſent. Comma, quod jam apud Amoſum ſequitur, 26. in verſione Franciſci Junii & Tremellii ita redditum legitur: *Imo portaſtis Tabernaculum Meleci veſtri, & baſin imaginum veſtrarum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*. Ubi notabis, verba illa, quæ Tremellius vertit; *Meleci veſtri i. e. Molochi*, Ammonitarum idoli celeberrimi, poſſe etiam, & forte commodius reddi: *regis veſtri*, ut מלך hic ſit nomen non proprium; ſed appellativum. Quando præterea idem Tremellius verba hæc כיון צלמיכם tranſtulit: *baſes imaginum veſtrarum*, in cujus ſententiam alii quidam etiam concedunt, interpretum longe plurimi כיון pro nomine proprio Idoli cujuſpiam habent, eaque verba ſic vertunt: *Kiun, imagines veſtras*. Non meum eſt, lites haſce dijudicare, ne in nimium excreſcat hæc Exercitatio, tametſi pro ratione inſtituti, quædam huc ſpectantia in ſequentibus delibabuntur. Si itaque plurimorum interpretum rationes probamus, uti certe non improbamus, verba Amoſi Hebraica hunc in modum quam optime reddentur: *Imo portaſtis Tabernaculum Molochi veſtri, & Kiun, imagines veſtras, ſtellam Deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis*. Verſio lxx. ſeniorum græca h. l. ita ſonat. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφὰν, τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς. In qua lxx. ſeniorum verſione viri docti tranſpoſitionem quandam verborum notant. Nam cum verba, uti ab interpretibus græcis capiuntur, hoc ſitu & ordine legantur in Codice hebraico: *Et portaſtis Tabernaculum Molochi veſtri, & Kiun imagines veſtras, Stellam Deorum Veſtrorum, quos feciſtis Vobis*. Illi ſic tranſtulerunt Textum, tanquam in Exemplaribus ſuis legiſſent: *Et portaſtis Tabernaculum Molochi Veſtri, & Aſtrum Dei Veſtri Kiun*, (vel *Remphæ*) *imagines illorum, quas feciſtis vobis*. Tranſpoſitionis iſtius vera ratio difficulter indicari poteſt. Forte lxx. verba Amoſi aliter ceperunt, quam cepiſſe eos hactenus credidimus. Forte exiſtimarunt, verba Amoſi per ſe nonnihil obſcura, hac tranſpoſitione clariora evadere. Certe & alios interpretes in ordine & ſitu verborum ab hebraico Textu diſcrepare, ab eruditiſſimo Spencero obſervatum videmus, de Legibus Hebr. Rit. L. III.



Diſ-

Differt. I. cap. III. p. 39. Et quamvis ingeniosa sint, quæ in hoc negotio Celeberrimus Vitringa protulit Observat. Sacr. L. II. cap. I. §. 5. mihi tamen cumprimis placet Spenceri Epicrisis, quam l. c. pag. 40. reperies in hæc verba: *Satis exemplis hisce declaratum est, vel horum verborum ordinem mobilem & in dubio positum esse, vel interpretes ea pro lubitu transmutasse, ut nodo vel difficultate aliqua seipsos expedirent, & sensum elicerent (eorum judicio) magis expeditum & cohærentem.* In Oratione Stephani Martyris, qualem Lucas Evangelista eam in Commentarios retulit, versio τῶν lxx. retinetur, inque ea nihil mutatur, nisi quod verbis istis, quæ in versione lxx. seniorum leguntur: τὺς τύπυς, ὓς ἐποιήσατε, explicationis gratia, additum legamus. Προσκυνεῖν αὐτοῖς.

III. Quomodocunque autem verba Amosi Hebraica construantur, id saltem liquido omnes intelligunt, Amosum, & verbis ejus Stephanum, Israelitis in deserto Arabiæ viventibus hoc exprobrare, ipsos idolis Gentium, *Molocho*, *Kiun*, *Remphæ*, cultum exhibuisse, non modo internum mentis, sed & externum, certis, eumque in finem constitutis cerimoniis, circumscriptum. Quid enim aliud cogitare nos patitur, oppositio illa inter cultum, qui vero Deo, per sacrificia ab ipso præscripta, debetur, neglectum, & cultum idolis gentium exhibitum? An non ad cultum externum pertinet, ædiculas, Stellas, & simulachra idolorum circumgestare, quod disertis verbis Amosus & Stephanus commemorant? Sed quid quæso disertius hanc in rem dici potest eo, quod Sanctus Stephanus ad illustrandum hocce argumentum addit, omnia hæc, quæ Amosus Israelitis exprobrat, ab ipsis factitata fuisse τῦ προσκυνεῖν αὐτοῖς, *ut Numina illa cultu religioso venerarentur*, atque eos in his *serviisse Exercitui Cœlorum*. Fuerunt tamen (5) Viri eruditissimi, qui hæc Amosi & Stephani verba non proprie, sed figurate esse accipienda censuerint. Quorum si subscribimus sententiæ, dicere nihil aliud Israelitis, nisi hoc voluerunt viri θεόπνευστοι. *Portastis quidem Tabernaculum Dei vivi, eique ministrastis externo ritu, interea autem re ipsa animis Molochum, aliosque Gentium Deos coluistis.* Sed quo minus hanc eruditissimorum Virorum interpretationem admittere possimus, plurimæ obstant, eæque gravissimæ rationes. Primo enim in illis ipsis locis, quæ jam discutimus, Doctores θεόπνευστοι conceptis verbis testantur, sicuti jam monuimus, Israelitas serviisse exercitui cœlorum, i. e. Astris, & hæc adorasse, adhæc idolorum, quæ *regum* nomine passim veniunt, Tabernacula & Stellas gestasse, & Deos sibi factitasse, quæ certe non nudam aliquam mentis propensionem subinnuunt, sed cultum externum ejusque ritus solemnes manifesto produnt. Et hæc quidem opponuntur ritibus verum Deum colendi, ab ipso Deo præscriptis. Notari insuper meretur, quæ est observatio sagacissimi Vitringæ Observat. L. II. c. I. §. 12. illa Sancti Stephani locutio de Israelitis in Deserto Act. V. com. 42. Ἔστρεψε δὲ ὁ θεὸς καὶ παρέδωκεν αὐτὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τῦ ὐρανῦ καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν. Vix quisquam dubitabit, qui omnia æqua lance expenderit, quin verissimum sit, quod Lud. de Dieu, in notis ad h. l. timidius nonnihil, & post eum Vitringa confidentius asseruerunt, verba hæc: ἔστρεψε δὲ ὁ θεὸς, καὶ παρέδωκεν αὐτὺς, Hebraismum continere, & proinde sic reddenda esse: *Rursus tradidit eos Deus, ut servirent exercitui Cœlorum*, i. e. *Sivit eos Deus servire exercitui Cœlorum*. In antecedentibus Vir Sanctus dixerat de μοσχοποιΐᾳ *vitali aurei formatione & cultu*, quæ μοσχοποιΐα omni procul dubio cum cultu solemni & ritibus externis conjuncta fuit. Tale quid, permittente Deo, Israelitas posthæc iterato fecisse, verbis non ambiguis idem testatur. Ex quo dilucide apparet, sanctum hunc Martyrem loqui de cultu, qui, si ritus externos spectes, non vero Israelis Deo, sed Molocho & Remphæ, Gentium idolis, a perverso, & beneficiorum Dei immemore populo, oblatus fuerit. Pluribus hæc & alia urget Vitringa, cujus solidissima argumenta, si quidquam ego judico, rem extra omnem dubitationis aleam in tuto collocant. Mihi, postquam paucis ostendi, *Remphæ* & *Molocho* verum ab Israelitis cultum fuisse præstitum, ad summum hujus Dissertationis caput pergendum, atque discutiendum est, quisnam fuerit *Rempha*, quem Israelitæ coluerunt in Deserto.

IV. Numini illi, quod ab Israelitis in Deserto cultum fuisse, Amosus, & post hunc Stephanus referunt, nomen fuisse *Remphæ*, lxx. Seniores memoriæ prodiderunt. Ita enim illi verba Amosi in græcum sermonem converterunt. Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τῦ μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τῦ θεῦ ὑμῶν Ῥαιφαν. Quorum versionem retinuit Stephanus Martyr, aut Lucas, Orationem ejus ad Judæos nobis referens græce, Actor. VII. 43. Ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τῦ Μολὸχ καὶ τὸ ἄστρον τῦ θεῦ ὑμῶν

Ῥεμ-

Ῥεμφάν. Quibus in locis cum in Scriptura nominis Ῥαιφὰν vel Ῥεμφὰ, admodum inter se discrepent libri & editi & manu exarati, quænam sit vera peregrini hujus nominis lectio, in sequentibus indagabitur. Hic vero, antequam ipsam vocabuli hujus interpretationem moliamur, eorum excutienda nobis venit hariolatio, qui *Rempham* verum fuisse Numen negant, qui illud nullibi gentium vel adoratum, vel cognitum fuisse, asseverant, qui per solam græcorum interpretum oscitantiam, dum loco כיון legerunt in Textu Hebraico ריון, Numen hoc alias inauditum, subito nobis productum fuisse, pro certo habent. Primus, quod sciam, Drusius, hanc suam conjecturam eruditis expendendam proposuit in Comment. ad Act. VII. 43. *In Textu Hebraico est* כיון, *quod olim, cum apices abessent, legi poterat* Chevan, *inde* Revan, *&* Rephan, *& cum epenthesi* Remphan. *De facili autem* ר *in* כ *mutatur, & contra*. Confer eundem in Amosi V. 26. Videas tamen Drusium de eo dubitare, sitne error ille, qui, ut ipsi videtur, versionem græcam occupavit, in versionis illius auctores, an vero in librariorum negligentiam rejiciendus. Drusium alii sequuntur, interque eos celeberrimus & perspicacissimus Vitringa, qui Drusii sententiam nuper non modo suam fecit, sed & argumentis aliquot, si non veris, ingeniosis tamen, ut solet, propugnavit. Quibus quantum roboris & virium insit, jamjam inquiremus. Seldenum, rerum harum, si quisquam alius, maxime idoneum judicem, in sententiam suam pertraxisset Drusius, nisi illum religio retinuisset. Postquam enim Drusii sententiam, & quæ pro ea dici posse existimabat, attulisset, de Diis Syris Synt. II. c. XIV. hanc Epicrisin subdit: *Sed piaculum esto, tale quid de iis, qui Spiritu S. dictante, ex Vet. Instrumento ad rem Christianam promovendam, quid adduxere, statuere*. Equidem ratio illa, quam Vir summus adducit, Lucam dictante Spiritu S. vocem ῥηφάν, vel ῥεμφὰ ex LXX. interpretibus repetiisse, adeoque nec in Actis Lucæ, nec in versione τῶν LXX. hujus loci, errorem cogitari posse, mihi hoc in loco tanti non videtur. Si ageretur de veritate aliqua Doctrinæ Cœlestis, a judicio Seldeni recedere, omnino religioni nobis duceremus. Sed quæritur de nomine Idoli, Stephano non minus, quam auditoribus ejus, Judæis illius ævi ignotissimi, quod quomodo pronuntiaretur perinde erat, & ad scopum S. Martyris nihil faciebat, quodque Lucas, uti in versione LXX. interpretum scriptum reperiit, sine mutatione retinuit. Si omnino error aliquis in nomine proprio incognito contigisset, error esset non Lucæ, sed Græcorum interpretum. Plura hanc in rem eleganter observavit Clariss. Vitringa Observat. l. II. c. I. §. IX. quæ apud ipsum legi velim.

V. Quæ vir idem celeberrimus, pro sua & Drusii sententia attulit, sine examine dimitti non possunt. Primo enim ostendendum, & in tuto collocandum est, interpretes græcos sphalma neutiquam commisisse, *Remphah* verum esse idoli nomen, ut interpretaturis nobis illud, fidem conciliemus. Probabilem autem Vir doctissimus, aut potius, ut ipse loquitur, Observat. Lib. II. c. I. §. *9. Solidam*, putat esse Drusii conjecturam, I. Quia, si ipsum audimus, vox hebraica apud Amosum, quæ hodie a Masorethis sic reperitur punctata כיון *Kiun*, vel *Kijun*, a Veteribus utplurimum lecta & pronuntiata fuerit כיון *Kevan*, unde facile *Revan*, & *Rephan*, *Rempha* enasci potuerit. Ego vero nescio, utrum hoc, quod sibi concedi postulat vir eruditus, alii ita facile sint largituri, primitus vocabulum illud non *Kiun*; sed *Kevan*, in S. Codice lectum & pronuntiatum fuisse. Nam, si Veteres Judæi pronuntiarunt *Kevan*, quæ causa est, ut a recepta lectione abierint Masorethæ, & ignotum nobis substituerint *Kiun*? quomodo nunc in omnibus codicibus vocabulum hoc punctatum esse scimus. Neque id ex Aben-Esra & Kimchio, quorum Testimonio fretus est vir eruditus, colligi satis tuto potest. Etsi enim illi Idoli cujusdam *Kevan* meminerint, id tamen conceptis verbis a *Kiun* Scripturæ S. distinguunt. Aben-Esræ verba in Amos. V. 26. a Vitringa adducta ita sonant: ומלה כיון ידועה בלשון ישמעאל גם פרס כי הוא כיואן והוא שבתי כי עשו לו צלם: *Dictio vero* כיון *nota est in lingua cum Arabica, tum Persica. Est enim* Kevan *qui Saturnus est, cui fecerunt imaginem*. Kimchius hæc habet: ועוד פירשנו כיון שהוא כוכב שבתי וכן נקרא כלשון ישמעאל ופרס (6) כיואן: *Amplius etiam exponimus τὸ* כיון *per Saturnum, qui in Lingua Arabica & Persica Kevan dicitur*. Nemo non videt, hosce Judæorum Magistros vocem כיון, in Textu Hebræo lectam, explicare ex alia, quam Arabum & Persarum lingua ipsis suppeditat, quamque etiam alio modo, addita una litera, sic scribunt כיואן. Nihil vero vulgatius est, quam unam eandemque vocem, in diversis Dialectis, cum aliqua differentia efferri. Ipse clarissimus Vir

Vir l. c. §. *6.* observat, vocem מלך a Syris & Ammonitis *Molech*, ab Hebræis *Melech* pronuntiari. Et hæc sane obvia sunt. Nondum itaque isthoc argumento, pronuntiatio & punctatio vocis כיון, quæ nostros Codices occupat, labefactata est. Si autem hoc demus, genuinam & antiquam nominis hujus pronuntiationem esse *Kevan*, inde tamen confici non potest, ex ista hujus vocis pronuntiatione, per corruptionem enatum esse Græcorum *Revan*. In sequentibus enim ostendemus satis luculenter, LXX. non scripsisse *Revan*, vel Ῥηφὰν; sed genuinam hujus vocabuli lectionem esse Ῥεμφὰ, vel Ῥόμφά, quod a *Kevan* satis longius a *Kiun*, quæ est communis omnium codicum scriptura. Præterea, cum certum sit, כיון vocabulum esse aut Hebraicum, aut ex Syrorum & Arabum lingua derivandum, non minus certum nunc apparebit, Ῥεμφά, vel Ῥόμφά, esse originis Ægyptiacæ.

VI. Aliud argumentum nobis objicit Clariss. Vitringa, quod aliquam, prima fronte, speciem præferre videtur. Observat enim in Dissert. cit. §. *9. LXX. interpretes, tot nomina, in versione accuratiore exponenda, non translata reliquisse, nomina vero propria plane transferre non solere.* Quare *probabile* ipsi sit, *non voluisse eos hanc vertere vocem, cujus significatio genuina priscos omnes fugit, & quam proprii nominis vim habere, prisci omnes interpretes fatentur.* Multa in his coacervavit vir eruditus, quæ perpendenda paucis sunt, ut intelligatur, quænam sit argumenti hujus vis. Lubens concedo, LXX. interpretes in vertendo Hebraico Textu, usque adeo scrupulosos fuisse, ut sæpenumero nomina non propria; sed communia & appellativa hebraica retinuerint, & uti loquitur Vitringa, non translata reliquerint. Talia sunt, e. c. vocabula mensurarum, aut vasorum. Γομὸρ, κόρος, κάβος, νέβελ, & quæ sunt similia, non græca; sed pura putaque hebraica, quæ tamen aliquo modo ad naturam nominum propriorum accedunt, & vix aliter verti potuerunt. Alia apud eosdem interpretes occurrunt, quæ magis mirere, qualia sunt ἀλληλούια. *Laudate Dominum*. Δαβὶρ, quomodo transferunt דביר, partem interiorem Templi, vel *Sanctum Sanctorum*. ἐλωὶ σαβαώθ, vel θεὸς σαβαώθ. *Deus exercituum*. Βαδδὶν. *Stolæ byssinæ*, quæ vox est ipsissima hebraica, quam facile per græcam æquipollentem reddere potuissent, uti & nonnunquam fecerunt. Nempe voces hebraicas in versione sua retinuerunt LXX. Seniores, quando aut singularem illis inesse vim putarunt, aut quando Judæis, etiam græce loquentibus, communi & recepto usu tritæ erant, aut quando ancipites hæsere, quomodo quam optime, ad mentem Scriptorum sacrorum essent græce exprimendæ. Non minus fateri oportet, LXX. Seniores, nomina propria, quæ in Textu hebræo leguntur, sæpiuscule non translata relinquere. Quædam enim nomina propria, v. g. nomina virorum & mulierum, id omnino non patiuntur. Ubi vero res ipsa id permittit, veluti in nominibus regionum, urbium, fluviorum, idolorum &c. quæ pro diversitate Gentium & linguarum, diversis quoque nominibus gaudent, videmus profecto, LXX. interpretes id non raro fecisse. Regio circa Babylonem urbem in S. Literis vocatur שנער *Sinear*. Quia autem situs illius regionis LXX. Senioribus incognitus non erat, in versione nonnunquam adhibere solent nomen communius, & tritum omnibus, Βαβυλωνίαν, ut Jes. XI. 11. דודנים vel רודנים verterunt Ῥοδίους. Gen. X. 4. & 1. Paralip. I. 7. quia putarunt, Insulam Rhodum, populi hujus fuisse sedem. תרשיש, cujus in Prophetis aliquoties mentio occurrit, quamque eruditiores putant esse Hispaniam, nonnunquam reddunt καρχηδόνα, ut Ezech. XXVII. 12. putantes subinnui *Carthaginem* urbem. Vel una Paradisi descriptio, plura hujusmodi exempla nobis subministrat Gen. II. Namque ibi כוש reddunt αἰθιοπίαν; חדקל vertunt Τίγριν. פרת ipsis dicitur Εὐφράτης. Eundem morem sequuntur, quando in Textu Hebraico peregrinorum idolorum nomina ocurrunt. תרפים norunt omnes, esse idola Syrorum, quorum in historia Labanis, & post hæc sæpius mentio occurrit. Nonnunquam nomen hoc retinent græci, scribentes θεραφίν. Alia interpretantur γλυπτὰ, *Sculptilia*, εἴδωλα, *imagines*, & aliis præterea modis, uti pridem Seldenus annotavit, de Diis Syris Synt. I. c. II. p. 102. בעל זבוב Numen Accaronitarum interpretantur, Βαὰλ μυῖαν, *Baal Muscam* 2. Reg. I. 2. & quæ his similia alia adduci possent. Non alienum est ab instituto meo, quoniam *Rempha* Ægyptiorum Numen esse, ostendetur, observasse, LXX. interpretes, qui in Ægypto scribebant, quique rerum & antiquitatum illius regni se non imperitos ostendunt, in explicandis & transferendis nominibus Ægyptiacis, solito fuisse diligentiores. Itaque מצרים, quomodo constanter ab Hebræis Ægyptiorum regio appellatur, Græci interpretes semper vertunt αἴγυπτον. In historia Josephi mentio occurrit

rit urbis און, cujus ſacerdos fuit Potiphera, Joſephi Socer. Gen. XLI. 45. In verſione τῶν LXX., eadem urbs redditur ἡλιόπολις, ex quo demum intelligimus, quod alioquin nos lateret, urbem Sacris Ægyptiorum celeberrimam, Heliopolin, ipſa Ægyptiorum Lingua, antiquitus *On* nuncupatam fuiſſe. Confirmat hoc Copticus Pentateuchi interpres, typis nondum deſcriptus, qui, etſi verſionem ſuam, non ad Textum Hebraicum, cujus plane ignarus erat, ſed ad interpretationem LXX. Seniorum adornarit, hoc tamen loco, nomen vero Ægyptiacum illius urbis, ſibi notum, &, uti par eſt credere, tum adhuc uſitatum ΩN, reſtituit. Regiam Pharaonis, in cujus conſpectu tot miracula edidit Moſes, diſcimus fuiſſe צוען *Tzoan*. Pſalm. LXXVIII. 12. Ex verſione autem LXX. Seniorum conſtat, hanc eſſe urbem, quam Græci communiter vocant Τάνιν. Sic enim vertunt. Thebaidis, ſive Ægypti ſuperioris urbs fuit præcipua, quam ſacri Scriptores נא אמון *No Ammon* appellant. Jerem. XLVI. 25. Ezech. XXX. 15. Nahum. III. 8. Mirari ſatis non poſſum, Hieronymum quondam, & poſt eum, interpretes recentiores haud paucos, qui *No Ammon* Alexandriam eſſe putant, in explicando hoc nomine adeo potuiſſe aberrare, cum compoſitio vocis ex נא & אמון ipſos ad perſpiciendam veram interpretationem certo dirigeret. אמון enim *Ammon* vel *Hammon*, vel, ut Scriptores græci efferre ſolent, (7) Ἀμῶν, nomen eſſe Divinitatis in Ægypto religioſiſſime quondam cultæ, quam Græci & Romani (8) *Jovem* interpretari ſolent, omnes illico facile intelligunt. נא vero (*Nob*) Ægyptiorum ſermone *ſortem* & *poſſeſſionem* deſignat, quod vel ſola conjectura (9) ex compoſitionis ratione, quivis paulo ſagacior aſſequi poteſt. Erit igitur נא אמון, *Jovis poſſeſſio*, vel *Jovis urbs*, Διόσπολις, uti Græcos interpretatos eſſe hoc nomen deprehendimus. Namque Nahum. III. 8. vertunt μερίδα Ἀμμὼν etymologice, id enim juxta literam *Nob Ammon* Ægyptiis ſignificat. In loco autem Ezech. XXX. 15. adhibent nomen, quo Græci communiter tum urbem illam ſolebant nuncupare, Διοσπόλεως. Eadem nempe eſt urbs, quam Scriptores frequentius *Thebas Ægyptias* vocare conſueverunt. Strabo Lib. XVII. p. m. 61. Μετὰ τὴν Ἀπόλλωνος πόλιν αἱ Θῆβαι, καλοῦνται δὲ νῦν Διόσπολις. Ptolemæus in Geographia Ægypti. Θηβῶν νομὸς, καὶ μητρόπολις Διός πόλις. Tot exemplis itaque oſtenſum eſt, LXX. Seniores nomina peregrina, ſi eorum ſignificatio ipſis eſſet perſpecta, & ſi res ipſa id permitteret, in græcum ſermonem tranſtuliſſe, aut per vocabula notiora omnibus declaraſſe. Cumque certiſſimum ſit, eos in nominibus Idolorum peregrinis idem feciſſe, quis dubitabit, quin hoc ipſum in loco noſtro Amoſi contingere pariter potuerit? Subruto itaque fundamento hoc, LXX. Seniores nomina propria transferre non ſolere, quicquid illi ſuperſtruit Vitringa, tanti non eſt, ut morari nos debeat. Demus jam, quod tamen omnibus non placet, כיון eſſe nomen proprium Idoli. Quid vetat, quominus illud in verſione ſua, alio vocabulo, in Ægypto, ubi ſcribebant, notiori, declararint, aut potius nomen antiquiſſimum illius idoli, recens ex Ægypto ab Iſraelitis in Deſertum advecti, ſed poſtea obliterati, reſtituerint LXX. Seniores? Forte autem Amoſus nomen proprium illius idoli plane reticet, indicans tantum fuiſſe *regem ipſorum* & Numen, quod a LXX. Senioribus demum explicationis gratia additum eſt. Nec magis cauſam viri eruditi juvat, quod illico addit, *genuinam ſignificationem vocis* כיון *omnes priſcos fugere*. Unde enim hoc colligit vir magnus? An ex fluctuatione & hæſitatione hodiernorum interpretum? Sed quam multa hodie nos latent, poſt deperdita tot nobiliſſima vetuſtatis monumenta, poſt interceptas & oblivioni commiſſas tot Gentium antiquas Traditiones, quæ LXX. Senioribus recte cognita atque perſpecta erant? Quis hodie ſciret, urbem און, cujus memoriam in Commentariis ſuis Moſes reliquit, eſſe urbem Ægypti quondam clariſſimam *Heliopolin*, niſi interpretes græci, rei hujus probe gnari, id nos edocuiſſent? Et jam, poſtquam ex illorum verſione id didicimus, aliis indiciis & argumentis, rem certo ita ſe habere, ſic probare poſſumus, ut dubio locus nullus ſuperſit. Conſervabantur certe illo tempore, quo LXX. Seniores ſcribebant, nec minus poſtea, traditiones etiam illarum rerum, quæ in Ægypto, & in Deſerto Iſraelitis evenerant, & quas tamen Moſes prætermiſit, non adeo obſcuræ aut ſpernendæ, quin ipſi quoque ſcriptores θεόπνευστοι, illis nonnunquam uti dignarentur. In Stephani Protomartyris Oratione ad Judæos, Act. VII. talia occurrere, ipſe, qua erat ſagacitate, Vitringa obſervavit, citata Differt. §. XVI. Et quis ignorat, Paulum Apoſtolum nomina Magorum, quibus cum Moſi res fuit in Ægypto, *Jannis* & *Mambris*, etſi ipſe in hiſtoria ſua eorum nomina tacuerit, adferre 2. Tim. III. 8.

Un-

Unde illa hausit Paulus, nisi ex Traditione vetusta? ex qua eadem nomina referunt Scriptores (10) Judæi & (11) Gentiles.

VII. Denique & hoc pro causa Drusii, quam suam fecit eruditissimus Vitringa, adserre æquum putat, LXX. *interpretes*, qui pro כיון *Kevan*, nomine sibi ignoto, per negligentiam facile condonandam, legerint ריון *Revan*, aberrare facile potuisse, cum *etiam alias*, *literas hasce* ר & כ *in codice suo aut non recte discretas*, *aut ab imperita manu immutatas pro iisdem acceperint*. Observat. l. II. c. I. §. IX. Certe LXX. interpretes, literam unam cum alia sæpe confudisse, post Hieronymum Critici plurimi observarunt, & rationibus invictis probarunt. Quin imo literas has כ & ר, de quibus nunc agitur, eandem subiisse sortem, ut una pro altera acciperetur, luculenter demonstravit meritissimus ille de Philologia S. Glassius Philol. S. lib. IV. Tract. III. cujus observatione satis opportune hoc loco utitur Vitringa. Namque ubi Nahum. I. 6. in hebraico legitur חמתו נתכה כאש, græci verterunt ὁ θυμὸς αὐτȣ̃ τήκει ἀρχὰς, unde cuivis manifestum est, græcos pro כאש, *sicut ignis*, legisse ראש, quare vocem hanc reddiderunt ἀρχὰς. Verum isthoc argumento id tantum conficitur, LXX. Seniores, tales nonnunquam errores commisisse, quod in hoc loco similiter contigisse, aliis rationibus probandum est. Præterea, etiamsi ר cum כ non difficulter commutari posse, largiar, quomodo tamen כיון, *Kiun*, quæ est lectio constans Codicis Hebraici, argumentis non usque firmis sollicitata, in Ῥεμφὰ, vel Ῥομφὰ, quæ est genuina hujus loci in versione τῶν LXX. scriptura, transformari potuerit, dictu sane longe difficilius est. Sed dubium omne tollit accuratior vocis Ῥεμφὰ indagatio, quod cum sit Ægyptiacum, cumque illud & verbis Amosi probe sit accommodatum, & in universum, Israelitarum in Deserto cultum idololatricum insigniter illustret, cui in mentem posthæc venire poterit, *Rempha* Græcorum, ex *Kiun* Hebræorum corruptum & immutatum fuisse.

VIII. Superatis stisce difficultatibus, id jam, cujus causa præcipue hanc Dissertationem conscripsi, agendum mihi restat, ut *Remphæ* vocabulum explicem, & hanc meam explicationem, si possim, idoneis argumentis confirmem. Aliquoties jam in superioribus monere debui, vocabulum hoc non aliunde, quam ex Antiquitate & lingua Ægyptiaca deduci recte posse. Quare, qui aut ejus parum memores fuere, aut, cum Linguæ Ægyptiacæ rudes essent, de vocabulo tamen Ægyptiaco pronuntiare conati sunt, operam & oleum perdidere. Esse autem hoc vocabulum Ægyptiacum, argumentis ostendi potest, nec paucis, nec levibus. Nam ex aliis Orientalium linguis frustra ejus explicationem tentari, vani hactenus doctissimorum virorum in hoc argumento conatus, satis testatum faciunt. Quare, ut temporis aliquod compendium faciam, etymologias omnes, aut ex Hebraica, aut Arabica, aut alia Orientalium lingua petitas, utpote, quæ in censum venire nequeunt, silentio prætermittam. Certe Amosum, & post eum Stephanum, loqui de cultu Numinis alicujus Ægyptiaci, res ipsa seria æstimatione pensitata, per se unumquemque docere potest. In desertum Israelitæ transierant ex Ægypto, quæ ipsos in lucem ediderat ac enutriverat. Cum Ægyptiis vixerant, eorum cultum quotidie viderant, illorum moribus erant adsueti. Illorum de cultu summi Numinis, per imagines, symbolico, ideas imbiberant. Hæc omnia, quæ aliquam sapientiæ speciem præ se ferebant, quæque hominibus nondum regenitis, nondum spiritualibus, facile placent, non ita cito dedidicerant. Dum versarentur adhuc in Ægypto Israelitæ, ab omni idololatriæ contagione liberi non fuerant. Insignia eam in rem sunt verba Ezechielis cap. XX. com. 6. &c. *Die illo, quo sublata manu mea juraveram illis, me deducturum illos e terra Ægypti - Edixeram eis, quisque res detestandas oculis suis abjicite, & stercoreis diis Ægypti ne polluatis vos. Rebellantes contra me noluerunt auscultare mihi, & stercoreos Deos Ægypti non abjecerunt*. Quis jam non libenter credat, Israelitas, cum spreto unius veri Dei præscripto, ἐθελοθρησκείαν animo concepissent, ad illum potissimum rediisse cultum, cui a teneris in Ægypto adsueverant, etsi non negem, illos præter Ægyptiorum superstitiones, aliarum quoque gentium, quarum commercio utebantur, Numina & cerimonias adscivisse. Et sane in Deserto Israelitas eosdem *Deos stercoreos*, quorum cultum in Ægypto Deus ipsis interdixerat, veneratos tamen fuisse, Ezechiel disertis verbis testatur cit. cap. com. 16. & 24. Et quid aliis testimoniis opus est, cum vitulus aureus, a populo hoc solemnibus ritibus in Deserto cultus, testimonium nobis offerat, omni exceptione majus. Mihi vero dubium nullum est, quin *Remphah* ipse ille vitulus aureus fuerit, aut, quin cultus Remphæ idem fuerit

cum

cum vituli aurei cultu. Id profecto Stephanus Martyr satis aperte indicat, in Oratione ad Judæos, Act. VII. 39. &c. *Mosi noluerunt auscultare patres nostri, sed repulerunt eum, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum. Dicentes Aharoni: Fac nobis Deos, qui præeant nobis -- Et vitulum fecerunt per illos dies -- Rursus autem Deus eos tradidit, ad colendum Exercitum Cœli. Sicut scriptum est - bajulastis Tabernaculum Molochi, & sidus Dei Vestri Rempha.* Quæ adeo luculenta sunt, ut jam dudum (12) Viri eruditissimi judicaverint, *Rempham* videri esse vocabulum Ægyptiacum. Quam vero judicium illud veritati consentaneum sit, sequentia, ut spero, docebunt.

IX. Non defuerunt itaque eruditi, qui nominis *Rempha*, ex antiquitate & lingua Ægyptiaca, ut putant, expositionem nobis offerrent. Lud. Capellus, in Act. VII. 43. nec citra aliquam speciem, existimat, se Numinis hujus vestigia Ægyptiaca reperiisse in Diodoro Siculo, qui histor. Lib. I. regi cujusdam Ægyptiorum, *Remphis* nomine, mentionem injicit. Cum enim ille colligendis pecuniis unice deditus fuisset, ut, teste Diodoro, moriens, XL. Myriades Talentorum reliquerit, hinc verosimile fit Capello, *Remphin* Diodori esse Pharaonem illum, qui Josephum Ægypto præfecit, quique ex annonæ divenditæ copia, & Ægypti, & vicinarum regionum pecuniam corrasit. Eundem conjicit, ab Ægyptiis ob conservatam Ægyptum, ab Israelitis vero ob beneficia in se collata, honoribus divinis mactatum fuisse. Quæ viri eruditi conjectura adeo placuit Johanni Braunio, Select. Sacr. Lib. IV. c. IX. §. 132. ut assensum suum his testaretur verbis: *Rectius existimare videntur eruditi alii, Seniores, cum in Ægypto Biblia verterint, in gratiam Ptolemæi regis Ægyptiacam ῥεμφὰν, quæ idem significaret, ac apud Amosum Hebræorum* כיון *Chiun. Id eo facilius crederem, cum teste Diodoro Lib. I. Ægyptus antiquissimis temporibus, habuerit regem* Ῥέμφιν, *qui procul dubio fuit ipsissimus* כיון *Chiun.* Sed hanc sententiam non uno nomine mihi displicere fateor. Nam Ægyptios eo insaniæ processisse, ut mortuos homines in Deorum numerum referrent, & ab iis beneficia expectarent, quæ Osiridi, Isidi, reliquisque Numinibus suis in acceptis ferebant, id quidem mihi nemo persuadebit. Sub involucris Fabularum, quas de Osiride, & Iside, aliisque Numinibus, ex Ægyptiorum Traditione, commemorant Herodotus, Diodorus, Plutarchus, & alii, latere Arcana Astrologiæ & Physiologiæ Ægyptiacæ, & multi cum veteres, tum recentiores agnovere, & si res tanti esset, demonstrari facillime posset. Quod si autem mortales quosdam cœlo intulissent Ægyptii, causa nulla est, cur id Remphi huic contigisse, suspicemur. Diodorus enim, Lib. I. p. 56. Edit. Wechel., qui illum in serie regum Ægypti recenset, non modo non meminit, eum singularibus, nedum divinis honoribus ab Ægyptiis ornatum fuisse; sed nec quicquam in eo laudabile commemorat, quod nomen ejus posteritati commendare potuerit. Exprobrat ipsi μακροψυχίαν, *pusillanimitatem*, & φιλαργυρείαν ἦθος, quod interpres vertit *sordidam ingenii avaritiem*, quæ impediebant eum, quominus quicquam ex pecuniis amplissimis, undique congestis, vel in sacra Deorum munera, vel in publicam hominum utilitatem erogaret. Quare hoc de eo judicium tandem fert, *fuisse non regem bonum; sed bonum Œconomum*. Si ad nomen Ægyptiacum attendas, ΡΗΜΦΙ, non incommode *negotiatorem bonum* interpretari possis, quam tamen veram esse nominis hujus interpretationem, affirmare non ausim. Quis autem credat, Ægyptios in eum, quem ne boni quidem regis nomen mereri putabant, honores omni sorte humana multo augustiores conferre voluisse? Si in nomine hujus regis latet aliquod Divinitatis nomen, quod vero dissimile non est, dicendum potius fuerit, regem hunc, more Ægyptiorum pervulgato, nomen ab aliqua Divinitate tractum adscivisse, qua de re quædam in sequentibus monebo. Cui vero persuadebunt viri eruditi, Arabes, & Syros, eundem regem Ægyptium Remphin, sub nomine כיון honoribus divinis prosecutos esse, aut, quod multo creditu est difficilius, Israelitas homines, & quidem demortuos adorasse, & cultu publico veneratos fuisse?

X. Majorem sibi fidem conciliavit auctor Lexici Coptico-Arabici, ab Athan. Kirchero primum editi, qui nomina planetarum Arabico-Ægyptiaca se referre profitetur, inter quæ ΡΗΦΑΝ, tanquam Saturni stellam designans, locum quoque habet. Nomina illa Planetarum, sicuti in (13) Lexico Kircheriano edita sunt, adjiciam, nisi, quod loco Arabicæ interpretationis, versionem latinam, ex Arabico a Kirchero concinnatam additurus sim. Sic autem habent. ΤΛΙΑ & ΠΙΡΗ *Sol.* ΚΤΛΙΝΗ & (14) ΠΙΙΟΖ, *Luna* ΡΗΦΑΝ. *Saturnus*. ΠΙΖΕΤΣ, *Jupiter*. ΜΟΛΟΧ, *Mars*. ΚΟΤΡΟΤ, *Venus*. ΠΙΕΡΜΙΚ, *Mercurius*. Hæc, si crede-

re

re fas eſt, nomina ſunt vetuſta Planetarum Ægyptiaca, in quo nimis patienter, verba ſibi dari, paſſi ſunt quidam Viri eruditiſſimi. Inter quos Lud. de Dieu, Criticus non obeſæ naris, tanquam de theſauro maximi pretii reperto, hunc in modum gloriatur in Actor. VII. 43. *Jam cecidit recepta fere apud omnes eruditos ſententia*, ῥεμφὰν *apud* LXX. *interpretes corruptum eſſe ex Hebraico* כיון, *pro quo* ריון *legerint, inde* ῥεφὰν. *Laudandi jam doctiſſimi prudentiſſimique interpretes, quod, cum in Ægypto, in Ægyptiorum gratiam, a Philadelpho Ægyptiorum rege vocati, Biblia in græcam linguam transferrent, ignotum Ægyptiis* כיון *Hebræorum, in notiſſimum ipſis* ῥεφὰν *tranſtulerint*. Non minori plauſu magnus ille Literarum Orientalium promus condus, Sam. Bochartus, expoſitionem illam excepit. Poſtquam enim eam protuliſſet Geogr. Sac. Part. 1. Lib. 1. c. XV. hoc ſuum judicium adnectit. *Inde certa Lux Amoſi verbis, juxta græcam Editionem, quam ſequitur Martyr Stephanus* Act. VII. 43. *In quibus explicandis aqua hæſerat hactenus interpretibus, quos fugerat, cur Ræphan reddatur Hebræum* כיון. *Sed jam ratio eſt manifeſta &c.* Cui, ut alios jam prætermittam, jungendus Claud. Salmaſius, Literarum ſuo tempore Princeps, quique aliquam linguæ Ægyptiacæ cognitionem ſibi paraverat. Is, hanc interpretationem in dubium vocari non poſſe, exiſtimat. Sic enim ſcribit de Ann. Climact. p. 596. 597. *In Lexico Ægyptiaco, in planetarum nominibur*, ἄρης *Mars Ægyptiæce vocatur* Μολὸχ, *&* *Saturnus* Ῥηφάν. *Duo hæc nomina in verſione Septuaginta reperiuntur. Et hoc pro* כיון, *quo nomine Saturni Stellam Judæi appellarunt. Ut non dubium ſit, quin* Ῥέφαν *Ægyptiis vocatus ſit Saturnus*. Pace vero tantorum Virorum, mihi non modo interpretatio illa dubia videtur; ſed & certum eſt, Ῥηφὰν neque ſtellam Saturni, neque omnino aliquid Ægyptiis ſignificaſſe, adeoque, ceu vocem adulterinam, ex ſermone Ægyptiaco, in quem furtim ſeſe inſinuavit, ejiciendam penitus eſſe. Et certe fraus, quam hoc in loco auctor Lexici Kircheriani commiſit, tam eſt craſſa & indocta, ut illis etiam, qui Linguæ Ægyptiacæ periti non ſunt, ſubolere facile potuerit. Audiamus hoc Spenceri judicium de Legibus Hebr. lib. III. Differt. 1. c. III. p. m. 36. *Unum quod hic objici poſſit, & Lectorem ſuſpenſum teneat, breviter enodabo. Hoc nempe Fragmentum (uti creditur) Ægyptiacum, temporum recentiorum figmentum eſſe, nec quicquam veteri Ægypti continere. In eo enim Mercurius* Πιερμῆς, *Jupiter* Πιζεὺς, *& Sol* Πιρὴ *dicitur, cum Jovem* Ammun, *Mercurium* Thot, *& Solem* Oſirin, *ab antiquis Ægyptiis appellatum fuiſſe, nec pueros fugiat. Ideoque* Remphan *olim apud Ægyptios Saturnum indicaſſe, temere colligitur e fidei tam ſubleſtæ, vel incertæ, teſtimonio*. Ultimum hoc veriſſime pronuntiavit doctiſſimus vir, etſi id ab aliis ſibi tantum objici fingat. Quis enim credat, Ægyptios *Solem* appellaſſe ΤΛΙΑ, & *Lunam* ΚΥΛΙΝΗ? quæ nomina non modo non ſunt Ægyptia, ſed ne græca quidem. Quis credat, eoſdem *Planetam Jovis*, nomine græco ΠΙΖΕΙϹ nuncupaſſe, cum Jovem Lingua ſua *Amun* dixerint? Quis credat, eos Mercurii Planetam vocaſſe ΠΙΕΡΜΙϹ, cum is ſermone Ægyptiorum *Thot*, aut potius *Anubis* audierit. Scimus præterea aliam denominationis Planetarum apud Ægyptios rationem fuiſſe, aliam apud Græcos, uti conſtat inſigni Teſtimonio Achillis Statii. Sic enim auctor ille eruditus: (in Uranologio Petavii editus) Τὰ ὀνόματα τῶν πλανήτων διαφόρως ἐκλήθησαν αἰγυπτίοις γὰρ καὶ ἕλλησι τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ, καὶ τοι ἀμαυρότατος ὢν, φαίνων λέγεται, ἀλλὰ παρ' ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται οὕτω. Παρὰ δὲ αἰγυπτίοις ΝΕΜΕΣΕΩΣ ἈΣΤΗΡ. δεύτερος ὁ τοῦ Διὸς καθ' ἕλληνας φαέθων. κατὰ δὲ αἰγυπτίους ὈΣΙΡΙΔΟΣ ἈΣΤΗΡ. Τρίτος ὁ τοῦ ἄρεως παρὰ μὲν ἕλλησι πυρόεις· παρὰ δὲ αἰγυπτίοις ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ἈΣΤΗΡ. τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ καλεῖται παρὰ μὲν ἕλλησι στίλβων, παρὰ δὲ αἰγυπτίοις ἈΠΟΛΛΩΝΟΣ ἈΣΤΗΡ. Ex illuſtri hoc Teſtimonio certum eſt, Ægyptios non habuiſſe Planetam Saturni, vel ejus Divinitatis, quam Græci Saturnum interpretantur, ſed *Nemeſeos*, Planetam Jovis apud Ægyptios fuiſſe ignotum, quorum Sermone ille dicebatur *Herculis Stella*, non agnoviſſe Planetam Mercurii, quem ipſi nuncupabant ſtellam *Apollinis*, vel *Hori*. Aliud jam nos docere conatur recens auctor putidi illius Planetarum catalogi, quem Ægyptiacum appellat, quem tamen Ægyptii veteres, ſi videre poſſent, nunquam intellecturi eſſent. Aliquid nihilo tamen minus, ad difficultatem hanc, quam ipſe non citra rationem moverat, reſponderi poſſe, putat Spencerus. *Fatendum eſt*, inquit, *nonnullo Planetarum nomina, in Catalogo jam dicto, recenſita, græcam originem olere*. Itaque fruſtra venditantur pro Ægyptiacis. Sed pergit: *Hoc non obſtat, quo minus aliqua ſuperſint* (nempe in ſermone Coptico, quem antea dixerat, plures habere voces

ces græcas, quam Ægyptias ) *hodie veteris Ægypti vocabula, & nonnulla Planetarum nomina, ( Remphan inprimis ) ad originem Ægyptiacam referantur*. Libenter concedo, in ſermone Coptico, quem vir eruditus ab Ægyptiaco diſtinguit, aliqua ſupereſſe Veteris Ægypti vocabula. Quin imo certum eſt, quod jam publice monuit Vir de Lingua Ægyptiaca optime meritus, omniumque, qui poſt Ægyptum ab Arabibus penitus ſubjugatam, vixerunt, illius linguæ peritiſſimus, (15) M. V. La Croze, integram pene Ægyptiorum linguam ex Libris Copticis facile reſtitui poſſe. Etſi enim verſiones S. Scripturæ, aliorumque librorum Eccleſiaſticorum in ſermonem Ægyptium, vocibus græcis abundent, hoc tamen, quod falſo credidere eruditi plurimi, non penuriæ & paupertati Linguæ Copticæ tribuendum eſt; ſed conſuetudini paulatim invectæ. Uti enim Germani noſtri ſermoni ſuo innumeras inſerere ſolent voces Latinas & Gallicas, ſingularem, uti putant, emphaſin ſpirantes, quamvis non deſint germanicæ voces, idem ſignificantes, ita Ægyptii pariter poſt tempora Ptolemæorum, & poſtquam Romanis paruere, præſertim ubi Chriſtianorum Religio invaleſcere cœpit, innumeras adſciverunt voces græcas; ſed ita tamen, ut antiqua gentis ſuæ vocabula, ex Lingua ſua non penitus eliminarent. Quare, quod uno loco græca voce exprimunt Ægyptii, alio loco vocabulo patrio, vere Ægyptiaco deſignare ſolent. Et pauciſſimæ omnino voces græce in Coptorum libris occurrunt, quibus non genuinæ & antiquæ voces Ægyptiæ ſubſtitui poſſint. Sed nunc diſputamus de ſpurio illo Planetarum Ægyptiacorum Catalogo, ex quo, ſi quis totam linguam Ægyptiacam æſtimare venit, non poterit non eam contemtui habere. Quid igitur de illo Catalogo Spencerus? *Hoc non obſtat*, inquit, *quo minus nonnulla Planetaoum nomina, Remphan inprimis ad originem Ægyptiacam referantur*. Mihi vero certiſſimum eſt, nullum hic occurrere vocabulum vere Ægyptiacum, ſi excipias ΠΙΡΗ, *Solem*, & ΠΙΙΟΖ, *Lunam*, vocabula in omnibus Coptorum libris centies occurrentia, quæ ignorare non potit Lexici illius auctor. Quare fallitur vir doctiſſimus, quando auctorem illius catalogi in eo quoque aberraſſe autumat, quod Solem ΠΙΡΗ nuncupari ſcripſerit, *cum Solem ab antiquis Ægyptiis Oſirin appellatum fuiſſe, nec pueros fugiat*. Nam Solem Ægyptii non Oſirin vocarunt, ſed ΠΙΡΗ. Oſiris quidem numen erat Ægyptiis ſanctiſſimum, in quo vim & virtutem Solis venerabantur, quemadmodum fere Græci in Apolline. Sicuti tamen Græci *Solem* in communi uſu, non Ἀπόλλωνα; ſed ἥλιον, *Lunam* non Ἄρτεμιν; ſed σελήνην nuncuparunt, ita Ægyptii quoque communiter, *Solem*, non *Oſirin*; ſed ΠΙΡΗ, *Lunam*, non *Iſin*; ſed ΠΙΙΟΖ appellarunt. Exceptis his vocabulis, in quibus Copti errare non potuerunt, cetera omnia ſunt commentitia. De ΠΙΖΕΥC & ΠΙΕΡΜΗC jam diximus. Reliqua, etſi typum aliquem Ægyptiacum præ ſe ferant, tamen melioris commatis profecto non ſunt. ΜΟΛΟΧ enim haud quaquam eſt nomen Ægyptiacum; ſed Syriacum, uti omnes norunt. Et ſcimus ex verbis Achillis Sattii, ſupra citatis Ægyptios *Martem* Planetam, ſermone ſuo dixiſſe (17) *Stellam Herculis* ΚΟΥΡΟΥ, quomodo Venerem ab Ægyptiis vocatam eſſe, Catalogus ille ſpurius nugatur, vox eſt, Ægyptiis veteribus prorſus ignota. Numen illud Ægyptiorum, quod Græci Ἀφροδίτην, *Venerem* interpretantur, Lingua vernacula, novimus, non Συρότ; ſed Αθῶρ dictam fuiſſe, ex teſtimonio fide digno (17) Orionis Grammatici, gente Ægyptii, in hæc verba ſcribentis: Καὶ τὴν Ἀφροδίτην αἰγύπτιοι καλοῦσιν ἀθώρ, καὶ μῆνα γε τὸν τρίτον τοῦ ἔτους ἐπώνυμον ταύτῃ πεποιήκασιν. *Venerem Ægyptii vocant Athor, a qua & tertium anni menſem denominarunt*. Non itaque Συρὸτ nomen erat illius Numinis, quod Veneris Planetæ præerat; ſed Αθώρ. Reſtat ΡΗΦΑΝ, *Planeta* ſcilicet, ſi Catalogum audimus, *Saturni*. At modo ex Achille Statio didicimus, Planetam hunc ab Ægyptiis, lingua patria dictum fuiſſe *Stellam Nemeſeos*. Unde apparet, Planetæ huic, ex ſententia Ægyptiorum, præfuiſſe Numen Sexus Fœminei, cui, ſi in iſtiuſmodi rebus conjecturæ indulgere licet, lingua Ægyptiaca nomen fuit πθράμβω. Epiphanius, in loco memorabili, Expoſit. Fidei Cathol. num. XII. ( Opp. p. 1093. D. ) ait: *Tithrambo* ἑρμηνευομένην, *ſi eam græco vocabulo interpretari velis, eſſe Hecaten*. Nomen Ægyptia cum πθράμβω, & Hecate, & Memeſi Græcorum ſatis bene accommodari poteſt. Significat enim & *furentem ira*, & *indentem aliis furorem & iram*. Sed hæc hujus loci non ſunt. Et ut paucis omnia comprehendam, Ῥήφαν, ſi in originem ejus Ægyptiacam inquiras, nullum ſenſum commodum fundit. Sed, dices forſitan, an AEgyptii nomina Planetarum, ſua lingua uſitata, ignorare cenſendi ſunt? Et unde tandem nomina illa de-

promserunt, nisi sint Aegyptia? Huic difficultati facile obviam ire possumus. Etenim ab aliquot jam retro Seculis, Christianis Coptis lingua vetus Aegyptiaca non magis vernacula fuit, quam hodie Italis Latina, ant Judæis Hebræa. Lingua patria, quam loquuntur omnes, ipsis jam dudum fuit Arabica. Non est, qui linguam Aegyptiacam in communi vitæ usu adhibere soleat, aut forte etiam possit. Michael Wanslebius, cujus de itinere suo in Aegyptum relatio eruditorum manibus teritur, in Galliam redux, existimavit, aliisque retulit, uti, cum Lutetiæ Parisiorum versarer, a celeberrimo tum Eus. Renaudoto accepi, se vidisse illum, qui inter Coptos omnes, Linguæ Copticæ notitiam ultimus habuisset, & cum quo illa intermortua penitus fuisset. Simile quidpiam is ipse indicare videtur, ubi in relatione itineris sui Aegyptiaci Gallica, p. 312. de quodam Lexico Coptico-Arabico a se viso, hoc judicium fert: *Dicere ausim, solum hoc Lexicon Copticum, & Grammaticam illi adjunctam, sufficere ad restituendam Linguam Copticam hodie deperditam.* Equidem non usque adeo periit omnis veteris linguæ Aegyptiacæ peritia. Nam etiam hodie superesse quosdam, licet paucos, qui libros vetustos lingua Coptica conscriptos, præcipue Ecclesiasticos & rituales, legere, & beneficio versionis Arabicæ, quæ tantum non semper in eorum Codicibus Textui Coptico adjecta legitur, intelligere queant, ex relationibus eorum, qui post Wanslebium Aegyptum adierunt, Pauli Lucæ, Du Bernatii, &, si qui sunt alii, satis perspicitur. Nulla tamen Linguæ Aegyptiacæ vocabula norunt, quam quæ in Libris suis, quos ætas tulit, legere, &, ut dixi, ope interpretationis Arabicæ explicare possunt. Nomina Planetarum, auctor Catalogi Kircheriani, ex interpretatione τῶν LXX. Coptica, haud dubie promsit. Cum itaque in illis ΠΙΡΗ pro *Sole*, ΠΙΙΟΖ pro *Luna* toties legantur, in illis errare non potuit. Planetas *Jovis* & *Mercurii*, cum in libris suis non legisset, eorum nomina subito ex græco confinxit, addito articulo Masculini generis ΠΙΖΕΥϹ, ΠΙΕΡΜΗϹ, quæ tamen etiam occurrunt in versione Coptica Actor. XIV. 12. 13. Quod ad *Stellam Martis* attinet, quam in Catalogo Kircheriano ΜΟΛΟΧ reddi videmus, illa interpretatio ex versione τῶν LXX. defluxit. Vocem enim hanc in versione illa græca repertam, in qua sæpius occurrit, interpretes Copti retinuerunt, quemadmodum in Versione eorum N. Testamenti, Oxonii edita, & quidem loci Act. VII. 43. factum esse videmus. Quid vero illud vocis, alioquin plane ignotum, sibi vellet, Copti recentiores, ex versione Arabica, aut ex Scholiis, nonnunquam adjectis, didicerunt. Etsi *Molochum* plerique Saturnum explicent, sunt tamen inter veteres, qui Moloch, *Stellam Martis* interpretentur, interque illos R. Levi ad Levit. XVIII. 21. ( apud Drusium in Comment. ad eundem locum ) Quæ interpretatio Coptis tanto magis placuisse videtur, quod sic ad designandum Saturni Planetam aliam vocem superesse viderent, nempe Ῥηφὰν, sic enim in suis codicibus vocem hanc scriptam deprehendisse videntur. Idem omnino dicendum de ΡΗΦΑΝ, quod nomen Saturni esse Aegyptiacum, auctor Catalogi Planetarum scribit, nempe in Versione Coptica librorum Sacrorum a se inventum, & hunc in modum expositum. Ita sane in Scholio aliquo Coptico ad Act. VII., 43. quod ex Cod. MS. Vaticano Kircherus ( in Lingua Aegyptiaca restituta p. 527. ) protulit, ΜΕΛΟΧ exponitur *Deus destructionis, Dominus tonitruum, ignis, & terræ motuum*, ΡΗΦΑΝ vero *Dominus temporis*. Superest ϹΟΥΡΟΤ, quam auctor Catalogi Planetarum *Venerem* interpretatur. Et istam quoque vocem, si recte calculos subduxi, non aliunde, quam ex versione LXX. interpretum hauserunt Coptitæ, nonnihil tamen a se corruptam. Jobi XXXVIII. 32. ita textum reddiderunt LXX. Ἢ διανοίξεις ΜΑΖΟΥΡΩΘ ἐν καιρῷ αὐτοῦ, καὶ ἕσπερον ἐπὶ κόμης αὐτοῦ ἄξεις αὐτά. Ubi in hebraico est מזרות *Masaroth*, quod quidam interpretantur *Signa Zodiaci*, alii (18) *Astrum Canis*. Iidem interpretes locum 2. Reg. XXIII. 5. ita verterunt: καὶ τοὺς θεοὺς θυμιῶντας τῷ Βααλ, καὶ τῷ ἡλίῳ, καὶ τῇ σελήνῃ, καὶ τοῖς ΜΑΖΟΥΡΩΘ, καὶ πάσῃ τῇ δυνάμει τοῦ οὐρανοῦ. Codex hebraicus habet מזלות, quam vocem plerique capiunt de Planetis omnibus, aut de omnibus Zodiaci signis. Græci tamen permulti *Venerem* intellexere. Ita Procopius Gazæus in 2. Reg. XXIII. 5. Μαζουρὼθ ἀστέρος ὄνομα, ὡς εἰκὸς τοῦ ἑωσφόρου. Et ante eum Theodoretus. Τὸ Μαζαρὼθ ἀστέρος οἶμαι ὄνομα εἶναι, καὶ τοπάζω τὸν ἑωσφόρον οὕτως ὠνομάσθαι. *Nomen esse stellæ puto, conjicioque Luciferum sic nominari.* Quos respiciens Grotius in eundem locum, *Alii*, inquit, *Jovem*, *alii Venerem intelligunt*. Horum sententiam secuti Interpretes Coptorum, Μαζουρὼθ, vel, uti corrupte scribunt ϹΟΥΡΟΤ, pariter per *Venerem* explicuerunt, quæ causa est, quod in hoc

Ca-

Catalogo, Aegyptiaco, uti vocatur, inter Planetas appareat. Neque dubito, quin, si versione Librorum regum Aegyptiaca frui daretur, loco citato vocabulum hoc COΥΡΟΥ reperturi essemus. Saltem exinde vocem hanc depromsisse auctorem Lexici Kircheriani, sine cunctatione affirmare ausim. Plura de nominibus Planetarum Agyptiacis addere vetat ratio instituti. Satis ex his, quæ brevibus de Catalogo illo Planetarum Aegyptiaco disseruimus, apparebit, quam exiguam ille fidem mereatur, quamque omnino nihil præsidii ex illo, ad illustrandum Remphæ Numen expectare debeamus.

XI. Rectius aliquanto Clarissimus Vir, David Wilkinsius, cui editionem Novi Testamenti Coptici debemus, ex linguæ Aegyptiacæ vocabulis indubiis, Numinis *Rempha* explicationem tentavit. (19) Ῥήφαν, inquit, *Si Aegyptiacæ originis esse debet, a* PH *Sole derivatur*. Quod si explicationi hujus vocis diutius immorari, inque illam pluribus inquirere, operæ pretium existimasset vir eruditus, veram ejus significationem, obviam sane, & facilem, nullo negotio subodoratus fuisset. Quod tamen, ut fieri possit, genuina primum & antiqua nominis Aegyptiaci Scriptura, eruenda est. Vulgata τῶν LXX. Exemplaria, quæ plurimorum manibus teruntur, exhibent ῥαιφὰν, alia ῥηφὰν, quæ lectio satis antiqua est, & in Coptorum versionem pariter irrepsit. Codices vero Actorum Apostolicorum cap. VII. v. 43. & plurimi, & antiquissimi, & optimi legunt Ῥέμφα, vel Ῥέμφαν, quomodo & vulgata versio Latina expressit. Sic itidem locum hunc, ab Irenæo Lib. IV. c. XV. n. I. (Edit. Massuet.) aut antiquo ejus interprete Latino citari videmus. Origenes autem adversus Celsum Lib. V. p. 236. (uti quidam Codices habent) Stephani verba citans, legit Ῥόμφᾶ, quam lectionem tuentur etiam in versione græca LXX. Interpretum Amosi, Editio Complutensis, & Antvverpiana, neque illam spernendam esse, putem. Non citra rationem, ex his colligi posse, opinor, vetustam & genuinam τῶν LXX. nominis hujus Scripturam, fuisse Ῥέμφα, vel Ῥόμφα, quod plane idem est, quodque nobis veram vocis hujus Aegyptiacæ significationem aperit. Etenim Ῥέμφα, sive malis Ῥόμφα, nullo plane apice immutato, *Regem Cœli* sonat. PH, vel PO potius, quanquam vocales, apud Aegyptios præcipue, mirum in modum inter se permutentur, *regem* significat. Tametsi enim in nostris Coptorum libris, ΟΥΡΟ, & cum articulo generis masculini ΠΙΟΥΡΟ, vel, quod idem est, ΦΟΥΡΟ, ad designandum *regem*, constanter occurrat, mihi tamen dubium non est, quin primitivum vocabulum fuerit PH, vel PO, quod postmodum, ut innumera alia, cum articulo indefinito ΟΥ in unam vocem coaluit. Jam dudum, & verissime quidem, Salmasius observavit, de Lingua Hellen. p. 390. 391., antiquiores Linguas, monosyllabis, ut plurimum constitisse, quæ recentior demum ætas, additis Syllabis protraxit, quod de Linguæ Ægyptiacæ vocabulis pariter dicendum esse, facile concedet, quisquis ad rem hanc considerandam, animum suum appulerit. Quod itaque recentiores extulerunt ΟΥΡΟ, & cum articulo ΠΙΟΥΡΟ, vel ΦΟΥΡΟ, vetustiores dicebant ac scribebant (20) PH vel PO, & cum articulo ΦΡΟ, vel ΦΡΗ, quod ex Dialecto Ægypti superioris, quæ nunc vocatur Sahidica, quæque Communi Dialecto est antiquior, confirmari potest. (21) ΦΕΖ, quod vocabulum in Coptorum libris frequentissime occurrit, *Cœlum* designat, ubi tantum observabis, E Ægyptiorum aliquanto obscurius pronuntiari solitum fuisse, ita, ut ad A Græcorum fere accedat. Cujus rei in vocabulis Ægyptiacis plurima exempla occurrunt. ΕΡΤΩΒ est nomen mensuræ Ægyptiacæ, quod a græcis ἀρτάβη communiter scribi & pronuntiari solet. ΦΕΝΕΖ, quo nomine Ægyptii τὸν αἰῶνα designant, græci φάνης efferunt, & sic in aliis. Ceterum cum Ægyptii (22) nomina sua flectere non soleant, uti Græci & Romani faciunt, M hoc loco nota est Status constructi, vel, si ex genio Grammaticæ Græcæ & Latinæ loqui malis, nota genitivi casus. Est itaque ΡΟΜΦΕΖ, *Romphah*, vel ΡΗΜΦΕΖ *Remphah* Rex Cœli, quod recentiores Ægyptii extulissent ΦΟΥΡΟΜΦΕΖ, *Phuromphah*. Neque omnino aliud Ægyptiis superest vocabulum, ad *regem Cœli* indicandum, nisi circumscriptione uti velint.

XII. Non erit, credo, quisquam, qui non hanc interpretationem facilem & verosimillimam dixerit. Vides vocabulum Ægyptiacum, quale rerum circumstantiæ poscunt. Vides vocabulum Ægyptiacum, a LXX. Senioribus literis græcis sic expressum, ut investigari nullo negotio queat, utque nulla, ne minima quidem contorsione, aut mutatione opus sit. Vides vocabuli illius significationem non longe petitam, sed facilem, & rei, de qua agitur, perquam accommodatam. Quis non illico intelligat,

gat, per *regem Cœli* aliam, quam *Solem*, intelligi non posse? Et vero cultum illum, quem Amosus & post eum Stephanus Martyr, Israelitis exprobrant, respexisse Astra Cœli, Solem cumprimis & Lunam, attente Vaticinium Amosi, & Orationem Stephani legenti, manifestum omnino erit. Amosus enim testatur, ipsos portasse כוכב *Stellam* Deorum suorum, id est, ut doctissimi interpretes exponunt, *Stellam, Deum suum*. LXX. Seniores, quos sequitur hic Stephanus Martyr, habent *ἄστρον*, quod sæpius *κατ' ἐξοχὴν* (23) *Solem* indicare certum est. Id ipsum luculentius Stephanus Martyr significat, quando ad Amosi verba provocans, Act. VII. 42. ait, Israelitas cultum exhibuisse *τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ*, *exercitui Cœli*, perquam sane ad explicationem nostram apposite. Stephanus ait, Israelitas coluisse *exercitum Cœli*, i. e. Stellas, atque sidera. *Remphah* autem est *rex Cœli*, vel *Dux exercitus Cœli*. Cum idem S. Stephanus non obscure innuat, ut supra jam annotavimus, Israelitas in Deserto rediisse ad intermissum aliquamdiu Vituli aurei cultum, non est, quod dubitem, Rempham fuisse ipsum illum vitulum, vel bovem, cujus cultum in Ægypto viderant, & posthæc in Deserto imitati sunt. Sive jam bos ille aureus vel vitulus repræsentaverit Apim, sive aliud quoddam Ægyptiorum simulacrum, in speciem bovis efformatum, quod pluribus excutere, nimis prolixum nunc foret, certum tamen est, figmentum illud Ægyptiorum, quod Israelitæ imitari voluerunt, Symbolum fuisse solis, ejusque virtutes & beneficia adumbrasse. Omnia namque simulacra Ægyptiorum sacra, speciem bovinam referentia, ipsis Emblemata solis fuisse, & probari aliunde facile potest, & a veteribus quoque observatum jam est. Ita enim Macrobius Saturn. Lib. I. c. XXI. *Taurum ad Solem referri, multiplici ratione Ægyptius cultus ostendit*. Et Plutarchus de Is. & Osir. p. 653. (Edit. H. Steph.) *Βοῦν γὰρ Ὀσίριδος εἰκόνα καὶ γῆν* (puto scribendum *γῆς*) *νομίζουσι*. *Bovem reverentur, ut imaginem Osiridis & Terræ* sive Isidis. Isis enim certo respectu Lunæ, alio respectu Terræ symbolum erat. Boves mares ad Osiridem, Boves fœminæ, seu Vaccæ ad Isidem referebantur. Idque facile ex omnibus hujusmodi sacris bovibus Ægyptiorum, quorum in antiquitate illius gentis mentio fit, perspicitur. Celeberrimus omnium erat Taurus Memphiticus, patria ipsorum lingua *Apis* dictus, qui, etsi ob mysticam sacrorum rationem, quam nunc non tango, (24) Lunæ sacer, re ipsa tamen symbolum erat Solis. Aliis non indigemus argumentis, cum (25) Veterum testimonio id nitatur, inter quos Strabo Geograph. Lib. XVII. pag. 555. (edit. Casaub.) de Memphi differens, Ἔχει, inquit, *ἱερά, τὸ τοῦ Ἄπιδος, ὅς ἐστιν ὁ αὐτὸς καὶ Ὄσιρις*. Post hunc sanctissimus Ægyptiis habebatur *Mnevis* Taurus Heliopolitanus, (26) simulacrum singulari ratione Soli sacrum fuisse atque dicatum, omnes consentiunt. Tertium hisce adjungit Macrobius, Saturn. Lib. I. c. XXI. *Pacin*, Hermunthi in Aegypto superiori, religiosis ritibus cultum, quem ait *Soli consecratum esse, & præterea insignem miraculis convenientibus naturæ Solis*. Hisce quartum addas licet, *Onuphim*, Aeliano memoratum de Anim. Lib. XII. c. XI. quem ab Apide & Mnevi, de quibus alio loco egerat, distinguere videtur. Cumque Apin Memphi, & Mnevin Heliopoli nutriri commemorasset, Onuphis hujus Civitatem nominare, ob asperitatem nominis, reformidat. Et hunc Onuphim quoque Soli dicatum, aut ejus imaginem fuisse, exinde recte colligas, quod, non secus ac Apis & Mneuvis, colore nigro insignis fuisse perhibeatur. Hanc enim nigredinis causam in Mnevi afferunt Aegyptiacarum Antiquitatum Scriptores, (27) *ὅτι ὁ ἥλιος ὁ πολὺς μελαίνει τὰ ἀνθρώπεια σώματα*. Mitto jam quærere, utrum hæc vera ratio moris hujus Aegyptiis fuerit, mihi sufficit observasse, ad ritus Aegyptiorum sacros pertinuisse, ut bos soli consecratus, & Osiridem referens, atro colore insignis esset. Quin imo ipsum Osiridem Aegyptii in fabulis suis Mysticis, perhibebant (28) *μελάγχροον colore nigricantem* fuisse, ob rationem sine dubio arcanam. Quæ cum in Onuphi servata etiam fuerit, aliter æstimare non licet, quam, hunc etiam virtutes & beneficia Solis adumbrare debuisse. Hisce, quæ modo disputavi, obstare videtur, quod vitulus ab Israelitis in Deserto conflatus, non ater fuerit; sed aureus, ex quo concludere quispiam posset, inter Tauros Ægyptiorum sacros, & vitulum Israelitarum eximiam animadverti discrepantiam, neque adeo hos, fingendo vitulum aureum, illos imitari voluisse. Verum illa discrepantia tanta non est, quanta primo intuitu apparere nonnullis posset. Nam & Plutarchus *bovis aurei* in Ægypto commeminit, *velamento nigro byssino contecti*, de Is. & Osir. pag. 653. quale quid in bove suo etiam observare potuerunt Israelitæ. Merito etiam in dubium vocari potest,

utrum

utrum eadem fuerit ratio ſimulacrorum fuſorum ex metallo, vel ex alia materia ſculptorum, quæ Taurorum vivorum erat. Denique ratio ſacrorum non poſcebat, ut in ſimulacris omnibus Oſiridis fieret, quod obſervabatur in quibuſdam. Diverſus erat juxta Myſticas Ægyptiorum rationes, Oſiridis reſpectus. Modo ut abſens lugebatur, modo ut inventus cum gaudio excipiebatur. Utriuſque rei memoria certis in urbibus, certis diebus, peragebatur, & in ſingularibus ſimulacris conſervabatur. Etſi itaque opus non eſſet, ut in omnibus Oſiridis Emblematibus nigredo compareret, in Tauris tamen ſacris, ubi aderat, ad Oſiridem haud dubie referebatur. Quamobrem, ſi Iſraelitæ vitulum aureum in deſerto fingentes, Ægyptiorum ſuperſtitionem imitari, & in Emblematibus myſticis virtutes Spiritus æterni & inviſibilis venerari voluerunt, in quo præeunte ipſa ſacra Scriptura, docti fere omnes conſentiunt, dubium vix cuiquam erit, quin Aſtra *Exercitum Cœli*, cum duce ſuo, *Sole*, cultu religioſo præcipue proſecuti fuerint. Et hunc quidem *Aſtrorum*, cumprimis *Solis*, & *Lunæ* cultum, abſolviſſe vetuſtiſſimam idololatriam cum Ægyptiorum, tum aliorum quoque populorum, ab eruditiſſimis viris jam dudum pleniſſime demonſtratum eſt.

XIII. Erat itaque *Remphah* Idolum Ægyptiorum, in quo ipſi virtutes & beneficia ſolis, Deorum ſuorum maximi, venerati fuiſſe, cenſendi ſunt. Quis jam non facile conceſſerit, Ægyptios per nomen, quod Idolo huic impoſuerunt, *Remphan*, i. e. *regis Cœli*, hoc ipſum eleganter expreſſiſſe? Habet Cœlum exercitus ſuos, ſtellas atque ſidera, quibus omnibus Veteres cultum decreverunt, quia eorum influxu omnia generari, animari, fieri, geri, ac procurari exiſtimarunt. Iſti vero ſiderum exercitui, iidem communiter ducem aliquem, aut, ſi mavis, duos duces, *regem* & *reginam*, *Solem* nimirum, & *Lunam* præfecerunt. Tritum & pervulgatum eſt, Orientales, non minus quam Græcos & Romanos, *Solem* cognominaſſe *regem*, *Lunam* vero *reginam*. Quare cum Stephanus Martyr mentionem feciſſet *exercitus Cœli*, cui Iſraelitæ cultum religioſum exhibuerint, perquam commode ſubjicit *Remphah*, ducem hujus Exercitus, *regem Cœli*, in quo uno reliqua etiam ſidera, quibus ille dominatur, venerati merito cenſentur. Et idem plane, aut certe ſimile Numen Amoſum quoque ſubinnuere, verba ejus, accurate penſitata, non obſcure indicant. Ita enim Judæos alloquitur: נשאתם את סכות מלככם *Portaſtis Tabernaculum regis veſtri*. Vocat idolum hoc מלך *regem* ipſorum, quo ipſo, ſive מלך hic jam ſit nomen proprium *Molochi*, notiſſimi Ammonitarum idoli, ſive ſit nomen appellativum, in genere *regem* vel *Numen* deſignans, quod mihi magis probatur, nihil aliud ſignificatur, quam, quod Ægyptii ΡΟΜΦΕΖ *Rompbah*, *regem Cœli* dixerunt. Hinc manifeſtum eſt, unam vocem explicare & illuſtrare alteram. Quæ ſequuntur apud Amoſum verba: ואת כיון, ſi כיון ſit nomen proprium Idoli, quod in medio relinquo, eodem omnino reſpiciunt. Samuelem Petitum, ſi audimus, Miſcell. lib. II. cap. 2. *Kiun* notiſſimum Numen Phœnicum fuit, cujus cultum Pœni Carthaginem detulerunt. In (29) Plauti Pœnulo, Saturnus bis *Kiun* videtur nuncupari, etſi de ſoliditate hujus obſervationis ſubdubitet magnus Bochartus Geog. S. Part. II. Lib. II. cap. VI. Fac vero rem ita ſe habere, ac Petitum rem acu tetigiſſe, Saturnus tamen Carthaginienſium, alius a ſole, *regi Cœli* fuiſſe, exiſtimandus non eſt. Magis *Remphah* noſtrum illuſtrant, quæ de Kiun ad Amoſi locum eruditi interpretes annotarunt. Etſi enim tantum non omnes per *Kiun* Saturnum intelligi velint, vocem tamen ipſam, ejuſque originem ſic nobis quidam explicant, ut exinde luculenter appareat, idem omnino *Kiun* ſignificaſſe Arabibus & Perſis, quod *Remphah* diximus ſignificare Ægyptiis, *regem* nempe *Cœli*. Hanc etymologiam vocis *Kiun* tradit doctiſſimus Spencerus, de Legibus Hebr. Lib. III. Diſſert. I. c. III. p. 35. *Chiun & Perſarum uſu Dominum Magnum notat &c.* Johannes Braunius, qui etymologiæ iſtius mentionem nullam facit, aliunde ſuſpicatus eſt, hanc eſſe Amoſi mentem, quam vocabulum *Remphah* luculenter exhibere probavimus. Hæc enim ſunt illius verba Sel. Sac. p. 487. 488. *Enim vero, ſi accurate examinemus verba Amoſi ac Stephani, Molech & Chiun unum eundemque Deum fuiſſe, primo intuitu animadvertemus --- Poſtquam Propheta dixiſſet:* Tuliſtis Tabernaculum regis veſtri: *explicat, qualis ſit rex, ſcilicet* Chiun, *id eſt* Rex Cœli. *Patet itaque, nonniſi de uno rege, de uno Deo fieri mentionem, nempe de* Chiun, *quem Stephanus vocat* Remphan. *Sunt tamen, qui de duobus Diis ſacros Scriptores loqui, exiſtimant, quod utatur Amoſus voce* אלהים *in plurali. Tamen nonniſi unus, nempe* כיון *Chiun, Sol,* Rex Cœli *intelligendus eſt.* Quis non exiſtimaret, Braunio de origina-

natione nostra Ægyptiaca aliquid constitisse, nisi Dissertatio ejus, ex qua hæc desumsi, aperte reclamaret. Attamen, quamvis vera nominis *Remphah* ratio ipsum fugeret, ex rerum connexione, & aliis indiciis rem ipsam, hoc saltem in hoc loco, quem produxi, bene perspexit, licet eandem in illa ipsa Dissertatione, aliis observationibus incertis, longe petitis, & valde contortis, quæque nonnunquam sibi repugnant, non parum obscuret.

XIV. Sed quandoquidem diximus, *Remphah* Aegyptiis *Cœli regem* sonare, videamus, num alia reperire possimus vestigia, Aegyptios Solem istiusmodi cognominibus honorare solitos fuisse. Id enim etymologiæ & explicationi nostræ confirmandæ non parum inserviet. Et primo quidem commune Aegyptiorum vocabulum, quo in usu quotidiano Solem designare consueverant, PH, hujusmodi notionem *regis Cœli*, jam sic satis involvit. Nam uti in superioribus jam observatum fuit, PO & PH antiquitus regem sonabat, cujus vocis in nominibus compositis Aegyptiorum, ut in PH ΜΦΕΖ, plurima supersunt indicia, quod recentiores, coalescente articulo indefinito OT cum radice, OTPO efferunt. Solem igitur a Dominio Aegyptii dixerunt PH, i. e. *regem*. Idem omnino dicendum est de *Osiride* & *Iside*, quæ celeberrima Aagyptiorum Numina, pro *Sole* & *Luna* habita, cultaque fuisse, inter omnes convenit. Salmasius quidem, qui aliquos in addiscenda lingua Aegyptiaca, tum penitus ignota, progressus fecerat, *Osirin* putat Aegyptiace scribendum esse ΟΤΣΧΗΡΙ, quod *filium* significet, *Isin* vero sermone Aegyptiorum dici *matrem*, & utrumque numen hisce ab Aegyptiis nominibus insignitum fuisse, eo quod Osiris Isidis filius haberetur, de Annis Climact. p. 566. 567. Concedo quidem ΟΤΣΧΗΡΙ *filium* significare Aegyptiis, at vero hoc esse nomen *Osiridis*, sanctissimum Aegyptiis, credere multæ vetant rationes, quas exponere operosum nimis foret. ICIC vero lingua Aegyptiaca, *matrem* omnino non designat. Osiris præterea Isidis non natus, sed frater & maritus, vulgo ab Aegyptiis perhibebatur, etsi in quibusdam Sacris, & certo tantum respectu Mystico, etiam Isidis filium appellatum esse sciam. Et observatu certe dignum est, quod Plutarchus de Is. & Osir. p. 651. memoriæ prodidit, Osirin in Sacris illis Mysticis, in quibus filius Isidis habebatur, non *Osirin*, sed *Arsaphen* nominari. Osirin compositum esse ex PH, quod *regem* sonat, dubitare nos non sinunt, quæ veteres de Osiridis & nomine, & virtute scriptum reliquerunt, sed quibus jam brevitatis studio immorari non licet. *Isis* porro Aegyptiorum lingua denotare *Dominam euntem*, vel *se moventem*, mihi quidem certum est, quod tamen nunc pluribus ex lingua & antiquitate Aegyptiorum illustrare, cum temporis, tum typorum Copticorum, quibus in vocabulo hoc scribendo opus est, me prohibet penuria. Quodque sic ipsa hæc nomina Numinum religiosissime ab Aegyptiis cultorum indicant, id de iisdem quoque a scriptoribus prædicari, iisque aliis verbis tribui, quivis observare potest. Osiridem ita describit Apulejus lib. XI. Metam. p. 272. Edit. Elmenh. *Deus Deum magnorum potior, & majorum summus, & summorum maximus, & maximorum* Regnator, *Osiris*. Quid an hoc non est, *rex exercituum cœli*, cum Aegyptiorum Numina, quorum Osiris dicitur regnator, pleraque respectu ad sidera, exercitus Cœli habuerint? Pluterchi de Osiride hæc sunt verba: Τὸν γὰρ ΒΑΣΙΛΕΑ καὶ κύριον Ὄσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γράφουσιν. de Is. & Osir. p. 632. Ubi Plutarchus Osiridem non modo ex mente Aegyptiorum *Regem* & Dominum appellat; sed & eundem ab Aegyptiis, ad hoc indicandum, picto *Sceptro Regali*, emblematice adumbrari observat. Quod ipsum emphatice magis sic expressit Macrobius Saturn. Lib. I. c. XXI. p. 210. *Osirin Aegyptii, ut Solem esse asserant, quoties Hieroglyphicis suis literis exprimere volunt, insculpunt Sceptrum, inque eo speciem oculi exprimunt, & hoc signo Osirin monstrant, significantes, hunc Deum Solem esse*, Regalique Potestate *cuncta despicere*. Isidem, ut ad hanc quoque accedamus, *Reginam* Memphiticam vocat Martianus Capella Lib. I. pag. 2. fin. *Reginam* simpliciter Apulejus lib. XI. Metam. p. 270. Inprimis observatione nostra dignum est, quod idem Apulejus, in Libro, quo se Mysteriorum Aegyptiorum valde peritum ostendit, Isidem sic compellat. (30) *Regina Cœli -- ista luce fœminea conlustrans cuncta mœnia, & udis ignibus nutriens læta semina*. Metam. lib. XI. p. 257. Regina Cœli est ΡΟΜΦΕΖ, quod vocabulum, nisi articulo distinctivo generis Masculini determinetur, tam *reginam*, quam *regem Cœli* significare potest. Et sane posset *Remphah* non minus Isidem designare, quam Osiridem, nisi Amosus, dum *Molochi*, vel *regis* Israelitarum meminit, eo subinnueret, se loqui de Numine Masculino,

no. Ceterum cum Aegyptii Isidem, quæ Luna est, & Osiridis uxor, *reginam Cœli* nuncupent, hoc ipso satis indicant, Osiridem, qui est Sol, & Isidis maritus, *regem Cœli* censendum esse. Et ita certe aliquoties appellatur in Obelisco, cujus interpretationem græcam ab Hermapione adornatam, Ammianus Marcellinus suis historiarum libris ex parte inseruit. Namque ibi (Lib. XVII. p. 102.) appellatur Ηλιος θεὸς μέγας ΔΕCΠΟ'ΤΗC 'ΟΥΡΑΝΟΥ. *Sol, magnus Deus*, Dominus Cœli. Ibidem de Rameste rege dicitur ἐκόσμησεν ἡλίου πόλιν, ὁμοίως καὶ αὐτὸν ἥλιον ΔΕCΠΟ'ΤΗΝ Ο'ΥΡΑΝΟΥ. *Ornavit Heliopolin, nec minus ipsum Solem*, Dominum Cœli, & in sequenti versu: Ἥλιος Θεὸς ΔΕΣΠΟΤΗΣ 'ΟΥΡΑΝΟΥ Ῥαμέστῃ βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος, καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν. *Sol Deus*, Dominus Cœli *Ramestæ regi robur & potentiam dono largior, & imperium in omnia*. Toties in uno Monumento non magno hoc Osiridis cognomen ΡΟΜΦΕΖ, aut aliud, quod huic æquipollet, occurrere videmus. Neque dubium est, quin, si alia Vetusta Aegyptiorum Monumenta legi a nobis & intelligi possent, sæpenumero *Regis Cœli*, sive *Remphah* mentionem inventuri essemus. Ab Aegyptiis cultus hujus *Cœli Regis*, ad alias Africæ gentes dimanavit. Operæ pretium est, adferre, quæ Leo Africanus, de Libybus, qui Nigri vocantur, memoriæ prodidit in Descriptione Africæ Lib. I. pag. 60. Edit. Elzev. *Qui Numidiam, & qui Libyam incolebant Africani, planetam quendam quisque adorabat, cui & sacrificia & vota fiebant. Quidam ex illis, quos antea Nigri vocabulo notavimus* (31) Guighimo, *hoc est* Cœli Dominum *venerabantur, fuitque illis sanior hæc mens, non a Propheta quodam aut doctore, sed quasi divinitus introducta. Inde Judaicam tandem sibi assumserunt Legem, in qua & multis annis stetisse dicuntur. Postea & Christianæ Fidei Assertores remanserunt* &c. in sequentibus narrat, eos dein ad Muhammedanorum Fidem transiisse. Leo Africanus ex eo, quod Nigritæ *Regem Cœli* coluerint, benignius de iis judicat, tanquam qui uni Deo, Creatori & Domino Cœli sacra fecerint. Sed ex iis, quæ modo ex Antiquitate Aegyptiorum attulimus, facile est videre, Nigritas in *Rege Cœli* nonnisi Solem, more aliorum populorum coluisse, quod ipse etiam Leo Africanus aliquo modo confirmat, quando eos posthæc demum veri Dei cultum a Judæis accepisse, refert. Hinc tamen conjicere licet, quamobrem Israelitæ *Rempham* potius, quam aliud Aegyptiorum Numen colendum adoptaverint. Nempe nomem *Remphah* per se ambiguum est, & non minus ex mente fidelium vero Deo, qui se non raro *Dominum Cœli* nuncupat, quam Soli ex mente idololatrarum tribui potest. Placuit forte Israelitis, symbolica illa per imagines animalium, æternum Numen adumbrandi & colendi ratio, quam in Aegypto viderant, etsi hunc perversum cultum ad יהוה verum Deum Israelis, cujus beneficio se a manibus Aegyptiorum liberatos fuisse, norant, referre cogitarent, quod ipsum Moses, Scriptor sacer satis indicat Exod. XXXII. 4. 5. Quam depravatam in Aegypto Israelitarum indolem, videns sanctissimus & sapientissimus Legislator, in Lege decem verborum, populo suo, non modo petegrinorum Deorum, sed & veri Dei, peregrinum & fictum cerebri humani, cultum per imagines interdixit.

XV. Quærere quis posset, quænam causa sit, quod cum *Remphah*, ut hactenus ostensum fuit, sanctissimum & celeberrimum Ægypti Numen esset, nulla tamen ejus apud profanos Scriptores mentio occurrat. Præter LXX. enim Seniores, quos sequitur Stephanus Martyr, nemo est, qui *Remphæ* Ægyptii, sub hoc nomine commeminerit. Huic difficultati, quæ posset quibusdam non minimi ponderis videri, facile tamen me satisfacturum esse, confido. Nam etsi Veteres quorundam Numinum Ægyptiacorum, velut *Osiridis*, *Isidis*, *Anubidis*, *Hori*, aliorumque nomina vere Aegyptiaca persæpe referant, sunt tamen etiam, quæ inter ἅπαξ λεγόμενα merito numerari queant. Quis hodie sciret, sanctissimum Aegyptiorum Numen Sai cultum, quod Græci *Minervam* interpretantur, *Neith* audivisse sermone Aegyptiorum vernaculo, nisi unus Plato, qui in Aegypto cum Sacerdotibus conversatus est, (32) id memoriæ prodidisset, in Timæo pag. 474. edit. Basil. Valder? Etsi enim hujus Aegyptiorum Divinitatis (33) alii quoque meminerint, apparet tamen illico, eos id ex Platone hausisse, & ad Timæum ejus respicere. Postquam hoc ex Platone didicimus, haud difficulter Eratosthenem intelligimus, qui (34) in Catalogo regum Thebæorum Aegypti Νίτωκρις interpretatur Ἀθηνᾶν νικηφόρον. Oblitus erat sine dubio Salmasius Platonis, neque hæc ipsa Eratosthenis verba recte pensitaverat, cum hæc calamo ejus exciderent. *Inde nomen* Νίτωκρις, *quod* νικηφόρον *interpretantur. Nam* νιστρῶ *in plurali numero sunt* vi-

*victoriæ*, *&* ἶερ *verbum significat facere*. *Inde* Νισρωεὶ *victorias faciens*, *vel ferens*. *Pro quo Græci*, *ut duritiem vocis emollirent*, *dixerunt* Νιτωκεὶς : de Ann. Clim. p. 614. Omisit in hac explicatione Salmasius interpretationem nominis νηίθ, vel νηὶτ, ad quam eum manu ducebat Eratosthenes, nomen hoc exponens ΑΘΗΝᾸΝ νικηφόρον. Videtur ejus rei a Clarissimo Bocharto admonitus fuisse Salmasius. Saltem postea ita semetipsum correxit. (35) *In Eusebianis*, *sive potius apud Georgium Syncellum legitur*, *hanc vocem* Νίτωκεις, *significare* Ἀθηνᾶν νικηφόρον. *Fuerit igitur Ægyptiace* νηίθσρωεὶ. (ita lege) *Id est Minerva victoriam faciens*. De ipsa nominis Aegyptiaci interpretatione Salmasiana, quæ a scriptura nominis valde noti νίτωκεις, nimium quantum recedere omnibus non immerito videbitur, plura jam haud addo. Non minus hodie ignorare nos oporteret, aliud Numen, ab Aegyptiis summa religione cultum, cujus Græci sub nomine Ἀφροδίτης, *Veneris*, meminisse solent, patrio Aegyptiorum sermone Ἀθὼρ dictum fuisse, nisi Etymologici auctor, ut supra jam observavi, ex Orione id nobis retulisset. Præter eum enim, qui id disertis verbis scriptum reliquerit, reperire hactenus potui neminem. Et nunc tamen id ipsum multis argumentis, ex Antiquitate Aegyptiorum, & beneficio linguæ ejus gentis confirmare atque illustrare possumus. Unum, quod nunc succurrit, silentio prætermittere nolo. Meminit Herodotus in Prosopitide Nomo in Aegypto urbis, cui nomen fuerit Ἀτάρβηχις. Hæc ejus sunt verba Lib. II. c. 41. ἐκ τῆς δὲ αἱ βάρις παραγίνονται ἀναιρησόμεναι τὰ ὀστέα τῶν βοῶν. ὄνομα τῇ πόλει ἀτάρβηχις. *Illa vero urbs* (in Prosopitide insula) *ex qua proficiscuntur naves ad ossa boum auferenda*, *vocatur Atarbechis*. Existimo, apud Herodotum legendum esse Ἀτάρβηκις. Stephanus Byzantius ad. in Artic. Ἀταρβίχις, ad hæc Herodoti verba respiciens habet Ἀταρβίχις; sed vera lectio, ut monui, est, Ἀταρβήκις. Ἀτὰρ, vel, ut Orionem græcis literis exprimere vidimus, ἀθώρ, est nomen Divinitatis, quam Græci *Venerem* interpretantur Βήκις est vox Aegyptiaca notissima ΒΑΚΙ, id est *urbs*. Erit igitur ΑΤΑΡΒΑΚΙ, & cum terminatione græca Ἀτάρβηκις, Ἀφροδιτόπολις. *Urbs Veneris*. Audiamus Herodotum nobis explicaturum, quod ipse forsan non intellexit. Nam post verba modo recitata sic pergit ἐν δὲ αὐτῇ Ἀφροδίτης ἱρὸν ἵδρυται. *In illa* (Atarbaci) *Sanctum Veneri templum est*. Herodotus hic dederat Aegyptiacum illius urbis nomen. Alii scriptores græce appellant Ἀφροδιτόπολιν. Cum enim plures urbes hoc nomine insignes in Aegypto reperiundæ sint, in Prosopitide Nomo aut insula, Aphroditopolin agnoscit, ut urbem notatu dignam, Strabo Lib. XVII. p. 552. καὶ ἔτι ὁ Προσωπίτης νόμος (ita legendum cum Casaubono) ἐν ᾧ Ἀφροδίτης πόλις. Plura Aegyptiorum Numina proferre possem, quorum vera & patria nomina nonnisi semel, aut certe rarissime, apud Scriptores vetustos occurrunt. Sed ista poterunt nunc sufficere. Quid igitur mirum est, si præter LXX. Seniores, &, qui eos sequitur, Stephanum Martyrem, *Remphæ* alius quisquam nomine non meminerit? Si quid judico, *Remphah* in Aegypto non fuit nomen proprium alicujus simulachri in certam speciem efficti, & certis ritibus solemnibus dedicati & culti, quale est nomen *Osiridis*, *Isidis*, *Hori*, *Ammonis*, & similium; sed nomen appellativum, quod quivis Soli & omnibus simulachris, eum aliquo modo repræsentantibus, Osiridi, Api, Mnevi, ceterisque pari jure tribuere poterat, quale est illud *regis Deorum* quo Græci & Romani ornant Jovem suum, & *reginæ*, vel *reginæ Memphiticæ*, vel *reginæ Cœli*, quod Aegyptii suæ Isidi imponunt. Aut forsitam *Remphah* Numen fuit aliquod locale, quod in unico tantum Nomo, aut in unica tantum urbe religiosis ritibus coleretur, qualia in Aegypto non pauca fuisse, novimus. Tale erat Numen *Besæ*, Abydi tantum in Ægyptio superiori cultum, & propterea valde obscurum, cujus unus tantum Ammianus mentionem injicit Lib. XIX. p. 164. *Oppidum est*, *inquit*, *Abydum*, *in Thebaidis parte situm extrema*, *hic Besæ Dei localiter appellati Oraculum*, *futura quondam prædicebat*. Quod si res eodem modo se habuit cum Remphah, multo minus mirari oportet, quod illum a Scriptoribus profanis commemorari non videamus.

XVI. Neque tamen existimandum est, nulla omnino Remphæ vestigia, in Ægyptiaca Antiquitate reperiunda, nobis superesse. Supra habuimus *Remphin Ægypti regem*, quem si a *Remphah* vel *Rempheh* nomen habuisse dixero, nihil dixero a moribus Ægyptiorum alienum. Ægyptii enim ipsa Deorum suorum nomina gerere admodum frequenter solebant. Lucianus hunc Ægyptiorum morem salse perstringit. Nam cum de Græcis quædam huc pertinentia commemorasset, ita pergit: ἐῶ γὰρ τοὺς αἰγυπτίους, οἵπερ καὶ δεισιδαιμονέστατοί εἰσι πάντων, ὅμως

τοῖς

τοῖς θέοις ὀνόμασιν, ἐς κόρον ἐπιχρωμένους. σχεδὸν γοῦν τὰ πλεῖστα αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ ἐστιν. *Omitto Aegyptios, qui quamvis mortalium omnium sint superstitiosissimi: divinis tamen nominibus ad satietatem utuntur. Itaque pene omnia e Cœlo illis desumta sunt.* Pro imagin. pag. 44. Edit. Salmur. Et quis ignorat, in historia Ægyptiorum continuo occurrere *Petosirin*, *Petisium*, *Serapionem*, *Athotem*, *Orionem*, & similia? Quæ omnia nomina gens illa servavit, etiam postquam Christi Sacra, pulso idolorum cultu, ubique jam obtinebant. Nam & inter Monachos Ægyptios reperias, *Piamun*, *Pior*, *Anub*, *Isidorum*, & quos non alios? Vero itaque dissimile non est, a *Rempheb*, regem Ægypti *Remphin*, nomen accepisse. Urbem etiam in Ægypto, *Parempbin* nomine apud Stephanum Byzantium in πάρεμφις, & (36) in nummis, memorari video, de qua idem dicendum est. Nulla enim fere est celebrior paulo Ægypti urbs, quæ non a Numine quopiam nomen traxerit. Sed illud præ aliis memoratu dignum est, quod vox Ægyptiorum POMΠI, quo illi in communi usu *annum* designant, si originem & etymologiam spectes, mihi quidem nihil aliud, quam *regem cœli* innuere videatur. Incolæ Thebaidis, vel Ægypti superioris, quorum Dialectus haud dubie antiquior est communi Dialecto, cœlum dicebant, non ΦΕΖ, *pheb*, ut alii Ægyptii, sed ΠΕ, *pe*, ut ex quibusdam illius Dialecti fragmentis, in Bibliotheca Oxoniensi, & regia Parisiensi mihi visis, intellexi. Antiquissima itaque Ægyptiorum ligua POMΠΕ significabat *regem Cœli*, & hoc ipsum in Dialecto Thebaidis vel Sahidis, uti ab Arabibus vocatur, anno nomen est, quod in communi Dialecto, ut dicebam, POMΠI effertur. POMΠΕ igitur, & communi Dialecto POMΠI, proprie significat *regem cœli*, & deinde ex usu Ægyptiorum *annum*. Nempe Solem ideo venerati sunt Ægyptii, quod annum, & mirabiles illus vicissitudines efficeret, atque hoc ipso omnia conservaret. Osiris itaque ab Ægyptiis, Mysticam Sacrorum suorum rationem tradentibus, nonnunquam explicatur annus, teste Tertulliano, Lib. I. adversf. Marcion. cap. XIII. *Sic & Osiris, quod semper sepelitur, & in vivido quæritur, & cum gaudio invenitur*- Recidivi Anni *fidem argumentatur*. Recidivus annus est, qui & vocatur vertens, quem Censorinus ita describit, de Die Nat. c. XIX. *Annus vertens est natura, dum Sol percurrens duodecim signa, eodem, unde profectus est, redit.* Censorinus itaque annum hunc vertentem *naturam* esse ait, unde consequitur, ex sententia Gentilium, ipsum Solem, *regem Cœli* revera esse annum, vel causam efficientem, ut omnia ad pristinum statum redeant, etsi communi sermone tempus, quo Sol cursum suum conficit, annum vocare soleamus. Vetusti Gentilium Theologi, ad primas & æternas rerum omnium causas mentem suam direxere, in quibus inveniendis & describendis diversa inter se usi sunt methodo. In eo tamen fere omnes consensere, ut Effectis nobilioribus harum causarum & nomina Divina & Divinos honores tribuerent, inque illis causam eorum efficientem venerarentur. Quamobrem cum Sol & Luna motibus suis, *annum*, *mensem*, *diem* etiam & *noctem* efficiant atque temperent, temporis hasce dimensiones, ceu nobilissimos Solis & Lunæ effectus, per σωματοποιΐαν pro Numinibus apud Gentes quam plurimas habitas, & Divinis honoribus mactatas fuisse, luculentis Veterum testimoniis constat. Tempori in universum, quod ævi vel æternitatis, τοῦ αἰῶνος, imaginem esse volunt, Divinitatem tribuit Theologia Paganorum Mystica, uti præsertim ex (37) Proclo, Theologiæ illius idealis Doctore disertissimo addisci potest. Quæ is ex principiis subtilis illius Theologiæ idealis prolixe explicuerat de Temporis Divinitate, in Platonis Timæum Lib. IV. ea sic tandem velut in compendium redigit p. 251. δύναιτο δὲ ἂν τὰ ἄστρα καὶ ὄργανα λέγεσθαι χρόνου, ὡς τοῦ χρόνου ποιητικὴν ἔχοντος ἀξίαν πρὸς αὐτὰ, καὶ δι' αὐτῶν, ὥσπερ δι' ὀργάνων τὴν γένεσιν διακοσμοῦντος. ᾧ καὶ δῆλον, ὡς ἄρα ὁ χρόνος οὐκ ἔστιν ὁ μετεχόμενος μόνον, καὶ ἀριθμὸς ὢν τῆς κινήσεως, ἅπερ ὀργάνων ἔχουσι πρὸς αὐτὸν τάξιν οἱ (38) κοσμοκράτορες, ἀλλὰ θεὸς ἀφανὴς, καὶ κατ' οὐσίαν αἰώνιος ἐνεργῶν περὶ πάσας τὰς κινήσεις, καὶ τὴν ὅλην τοῦ κόσμου περίοδον, ὀργάνοις δὲ χρώμενος, ὡς μερικωτέροις μέτροις ἑαυτοῦ τούτοις τοῖς θεοῖς. *Possunt & Astra instrumenta temporis appellari, siquidem tempus ad illa relationem habet causæ efficientis, & per illa ceu per instrumenta omnia producit, & efficit. Ex quo etiam apparet, tempus non modo participare* (vel aliunde procedere) *& motus omnis mensuram esse: Siquidem rectores mundi, illius instrumenta censentur, sed esse Numen invisibile, substantia æternum, circa omnem motum, totumque hujus Universi ambitum efficax & actuosum, quod Diis hisce* (Astris) *ut particularibus sui ipsius mensuris utitur.* Verum hæ Procli argumentationes de temporis divinitate a nemine recte intelligi possunt, nisi qui totam illius hac de re disputationem bene

ne longam perlegerit, quique præterea Theologiam Platonicorum & quidem recentiorum familiarem ſibi reddiderit. Ratiocinationibus ſuis ex principiis Theologiæ ſuæ Platonicæ petitis addit ea, quæ nitebantur perſuaſione populorum, quæque in Sacris a Theurgis fieri conſueverant. Ἀλλὰ καὶ οἱ θεουργοὶ συνᾴδουσι, θεὸν ἐγκόσμιον τὸν χρόνον ὑμνοῦντες, αἰώνιον, ἀπέραντον, νέον καὶ πρεσβύτην, ἑλικοειδῆ. *Verum & , inquit, Theurgi hiſce concinunt, qui Tempus hymnis ſuis celebrant, tanquam Numen, quod rerum univerſitati intereſt, æternum, infinitum, recens & antiquum, circulo ſimile* (quippe quod in ſe redit.) Alibi provocat ad receptas omnium gentium ea de re opiniones. Κοινῆς οὔσης ἐννοίας, εἶναι τὰς ὥρας θεάς, καὶ τὸν μῆνα θεόν. ὧν καὶ ἱερὰ παρειλήφαμεν. καὶ ἡμέραν καὶ νύκτα θεὰς εἶναι φαμέν. ὧν καὶ κλήσεις ἔχομεν ἐκδεδομένας παρ' αὐτῶν τῶν θεῶν. Πολλῷ μᾶλλον ἀνάγκη τὸν χρόνον αὐτὸν εἶναι θεόν, καὶ μηνός, καὶ ὡρῶν, καὶ νυκτός, καὶ ἡμέρας ὄντα περιληπτικόν. *Cum ſit communis & recepta omnium ſententia, horas eſſe Deas, & Menſem eſſe Deum, quorum & Sacra tradita accepimus: Cum Diem & Noctem Deas dicamus, quarum denominationes ab ipſis diis habemus: quanto neceſſarium magis eſt, ut tempus ipſum ſit Deus, quod menſem & horas, & diem, & noctem in ſe comprehendit*. pag. 248. Diſcrimen itaque inter Philoſophos & vulgum gentilium in eo ſitum erat, quod illi ad tempus ipſum, quod partes ſui in ſe continet, cogitatione adſcenderent, cum hi partes tantum temporis demenſas, *annum*, *menſem*, *diem* & *noctem* nominibus & honoribus Divinis mactarent. Menſem Divino cultu proſecutos fuiſſe Phryges, teſtatur Lucianus in Jove Tracœdo p. 233. φρύγες θύουσι μηνί (ita malim legere pro eo, quod vulgo legitur μήνη) καὶ αἰθίοπες ἡμέρᾳ. *Phyges ſacra faciunt Menſi, Æthiopes vero diei*. Vides jam, ſi correctionem meam admittas, verba Luciani aptius cohærere. Dicit enim quoſdam Menſi, alios Diei ſacrificaſſe, quemadmodum & in verbis modo citatis Proclus diem & menſem conjunxit. Sed eandem correctionem egregie inprimis confirmat Proclus in Timæum Lib. IV. p. 251. ſic commentatus: καὶ παρ' ἕλλησι μηνὸς ἱερὰ παρειλήφαμεν, καὶ παρὰ φρυξὶ μῆνα Σαβάζιον ὑμνούμενον, καὶ ἐν μέσαις ταῖς τοῦ σαβαζίου τελεταῖς. *Etenim apud Græcor accepimus Sacra fuiſſe Menſi inſtituta, & Phryges* (39) *Sabazium Menſem hymnis celebraſſe, etiam quando ipſa Sabazi Myſteria peraguntur*. De Phrygibus idem refert, quod Lucianum commemorantem audivimus.

De Græcis, quorum in verbis citatis mentionem Proclus fecerat, ex aliis Monumentis id facile confirmari poteſt. Diogenes Laertius, ubi Symbolum illud Pythagoræ, *Gallo albo eſſe abſtinendum*, explicat, hanc etiam rationem adfert, ὅτι τῷ μηνὶ ἱερός, vel potius, ut habet antiqua lectio, ὅτι ἱερὸς τοῦ μηνός, *eo quod* (40) *Menſi ſacer eſt*: in vita Pythag. Lib. VIII. Segm. 34. quæ repetita videbis a Jamblicho in vit. Pythag. c. XVIII. p. 70. Edit. Kuſteri. Equidem Is. Caſaubonus, vir harum rerum peritiſſimus, μῆνα non putat hoc loco ſignificare *Menſem*, ſed *Lunam*, ſigno tantum Maſculini generis elatam, uti Latini etiam *Lunum* ſua lingua dici poſſe volunt. In Spartiani Caracall. c. VII. Et quamquis Salmaſius poſtea in eundem Spartiani locum docuiſſet, haud dubie non modo Lunæ, ſed & Menſi apud Græcos & Barbaros ſacra fieri conſueviſſe, celeberrimus tamen Cuperus in Harpocrate p. 16. Caſauboni ſententiam veriorem eſſe ratus, multis oſtendere laboravit, in omnibus veterum locis, quæ indicant μηνὶ ſacra facta eſſe, per μῆνα non intelligendum eſſe *Menſem*, ſeu orbem, quem menſtruo curſu Luna abſolvit, ſed ipſam *Lunam* ſub habitu tantum Maſculino repræſentatam, aut *Deum Lunum*, & ingenioſis ſuis obſervationibus, eruditos (41) tantum non omnes in ſuas partes pertraxit. Verum ea, quæ ex Proclo hactenus jam adduximus, quæque in eandem rem adhuc ſumus allaturi, de eo nos dubitare non ſinunt, Græcos præter Lunam, ſingulari etiam cultu Menſem proſecutos fuiſſe. Armeniis eundem cultum tribuit Strabo Lib. XII. p. 383. Edit. Caſaub. Geneſ. Ἔχει δὲ τὸ ἱερὸν μηνὸς φαρνάκου καλούμενον. *Eſt & Cabiris Templum Menſis, quod dicitur Pharnacis*. Addit inſignis ille auctor, moris fuiſſe regibus, ut jurarent μῆνα φαρνάκου *per menſem Pharnacis*, ſic enim locum hunc intelligo. Ea quæ ſequuntur de Templis & Sacris Lunæ & Menſis, cum Strabo hic perbrevis ſit, noſque alia Monumenta deſtituant, mihi obſcura ſunt. Ibidem Templi meminit in Phrygia, quod & Lunæ & Menſi ſacrum fuerit. In eodem loco unico verbo tangit Templum Ἀσκαίου *Aſcæi* apud Antiochiam Piſidiæ, quod Sacris hiſce celebritatem ſit conſecutum. De hoc ipſo alibi in deſcriptione Phrygiæ p. 397. hunc in modum loquitur. Ἦν δὲ ἐνταῦθα καὶ ἱερωσύνη τις Μηνὸς Ἀρκαίου, πλῆθος ἔχουσα ἱεροδούλων, καὶ χωρίων ἱερῶν. *Fuit ibi etiam ſacerdotium Menſis Arcæi, multitudinem hierodulorum habens & ſacrorum locorum*. In

Phry-

Phrygia pariter diligentiſſimus hicce Scriptor obſervat inter Carura & Laodiceam, ſitum fuiſſe ἱερὸν Μηνὸς Κάρυ καλέμενον τιμώμενον ἀξιολόγως *Fanum Menſis, Cari cognominatum, quod magna veneratione cultum fuerit*. p. 399. Quæ omnia ea, quæ ex Luciano & Proclo de cultu menſis apud Phryges ſupra obſervavimus, non leviter confirmant. Si hoc nondum ſufficeret ad probandum, præter Lunam, orbem quoque illum, quem curſu ſuo menſtruo Luna conficit, quem vocamus menſem, per σωματοποιΐαν divinis honoribus cultum fuiſſe, id certe dubium omne tollit, quod μῆνα *menſem* cum *anno* conjungi, & utrumque ab Ethnica Antiquitate in Deorum cenſum referri videmus. Eximia hanc in rem verba ſunt (42) Æliani, de Gadibus ita referentis: ὅτι ἐν γαδείροις βωμὸς ἐνιαυτῷ ἵδρυται, καὶ μηνὶ ἄλλος, εἰς τιμὴν χρόνυ βραχυτέρυ τε καὶ μικροτέρυ, ubi haud dubie legendum eſſe μακροτέρυ per ſe quivis facile intelligit. *Gadibus aram unam anno, alteram menſi erectam eſſe, in honorem temporis cum brevioris, tum longioris*. Et de Theurgis in univerſum Proclus obſervat in Timæum Lib. IV. p. 251. Οὐ τὸν χρόνον μόνον ὡς θεὸν ὑμνήκασιν, ἀλλὰ καὶ ἡμέραν αὐτὴν, καὶ νύκτα, καὶ μῆνα θεὸν, καὶ ἐνιαυτὸν. *Non Tempus tantum, ut Deum celebrant; ſed & diem ipſum, & noctem, & menſem dixerunt Deum & annum*. Quid poſthæc opus eſt, plura addere? Si igitur, ut prolixe hactenus oſtendimus, anno potuerunt tribui honores, quos re ipſa Soli, cauſæ efficienti circuli annui decernebant Gentiles, quidni & nomen Soli tribui ſolitum, anno ſimiliter adhærere potuit? Annus certe, ut ſupra ex Cenſorino obſervabamus, eſt ipſe Sol, *rex Cæli*, curſu ſuo abſoluto, omnia ad priſtinum ſtatum reducens. Hunc igitur plenum perfectumque annum, quem ſerius ab Ægyptiis inventum eſſe novimus, videntur nomimine ipſius Solis *regem Cœli* cognominaſſe. Auctor eſt Cenſorinus de Die Nat. c. XVIII. *Magnum annum* (43) i. e. plenum & perfectum, *a quibuſdam dici* ἡλιακὸν (annum ſolarem) *& ab aliis* τὸν θεῦ ἐνιαυτὸν. (*annum Dei*) Ex quo ſuſpicio oboriri poſſet, Ægyptios annum magnum ſolarem ſermone ſuo dixiſſe ΠΑΡΟΜΠΕ, quod ſignificaret τὸν τῦ βασιλέως ὀρανῦ (ſubintell. ἐνιαυτὸν) *annum regis cœli*, quæ vox poſtea ſucceſſu temporis, abjecta compendii cauſa priori ſyllaba, in ΡΟΜΠΕ abire potuit. Nihil in his definio. Id tamen dubio omni carere mihi videtur, Numinis *Remphab*, cujus ex LXX. Seniorum verſione apud Lucam Stephanus mentionem facit, in voce Ægyptiaca ΡΟΜΠΙ, vel ΡΟΜΠΕ, veſtigia ſupereſſe luculenta & obſervatu non indigna. Forſitan eruditorum quiſpiam, ex iis, quæ de iſthoc argumento huc uſque delibavimus, occaſionem aucupabitur, rem hanc, quæ operæ pretium feret, pluribus illuſtrandi.

# NOTÆ.

(1) In Geog. Sac. Part. I. Lib. I. c. XV. col. 60. *Hodie Coptorum Dialectus multo plura habet græca vocabula, quam Ægyptia*. Adde eundem in Opuſculis col. 830. & ſeqq. ubi argumentum hoc prolixe pertractatur. Verum affirmare non vereor, inter omnes explicationes vocum Ægyptiacarum, quas illic Bochartus ex lingua hebraica nobis offert, vix unicam eſſe veram & ſolidam. Idem omnino de omnibus ſimilibus virorum eruditorum conatibus dicendum eſt.

(2) Non abs re tamen Grotius obſervat, verba hæc ex interpretatione Græcorum talem fundere ſenſum. *An non mihi hoſtias & ſacrificia obtuliſtis?* tanquam concederet Deus, Iſraelitas in Deſerto ſibi ſacrificia ſemper obtuliſſe, quod re ipſa menti Vatis Sacri repugnat.

(3) Vide Vitringæ Obſervat. Sacr. Lib. II. cap. 3. §. 3.

(4) *Druſius* in Annot. ad Amos. V. 25. *Liveleus* ibid. *Braunius* Select. Sacr. Lib. IV. c. XI. §. 163.

(5) *Tremellius & Franc. Junius* Annot. in Amos. V. 26. *Piſcator* in notis ad eundem locum. *Coccejus* in h. l. & in Act. VII. 43. *Lud. Capellus* in locum hunc poſterior. *Spencerus* de Legibus Hebr. L. III. Diſſ. I. c. III. p. 32. & 40.

(6) Ita hanc vocem illic legendam eſſe, docet Vitringa loc. cit.

(7) Herodot. L. II. c. 42. Plutarch. de Is. & Oſis. Origenes contra Celſum. Lib. V. p. 259. 261. 263. Heſych. & alii.

(8) Diodorus Sic. tamen L. I. p. 22. Edit. Wechel. ait. *Amonem* eundem etiam haberi cum Oſiride. Ex quo ratio reddi poſſet, quare Ægyptii, (ut teſtatur Achilles Statius infra §. X. adducendus) Planetam Jovis lingua ſua dixerint *Stellam Oſiridis*.

(9) Pleræque enim Ægypti urbes celebriores tale quid ſonant. Ἑρμὑπολις, Ἀφροδιτόπολις, Διόσπολις minor. Πανόπολις. Ἡλίυ πόλις. Ex quibus de compoſitione נא אמון conjicere pronum eſt.

(10) Tanchuma fol. 40. col. 1. ubi vocantur *Jonos & Jombros*. Gemara Babyl. in Codice Menachoth fol. 85. col. 1. ubi vocantur *Jochane & Mamre*. Targum Jonathan in Exod. VI. 11. ubi vocantur *Janis & Jambres*. Vide Druſ. in 2. Tim. III. 8. Grotium ibid. & in Lib. I. de verit. Relig. Chriſt. §. 16. in notis.

(11) Utriuſque meminit ſub nomine *Jannis & Jambris*, Numenius Pythagoræus apud Euſeb. Præparat. L. IX. c. VIII. p. 241. Edit. græc. R. Steph. itemque apud Orig. contra Celſ. L. IV. p. 199. *Janis* mentionem facit Plinius Lib. XXX. c. 1. Apulejus Apol. p. 331. Vide Grot. l. c. & Spencerus in Orig. contra Celſ. p. 55. 56.

( 12 ) *Lud. Capellus* in Act. VII. 43. *Lud. de Dieu*, in eund. loc. *Pfeiff.* Dub. Vexat. in Amos. V. 26. & in Act. VII. 43. *Salmas*. de Ann. Climact. p. 597. *Hottinger*. in Exercit. Anti-Morin. p. 57. *Braunius* in Selectis Sacris passim &c.

( 13 ) Vide Kircheri Linguam Ægyptiacam Restitutam p. 49. & p. 528. Adde ejusd. Prodrom. Copt. c. V. Arabica literis Hebraicis expressit Hottingerus in Exercit. Anti Morin. p. 57. 58.

( 14 ) Z in ΠΙΙΟΖ non est Z græcorum, sed *h* Latinorum, *pijoh*. Quod literis græcis exprimi non potest. Idem infra observandum in ΡΕΜΦΕΖ.

( 15 ) Vide Biblioth. Bremens. Class. V. Fascic. IV. p. 746. 747. 751.

( 16 ) Ex Cedreno tamen intelligimus, Stellam Martis Ægyptiace dictam fuisse ἔρτωσι, vel, ut habet Vettius Valens, Astrologus ineditus, Ἄρτης. Vide Selden. de Diis Syris Synt. I. c. VI. p. 186. Salmas. de Ann. Climact. p. 596. Quod ut intelligi possit, notandum est, quod ex variis indiciis didici, Planetæ unicuique apud Ægyptios tria fuisse nomina, unum *Numinis*, quod illi præesse credebatur, alterum *virtutis*, qua valere existimabatur, tertium *coloris*. v. g. Stella Martis a *Numine* suo dicebatur *Stella Herculis*, a potestate & *virtute* ἔρτωσι, vel ἄρτης, a *colore* πυρόεις. Itaque ἔρτωσι nomen est virtutis, quod pluribus persequi, jam non licet.

( 17 ) Apud Etymologi magni auctorem in voce ἀδύρ. De Orione vero, vel Oro, consule indicem Sylburgi in Etymologicon, voce *Orion* & *Orus*.

( 18 ) *Astrum Canis* cum *Venere* Ægyptiorum, ( si ita loqui fas est ) aliquam habet relationem. *Astrum Canis* Ægyptiorum sermone dicebatur Σῶθις teste Porphyrio de Antro Nymphar. p. 265. Chalcidio in Tim. p. 218. ubi vide notas J. A. Fabricii. Apud Vettium Valentem Astrologum MS. abjecta terminatione græca, Astrum illud vocatur Σῶθ, Vide Marshami Canonem p. 8. Edit. Panek. Σῶθις autem illa erat ipsa *Isis*. Vide Fabricium l. c.

( 19 ) In Dissert. de Lingua Coptica ( inter Dissertationes, quæ Collectioni Orationum Dominicarum, in varias linguas traslatarum, subjectæ sunt ) pag. 109.

( 20 ) Ex compositione multorum vocabulorum Ægyptiacorum, hoc ita certo colligitur, ut dubium non supersit. Observavit hoc etiam Clarissimus Vir, *Franciscus Smit*, Bremensis, in Dissertatione, quam Juvenis ante hos XIII. annos Bremæ edidit a. 1717. de Amuleto quodam Gnosticorum, ubi pag. 17. hæc lego: *Nam* ΡΗΟΤΩ *&* ΡΑΟΤΟΣΙΣ *est unum & idem in lingua Ægyptiaca*. ΡΗ *est Sol - &* κατ' ἐξοχὴν *princeps, seu* ἀρχὸς ΠΟΤΟ *est abundantia - Ephes. l.* 19. ΡΗΟΤΩ *ergo Princeps abundans potentia*.

( 21 ) Z hic in ΦΕΖ pariter non est græcorum Z; sed latinorum *h*, quod supra jam in ΠΙΙΟΖ observatum est. Pronuntiandum itaque *pheh*, vel *phah*. Nota obiter, jam olim a Prisciano observatum fuisse, *in Syrorum & Ægyptiorum dictionibus, solere etiam in fine aspirari vocales*. Lib. I. col. 549. Edit. Putschii.

( 22 ) Varro de Ling. Lat. Lib. VII. p. 97. Edit. Steph. observat, *Aegyptiorum vocabula singulis casibus dici*, i. e. unicum habere casum.

( 23 ) Schol. Arati in Phænomena, p. 3. Edit. Oxon. λέγεται δὲ καὶ ὁ ἥλιος ἄστρον ἰδίως.

( 24 ) Sic Ammian. Marcell. L. XXII. p. 245. Edit. Lindenb. Ælian. Anim. L. XI. c. XI. init. Porphyr. apud Eusebium de Præparat. Lib. III. c. XIII. p. 71. Edit. R. Steph. Lutatius in Statii Thebaid. L. III. v. 478. Anon. apud Suidam in Μέμφις.

( 25 ) Plutarchus de Is. & Osir. p. 677. Edit. Steph. ait, *videri*, *Apin sacrum esse Osiridi*. Erat Traditio apud Ægyptios, Animam Osiridis morientis migrasse in Apidem, teste Diodoro Lib. I. p. 76. fin. Edit. Wechel. Plutarchus eam Traditionem ita exprimit. *Apidem esse imaginem animæ Osiridis* de Is. & Osir. p. 639. fin. & 645. non male igitur Macrobius Saturn. L. I. c. XXI. p. 212. *Apis in Civitate Memphi, Solis instar excipitur*.

( 26 ) *Ammianus*, *Ælianus*, *Macrobius*, *Eusebius*, *Suidas*, locis citatis, Plutarch. de Is. & Osir. p. 649.

( 27 ) Porphyr. apud Euseb. Præpar. L. III. c. XIII.

( 28 ) Plutarch. de Is. & Osir. p. 640. & 648.

( 29 ) Vide Petiti Miscell. l. c. & Braunii Selecta Sacra Lib. IV. c. IX. p. 484.

( 30 ) Illius etiam Jeremias Vates bis meminit c. VII. 18. & c. XLIV. 17. ubi numen aliquod vocatur מלכת השמים *regina Cœli*.

( 31 ) Hunc locum sine dubio illustrare voluit Windetus, de Statu vita functorum Sect. III. p. 34. ( in Crenii Facic. Philo. IV. ) ita scribens: *Græcis Deus Opifex* Ζεὺς *dicitur*, *Æthiopibus* YGZIA SMAI, *id est* DOMINUS CŒLI. ( *istud nomen corrupte scribitur apud Leonem Afric. p. 22.* ) *penesque illum vita*. *Materia* ἄδης, *penes quem mors, seu dissolutio*. Utrum vero vir doctus rem acu tetigerit, aliis disquirendum relinquo. Certe Leo Africanus loquitur de Nigritis, seu Nigri fluminis Accolis, quos non Æthiopicum, sed peculiarem suum sermonem habuisse, alibi docet, p. m. 19. Et eorundem quosdam, suo etiamnum tempore, Solem orientem veneratos fuisse, testatur Lib. VII. pag. 636.

( 32 ) Fallitur Thomas Hydeus, doctissimus Vir, qui in libro de Rel. Persar. p. 52. ait, ab interpretibus latinis νηῒθ in Platone male verti *Minervam*. Nam hæc non est explicatio interpretum Platonis; sed ipsius Platonis, cujus verba sunt: αἰγυπτιστὶ μὲν τ' ὄνομα νηῒθ ἑλληνιστὶ δέ, ὡς ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Nec minus fallitur, quando putat, hanc Νηῒθ eandem esse cum *Anaitide* Persarum, in quo tamen Celeberrimus Relandus ipsum secutus est, de Vet. Ling. Persar. p. 123.

( 33 ) *Hesych* in νηΐθη. *Arnob.* L. IV. adv. gent. p. 137. *Proclus* in Timæum Plat. p. 30. *Chalcidius* in versione sua Timæi p. 11. ubi legitur *Neuth*, male.

( 34 ) Apud Eusebium p. 21. Chronici græci Scaligeri, qui illum Catalogum habuit ex Syncello, tum nondum edito.

( 35 ) In addendis ad librum de Ann. Climact. Adde Bocharti Opuscula, Geographiæ Sacræ in novissima Editione subjecta p. 831. ubi tamen bis male scribitur νηιθορμεθ. Lege, ut supra correxi.

( 36 ) Tales Holstenius producit, in notis ad Stephanum p. 243.

( 37 ) Vide cumprimis ejus in Timæum Platonis Commentar. Lib. IV. passim, præsertim p. 244. 246. 251.

( 38 ) Κοσμοκράτορες. *Mundi rectores*. Ita apud Theologos Platonicos, & Astrologos dicuntur septem Planetæ.

( 39 ) Verba hæc duplicem habere possunt sensum, nam 1. ) id significare potest Proclus, mensem unum ex XII. Sabazium dictum, divinis honoribus cultum fuisse. Et certe non est, quod dubitem, quin Phryges habuerint mensem, quem ipsi sermone patrio *Sabazium* appellarunt. Bithyni enim, quos eandem cum Phrygibus linguam habuisse, monui jam in Disquisit. de Lingua Lycaon. §. XIV. quodque pluribus facillime probari potest, menses suos a Diis cognominarunt. Nomina horum Mensium ex Cod. MS. Jos. Scaliger edidit de Emend. Temp. Lib. I. p. 50. Sed illa græca sunt, ex sermone Bithynorum conversa, excepto Βενδιδαίῳ. Hic solus servat typum vetustum Bithynorum. Græci hunc mensem dixissent Ἀρτεμίσιον. Nam Ἄρτεμιν interpretantur, i. e. *Dianam*, quam Phryges Βένδιν vocabant. Occurrit in his etiam Mensis Διονύσιος. Hic procul dubio Phrygibus & Bithynis vernaculo sermone audiebat Σαβάζιος. Nam Phryges Numen illud, quod Græci Διόνυσον vocant, dixisse Σαβάζιον, referunt Veteres. Aristoph. in Avibus p. 402. Edit. græc. Basil. ubi consulendus omnino Scholiastes vetus, ex quo emendari potest facile Etymologici auctor in Σαβάζιος. Namque illic pro εὐβαδίζειν, legendum omnino est εὐάζειν. Adde Eustath. in Dionys. Perieg. p. 147. Edit. Rob. Steph. aut 2. ) id significare potest Proclus, Sabazium sanctissimum apud Phrygas Deum, in Mysteriis etiam haberi pro Mense. Sabazius enim a Thracibus & Phrygibus, qui ejusdem originis sunt, nil aliud, nisi Sol esse credebatur. Vide Marcob. L. I. c. XVIII. Saturnal. p. 201. Solem autem & a Phrygibus quidem, vocari etiam *Menotyrannum*, i. e.

regem

*regem mensium*, ex eleganti inscriptione intelligitur, quam vide apud Reines. in Syntag. Inscript. p. 64.

(30) Observavit Salmasius in Spartiani Caracall., Plinium respicientem ad hoc Pythagoræ scitum, Gallum Gallinaceum τοῦ μηνὸς ἱερὸν fuisse, vertisse *Mensi sacrum*, quod si verum foret, magnum sententiæ Salmasii pondus adjecturum esse, Cuperus largitur. Locus Plinii hactenus reperiri non potuit. Quidsi Salmasius veterem Diogenis Laertii interpretem, quem Casaubonus ad Laertium adducit, cum Plinio confuderit? Nam ille vertit *Mensi sacratus est*. Ceterum puto, rationes, quas in medium attuli, non minoris fore ponderis, quam versionem Plinianam sciti Pythagorai.

(41) Ipse Menagius argumentis Cuperi a pristina sententia abduci se passus est. Vide ejus notas in Laertium p. 369. Vide & Vitringæ Comment. in Jes. LXV. comm. 11. & quos ille præterea viros doctos illic nominat.

(42) In libro jam deperdito de Providentia, apud Eustath. in Dionys. Perieget. pag. 75. Edit. Rob. Steph. Causam istius cultus non difficulter assequetur, qui Strabonis de Gadibus Disputationem expenderit Lib. III. præsertim p. 119. 120.

(43) Constantem diebus 365. & sex horis, quem ab Ægyptiis paulatim inventum & perfectum fuisse, cum antea annos minus accurate computarent, notum est omnibus.

# JOH. HENRICI MAII
## DISSERTATIO
## DE
## KIJUN & REMPHAN.

§. I.

QUod ex Plautinis adagio fecit locum, quo de rebus sententiisque indaginis difficilioris usi nonnunquam veteres fuere: *hoc vero præter Sybillam nemo leget*; id ipsum in sacris divini codicis sermonibus sæpissime usu venire tam est manifestum, ut qui negare id velint, *facerent næ* ostenderentve, secundum Comicum, intelligendo, ut nihil intelligant. Videlicet non est hic pene liber, qui non habeat suas cruces quibus sive diligentiam nostram exercere, sive mentium humanarum fastum coercere sapientissimus Deus voluerit. Certe ita deficit humani ingenii acies, ut quo se cunque vertant oculi deprehendamus, quæ veritatem Apostolici enunciati insinuant, ἐκ μέρους γινώσκομεν καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν.

II. Esto nobis Argumento vexatissimus ille, quem præsenti schediasmate breviter lustrare animus est, parallelismus vocum duarum, earumque vexatissimarum, quarum altera est in Hebræo apud *Amosum* Vatem, altera in Græco apud LXX. & Stephanum ἔνθεον Interpretem, כיון & Ῥεμφὰν, qui profecto tam intricatus & difficilis fuit *doctissimo Anglorum polyhistori Seldeno*, ut cum ipsius ingenium non facile ulla fatiget difficultas, tamen hic maluerit suam profiteri ignorantiam, quam cum aliis aut nimium videri audax, aut rationibus assurgere minus validis. En vocem ejus ingenuam! *in loco Amos. Prophetæ obscuro; me tam cæcutire sentio, ut nihil omnino videam*. Hanc Viri magni modestiam, anne imitari satius fuerit, quam oneri subdere humeros cui ferundo sint impares, poterat omnino aures vellicare tritum apud Hebræos monitum ההריסה בענין הוא עוון פלילי וסכנה גדולה: quo periculosum esse Magistri indicarunt, sine necessaria præparatione aggredi negotium. Enim vero sunt qui prævivere, quorum nobis premere licebit vestigia, quæ si etiam minus feliciter nonnunquam fuerimus assecuti, non recusabimus cedere monentibus meliora. Adspiret interim conatibus benigno Numine sanctissima Trias! Tu vero fave Lector humanissime, & hoc quicquid fuerit æqui bonique consule.

III. Ibimus ea via, quam natura rei ostendere videbitur, & ut scias, quis cardo rei, quæve quæstionis sint futura capita, ecce Tibi ante omnia partem sacri contextus ex Amoso exscriptam, cap. v. 26.

ונשאתם את סכות מלככם ואת כיון צלמיכם כוכב אליכהם אשר עשיתם לכם:

Adde Græca ex Apostolorum Actibus c. VII. comm. 44.

Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς.

Consonat & ea, quæ a LXX. Senioribus nomen habet, per omnia, nisi quod correctiores codices habent pro ῥεμφὰν, ῥαιφὰν, alii ῥάφα. Cæterum multa hic essent,

ſent, ut apparet, excutienda, quid nempe סכות , quid מלככם , ſed hæc tranſeant tantundem breviter expedienda poſtmodum. Id nobis jam curandum eſt, quid ſit *Kijun* Prophetæ, quid Græcorum Remphan; hæcque an & quomodo conveniant?

IV. De Hebræo Hebræorum primum rogabimus ſententias, ſi forte domi habeant, quo ſapere diſcant alii. Ex his *R. Salomo ben Melech* in ſuo *Michlal Jophi* confert vocem cum Hebr. כונים quod de placentis Reginæ cœli factis & oblatis, eſt Jer. VII. שהיו סכינים ומנישים למלכת השמים additque demonſtrationis hanc probabilem rationem, forte ab iis dictas placentas לכוין דעתם ולבם וגמ׳ , *ad dirigendam ſcientiam & cor eorum ſuper eis, ad præparandas & faciendas eas recte*. Tuentur hanc ſententiam alii complures, ut ſunt ex Judæis R. D. *Kimchi*, ex Chriſtianis *Pagninus*, *Avenarius*, *Vatablus*. Et ſane adeo abſurda hæc ſententia non eſt; & ſi in ſolo textu Hebræo maneamus, ab Hebræis non poſſit diſceptari; quando autem *Stephanus* etiam & LXX. ad arbitrium ſunt admittendi, ad alias abire rationes jubemur, nec ſine cauſa quis mirabitur tam facile placentas has ad palatum Lexicographorum eſſe potuiſſe.

V. Aliam quercum excutit, nec ſine plauſu & ſuorum quorundam & noſtrorum, *Aben-Eſra*, qui pro nomine proprio habet, & notari dicit כוכב שבתא quo nomine Saturni ſtella ipſi ſignatur. Venit hic in ſubſidium Lingua Arabica & Perſica, quibus כיואן eſt Saturnus, ex quo deinceps modica inflexione facile fit כיון quam vocem vel ideo ad barbarum ſonum inflexiſſe Prophetam putant, ut barbararum gentium idololatriam vehementius Judæis exprobraret: credunt id & egregiis obſervationibus illuſtrant, viri in hoc litterarum genere excellentes *Arias Mont. Ludov. de Dieu* in Acta Apoſtolorum, *Athanaſ. Kicher.* Œdip. Ægypt. *Hotting. ſmegmat. Oriental. Auguſt. Pfeiff.* Dub. Vex. *Grot.* h. l.

VI. Specioſus eſt horum ſermo, & multa magnifice pollicetur, ut ſi ullibi apud Iſraelem labii Iſmaelitici, i. e. Arabiſmi & Perſiſmi in Hebraiſmo uſus & fructus eſt, hic ille conſpicuus eſſe videri poſſet. Verſiones antiquiores & celebriores, *Chaldæi*, *Syri*, *Aquilæ Symmachi* pro nomine quidem proprio habuerunt, nam immutatum ita retinuere, de cætero autem quid ſpeciatim intelligi exiſtimarint, non conſtat. Sic etiam *Luth.* retinuit *Chiun*, Belgæ & Galli Kijun. Sed illam *Aben-Eſræ* ſententiam ejuſque rationes curatius expendendi infra locus erit.

VII. Non æque aut rationum Præſidiis aut Patronis ſuis fulcitur eorum oratio, qui ex Ægyptiorum Sacris nomen accerſentes ardentem Syrium ſ. caniculam ſtellam adferunt, quam veluti Numen ab Ægyptiis cultam pro felici inundatione terræ, quia ad Syrii ortum Nilus ebullire & ſeſe effundere incipit, refert *Victorinus Strigelius* Hypomn. in N. T. p. 369. parum enim id convenire cum veteri Phœnicum Theologia, jam oſtenderunt *Kipping.* Antiquit. Rom. lib. I. cap. VI. diſt. 6. M. *Andr. Beyer.* ſuppl. ad Selden. de Diis Syris. *Aretii* certe ratio ab affinitate κύων (quam tamen etiam doctiſſimus *Bochartus* pro fundamento ſuæ cujuſdam conjecturæ, qua Anubim, cum Saturno a veteribus confuſum, hinc exſculpere laborat, conſtituit Phaleg. lib. I. cap. XV. p. 67.) quæ ab Hebræa כיון fluxiſſe videatur, omni deſtituitur nervo. Nec firmius concludit ratio a conſuetudine Ægyptiorum, qui ab inundatione Nili annum ordiantur, numerentque magnum illum κυνικὸν annum ex 1460. communibus conſtantem, neque denique demonſtratum eſt, quod ipſe ponit כיון ab æſtu habere nomen. Vid. Glaſſ. Philolog. Sacr. Lib. IV. Tract. 3. obſerv. 17.

VIII. Qui vel *Mercurium* cœleſte ſidus, ut in Bibliis criticis aliqui, vel *Lunam* intelligunt, quod facit *Voſſius* Theolog. Gentil. Lib. II. cap. 23. divinant potius, & ſuis delectantur conjecturis, quam ut ponant aliquid, quod credi ſibi velint, aut certe credituros ſperare poſſent alios. Nec ſuis ſe tandem Autoribus ſatis probare potuit Duum-Virorum *Junii* & *Tremellii* in prima Bibliorum editione commendata obſervatio, quando *Chijun*, oppidum propinquum in finibus Ammonitarum poſtea mutato nomine *Rephan* ſeu ῥέμβων I. Maccab. V. 7. dictum commemorant. Ipſimet enim ſponte in ſequioribus editionibus & alibi, præſertim Junius, divortium ab hac ſententia faciunt. Nec denique facile audiendi, qui *Herculem* inducunt, a gigantea ſtatura, qua olim pingi ſolitus eſt, alio nomine רפא dictum, unde רפאים gigantes. Quod ſi juvat tamen audire, cur hæc talia ab aliquibus tam audacter, ſic illi fantur ex *Lilio Giraldo*: Ægyptiis *Herculem* olim vocatum *Chon*, hanc convenientiam ſpectare non eſſe fruſtra, credere jubent. Verum ſi ejuſmodi nominum in diverſis linguis ſimilitudo tantum valet, quid tandem fiet de multis aliis? anne,

quod

quod exemplum adfert alicubi Augusti. Pfeiffer. ex *Caplan* faciemus Tigrim, vel aliud crudele quadrupedium genus? sic enim Turcice notare dicunt, nec spernendam censemus adnotationem ingeniosissimi *Seldeni Syntag.* 2. *cap.* 14. *p.* 354. dicentis: *neque vero ita constat Herculem Ægyptium ea voce denotari. Qui primus tradidit Chon, forsan male a mutilato* τῦ γιγῶν (*quod nonnullis veterum Hercules Ægyptius est*) *a Syracusis accepit.*

IX. Justo forsitan diutius in unica voce hæremus, indicandum erit tandem, quid expensis omnibus, vero fiat simile. Non obtrudam ego doctioribus sententiam, sed dicam quorum rationes apud animum meum plus valuerint. Eorum autem antea injicienda mentio adhuc est, qui cum appellativam significationem eligant, diversis iterum viis rem conficere student. Per Basin explicandam esse vult, & non gratis se velle, prolixe contendit *Junius* in Parallelis; quem sequitur *Tarnovius* commentar. in Amos. & e recentioribus solertissimus *Gussetius* comment. ling. Hebr. *Coccejus* notione affini quadantenus *thecam* vel *locumentum*. Maxime abit a vero *Theodotion*, qui ἀμαύρωσιν obscuritatem, nec minus aberrat Theophylactus, qui τύφλωσιν cœcitatem, proxime accedunt, & si recte judicamus, rem tangunt acu, qui cum *Marina* per *apparatum* reddendum opinantur.

X. Videlicet cum id concessum iri ab æquis rerum æstimatoribus sperare possimus, quod (1) is commodissimus debeat haberi modus, qui ipsius Hebraismi s. linguæ S. genio maxime nititur, nec, nisi proprii fundi paupertas non adigat, ad linguas cognatas delabitur. (2) qui textus utriusque parallelismum dilucide ostendit, ac violentam dilacerationem quam fieri potest maxime cavet; non possumus non pollicem premere, sententiæ ultimo commemoratæ, ut dicamus, appellative sumta voce indicari *dispositionem*, *ordinem*, *apparatum*, *coaptationem*. Admittit id ipsum significatio radicis כון genuina, quæ in formis activis Piel & Hiphil est *aptare*, *disponere*, *parare*, *apparare*, *constituere*: quemadmodum itaque alias a קום ex forma Piel est קיום confirmatio, statio, a חוב חיוב debitum & alia multa Rabbinis usitata, ita etiam hic analogia producet כיון. Textus Hebræus omnino id suadet; cum enim dicit כיון צלמיכם *imaginum vestrarum* in plurali, per appositionem id intelligi nullo modo potest, quod illi dicere debent, quibus proprium est nomen, ob diversitatem numeri, non diceretur proprie *Kijun imagines vestras*, cum Saturnus unicum idolum sit. Idem hoc valebit contra illos, qui Remphan Actorum conjunctum volunt, cum voce τύπυς, contra communem & receptam distinctionem. Nec hoc tollunt dubium ea quæ Dievius monet, scilicet pluralem adhiberi numerum, quia simul respiciat hæc vox ad סכות vel tabernaculum antegressum; hoc enim non solum fuisse Tabernacolum Idoli, Molechi, sed & ipsum Idolum tanquam imaginem cœli, ut adeo hoc צלמיכם ad utrumque idolum antecedens sit referendum. Sed vide Lector B. an hæc facile credere possis esse tam firma, ut plane satisfaciant, & considera accentuationis constitutionem, an ea Dievio patrocinetur, utrum vero minus?

XI. Porro si Stephanus conferatur ejusque rationis nexus attendatur paulo penitius, ille ultricia in gentem Judæorum judicia commemorans, dixerat Deum eos tradidisse, ut exercitui cœlorum servirent, atque hic ipse cultus cum per כיון צלמיכם designetur, fieri non potest, ut כיון unicum idolum indicet, minus alias dixisset Stephanus in sua probatione, quam res esset, quamque in prolixa exprobratione ipsis imputaret. Potius ergo huc referendi illi ipsi τύποι, quos Lucas meminit, iisque dicendum est respondere כיון Prophetæ, quod, ut pulchre ad mentem nostram hic loquitur *Ligtfoot*, fuit forte repræsentatio totius exercitus cœli in una serie seu acie disposita, vid. Ezech. VIII. 10. stellis forte aliisque figuris variegata, quæ hunc vel illum planetam repræsentarunt.

XII. Aliud insuper accedit incommodum, ex verbis Stephani divinitus prolatis in eorum redundans sententiam, qui vocem Kijun pro cujusdam Idoli propria obtrudere allaborant. Est nempe in Amoso vate is verborum nexus, ut vox Kijun ab istius verbis כוכב אלהיכם separetur plane per accentum distinctionum majorem, quem in accentuatorum scholis athnachum vocant, maximum intra versum distinguendi valorem ei tribuentes. Si nunc Lucam S. Stephani verba referentem evolvamus, verborum cohærentia inspicienti hoc se offert modo: καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥέμφαν. Hic non monitus etiam deprehendes, arctissime connexa, quæ divinus vates maxime distincta pronunciavit, si per Kijun proprium intelligas nomen, idemque cum Remphan Evangelistæ. Hoc num accurato sacrorum textuum scrutatori admittendum sit, non dubito, quin dubitare quis omnino possit ac debeat.

XIII.

XIII. Supereſt ut adverſæ partis rationes quaſdam videamus & ad eas reſpondeamus. *Herculis*, *Lunæ*, *Mercurii*, *Caniculæ* patronos nunc non morabimur, ſed, qui pro *Saturno* pugnant rationibus ſuis non deſtituuntur; quin ita diſputant, ut facile permiſſuri ſimus, ſi quis eorum rationibus aſſurgere velit, ſatis habituri, ſi modeſte indicaverimus, quod non vana ſpecie ipſis opponi ac reponi poſſit.

XIV. Ajunt proprium eſſe nomen, inde conſtare, quod a Stephano nomen proprium aliud ſubſtituatur. Verum enim vero, tantum abeſt, ut ea hujus argumenti vis ſit, quæ noſtræ poſſit obeſſe ſententiæ, quin potius illud invertentes ex hoc ipſo concludamus, & jam dum in ſuperioribus concluſiſſe merito arbitremur, vocem Kijun, abſque violenta ſatis Hebræi textus explicatione & dilaceratione, propriam in Amoſo eandemque cum *Remphan* dici non poſſe, cum in loco Actorum connectatur cum iis, a quibus in Amoſo Kiun plane legitur ſejunctum. Attamen erit quærendum in ſacro vate nomen, quod *protomartyris* Remphan exprimat. Id ſi ſacer textus haberet, retinendum eſſe accipiendumque non nego, ſed quærendum, cum non habeat, & ſubſtituendum, quod ipſe non ſubminiſtrat, quis quæſo affirmare auſit? Sed unde tandem accerſendum Remphan, ſi originem ex Amoſo ducere nequit? Explicari eo ſpecialius exiſtimamus, quodnam fuerit præcipuum *Idolum* in illa כיון vel diſpoſitione; id autem fuiſſe Remphan ſeu Saturnum, conſtare ex traditione potuit Judæis, verſionis Græcæ autoribus, confirmata deinceps τῇ θείᾳ ἐλλάμψει ſ. inſpiratione apud Stephanum, quod quemadmodum alias, in aliis etiam non recedentibus a veritate, juſta ex cauſa factum eſſe, ab eruditis paſſim obſervatur, ſic nunc quoque ratione non caret, præſens illius verſionis retentio; Stephanus quippe non ſolum cum Judæis ex verſione ab ipſorum Synedrio comprobata recte egit, ſed etiam efficacius in ruborem refractarios dare potuit, dum Idolum gentilitium ex propria ſuorum confeſſione & verſione a patribus cultum fuiſſe demonſtravit. Nec eſt, ut æquum rerum æſtimatorem, traditionis mentio magnopere teneat ſuſpenſum, non enim infrequens aut novum deprehenditur iſtis LXX. de ſuis vel ſuorum placitis nonnihil textui ſacro interſerere. Exemplo jam eſto unicus locus Gen. xx. 18. quem hunc in modum LXX. reddunt: ὅτι συγκλείων συνέκλεισε κύριος ἔξωθεν πᾶσαν μήτραν. Unde inſertio vocis ἔξωθεν? Concordat cum traditione quod obſtructi fuerint uteri contra coitum. Bava Kama fol. 92. 1. Verba pene ſunt Ligtfooti in addend. ad Horas 1. Cor. ix. quem pluribus vide, ſi placet. Quod ſi tamen omnino quis tam rigidum eſſe contra LXX. animum obſirmaverit, ut religioni ſibi ducat aſſerere, viros θεοπνεύστους ex iſtis (quod tamen de aliis ſcriptoribus negari minime poteſt) aliquid deſumſiſſe, quod in Hebræo non fuerit lectum; ei per nos non invidebitur, ut dicat eſſe hanc vocem ex Actis in LXX. illatam, ut in aliis nonnunquam locis viri eruditi factum fuiſſe contendunt, ab illis quibus curæ fuerit, ut magna his LXX. conciliaretur atque conſtaret autoritas. Id tamen ſimul monemus, ejuſmodi opinionem non eſſe facile probandam, niſi aliquis etiam, vel unicus ſaltem producatur codex, qui talem vocem, pro ſpuria agnitam non exhibeat.

XV. Dicunt porro: Remphan, cui & nos ſubſcribemus infra, notare Saturnum, huic autem planetæ nomen eſſe Kijun, ex Lingua Perſica & Arabica evinci, teſtantibus hodie Lexicographis, *Caſtello* aliiſque, quibus כיואן eſt Saturnus: Diligentior adhuc eſt Ludov. de Dieu in Annot. ad h. l. ex Hebraiſmi etiam collatione oſtendens, ſententiæ aliqua momenta poſſe accedere, ſic כון ait in Kal eſſe Hebraice *aptari*, *diſponi*, Arabice & Syriace, *fieri*, in Piel & Hiphil Hebr. *aptare*, unde Piel in lingua Arabica & in Syriaca Hiph. notet, *facere*, *exiſtere*, *generare*, *naturam inducere*, hinc porro כיונא Syris eſſe naturam, & conſequenter concludit Kijun eſſe eam *virtutem quæ exiſtentiam*, *naturam*, *aptitudinem* & *diſpoſitionem rebus omnibus tribuat*, hanc ipſam cultam ſub *Saturni* nomine fuiſſe, qui generationis omnis & corruptionis autor habitus, Platonicis mens illa divina, quæ cæteras complectitur, Orpheo Θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν fuerit dictus. Sed R. (α) κεινόμενον eſſe, an tam facile eſſe deceat linguæ ſanctæ interpretem, in exoticis linguis, quacunque vel leviſſima occaſione vocandis ad ſubſidium. *Guſſetius* certe tenue vacillanſque ſubſidium, & ſi nimium fideris, fallaciam ingentem frequentemque inde advenire judicat, cujus locum aliquem elegantem ex *commentario Ling.* Heb. pag. 6. b. de lingua Hebræa generatim, huc tranſcriberem totum, niſi paginæ anguſtia prolixos nos eſſe vetaret. Oſtendit certe ex linguis etiam occidentalibus hodiernis, *Gallica*, *Germanica*, *Anglica*, vocem migrantem in linguam aliam,

aliam

aliam ſæpe mentem capere, ut, qui in hac lingua ex alterius uſu æſtimare vocis ſenſum velit, turpiter ſit ſæpe hallucinaturus: quæ quidem etſi minime id evincere putemus, ut omnis ſit linguarum orientalium inter ſe collatio rejicienda, facile tamen perſuadent, multos, dum in ejuſmodi excurſionibus magnopere ſibi placent, non parum ſæpe ſibi ipſis in veris ſenſibus inveſtigandis obeſſe. (β) Vocum ad res & rerum ad voces accommodationes poſſunt eſſe variæ, atque hinc explicatio Etymologica nimis ſcrupuloſa, potiſſimum in propriis nominibus, ſæpe fallit; documento eſt hæc ipſa vox, quam Lexicon Arabicum, cui Camus nomen, *explicat quod deſignet virum rigidum*, *auſterum*, proprie prohibitum, ad quem acceſſus ſit prohibitus ob moroſitatem & morum difficultatem; quod ad Saturnum eadem facilitate applicatur, quod eo non alius planeta ſit iuclementior. Eccui difficile eſſet, ſic ex quovis quodvis ſæpe efficere? (γ) Eſt adhuc differentia inter כיואן & כיון & quare (δ) Idolo Ægyptiaco nomen Arabicum aut Perſicum indidiſſet Propheta?

XVI. Ad alterum *Rempban* veniendum eſt, quid illud ſit & unde petendum? ignem fatuum fortaſſean dixeris, qui tot ſui ſpectatores ad tam varias vias diſperſerit & diſtraxerit. Mori ſerviendum & videndum, quid ferant virorum doctorum ingenia, dabunt utique, quod quis ſeligere ſibi poſſit, dabunt etiam, ex quibus documentum capias, quantum ſæpe oberrent ſapientes, cum ſepoſito ſimplicis veritatis ſtudio ad ſua φιλολογȣμένα delabuntur. Id vero primum, ſi vis, obſerva, diverſam eſſe vocis ῥέμφαν ſcriptionem, unde illud *Druſii* Comment. ad voces Hebræas N. T. *non magis Chamæleon colore, quam hæc vox in Scriptura variat*. LXX. legunt ῥαιφᾶν. Syrus ῥεφάν, Arabs ῥαφάν, Æthiops ῥεφάν, inveniuntur quoque ῥομφᾶ, ῥαμφᾶ, ῥεμφᾶ, Cæterum nobis hæc vox.

XVII. I. Non eſt Græca, quod voluit Chriſtophorus a Caſtro, notatus ideo & refutatus *Cornelio a Lapide*. Equidem id notum eſt, vetuſtos Græcos Saturnum vocaſſe ῥέμβων, unde etiam ῥέμβεσθαι Heſychius in Lexico Græco format, quod notat γυρέυειν vagari, circumagi, notatione ad Saturnum ſatis accommodata, quippe qui loco inter aſtra erratica ſupremo poſitus eſt. Sed hæ ipſæ voces, in oriente Patriam habentes, in Græciam traductæ non immerito cenſentur. Vid. Kipping. Antiq. Rom. Lib. 1. cap. 6.

XVIII. Non eſt II. facile admittendum ex ἀβλεψίᾳ LXX. ortum ex Hebr. כיון, cum, eraſa forſan vel evanida lineola τῆ כ inferiori, legerint ר, quod multis placuit viris magni nominis, *Brenzio*, *Mercero*, *Forſtero*, *Druſio*, *quorum ultimus, dubitari ea de re amplius, nefas eſſe*, pronunciat nimis audacter, viroſque doctos fruſtra ſudare Comment. in voce Hebr. cit. loc. qu. 66. exiſtimat; quam ſententiam quidem tantum abeſt, ut cum aliquibus putemus ſugillandam, ut potius exiſtimemus, eam maxime probabilem fieri poſſe, ſi de ſola τῆ LXX. ἀκελβέᾳ in vertendo ageretur, adeſſet enim omnino exemplum ſimile, hoc ipſis crimen fortiter impingens, cum Nahum Cap. 1. 6. in voce כאש ſicut ignis, legerunt ראש caput ſ. princeps, cum vertunt ἀρχὰς, principatus. Interim cum a Luca ejuſmodi errorem comprobatum fuiſſe, non facile velimus dicere, nec ſufficere videatur aut neceſſarium eſſe cum Coccejo, *quod Lucas reliquerit, quod erat in textu, quia ad rem nihil intererat, quomodo nominaretur Deus falſus & fictitius, modo non honoraretur ut Deus verus*; cum etiam illud כיון adhuc multum differat a ῥεφᾶν vel ῥέμβαν, & alia quoque obſtent, malumus nos quidem hanc ſententiam dimittere, prolixius refutatam a Corn. a Lap. Calov. & aliis.

XIX. Pulchrum id cuilibet quod quiſque invenit, ita non invidebimus *Cornelio* ſuum ἕυρημα, quod an firmitatis aliquid habeat, lector viderit. Fatur ille hunc in modum: *Kijun & Kephan idem eſt quod Rephan*, eo quod hoc Idolum primitus nominatum & cultum ab Iſraelitis & Perſis, eorum lingua dictum ſit *Kevan* & *Kephan*, quam vocem ut barbaram cum non intelligerent imperitiores Hebræi ſequiorum temporum, levi unius literæ permutatione ſua lingua vocarunt illud *Rephan*, id eſt *gigantem*, quomodo Syri vocant, Deum *gigantem ſeculorum*, quia ipſe ut Gigas omnia mundi æque ac temporum ſpatia ſua immenſitate ambit & complectitur; aut certe Rephan, id eſt *ſanatorem*, q. d. *hic eſt, qui nos ſanat & ſalvat*. Doctiores tamen Hebræos putat retinuiſſe *Kevan* originale quoad literas, & levi vocalium mutatione vocaſſe כיון Nos id ſaltem dicimus, inter conjectores Cornelium poſſe tolerari, firmi autem hactenus afferri nihil, quod ſi enim primitus ſub nomine Kivan & Kephan notum & cultum hoc Idolum fuit Iſraelitis, qui deinde aut univerſis adeo ignotum eſſe, aut ob rudis plebis ignorantiam in vocem plane aliam, nec ſenſu conve-

nientem mutari potuiſſet? Ad hæc cum LXX. ſeniorum verſio non præcipue in uſus Judaicæ Gentis fuerit elaborata, quid proderat in gratiam Græce legentium nomen Hebræum vel Perſicum in Hebræum aliud mutare?

XX. *Grotius*, quem ſequitur *Friedlieb.* h. l. narrat Saturnum, quem cum *Aben-Eſra* etiam per Kijun intellexerat, Syris vocatum fuiſſe רמיון 2. Reg. v. 16. cujus cultus in oriente latius ſparſus fuerit. Nomen ait, inde eſſe, quod ſit, ut Tacitus loquitur, altiſſimo orbe, pronunciatum autem etiam fuiſſe *Remvan*, quod Græci omiſſo digammæ uſu ſcripſerint Ramphan vel Remphan; huic ſi quis quoad hanc vocem ſubſcribere velit, nos non habebit repugnantes, Dn. Calovius coactius eſſe judicat. Æque profecto tamen probabilis eſt, ac illa altera *Ludovici Capelli* opinio, (qua tamen ne ſibi quidem ſatisfieri ingenue profitetur) quando refert ſecundum Diodorum Siculum Lib. I. Hiſtor. Regem Ægypti quendam fuiſſe, nomine Remphin, filium Κέτνα, quem Græci Proteum vocant, circa id tempus, quo Jacob cum familia in Ægyptum deſcendit, qui plurima pecuniæ ſumma collecta mortuus fuerit, XL. myriadibus talentorum poſt ſe relictis. Ille ergo Remphis *ait*, ſiquidem is eſt, qui Joſephum Ægypto præfecit, videtur ab Ægyptiis ob ſervatam Ægyptum cultus fuiſſe pro Deo, quemadmodum ab iis culti Apis & Oſiris. Idemque forte ab Iſraelitarum Idololatris nonnullus cultus fuit, ad Ægyptiorum imitationem, quorum idololatriam Iſraelitæ in vitulo aureo procul dubio imitati ſunt. Pergit hariolari: & forte iſte Remphis fuit Ægyptiorum Apis, quem bovis figura coluiſſe videntur Ægyptii ob ſomnium voccarum, quo de annonæ ſtatu præmonitus fuit. vid. ejus ſpicil. ad Act. c. VII.

XXI. Illuſtris *Scaligeri* derivationem a פעם & רעם unde emergit Jupiter ζεὺς βροντιαῖος lib. I. Obſerv. in Manil. celeberrimi idem Ligtfooti ſententiam, quæ aut ex Græco & Hebræo vocabulis רום & φαίνω putat deducendum, ut ſignificet *altam φάσιν* ſeu *repræſentationem* videlicet aſtrorum ſeu idolorum, vel ex רום & פנים eadem ſignificatione, de quibus in Comment. ad Act. c. VII. aliorum denique argutias, qui cum in aliquibus codicibus legerent ῥόμφα reperiſſe ſibi viſi ſunt Hebraicum רום פה *altitudo oris*, & ſuſpicantur hoc idolum habuiſſe *magnum celſumque os*, qualia habere pleraque idola, quæ oracula olim edidere, ut *Corn. a Lap.* narrat, ſe vidiſſe Romæ in Vaticano, ac tale eſſe celebre illud, quod juxta Eccleſiam S. Mariæ in ſchola Græca ſive in Coſmedim viſitur, & vulgo vocatur *Bocca della verità* os vel oraculum veritatis, ad ejuſmodi inventa referimus, quæ teſtari poſſunt, non defuiſſe viris doctis facultatem augendi mundum novis ſententiarum monſtris. Quo etiam *Samuelis Petiti* obſervatio pertinet in variis Lectionibus cap. I. ubi ex Remphan facit Rephaim, & hos confundit cum מתים P. S: cap. VI. אכלו זבחי מתים dici putamus Saturnum *mortuum*, quod inter καταχθονίους referatur, hunc in re ſeria ludere *Pfeifferus* D. V. h. l. judicat.

XXII. Si de re tandem ipſa inſtituatur quæſtio, novum diſſentientium catalogum poſſemus texere, ſed has res prolixius perituris illinere chartis, vix fuerit operæ pretium. Vide ſis ergo breviter, totum planetarum circulum & in eo errantes autores, πλανῶντας ipſoſmet ſæpe & πλανωμένους. Jovem arripuit, ut vidimus, Scaliger & Riebera. Hunc ſequitur *Mars*, cui etiam non deeſſe ſuos Patronos deprehendes apud Calov. Bibl. Illuſtr. in Amoſum; pro *Luna* pronunciat Voſſius Theolog. Gentil. Lib. VII. cap. 23. Pro *Venere*, *Urania ſ. Lucifero* Mercerus, Cornelius a Lap. ex antiquioribus Hieronymus, Remigius, Albertus M. Beza, Lyranus. Pro *Mercurio* quidam notati Bibl. Critic. Tom. III. pag. 1043. *Solem* ſolum ex Planetarum numero forte voluerunt exemtum; de eo enim interpretantem vidi neminem. De *Saturno* denique ſummo Planetarum, ſummi viri Ludov. de Dieu Comment. ad Act. Salmaſius de annis climacter. pag. 597. Daniel Heinſius Lib. V. Ex. ſacr. Cap. III. Cal. Bibl. ill. in Amoſ. Pfeiff. Dub. vex. h. l. De *Hercule* tandem, *Junone Pomona*, & aliis forte monſtris nihil nunc dicam, quæ neſcio quibus fidiculis huc ingeruntur.

XXIII. Tempus eſt, ut noſtram quoque adjiciamus ſymbolam. Monuimus antea, quibus inducti rationibus, exiſtimaverimus כיון appellative capiendum. Hic ergo porro dicimus & ex parte repetimus: Remphan hic apud S. Lucam deſignare præcipuum aliquod idolum ex illo apparatu ſeu diſpoſitione a Propheta commemorata; de cætero vocem ῥεμφὰν eſſe Ægyptiacam & Saturnum notare, nobis tamen adverſum etiam minime ducentes, ſi cuidam forte placeat ex ipſa Judæa vel ejus confiniis talia reperere, quod *Grotium* feciſſe diximus §. 20. hujus diſput. nec illud porro abſurdum cenſemus, aut noſtræ ſententiæ detracturum, ſi natalibus in Ægypto vel Judæa ſemel con-

constitutis alio etiam excurratur, non ad rapiendas sed legitimo modo investigandas ac illustrandas denominationis causas, *vel ex historia*, quale tentasse quid *Capellum*, eodem §. xx. annotavimus, *vel ex aliis linguis orientalibus*, quo clarissimus Dievius operam applicuit, ex Arabismo adferens nonnulla, ut illi natales vendicet, nimirum רף Arabice idem esse ac movere, agitare, nomen autem ejusmodi vocari ρεφ, quod apprime quadrare putat in Saturnum, cui ejusmodi *virtutem motricem* veteres tribuerint, quæ existentiam, naturam, aptitudinem & dispositionem det rebus omnibus. Accederet deinde terminatio Græca (α) ut esset ῥέφα cum addito in fine (ν) quod peregrinis sic addi consuevit, ut in voce Salomon ac infinitis aliis. De (μ) in medio sic putat, esse illud pro (ν) euphonice, quia sequitur (φ) non autem requiri pro Dagesch, sicuti Syris sit familiare, ut e. gr. אנת pro את &c. dicant. Veremur tamen ne Vir celeberrimus sit hic nimium criticus, præter necessitatem, nec enim, omissis aliis, quæ displicere præterea possent, omnes Arabice docti facile admittent, per analogiam Grammaticam fieri posse, ut hoc genus nominum ex surdis, ut verba hæc ipsis audiunt, formetur, quod observat M. Andr. Bejer suppl. ad Seld. de Diis Syris ad cap. xi. syntagm. II. pag. 326. qui etiam apponit rarissima esse verba, quibus Arabs & Ægyptius unam eandemque significationem tribuant. Adjicimus & illud, quid causæ esse potuerit pro nomine ignoto Arabico s. Persico, quale כיון Dievius agnoscit, aliud Arabicum æque peregrinum adsciscere?

XXIV. Itaque manebit hactenus, Ægyptium esse vocalum potius ῥηφάν, quod apud *Scholiastem Coptum*, testibus *Claud. Salmasio*, *Hottingero*, *Pfeiffero* aliisque, Deum temporis i. e. Saturnum denotat. Cumque ab his summis viris res in expedito posita esse videatur, addemus saltem rationes, quibus *Hottingerus* in Primitiis Heidelbergensibus de Idolographia veterum illam confirmat pag. 392. ubi allegat, 1. autoritatem versionis N. T. Coptici, quæ ῥέφαν habeat; 2. consensum tum commentariorum copticorum in cap. VII. Act. tum Lexici Arabico-Coptici, quod 7. Planetas ordine recenset, & inter eos Saturnum, quos etiam invenies apud Diev. super locum Amosi. Nec tamen molestum fore speramus lectori b. si ex eodem huc quoque peregrinorum nominum transferamus catalogum, hac serie positum: πιρη Sol, πιια Luna, ρηφαν Saturnus, πιζευς Jupiter, μολοχ Mars, σουροτ Venus, πειρμης Mercurius.

XXV. Nunc vide, quomodo sublata omni propemodum difficultate Lucæ cum Amoso conveniat. Verbis illis in hemistichio priori ונשאתם את סכות מלככם exacte respundent in Græco καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ μολὸχ, porro quando Propheta habet כיון צלמיכם id commode admodum Stephanus exprimit unica voce τύπους, quæ imagines affabre & ordine quodam dispositas etiam sua natura infert. In parte commatis posteriore ככב אלהיכם habet sibi respondens in Græco ἄστρον Θεοῦ ὑμῶν, adjecta, ut visum, expressa determinatione, qualis hæc stella fuerit, Remphan scilicet, quem inter Planetas, מזלות & כל צבא השמים (2. Reg. xx. seq.) etiam Idololatrico cultu Hebræos prosecutos fuisse, dubium non est. Et quod denique hic negligi minime debet, deprehenditur simul suavissima inter utrumque divinæ mentis interpretem convenientia, quoad vocum ratione sensus inter se cohærentiam & distinctionem, quale secus quid in nonnullis aliorum sententiis fieri, superius indicatum fuit.

XXVI. Cum autem sede sua vocem כיון & nostra deturbet sententia, eam per τύπους expressam statuens, non sine fundamento objici videri posset, quomodo in tanta vocum trajectione accentuum haberi ratio & debita connectendi & dividendi sensus harmonia servari potuerit. Ast tenendum hic probe volumus, quod variæ præstantissimorum Interpretum observationes dudum docuerunt: esse in more positum Spiritui S. Vet. Test. dicta non semper κατὰ πόδα in N. T. exprimere, sed aliquid mox addi, vel omitti, mox synonymas phrases adhiberi, mox verba] transponi, sensu saltem genuino ac eodem cum vetustis oraculis retento. Has itaque mutationis species omnes occurrere in præsenti oraculo credimus, absque omni sensus discrepantia. Breviter eos, ad institutum licet non omnia pertineant, recensebimus. Primo, Amosus comma 25. hic concludit verbis: אמר יהוה אלהי צבאות שמו quæ noster omittit Evangelista, addens e contra vocem Remphan, non extantem in Vate, sensui plane nihil, ut apertum est, inde derogato. II. Cum Vates habeat לכם id Novi Test. Interpres, phrasi synonyma explicat, προσκυνεῖν αὐτοῖς, sibi enim idolum facere, idem est, ac si diceres, fecit idolum, ut illud adoret. III. Deum כיון צלמיכם per τύπους transpositum putamus, etiam ut in re-

reliquis ſenſu adhuc nihil quicquam violato, neque valore diſtinctionis everſo, manet enim adhuc, ſicuti in Vate legimus, diſtinctum כיון צלמכם & ככב אלהיכם ſenſui autem vel minimum hinc decedere, quis aſſeruerit præjudiciis vacuus? Conſideretur quid poſſit diverſitatis intercedere talia proferenti: *ſuſcepiſtis tabernaculum Molochi*, *apparatum imaginum vrſtrarum*; *ſidus idoli veſtri* (Remphan) conſideretur, inquam, quæſo, quid diverſitatis eſſe poſſit ab eo hunc in modum dicente: *ſuſcepiſtis tabernaculum Molochi*, & *ſidus* idoli veſtri (*Remphan*) *apparatum imaginum veſtrarum*. Sed ad reliqua pergimus.

XXVII. Poſſet id cumprimis circa rem ipſam ſcrupulum movere, qua ratione Saturni cultus Iſraelitis in deſerto imputari poſſit, cum ejus nullibi inter facta & peccata populi fiat mentio, Moſe ſolam μοχολατρέιαν nominante, non celaturo profecto rem ad omnem poſteritatis memoriam turpem, ſi ea facta fuiſſet. R. (α) vitulum in deſerto conflatum שור bovem nominat Pſal. CVI. 20. Bos vero arationis præcipuus actor, Deum agriculturæ autorem & præſidem referebat, is antiquis gentilibus fuit Saturnus, quem ferunt in Italia Janum vivendi rationem & agrorum cultum docuiſſe, cui pro accepta iſta diſciplina dimidium ſui regni dederit Janus. Hinc cum conjuge Rhea pro Deo fuiſſe habitum, quod in Italia plantationes & inſitiones & educationes omnium arborum, omniumque fructiferarum rerum culturam docuerit, fabulis traditum eſt. (β) Addi poteſt, memorari quoque cultum *Baalpeor* Numer. XXV. atque eo tempore hæc quoque facta cogitari, cum *Joſeph* Lib. IV. Antiquit. cap. 6. referat, Iſraelitas tunc non unum ſed multos Deos coluiſſe. Hanc ſententiam defendit *Campeg. Vitringa* Obſerv. SS. L. II. Cap. I. Quanquam nec hæ quidem reſponſiones ſint neceſſariæ, quippe quæ tum demum adhibitæ valere poſſent, ſi neceſſario ad annos 40. migrationis in deſerto hæc eſſent referenda, de quo cum nobis ſecus videatur ſentiendum, & hoc reſpondendi onere ſuperſedere poſumus.

XXVIII. Scilicet quæſtio eſt, hic non negligenda, quorſum Amoſi verba ונשאתם 'ונו ſint referenda, utrum in futuro tempore exponenda, ad inſtar prædictionis Propheticæ, ut ſenſus ſit: ideo portabitis vobiſcum idola veſtra in captivitatem, (ob contumaciam videlicet deſcriptam) quæ in pœnam vobis obtinget. Quod cum faciendum arbitratus eſt *R. Salomo*, ſane difficultatem de tempore hujus Idololatriæ abſtuliſſe omnem cenſeri poterat. Verum non patitur verbi translatio apud Lucam, quem ut Rabbinus inſpiceret, non poterat teneri: non patitur etiam Protomartyris ſcopus diligentius conſideratus, quod cuivis textum inſpicienti patet. Neque tamen ideo neceſſe eſt, ut cum nonnullis hæc tantum ad 40. illos annos reſtringamus, in deſerto tranſactos; ſed putamus potius comprehendi, omnia idololatriæ momenta & incrementa, quæ inde a vituli cultu ſecuta ſunt, uſque ad Amoſi tempora. Diſtinguitur enim certe illa idololatria, ad quam traditi a Deo dicuntur, ab ipſa μοχολατρέια tanquam cauſa, & diſtincta hæc notantur accuſationis capita, quod neque tum uni Deo ſerviverint, & ex eo etiam non raro progreſſi ſint eo idololatriæ, ut Molochi tabernaculum tulerint &c. Atque ſic, in terra ſancta ejuſmodi peccatis eos contaminatos fuiſſe, tutiſſime omnino aſſeritur.

XXIX. Vel tribus, quod ajunt, verbis, tangendi hic ſunt inanes Judæorum inſultus, qui cum contra libros N. T. eorumque divinam autoritatem diſputant, in ejuſmodi locis reperiſſe videntur, non quod pueri in faba. Eſt inter eos notiſſimus *R. Iſaac Ben Abraham* in ſuo חזוק אמונה ſ. firmamento fidei a Wagenſeilio noviter producto, is magno cum ſtrepitu hoc agit, ut erroris arguat ſcriptorem N. T. quod ingerat vocem ῥέφαν, non inventam in Hebræo. Infirmum profecto firmamentum Judaicæ cœcitatis; nam generatim ut reſpondeamus, contra ſuam gentem pugnant, atque adeo in viſcera propria ſæviunt perfidi, hoc & ſimilibus argumentis. Ipſorum enim ſeniores LXX. ῥέμφαν primum ingeſſerunt, qui quo jure id fecerint, (ſi utique κατ' ἄνθρωπον foret diſputandum,) ipſi viderint, certe ſcriptoribus N. T. quod illos fuerint ſecuti, vitio verti ab iſtis non debet. 2. Si quæ omnino in verbis eſſet mutatio, quæ hic valde eſt exigua, nulla tamen in ſenſu. Speciatim ad hunc locum Iſaaco reſpondet *Muller* Judaiſmo pag. 135. cujus tamen quoad conciliationem omnia ibi poſita non probamus. Sufficiunt quæ hactenus diſputata ſunt, in Hebræo ſcil. eſſe nomen generale appellativum, in Græco addi ſpeciale proprium Idoli ex traditione, divina inſpiratione confirmata. Et reliqua ita plana feciſſe credimus, §. 26. 27. ut nodum in ſcirpo quærat, qui hic multas ſibi difficultates fingere velit.

XXX. De סכות ab initio commatis hæc pauca placet adjicere. Appellativum

id

id esse æque ut *Kijun*, agnoscunt *Symmachus*, *Aquila*, LXX. *Vulgatus*, *Junius*, *Coccejus* & alii plurimi, quid? ipse θεόπνευστος Lucas in loco Act. qui sub manibus est, id appellative accepit. Quanquam proprium esse, formæ singularitas persuaserit *R. Salomoni*, *Kimchi*, *Chaldæo*, *Luth.*, *Chemnitio*, *Vatablo*, *Schindlero*, *Ariæ Mont. Mercero*, *Mullero* in Judaismo & aliis magno numero. Inter illos, quibus appellativa significatio placet, vertunt aliqui, receptionem seu obedientiam regis vestri Jeroboam; vel potius, idoli vestri receptionem vel obedientiam assumsistis, apud Mercer. in Amos. Verum in re manifesta vix opus verbis, recte vulgatus *tabernaculum* LXX. cum Stephano σκηνὴν, ad Hebr. סכך. *Seldenus* de Diis Syris lecticam intelligit, in qua portarint numinis imaginem pag. 98.

XXXI. De Molocho, ad quem respicere hic censetur Propheta in voce מלכבם pleni omnes sunt libri, qui tamen vel diligentissime excussi, vix alium dabunt fructum, quam ut doceant lectorem, quod idolum fuerit Moloch, certo definiri non posse. Fuisse tamen *Saturnum* atque adeo idem cum Remphan, non persuadent rationes a Grotio aliisque subministratæ; nam ut maxime, Saturnum victimis humanis cultum a gentilibus fuisse, quod etiam de Molocho ubique fertur, *Herodotus* & *Lactantius* sunt autores, constat tamen non minus alii etiam humanas hostias fuisse immolatas. Vid. Morn. de verit. relig. Christ. cap. 23. Nos aliorum sententias non cumulabimus, *Solem* autem intelligi, probabiliter cum Gerhard. Joh. Vossio L. II. Theolog. Gentil. cap. V. Lud. de Dieu ad Act. VII. Coccejo ad Sanhedrim, Rossæo Gottes-Dienste der Welt p. m. 890. & aliis bene multis nunc defendemus. Id si placet, adde: de forma Molochi certi nihil constare, quæ tradit Nicol. Lyranus ad Jerem. c. VIII. & Ezech. c. XVI. & Fagius in Levitic. ex Hebræorum monumentis, de statua 7. cubicula continente, viris solide doctis non probantur, recte ait Dieter. Antiquitat. Bibl. p. 21. Confer de hoc idolo Selden. Syntagm. I. de Diis Syris cap. 6. ubi ex caliginosa antiquitate, Rabbinorum testimoniis, in illius cultum & formam inquirit, præter alios ubique obvios.

XXXII. Sed redeamus ad nostrum ῥεμφὰν, de quo id dubii superesse videtur, quomodo cum origine sua, quam habuit in Ægyptiorum Ῥηφὰν, & unde longius nonnihil ac licentius deflexerit, redigi in gratiam possit. Primum; ad vocalem (η) in (ε) mutatam, quod attinet, id nemini tam magnum videri posse credimus, ut contra natales vocis, exinde concludendum putet, si consideraverit vocalium harum pronunciationem maxime affinem, aut quod plurimis placet, plane eandem, ut videre datur ex Eustathio lib. I. Iliados, cum τὸ βῆ μίμησιν esse ait, προβάτων φωνῆς: confer H. Stephanus in Thesauro & in Paralip. Sylburgius in Gramm. qui rem omnem explanat acute & breviter, ostenditque ex Platone, veteres (ε) usos fuisse pro (η) sicut ο pro ω, cujus rei argumentum oculare e vereri nummo monstretur, in quo significatum fuerit ΑΘΕΝΑ pro ΑΘΗΝΑ *Minerva*. Quem veterum morem etiam comprobat τοῦ (η) apud Latinos in (e) & rursus τοῦ (e) latinorum, in (η) apud Græcos mutatio: v. gr. λέβητες Lat. *lebetes* & contra *Serenus* in Græc. Σερῆνος. vid. Gualtper. Grammat. maj. p. 4. Hanc pronunciationis confusionem & manantem inde discrepantem quoque scriptionem, auxerunt magis magisque vel locorum diversitas, vel temporis decursus, causam præbens, ut purius alii, alii impurius, vel obscurius aut clarius earundem vocalium efformarent sonum, prout variæ inter Græcos dialecti testantur. Neque mirum est, id accidisse circa (ε) & (η) cum etiam pro ipso (ι) clarius & purius (ι) sonante, in eadem dialecto progressu temporis (ε) quandoque adhibuerint, testante Platone in *Cratylo fol.* 418. *edit. ser.* Nec aliæ linguæ ab ejusmodi mutatione immunes sunt, v. gr. quod in Hebræa Num. XXVI. 20. legitur השלני hoc I. Chron. IX. 5. effertur השילוני. Qui Latina cupit, adeat *Voss. de art. Gramm.* Lib. I. cap. 12. pag. 55. 56. & producentem eadem ex eodem celeberr. *Danzium* Litterat. §. 6. l. v. pag. 45. ubi etiam præter עמנו אל Græce in Ἐμμανουὴλ Matth. I. 23. mutatum, alia invenies Hebræa, Chireck parvum apud Græcos in (ε) mutantia. II. Quod pertinet ad insertionem τοῦ (μ) eam facile in nomine proprio excusabit euphonia, præcipue id Græcis facile condonabitur labiis, tale quid amantibus, & in fine potissimum vocum dantibus frequentissima exempla v. gr. נפתלי Matth. IV. 15. Νεφθαλείμ. Si tamen quod res est, hic dicere debeamus, malimus pro genuina lectione agnoscere illam τῶν LXX. ῥαιφὰν, quam Theodoretus exhibet quæst. 25. in Lev. & Seldenus de ea sic pronunciat: pro ῥεφὰν *stant plerique Codicum & Vulga-*

*gatorum* Synt. II. cap. 14. ſane ut omiſſa hac aliam quis eligat, jure teneri nemo poterit.

XXXIII. Vides ergo B. L. quæ ſit noſtra, de Paralleliſmo vexatarum vocum, ſententia. Novimus, quod in ejuſmodi diſquiſitione communiter ita fieri ſoleat, ut, quod proverbio dicunt, trabs in omnibus remaneat; hinc quaqua nos vertamus, reſtabunt ſine dubio aliquæ difficultates; interim ſatisfeciſſe videbor, ſi eam elegero ſententiam, quæ, quod confido, dubiis quam pauciſſimis ſit obnoxia. Deo T. O. M. nos agimus in præſens gratias, quod ipſo clementer ſavente perficere licuerit tantum.

# JO. GEORGII SCHWABII DISSERTATIO DE MOLOCH & REMPHAN.

## PRÆLOQUIUM.

INfanda gentium ſacra non ſine dolore in animum revocamus. Vix enim quenquam tam durum aut adeo ſecordem eſſe arbitror, qui ſuper cruenta puerorum ſtrage, quam edere parentes in Molochi honorem haud verebantur, non acerbiſſime doleat. An major in filios excogitari poſſit ſævitia, rei atrocitas in dubium vocat. Emori quidem per virtutem præſtat, & pro chariſſimis fundere ſanguinem; At miſere Dæmonibus immolari, omni exceptione major crudelitas eſt. Nempe ut in aliis Diabolus affectavit cœleſtem veritatem æmulanter exprimere, quando Cataclyſmum Noachi mutavit in Deucalionis diluvium; Joſuam ac Samſonem in Herculem τριςέλήνου. Comam Samſonis in capillitium Ciris; Nubem Iſraelitici itineris ducem in nimbum Deorum capita ambientem: ſic cœlitus Iſaaci mandatam immolationem in crudelem ac homicidam religionem deformavit, & hominum ſimplicitate abuſus immanis ac trucuelentæ ἀςοργίας exempla inter gentes & ipſum Dei populum, deſignavit. De ſacris hiſce, dum breviter, & quantum ingenii vires permittunt, dicturi ſumus, ſupremum Numen, Deum Deorum ſubmiſſis precibus invocamus, ut conatus noſtros in ſui Nominis gloriam dirigat feliciter.

## SECTIO PRIMA.

### *De Moloch.*

### §. I.

MOloch Ammonitarum idolum & Moabitarum, quod alias Milcom 1. Reg. XI. 5. & Malcom Soph. 1. 5. dictum eſt, a: מלך deducitur, vel quod creditus fuerit Deus ille cæterorum Deorum Rex, vel quia idolum, in quo & per quod Ammonitæ Deum ſuum coluerunt, regio habitu fuerit conſpicuum. Tradunt enim Hebræi referente Lyrano in cap. XVIII. Levit. & Adrichomio in Jeruſalem n. 186. *Idolum Moloch fuiſſe æneum capite Vitulino, reliquo corpore hominis forma, regiis inſignibus ac regio in throno conſidens, protendens manus, quibus pueros in ſacrificium ſibi oblatos exciperet, quod pyra intus accenſa, ( erat enim concavum ) ubi totum igne incanduerat, pueros quos brachiis excipiebat, vel etiam aſtringebat & amplexabatur, αὐτομάτων more concremabat, verum ne puerorum ululatus in diris hiſce cruciatibus exaudirentur, atque his parentum animi ad commiſerationem permoverentur, ſacerdotes idoli tympana quatiebant, ac tubis clangebant.*

II. In genere hoc Nomen Moloch de Diis omnibus uſurpatur, quemadmodum & Baal ſive Bel nomen Diis omnibus commune eſt, niſi quod additis epithetis

tis nomina iſta diſtinguantur, quæ vel a gente & populo petita ſunt, qui cultui eorum deditus erat, vel urbe & loco, in quo colebantur, ſi qui 2. Reg. XVIII. 34. & Eſa XXXIII. v. 19. dicitur Deus Hamath, Arphad &c. Is Eſa. XXXVII. 13. מלך Hamath, Arphad appellatur. Et quem alias Moloch dixere, cui filios cremabant, is Jer. XIX. 5. & alibi Baalis nomine deſignatur. Non igitur tam ſevere caſtigandus erat Theophylactus ab eruditis, quod ad Act. VII. cap. annotet: Μολὸχ εἴδωλον εἶναι Μοαβιτῶν, non minus enim Moabitarum Deus, quam ille Ammonitarum, Moloch poterat appellari.

III. Notandum autem Baal & Moloch pro eodem Numine haberi, & per utrumque denotari Saturnum. Certum enim eſt inter eruditos quod Baal ſive Bel ſpeciatim de Saturno dicatur, id quod Theodoretus ad Pſalm. CV. Suidas & alii prolixe teſtantur, quibus Βεὲλ ὁ κρόνος eſt. Et Servio teſte ad lib. 1. Æneid. lingua punica Bal dicitur Deus, apud Aſſyrios autem Bel quadam ſacrorum ratione & Saturnus & Sol nominatur. Idem de Moloch ſentias, quem Saturnum eſſe communiter cenſent eruditi. Neq; de hoc dubitare nos ſinit, quod idem appelletur Ciun Ciun autem Saturnus eſt, uti id uberius ad Amoſi V. cap. Rabbini oſtendunt.

IV. Sub Molochi nomine cultum Pœnis Saturnum, præter Rabbinos, Plato, Plutarchus, Tertullianus Apol. c. 9. Diodorus Siculus apud Ludov. Vivem in Auguſt. l. VII. de C. D. c. 19. teſtantur; magna ſiquidem nominis hujus capacitas eſt, ita ut per Saturnum Clariſſimus Voſſius in libris de Idolol. Adamum, Noen, Abrahamum, & adhuc forte alios capiat. Neque abnuit Clariſ. Vir, Saturno, ſub Molochi nomine, Pœnos atque Phœnices ſacrificaſſe. Ubi tamen per Saturnum non Regem Italum, aut Jovis Cretici Patrem, neque Adamum vel Noachum intelligas, quippe non ex vulgari Romanorum aut Græcorum uſu Saturnum æſtimamus, ſed ex Orientis more, ut Saturnus nobis ſit natura quædam cæleſtis ac Solaris, cujus gratia nefanda iſta ſacra mortales inſtituebant.

V. Qui primi hujus crudelitatis autores extiterint, non immerito quæritur. Si fides Seldeno habenda, e Syria prodiit iſta litandi humanis Victimis conſuetudo, & ad Phænices a Syris, inde ad Carthaginenſes atque alias gentes propagata eſt. *Infantes ſive pueri*, inquit Seldenus de Dis Syr. p. 181. *utriſq.* (*Molocho & Saturno*) *erant hoſtiæ communes, & nefanda illa ſacra e Syria in Europam videntur migraſſe, & in Africam.* Confirmat Seldeni ſententiam ſolennis tibiarum ac tympanorum inter Syros uſus quem Plutarchus περὶ Δεισιδαιμονίας deſcribit. Cum enim lamenta puerorum & parentum exaudiri piaculum erat, tympana quatiebant ut ſtrepitu eorum miſerabiles mactatorum ejulatus interciperentur. Et licet ignoraretur tam horrendæ feritatis auctor, certum tamen eſt, Aſiam exhibuiſſe primam originem, unde mos ille diſperſus in cunctas Nationes poſt diluvium. Ammonitas jam Moſis tempore dira hæc ſacra obſervaſſe ſacer Codex memorat, nec intra Ammonitarum terminos conſtitiſſe hunc ritum, docet hiſtoria. Ægyptii vivos homines combuſſere Typhoni; Carthaginenſes Saturno; Latini Egeriæ Deæ, Albani Lunæ humanis victimis litarunt.

VI. Et ne quis de antiquitate conſuetudinis iſtius nefandæ dubitet, memoriam Saturni, ejuſque ſimulacrum apud Syros & Phœnices & familiare & ſummo olim honore celebratum eſſe teſtatur Euſebius l. 1. præp. Evang. c. 7. ſic quoque Porphyrius de abſtin. animal. Φοίνικες, inquit ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινα ἐπιψηφίζοντος Κρόνῳ. *Phœnices magnis calamitatibus vel bellorum vel æſtus, vel peſtilentiæ ſacrificabant Chariſſimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc ſuffragiis addictum.* Subjicit deinde, plenam exemplorum eſſe hiſtoriam Phœniciam a Sanchoniathone ſcriptam, e lingua autem Phænicia a Philone Biblienſi græce redditam. Idem confirmat Euſebius in Orat. de laudib. Conſtantini: Κρόνῳ γὰρ φοίνικες καθ᾽ ἕκαστον ἔθος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν Τέκνων. *Phœnices Saturno quotannis ſacrificabant dilectiſſimos ac filios unicos.* Et D. Athanaſius orat. adv. Græcos: φοίνικες, inquit, καὶ Κρῆθες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον. Et qui carebant liberis ij a Pauperibus emebant, ut mactarent quod a Plutarcho docemur. De Pœnis Ennii verſus huc facit:

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

VII. Si Phænicum annales conſulas, primum conſuetudinem hanc inter Phænices introduxiſſe deprehendes Iſraelem vetuſtiſſimum Phæniciæ Regem, qui filium ſuum Μονογενῆ immolavit. Tradidit enim ex illis Porphyrius ab Euſebio l. 1. præpar. Evang. citatus hæc: Κρόνος ὃν οἱ φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλεύ-

ων

*ων τῆς χώρας ( φοινίκων ) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου Ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ανωβρὲθ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ: ὃν διὰ τοῦτο Ιεοὺδ ἐκάλων, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς φοίνιξι: κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων καταληφθέντων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν βωμόν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσεν. Saturnus, quem Phœnices Israelem nominant, quemq; post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt, cum illis in locis regnaret, ac filium unigenam ex Nympha quadam indigena nomine Anobret, haberet, quem propterea Jeoud dixere, vocabulo hodieq; unigenam notante lingua Phœnicia, cumq; in gravissimum belli periculum regio incidisset, illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc extructa immolavit.* Mirum nisi Abrahamum & Isaacum filium respiciat commentum illud. Cum enim percrebuisset, Patriarcham auctoritate divini Numinis instituisse hujus generis ritum, oblato Filio, quem unicum habebat, eumque charissimum, aut certe id agitasse saltem animo, facile factum est, uti perverso æmulandi studio propagaretur deinde ad alias quoque gentes infelix ista puerorum mactatio, qua nullum crudelius aut inhumanius magis hominum generi facinus incubuit. Nusquam tamen ad Abrahamum, sed ad Sheruchi ævum, si Said Aben Batrich apud Seldenum habenda fides est, feralis istius ritus initia revocantur. *In immensum* ait ille, *Sheruchi ævo errarunt homines, & invaluit idololatria, & immolabant filios & filias suas Dæmoniis.* Vide Seldenum in Prol. c. 3. p. 47. & Schedium de Dis German cap. 31. p. 577.

VIII. A Phœnicibus ad Carthaginenses sive Pœnos mos iste descendit, de quibus Plato in Dialogo de legib. scribit, *apud eos justum sanctumque haberi, hostias humanas sacrificare, adeo ut eorum nonnulli Saturno filios litent.* De iisdem Paulus Orosius l. 4. Hist. c. 6. scribit; *Homines ut victimas immolabant, ætatemq; impuberem, quæ etiam hostium misericordiam provocaret, aris admovebant.* Minutius Felix in Octavio: *Merito ei* ( Saturno ) *in nonnullis Africæ partibus a parentibus infantes immolabantur blanditiis & osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur* Tertullianus in Apolog. c. 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usq; ad Proconsulatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus Templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit.* Et postea: *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utiq; non parcendo perseverat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes exponebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur.*

IX. Præter Saturnum etiam Jovi, Dianæ, Baccho, Marti, Palladi, & aliis humano sanguine gentes litarunt, uti Cyrillus & Eusebius ex Diodoro, Dionyss. Halicarnass. atque aliis id edocet. Apud Cypri Salaminem humanam hostiam Jovi Teucrus immolavit, & id sacrificium posteris tradidit, quod Hadriano Imperante sublatum est. Apud Tauros inhumanam & feram genrem lex erat, ut Dianæ hospites immolarentur, quod sacrificium multis temporibus est celebratum. Galli Hesum ( Martem ) atque Teutatem humano cruore placabant, unde Lucanus:

> Et quibus immittis placatur sanguine diro
> Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Sed ne quidem Romani ac Græci, qui barbaram istam feritatem in Gallis notarunt, ejusdem immanitatis expertes fuere. Cui ignota est Iphigeniæ immolatio? quis nescit facinus Idomenei Cretensium Regis? qui in patriam e Trojano bello redux, cum ei Neptunus immisisset tempestatem, vovit, ut omne illud, quicquid primum e navi ipsi obviaret, Neptuno sacrum maneret, mox ubi primus filiorum ei occurrit, eundem Neptuno sacrificat. Quis Latialem Jovem a Latinis humano sanguine placatum ignorat? quippe eo usq; sæviit Romanorum gens, donec sexcentesimo quinquagesimo septimo demum anno V. C. senatus Consultum factum est, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud prodigiosa sacra celebrata, teste Plinio l. 30. c. 1. Et notandum cumprimis, quod Cœlius Rodiginus refert l. 10. c. 12. quod Romæ omnibus aliis Diis, Saturno & Honore exceptis, operto capite sacrificatum sit. *Nam qui Saturno rem divinam obibant, capita retegebant, dicebanturq; lucem facere.*

X. Et licet aliis quoque Diis, præcipue tamen Saturno sacra ista fiebant, gurgiti illi atque helluoni non unius hominis, sed filiorum tumulo, uti a Tertulliano describitur. Hic de infantibus eidem propter Jovis odium immolatis, quid dicam, non invenio. Tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est, tetrum atque execrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas quæ maxime est ætas pa-

parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum, quæ tamen fœtus suos amant, feritate superarent. Refert Pescenius Festus, *Carthaginenses Saturno humanas hostias solitos immolare: Et cum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum sibi Deum putasse; itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse*. Laudandus Hercules, qui id sacrificii genus, cum ex Hispania rediret apud Latinos sustulit. Cum enim, ut Lactantius refert l. 1. de falsa relig. in Latio Saturnus humano sanguine coleretur, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed ut in Tiberim de ponte mitteretur, Hercule redeunte sublatum esse dicitur hoc sacrificium, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo, ut Ovidius in Fastis docet:

*Donec in hæc venit Terynthius arva, quotannis*
*Tristia Lucadio sacra peracta modo.*
*Illum stramineos in aquam misisse Quirites:*
*Herculis exemplo corpora falsa jace.*

Hac sacra Virgines Vestales faciunt, ut idem ait:

*Tum quoque priscorum Virgo simulacra Virorum*
*Mittere roboreo scirpea ponte solet.*

Sic ab aliis laudantur Cretenses, qui in Idomenei Regis sui facinus serio animadverterunt, ita, ut exilio Regem propter id mulctaverint.

XI. Porro, & Ammonitæ accesserunt, qui liberos suos obtulerunt cremandos Moloch & Baal, parentes quidem alia omni re potius atque prole digni. Plena exemplorum Scriptura sacra est. Rationem immolationis istius habet Varro l. 16. divin. rer. citante Augustino l. 7. de C. D. c. 19. *Ideo a quibusdam pueri Saturno soliti sunt immolari, sicut a Pœnis; & a quibusdam etiam majores, sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum*. Cum enim satis diu viguissent sacrificia isthæc apud gentes, exiguum, imo & indignum putarunt tanto Numine, brutorum sanguine placare offensum. Summam Victimam summo convenire Deo. At Moloch sive Saturnus summus Deorum iis erat, nec excellentius quicquam homine terra alit, nec parentibus charius quicquam liberis. Ita igitur habuerunt gentes, non melius posse se summum demereri Deum, nisi ubi liberos immolarent suos, vel in hæredum ac Patriæ spem natos.

XII. Cæteram quæ forma idoli fuerit, exactissime eam nobis tradidit Paulus Fagius ex libro Jalkut, cujus Autor R. Simeon. *Fuit Moloch imago concava habens septem conclavia; unum aperiebant similæ offerendæ: aliud Turturibus: tertium Ovi: Quartum arieti; Quintum Vitulo: Sextum Bovi: Qui vero volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum Cubiculum, & facies hujus idoli erat ut facies vituli. Manus plane disposita ad recipiendum ab adstantibus; & saltabant interim, quo puer in idolo succenso igne cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur*. Ex ære conflatam fuisse imaginem docet R. Salomon ad Jer. VII. cap. ubi Luth. in glofs. marg. hæc habet: Lyra meldet / daß die Kinder Israel dem Abgott Moloch (welches war ein ehrn Bilde / inwendig voller Glut) ihre Kinder in die Arm legten / und verbrenten / und die Priester mit Paucken und Schellen klungen / daß die Eltern der Kinder Geschrey nicht hören solten. Similiter recitat Vives ex Diodoro Siculo, *Statuam æneam Saturni Africanis fuisse magnitudine enormi, cujus manus in terram desinebant, adeo contortæ & compositæ, ut, qui pueri ei admovarentur, in igneam foveam inciderent*. Conclavia ista septem, quæ commemorat Fagius ad modum Solis & Lunæ, & reliquorum Planetarum comparata esse judicat Vossius lib. 2. de Idolol. p. 331. Moloch enim nil aliud ac Bal s. Belum, id est ipsum Solem notat, cui Oriens quondam summos detulit honores, unde & ultimo Solis cubiculo optima victima, homo offerebatur.

XIII. Duplicem vero hujus idoli cultum deprehendimus, alterum, quo prolem suam per ignis flammam traducebant parentes, cujus inde forsan manavit origo, quod, qui jurarent, olim, adstruerentque immotam dictis fidem, ignem pertransivere, quod πῦρ διέρπειν vocat Sophocles in Antigone, qui cultus Deut. XIIX. 10. interdicitur, & non pauca de illa puerorum transitione in Sacris prostant exempla; alterum quo filios filiasque immaniter cremabant. Quicquid sentiant plærique Rabbinorum, R. Salomon Jarchi, D. Cimchi, Moses Mikotzi, & Moses Maimonides More Nebochim l. 3. c. 38. aliive, qui non combustos aut mactatos pueros, sed duabus pyris extructis per illarum medium traductos solummodo, & ad eum modum velut februatos esse adferunt, Sacerdotibus Molochi rem procurantibus, in quo tamen ipsi non conveniunt. Nam juxta nonnullos, Pater filium solemni ritu Sacerdotibus tradidit, quem ab iis redditum ipse traducebat per ignem; juxta alios

alios vero, Sacerdotes ſoli pueros traduxere; ut eorum ſententias R. Joſeph. Karo in cap. VI. τ8 Miſchnah Thorah pluribus perſequitur. Statuendum tamen omnino eſt, præter hanc februationem, vivi comburium & mactatio chariſſimo rum pignorum, id quod ex Pſalm. CVI. 37. & aliis locis Scripturæ S. colligimus.

XIV. Sacerdotes hujus Idoli, ut & aliorum Numinum, כמרים dicuntur, quos R. D. Kimchi ideo dictos putat, quia nigris induti erant veſtibus. LXX. χωμαεὶν & ἱερεῖς reddunt. Hi forte ex mactatorum hominum viſceribus divinabant, qua de re ſtupenda exempla congeſſit Camerarius Hor. ſubciſ. c. 61. Et de Celtarum Sacerdotibus hæc memorat Diodorus lib. V. *Hi, inquit, ex auſpiciis & Victimarum extis de futuris divinant: iiſque plebs univerſa morem gerit. Inprimis ubi de magni momenti rebus conſultatio incidit, mirandum & incredibilem quendam ritum obſervant. Hominem immolantes, ſupra tranſverſum ſeptum gladio feriunt, quo cæſo prolapſoque, e caſu & convulſione membrorum, ſimulque ex cruoris fluxu de futuro præſægiunt.* Idem de Gallis Strabo memorans dorſum feriiſſe tradit: *Hominis*, ait, *libamine perfuſi, tergum gladio ferientes, ex palpitatione divinabant.*

XV. Locus immolationis in Scripturis S. deſignatur Vallis filiorum Hinnorum, Hebræis גיא vel גי בן הנם a lamentis puerorum, dum cremabantur, ſic nominata. Nam הנם a נהם i.e. gemuit aut ruguit, deductum volunt. Multus igitur ibi inter ſacrificia lamentis puerorum locus, ne tamen tangerent parentes graviſſimi ejulatus, tympanis omnis vicinia perſonabat, unde loco alterum nomen acceſſit Tophet a תוף quod tympanum notat. Ad eundem fere modum cremabant ſuos Dugbii in Cheneraga Inſulæ maris Indici incolæ. Igni devovebant ſe magnatum nonnulli, uti Benjamin teſtatur in Itinerario, non ſine pompa ſatis ſumtuoſa familiares vero, cognatique omnes & conſanguinei tympanis & choreis ſumma cum lætitia exultabant & ludebant, quoad ille omnino combuſtus fuerit. Tantum de Moloch. Sequitur.

# SECTIO II.

*De Remphan.*

§. I.

CIrca vocis hujus originem diſſentiunt Autores. Quidam I. Arabicam eſſe dictionem cenſent, ejuſdem omnino notionis cum Hebræo כיון quod in Amoſi cap. V. verſ. 26. reperitur, & juxta Aben Eſræ mentem Saturni Stellam denotat. Verbum enim רף ſignificat movere, agitare alas, quod aves faciunt, incubantes ovis, ut pullos excludant. Talis actio ῥέφ dicitur, terminatione autem græca ῥεφὰ, addito ν ῥεφὰν quæ litera ſæpe peregrinis dictionibus affligitur, ut adeo ῥεφὰν ſit virtus ea, quæ movendo ſe & agitando ſuper omnes res, eas quaſi excludat & exiſtere faciat, nec inconcinne de Saturno explicetur, qui eſt ὁ περιειληφὼς πᾶσαν τὴν τοῦ κόσμου φύσιν, ut Halicarnaſſæus loquitur. Accedit Verſio quorundam Arabum, qui (in Lexico Arabico cui nomen Camus) רף ῥέφ multieſionem ſeu voracitatem verterunt, quod optime convenit Saturno, cui tantam voracitatem tribuit antiquitas, ut etiam liberos ſuos deglutiverit.

II. Alii ab Hebræa voce רפא dictam exiſtimant, quæ Gigantem inter alia ſignificat, ut per Antonomaſian notetur Hercules, qui forma gigantea apud Ethnicos fingebatur, ut Beza cenſet. Et hunc ab Ægyptiis adoratum, & Chonem fuiſſe appellatum quidam tradunt, quod nomen cum Hebræo Ciun apud Amoſum convenit, Vid. Selden. de Dis Syr. Synt. II. cap. 14. cui hoc minus placet. Alii III. Remphan pro Rimmoni accipiunt, qui fuit Syrorum Deus 2. Reg. V. 18. & ſic ſcriptum eſſe in Luca ῥεμφὰν pro ῥεμμὼν vel ῥεμὰν, uti LXX. legunt loc. cit. unica interpoſita Literra. Nonnulli IV. qui apud Prophetam Amos Sirium intelligi opinantur, ῥεμφὰν pro ῥέμβαν ſcribi ajunt, a ῥέμβειν quod in gyrum agere ſignificat. Sirius enim canes in rabiem verſos circumagit. Et conſtat ab Ægyptiis Syrii cultum promanaſſe, qui ideo ortum caniculæ ſacrum habebant, quod exortu illius Nilus exundet, & fertilem reddat Ægyptum. Alii V. contractum nomen eſſe exiſtimant ex Reemphan hoc eſt רעם-פעם quod interpretantur, Jupiter Βροντεὺς aut Ζεὺς Βροντaῖος notante Druſio. Denique VI. Nonnuli vocem Remphan pro eadem cum Hebræa כיון

acci-

accipiunt, sed immutatam esse dicunt, ut pro Hebræo כיון punctis sublatis LXX. legerint ריון (litera כ inferne erasa) unde ῥεφὰν & insertione τῦ μ. ῥεμφὰν facile fieri potuerit. Quam varie enim nomina Hebræorum propria, ad exteras linguas commigrantia literis & punctis vocalibus mutentur, notum esse.

II. Quod si primam sententiam amplectimur, qua juxta Arabum versionem Remphan Saturnum denotat, quid opus est mutationem fingere vel corruptionem literæ כ in illo Amosi loco? Si utrumque & Ciun & Remphan apud eruditos Saturni cognomen est, ac de eo promiscue usurpari potest, sua sponte cadit sententia inter eruditos fere omnes recepta, dum statuunt, ῥεφὰν apud LXX. Interpretes corruptum esse ex Hebræo כיון pro quo legerint ריון inde ῥεφὰν. Quin potius laudandi essent LXX. Interpretes, quod cum in Ægypto, vocati a Philadelpho Ægyptio Rege, Biblia in græcam linguam transferrent, in gratiam Ægyptiorum ignotum iis Hebræorum כיון in notissimum ipsis ῥεφὰν transmutarint. Et cum nomen כיון minus forte notum esset, appellationem ejusdem Dei Saturni magis notam & familiarem utpote quæ in promiscuo usu apud plebem esset, substituisse LXX. Interpretes, credibile est. Præterea ῥεφὰν in lingua Ægyptiaca Saturnum significare testatur Salmasius, quod ex Alphabeto Ægyptiaco ostendit, Roma ad se misso, ubi nomina VII. Planetarum hoc ordine scripta simul & explicata continerentur: Πιρη Sol, Πιωε Luna, Ρηφαν Saturnus, Πιζευς Jupiter, Μολοχ Mars, Σουροτ Venus, Πιερμης Mercurius.

III. Omnium optima B. D. Tarnovio Comment. in Amos p. 149. videtur sententia eorum, qui statuunt, vocem כיון a Stephano martyre in Actis esse omissam, & nomen idoli proprium esse adjectum, quod apud Prophetam non extabat. Ita quoque sentit Junius in Parallelis, Beza & Ribera. Ille addit, fuisse id vocabulum Remphan de nomine loci alicujus proprio desumtum ῥεμφὰν vel ῥεφὼν 1. Macc. v. 37. sive Raphon, ut scribitur apud Josephum l. 12. antiq. Jud. cap. 12. sive Rephon apud Chaldæum Paraphrasten, quod oppidum situm est in Ammonitarum finibus, cui Deus tutelaris præfuerit Rephan vel Remphan, quo nomine a Stephano Judæis objiciatur cultus ejus nefarius ad Judæos ab Ammonitis translatus, sicut & alterius idoli Milcom.

IV. Synonymam Voci huic Remphan reperiri, docet Walæus in Psalmi CVI. versiculo 28. quem Græci sic vertunt: καὶ ἐτελέσθησαν τῷ Βεελφεγὼρ καὶ ἔφαγον θυσίας νεκρῶν. Et adhæserunt ipsi Baal Peor, & comederunt sacrificia mortuorum, ut adeo Hebræo nomine מתים designetur Saturnus, qui inter τοὺς καταχθονίους θεοὺς censetur, nec minus Ἀχμονίδης quam ipse Charon appellatur, ut ex Hesychio constat. Nam זבחי חלים sunt sacrificia mactata honori Baal Peor i. e. Saturni, nomini autem מת Synonymum est illud רפא, cum in S. literis רפאים sint מתים id est mortui, conf. B. Gerhard. Commentar. in Deut. cap. 11. p. 85. Inde non male conjicit Walæus, nomine Repha, ceu magis trito & notiore usus fuisse LXX. Interpretes, & nomen Ciun, alio Saturni cognomine expressisse, cum locum Amosi cap. v. 26. interpretarentur. Et notum est, apud Syros Saturnum appellatum esse Repha, quem Psaltes forte per contemtum voce Syonyma מת appellavit. Optime igitur Theodotio, nomen Ciun, quod LXX. vertunt Repha interpretatus est ἀμαύρωσιν hoc est obscuritatem ut observat Hieronymus, optime idem Scholia græca ad Act. VII. cap. Repha cum Moloch idem faciunt & interpretantur: τὸ δὲ Μολόχ; τὸ ἄστρον Ῥεφὰ ὅ ἐστι σκοτισμὸς, addit Theophylactus: ἤτοι τύφλωσις, (quod nescio an ad Planetæ Saturni naturam referant,) nam & quasi in obscuro sunt mortui, & luce carentes.

V. Quis per Remphan Deum sit intelligendus, dissentiunt Interpretes. Scaliger de Jove exponit. Recentiores multi de Mercurio, qui priscis scriptoribus sæpe dicitur πλανήτης θεὸς, quia sc. modo infra Venerem est, modo supra illam, neque servat certum sibi & definitum locum. Zoroastrem indigitari putant Petrus Gregorius l. 12. de Rep. & Fesselius in Concordant. Bibl. p. 407. qui fulmine tactus subito disparuit, inque Deorum numerum a Gentilibus est relatus, de quo videri potest Excellentissimus Dn. Ursinus in Exercit. de Zoroastre. Cornelius a Lap. pluribus conatur evincere Remphan esse Luciferum. Alii cum Samuele Petito l. 1. Var. lect. & Capello in Spicileg. Regem Ægypti Remphin intelligi putant, quem eundem cum Pharaone esse existimant, cujus tempore vixit Joseph, qui, quod Ægyptum servasset, ab Ægyptiis fuerit pro Deo cultus, & forte etiam a quibusdam Israelitarum Idololatris. Commemorat enim Diodorus Siculus l. 1. Hist. Regem Ægypti quendam nomine

Remphin ( quem Græci dicunt fuiſſe Proteum ) circa illud tempus floruiſſe, quo videtur Jacob cum familia tota deſcendiſſe in Ægyptum. Regem illum dicit congerendis & colligendis pecuniis totum fuiſſe deditum, ita ut poteſt ſe reliquerit XL. myriadas talentorum. Unde quis conjicere non inepte poſt, illum fuiſſe Pharaonem, qui Joſephm Ægypto præfecit, quique ex annonæ copia, quam divendebat, omnem Ægypti & vicinarum regionum pecuniam corraſit. Ille ergo Remphis videtur ab Ægyptiis ob ſervatam Ægyptum cultus fuiſſe pro Deo ( quomodo Apin & Oſirin coluerunt, ) idemque forte ab Iſraelitis nonnullis cultus eſt, utpote qui Ægyptiorum idololatriam in Vitulo aureo ſunt imitati.

VI. Sed iſtæ conjecturæ non ſatisfaciunt eruditis. Probabilior eſt eorum ſententia, qui per Remphan Saturnum intelligunt, quod iſto cognomine pluribus gentibus innotuerit, & ab iiſdem pro Deo habitus fuerit. Dicis: Iſraelitas non coluiſſe Saturnum in deſerto, ſit enim tantum mentio in Hiſtoria Moſis Vituli & Bovis, qui a David vocatus שור Pſal. CVI. 20. Reſp. Unius poſitio non eſt alterius excluſio. Præterea Bos iſte ceu præcipuus arationis actor retulit ipſum Deum agriculturæ autorem & præſidem, qui antiquis gentilibus Saturnus fuit. Is enim fuiſſe fertur, qui in Italia Janum vivendi rationem & agrorum cultum docuit, cui pro accepta iſta diſciplina dimidium regni ſui dederit atque eo nomine cum Conjuge ſua Rhea pro Deo fuit habitus, quod in Italia plantationes, inſitiones & educationes omnium arborum, omniumque fructiferarum rerum culturam docuerit.

# DAVIDIS MILLII
## DISSERTATIO
## DE
## IDOLO אחד

*Jeſ.* LXVI. cap. 17.

המתקדשים והמטהרים אל הגנות אחר אחד בתוך אוכלי
בשר החזיר והשקץ והעכבר :

RAbbini Mohammedanos quos more ſolemni Iſmaelitas vocant, & Chriſtianos Nazarenos iiſdem dictos hoc loco tangi exiſtimant. Eam ſententiam proponit Abarbanel in משמיע ישועה pag. 31. cap. 3. אמר מתקדשים ומטהרים על הישמעאלים שהם מראים עצמם קרושים וטהורים ברוב רחיצתם ולכן לא אמר הקרושים והטהורים כי אם המתקדשים והמטהרים שאין המתקדש הוא הקדוש ואין המטהר הוא הטהור אבל המתקדש ואין המטהר הוא המראה עצמו כן ואינו קדוש ולא טהור באמת על דרך יש מתעשר ואין כל מתרושש והון רב וכן הישמעאלים הם מתקדשים ומטהרים ברחיצותיהם והם מסוללים וטמאים במעשיהם ולכן אמר אל הגנות אחר אחד בתוך לפי שהם עושים תמיד בתי תפלותיהם בתוך הבנות והגנות והפררסים סובבין אותם ( Propheta ) *verba* ſanctificantes & mundantes *de Iſmaelitis dicit, qui crebris lotionibus ſanctos & puros ſe fieri autumant; quare etiam eos non ſanctos & mundos vocat, ſed ſe ſanctificantes & mundantes; non enim qui ſe ſanctificat ideo ſanctus eſt, neque qui ſe purificat purus eſt, ſed ſe ſanctificare & mundare is dicitur qui ſe ſanctum purumque jactitat, quamvis revera nec ſanctus nec purus ſit: quemadmodum* ( Prov. XIII. 7.) *dicitur*: eſt qui divitem ſe jactat, quum omnia deſint; item qui pauperem ſe ſimulet, cui opes amplæ ſunt. *Ita quoque Iſmaelitæ licet ſe ſanctificent & mundent lotionibus ſuis, ſordidi nihilominus & opera eorum contaminata ſunt; qua de cauſa etiam additur*: in medio hortorum poſt unum: *quia ſemper templa ſua in me-*

*medio hortorum exstruunt, & horti & paradisi ea cingunt*. Vide & R. Bechai in Deuteron. fol. ccxx. col. 4. Reliqua hujus commatis verba de Christianis exponere non veretur Abarbanel cit. loc. ועל הנוצרים אמר אוכלי בשר החזיר השקץ והעכבר לפי שאוכלים כל בשר הטמא והטהור יחדיו. *De Nazarenis vero dicit*: qui comedunt carnem porcinam, & rem abominabilem & mures; *hi enim munda æque atque immunda carne vescuntur*. Christianos nostro intelligi loco præter Abarbanelem criminantur quoque Kimchi Comment. in Jesaiæ cit. loc. R. Isaac in חזוק אמונה pag. 352. aliique; Sed multis vitiis laborat ea expositio: principio quidem nullum idoneum sensum verborum, אחר אחר adferre possunt. Deinde falsa sunt quæ de Mohammedanorum Templis tanquam Lucis semper cinctis commentatur Abarbanel; quæ multo majori jure retorqueri in ipsos Judæos possent: quippe qui Synagogas & Proseuchas suas arboribus conserere solebant, ut demonstravit Illustr. Scaliger *Not. ad Fragm.* ejus *emendationi Temp.* subjectis p. 25. Christianos autem hic tangi absurda & impudens Verporum criminatio est, cum apertum sit, unum idemque hominum genus hoc commate designari, & Judæos quidem ipsos ad Idololatriam prolapsos, ut Gussetius, aliique Commentatores Christiani satis ostenderunt, ipsaque Textus συνάφεια suadet.

II. Sunt tum ex Judæis tum Christianis non infimæ auctoritatis Interpretes, qui de nullo Idolo h. l. cogitantes אחר *unum* interpretantur; sed vehementer obscurus & difficilis hoc pacto redditur hujus loci sensus, ut cuicunque attendenti statim apparet. Rabbinorum expositiones confutavit Celeb. Vitringa *Commentario in h. l.* Christianorum multi, Chaldæi & Symmachi Theodotionisque vestigia prementes vertunt: *alter post alterum*. Sed gratis hæc dicunt nullo ejus locutionis exemplo adducto: deinde nullam idoneam rationem afferre possunt adjecti בתוך; quod cum præcedentibus verbis conjungendum est, ut accentus ratio, & res ipsa suadet. Celeberrimi Coccejі, quem alias merito magni facio, interpretationem *post unum in medio*, id est, *post verum* Mediatorem *vel post falsum Vicarium & Caput*, ideo admittere non possum, quod Judæi (de iis enim sermo est, ut satis clare quoque liquet e *Cap.* lxv. 3.) post exhibitum Mediatorem tali idololatria se contaminasse non videantur; aliis vero falsum Vicarium sequentibus, nonnisi per Allegoriam infirmam, & longius petitam applicari possint. Denique omnino Idolum aliquod sub nomine אחר latere, satis evadet omnibus qui præjudicata opinione non laborant, ex hac Dissertatione manifestum.

III. Verum hinc quæstio oritur; quodnam hic potissimum Idolum a Propheta designatum verosimilius fuerit? Est sententia Virorum illustrium Scaligeri, Bocharti, Grotii, Seldeni, Vitringæ, aliorumque auctoritate firmata, quæ ad Adadum idolum Phœnicium Prophetam respexisse persuadere conatur, testimonio freta Macrobii *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 23. *p.* 217. referentis: Assyrios Deo quem summum maximumque venerarentur, id est Soli, nomen Adad imposuisse, cujus nominis interpretatio significaret unus: itaque אחר hoc loco Adadum Assyriorum denotare contendunt; sed non satis firmum est fundamentum. Diversus enim est *Adadus* a nostro אחר, neque allata video exempla mutati ח in ד ut ex *Achad* fingatur *Adad*. Neque Adad significat *Unus*, licet in Punica lingua הדר idem significare credat Bochartus, levi suspicione inductus, in *Geogr. Sacr. lib.* 11. *cap.* 8. quare errasse Macrobium in hujus vocis expositione rectius judicavit Seldenus *de Diis Syris Syntagm.* 1. Ne dicam cultum huic Idolo exhibitum alii potius, quam *Adado* seu *Soli* convenire, ut ex mox dicendis satis patebit.

IV. Quare non immerito aliud Idolum, cui & nomen & cultus a Jesaia memoratus rectius tribuatur indigitari existimamus: quod nemo inventurus est felicius, quam qui celebratissimam illam Gentium Deam *Hecaten* latere sub eo nomine sibi persuaserit. Equidem ipsa vox אחר hanc Deam manifesto designare videtur, utpote quæ facillima ratione in Hecaten transire potuit. Solet enim א Orientalium in ε Græcorum & *e* Latinorum abire: sic Ecbatana e Persico اباداں *Abadan*; etiam cum aspiratione quia א est littera gutturalis, ut Heliogabalus اله جبل, Ἡφαῖςος *Vulcanus* ex אב אשתא *pater* seu *inventor ignis*: & *hyssopus* ex אזוב factum est. Deinde ח frequentissime permutari solet cum κ sublata aspiratione, ut *Carrha* Mesopotamiæ urbs ex חרן, Cadmilus seu Camillus ex חרמאל *minister Dei*: Cyrus Hebraice כורש e Persico حور Chour & חרס: Dii Phœnicum Πάταικοι e פתוחים aut potius ex בתוחים originem accepere. ד defini-

nique frequenter mutatur in ח ejusdem organi literam, ita נר in Γάτις vocis Ἀταργάτις, יוד in ἰῶτα transit. Retinendam nempe existimem lectionem codicis sacri אחר, quam Masorethæ conversam volunt in אחת; sine ratione tamen: ita ut sub ea terminatione numen fœmininum intelligamus, perinde ut sub nomine נר *Luna*, fœminini generis latet; præsertim cum Hecatæ quæ eadem cum Luna est, uterque sexus ab Auctoribus adscriptus fuerit, ut ostendi Differt. *de Gad & Meni*.

V. Atque hanc etymologiam præferet sine dubio peritus quisque rerum æstimator, frigidis illis etymologiis, quando solemni peregrina vocabula e Græca lingua deducendi imperitia, a nonnullis derivari hoc vocabulum solet, sive ab ἕκας quod Hecate, utpote Luna, *longe radios emittat*; aut ab ἑκατὸν quod *centum potestates habeat*, ἀπὸ τῆ ἑκατέρων quod & *Diana* sit & *Proserpina*, sive ab ἑκατηβόλος quod *Apollinis* ἑκατηβόλε *soror* sit vide Servium ad Virgilium *lib.* IV. *Æneid.* v. 510. 511. aliosque. Pleraque enim Idolorum nomina ex Oriente, cum omni cerimoniarum apparatu ad Græcos advenere, ut apud Eruditos in confesso est, & res ipsa ostendit.

VI. Quodsi vero illius nominis ratio requiratur, quare Hecate ab אחר (quod *unum* Hebræis significat) fuerit appellata, duplex in promtu est responsio; (1) incertum esse, an illud vocabulum Hebraicæ originis & linguæ credi debeat. Idoli enim peregrini nomen ex alia potius quam Hebræa lingua repetendum videtur, licet Hebraicam illius nominis significationem non male in Hecaten quadrare noverim: appellaretur videlicet אחר *una* aut *unica* eodem modo quo ab Hesiodo *Theogoniæ* v. 426. & 448. ΜΟΝΟΓΕΝΗΣ *unigenita unica* vocatur, quod jam observasse Cl. Clericum ad Hesiodum loc. cit. v. 411. video. Sed (2) a *summa potentia* illud nomen potius accepisse crediderim, e dialecto Aramæa, in Oriente olim usitatissima, qua ܐܚܕ non tantum *tenere continere*, sed & *dominari* significat, & ܐܘܚܕܢܐ *imperium*, *potentiam*. Vide Versionem Syriacam I. Petr. v. 11. Jud. c. 25. Apoc. 1. 6. Jes. IX. 1. &c. & Deus *omnipotens* ܐܚܝܕ ܟܠ proprie qui omnia *comprehendit*, *tenet*, *tuetur* & *conjungit*. Est enim ܐܚܕ factum ex Hebræo אחז *comprehendit*, *continuit*, *possedit*, *univit*. Proinde אחר proprie eum significat, qui quia *tenet*, *tuetur*, *congregat* & *conjungit omnia*, summam potentiam & dominium habet: unde Deus qui est ὁ φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτῦ. Hebr. I. 3. vocatur ܐܚܝܕ ܟܠ, id est Παντοκράτωρ, quod vocabulum Græcum, plane Syriacum exprimit. Eadem ratione Deus Hebraice vocatur אדני, id est, *summus Dominus*, qui omnia tenet, conjungit, & cui omnia innituntur tanquam ארן *basi*. Sic denique Βασιλεὺς quasi βάσις τῦ λεῶ dictus putatur.

VII. Hecatæ autem singularem & eximiam imo summam potentiam tribuerunt Auctores, utpote cui concessum fuerit a Jove, juxta Hesiodum *Theogoniæ* v. 413.

> Μοῖραν ἔχειν γαίης τε ᾗ ἀτρογέτοιο θαλάσσης
>
> *Potestatem habere terræque & inexhausti maris.*

Quin & cœli v. 427.

> Καὶ γέρας ἐν γαίῃ τε ᾗ ἐρανῷ, ἠ δὴ θαλάσσῃ.
>
> *Et potestatem tam in terra ac cœlo, quam in mari.*

Quam potestatem & Virgilius eidem tribuit lib. VI. Æneid. v. 247.

> *Voce vocans Hecaten*, cœloque ereboque potentem.

Atque ex eo fonte Prudentius Christianorum Virgilius *lib.* 2. *contra Symmach.* v. 360.

> *Et regnare simul* cœloque ereboque *putatur*.

Ex qua ratione Isis itidem, quæ cum Hecate & Luna eadem est, *omnia esse* dicitur in præclara Inscriptione apud Gruterum p. 82.

TE TIBI.
VNA. QUAE.
ES. OMNIA.
DEA. ISIS.
ARRIVS. BAL
BINVS. V. C.

Quemadmodum Lunam nomine ΘΕΟΥ ΠΑΝΟΣ designari, non sine ratione conjecit Claudius Nicasius de *Nummo Pantheo Hadriani*.

VIII. LXX. Interpretes hic אחר אחר vertisse videntur ἐν προθύροις, quos more suo Interpres Arabs secutus est وقدام الابواب وفي السياجات *ante januas & in sepibus*: Vulgatus, *post januam*; quod quomodo fieri potuerit, ignorare se plerique Interpretum fatentur. Suspicioni locus est, hos quoque In-

Interpretes hic de Hecate cogitasse; quoniam ejus Deæ simulacrum ante fores ἐν προθύροις collocari solebat, ut liquet ex Aristophane *Vesp.* v. 798. & ex Scholiaste Theocriti ad Idyllium β. v. 36. qui inter alia hæc habet: ἱδρύοντο δὲ αὐτὴν καὶ πρὸ τῶν θυρῶν ὡς φησιν Αἰσχύλος. Δέσποιν' Ἑκάτη τῶν βασιλέων πρόδρομος μελάθρων. Quo pacto distinctio post verba ἐν τοῖς προθύροις in Græca versione ponenda esset Veruntamen alia potius hujus versionis adferri potest ratio; Syris nempe ܬܪܥܐ significat *januam* Prov. XVIII. 19. Et Chaldæis אחחא est *clausura*, quemadmodum etiam אחר Chaldæis *claudere* significat. Atque hinc factum est, ut Alexandrini Interpretes אחר hoc loco ἐν προθύροις verterent. Quod multo verisimilius est quam si cum Grotio aliisque, hos Interpretes eam versionem e Jes. LVII. 8. huc transtulisse contenderemus.

IX. Hecaten nomine אחר a Propheta designatam fuisse, evidenter apparebit e cultu huic Idolo exhibito. Culta fuisse dicitur אל הגנות *in hortis*. אל enim hoc loco idem significat quod ב *in*, ut patet ex comparatione loci Jes. LXV. 3. hinc & Syrus habet ܒܓܢܐ in hortis Arabs vertit المتقدسون والمتطهرون في البساتين *qui sanctificant & mundant se in hortis olerum*: vox enim qua utitur proprie hortum oleribus consitum significat; & Raschi Comment. in hunc locum גנות explicat: שזורעין שם ירק per *hortos ubi olera seminabant*, at perperam. גן enim est a radice גנן *obtexit*, *obumbravit*, quare propria sua vi locum *frequentibus arboribus consitum* & *umbrosum* designare videtur; hinc fit ut quoties *de horto olerum* sermo est, vocabulum ירק adjiciatur, ut Deuter. XI. 16. I. Reg. XXI. 2. &c. In Sac. Litteris & Rabbinorum scriptis, sæpius idem significat quod פרדס *Paradisus*, qui a Mose nunquam aliter quam גן aut גן עדן vocatur; hinc & LXX. Gen. II. 8. גן Παράδεισον verterunt: quamvis Græci quoque olim paradisum hoc est hortum amœnis & fructiferis arboribus consitum γάνος h. e. Hebraice גן vocaverint, teste Hesychio Γάνος παράδεισος: & Etymologici M. Auctore, qui Γάνος exponere videtur per γῆν θάλλουσαν τοῖς φυτοῖς. Attamen etiam latius hoc vocabulum patet, ita ut etiam *lucum*, id est hortum singulari religione Deo alicui consecratum indicare queat; hoc enim luci cum hortis commune habebant, quod בידי אדם *manibus hominum* consererentur. Vid. Gem. עבודה זרה f. XCV I. Eo sensu etiam hoc loco accipiendum est, ut & Jes. LXV. 3. quo utroque loco Chaldæus recte παραφράζει בגנן טעותא *in hortis idolorum*. In luco enim antiquissima consuetudine Deorum sacra celebrari solebant, quasi Deorum aptissimo domicilio: *Arbores fuere Numinum templa, pricoque ritu simplicia rura Deo præcellentem arborem dicabant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos & in illis silentia ipsa adorarunt*: auctore Plinio lib. XII. Hist. Nat. c. I. Quod imitati sunt Israelitæ ut constat e II. Reg. XVII. 10. 11. Jes. I. 29. LVII. 5. & LXV. 3. collat. cum Hos. IV. 13.

X. Inprimis autem Hecate in lucis eximia religione coli solebat: unde Ovidius *libr.* VII. *Metamorph.* v. 47. de Medea:

> *Ibat ad antiquas Hecates Perseidos* aras
> Quas nemus umbrosum, secretaque sylva tegebat.

Vide & Virgilium *lib.* VI. *Æneid.* v. 117. Et Apulejus lib. XI. *Metamorph.* p. 358. *nocturnis*, inquit, *ululatibus horrenda Proserpina, triformi facie larvales impetus comprimens, terræque claustra cobibens* lucos diversos inerrans, *vario cultu propitiaris*. Diana autem quam eandem cum Hecate, *Diana Inferna* propterea dicta, vide *Cuperi Harpocratem* pag. 206. antiquitas credidit, & ἑκατηΐα audit apud Aristophanem *in Ranis* v. 369. suo quodam jure omnes lucos & sylvas sibi vindicabat, vide Servium ad Virgilii *Georgica lib.* III. v. 232. & inprimis Ezech. Spanhemium *ad Callimach.* p. 156. 157. ut & Curtium Symphorianum *lib.* IV. *hortorum* cap. XIV. & XIX. Quam ob causam in Inscriptionibus *Diana Nimorensis* frequenter salutatur, apud Sponium *Miscell. Erud. Antiq.* p. 88.

DEAÆ
NEMORENSI
SACRUM.
M. ACILIUS PRISCUS
EGRILIUS
PLARIANUS.

& Gruterum p. 41.

DIANÆ
NEMORENSI VESTÆ
SACRUM.

ubi p. 39. *Nemorum decus* præterea appellatur.

XI. Accuratius autem non modo in *hortis* seu lucis, sed *in medio* eorum Heca-

cate culta dicitur, ita nimirum ut ara aut templum ejus, luco undiquaque cinctum fuerit, addito illo בתוך: ita præeunte nobis Illustr. Scaligero *in not. ad Fragm. Græcor.* Idque denuo pro solemni idololatrarum consuetudine factum apparet: qui in lucis aras & templa Deorum exstruebant: Virgilius *lib.* I. *Æneid.* v. 445.

> *Lucus in urbe fuit media lætissimus umbræ*
> *Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido*
> *Condebat.* ---

Quod Israelitæ jam Gideonis tempore imitati fuisse leguntur, ara Baalis in luco exstructa Jud. VI. 25. Sed inprimis Hecates aut Dianæ delubra aræque luco cingebantur ab Idololatris, ut constare potest ex Ovidii loco §. præced. citato, qui etiam Dianæ Aricinæ *templum nemorale* memorat lib. I. de *arte amandi* v. 259. Herodotus autem lib. II. c. 138. auctor est, apud Æhyptios *templum Bubastis* seu Dianæ in media urbe Bubasti situm, maximarum arborum consitarum luco cingi: ἔςι δ' ἔσωθεν ἄλσος δενδρέων μεγίςων πεφυτευμένων περὶ νηὸν μέγαν, ἐν τῷ δὴ τὸ ἄγαλμα ἔςι. *Intus ingens maximarum arborum manu consitarum lucus templum ambit in quo statua est.* Apud Daphnen pariter Dianæ templum in *medio luci* erat, notante Strabone *lib.* XVI. *pag.* 1089. Quare Dianæ *lucus* & *fanum* conjungitur, apud Pausaniam *Arcadicis* cap. XXIII. pag. 643. ut *lucus* & *ara Dianæ* apud Horatium de *arte Poetica* v. 16. & Callimachum *hymno in Dianam* v. 38. Ἀρτέμιδος βωμοί τε καὶ ἄλσεα, ubi egregia habet Illustr. Spanhemius.

XII. Ad cultum Idoli *sacra lustratione* peractum accessisse memorantur: המתקרשים ומטהרים *qui se sanctificant*, hoc est qui lustrantur, atque sacra lotione corpora & vestes abluunt. Quem sensum requirere videtur additum מטהרים *purificantes*; præsertim cum קרש & alibi in S. Scriptura idem quod *abluere* & *mundare* significet, ut Exod. XIX. 10. notante Aben Ezra Comment. in h. l. וטעם וקרשתם שירחצו במים ויורה על זה וכבשו שמלותם כררך ואם לא יכבם ובשרו לא ירחץ׃ id est *sensus vocis* וקרשתם *est, ut se aquis lavent. Confirmant hunc quoque verba sequentia*: & lavent vestimenta sua; *ita etiam hæc conjunguntur*. Lev. XVII. 10 *quod si non abluerit, & carnem suam non laverit*: vide quoque Exod. XXIX. 21. Num. VI. 11. &c. Qua significatione etiam hoc verbum Rabbinis usitatissimum est; quoties קרוש ירים ורגלים *consecrationis manuum pedumve* mentionem faciunt, in Gem. יומא fol. XXXI. c. 2. ubi traditio adfertur: פרסו סרין של בוץ בינו לבין העם פשט וירר וטבל עלה ונסתפג הביאו לו בגרי זהב ולבש וקירש יריו ורגליו רבי מאיר אומר פשט וקירש יריו ורגליו וירר וטבל עלה ונסתפג הביאו לו בגרי זהב ולבש ויקרש יריו ורגליו׃ (In loco sancto) *erat velum byssinum inter eum* (Pontificem) *& populum, ubi* (vestes) *exuebat, & descendens* (in balneum) *se lavabat: dein ascendens se abstergebat, ubi vestes aureæ illi adferebantur, quibus indutus manus atque pedes lavabat. Verum e R. Mejeri sententia* (Pontifex M.) *vestes exuebat, & prius manus & pedes lavabat, dein in balneum descendebat ibique se lavabat. Lotione peracta conclave conscendens, se abstergebat, atque vestes aureas induebat, ubi iterum manus & pedes lavabat.* vide Gem. citat. f. XXXIV. 2. & Gem. זבחים fol. XXI. 2. Unde quoque LXX. hoc loc. ut & alibi המתקרשים recte reddiderunt per οἱ ἁγνιζόμενοι, quod verbum Græcis pariter in lustrationibus solemne est.

XIII. Quoniam autem per talem lustrationem *initiari mysteriis suis* solebant Profani, adeo ut Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. p. 582. edit. Sylburg. memoriæ prodiderit, *omnia mysteria Græcis a lustrationibus ut barbaris a lavacro incipere*; vertere quoque המתקרשים ומטהרים possemus: *qui initiantur per purificationem aut lustrationem*. Quemadmodum sacra scorta quæ Veneri fœdissimis stupris initiabantur קרשות & קרשים vocantur sæpius in Sacris Litteris e vulgari Eruditorum sententia. Sic præterea קרש idem quod *initiari* aut *consecrare* notat Exod. XIX. 10. ubi de *initiatione* Israelitarum sermo est, qui nonnisi corpore prius bene loti Deo initiabantur. Et I. Reg. VIII. 64. *de dedicatione atrii* idem verbum קרש adhibetur.

XIV. Talibus initiis in gratiam Hecates usi fuisse dicuntur, quod indicat vocabulum המתקרשים ומטהרים אחר, אחר אחר, *Qui initiantur & lustrantur* post *Hecaten*. Nam *facere aliquid* אחר *post aliquem* ex frequenti Hebraismo idem est, quod *facere in gratiam* alicujus ut obsequaris alicui, eumque colas & demerearis. Ita Jud. II. 17. כי זנו אחרי אלהים אחרים *Nam scortati sunt* post *Deos peregrinos*; sic Ezech. XX. 30. ואחרי שקוציהם אתם זנים. Quod alias dicitur *ire post aliquem* ut Jud. II. 12. וילכו אחרי אלהים אחרים *iverunt* post *Deos alienos*: quod per *præcepta servare* exponi vi-

videtur 2. Reg. XXIII. 3. ללכת אחר יהוה ולשמור מצותיו *ire post Deum*, *ejusque præcepta servare*.

XV. Erant autem satis celebria olim apud antiquos Idololatras Deæ אחר mysteria: Æguinetas quotannis *initia* Hecates celebrasse τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης, quorum originem ad Orpheum retulerunt, testis est luculentus Pausanias *Corinthiacis* cap. xxx. p. 180. Perinde, ut Caphyenses Gnacalesiæ Dianæ ἐπέτειον τελετὴν *anniversaria initia* peragebant, eodem auctore *Arcad.* Cap. XXXII. pag. 643. Sed nulla unquam celebriora in profana Antiquitate mysteria memorantur quam Eleusinia Græcorum, quæ Orpheus ex Ægypto redux, ita ad imitationem mysteriorum Isidis seu Hecates nostræ, instituisse dicitur, ut *Isidis mysteria* simillima sint *Cereris*, nominibus tantum differentibus; vide Diodor. Sicul. *lib.* I. *pag.* 60. quæ enim Ægyptiis Isis, Græcis Δημήτηρ Ceres appellatur, teste Herodoto *lib.* II. *cap.* 59. Turpia denique mysteria erant Deæ Astartæ, seu *Lunæ*, de quibus vide Spencerum lib. cap. 22. & Seldenum de *Diis Syris* Syntag. 2. cap. 2. p. 163.

XVI. Non vero solum lustratione sed etiam *hostiis immolatis* Deæ cultum peractum fuisse, Jesaias refert, quando initiatos nobis describit, tanquam אוכלי בשר החזיר vide etiam cap. LXV. 4. Non sine gravi ratione, Vir summus Jos. Scaliger hic cogitavit *de immolatione suum in februationibus & lustrationibus* usitata: Jesaiæ enim cap. LXV. 3. claris verbis *sacrificasse in hortis* seu lucis זובחים בגנות dicuntur. Porcelli autem præcipue tunc adhibebantur v. Pollucis *Onomastic. lib.* VIII. *cap.* 9. *sect.* 24. ita lustrandis compitis *sus immolata* inserviebat: Propertius *lib.* IV. *Eleg.* I. v. 23.

> *Parva saginati lustrabant compita* Porci.

Ita Pausanias *Eliac. prior.* cap. XVI. pag. 418. apud Eleos 16. matronas & Ædiles ludis præfectos, nihil quod sui muneris est ante suscepisse refert, quam se *sue piaculari* & *aqua lustrassent*. Apud Romanos porca immolata stryges averruncari credebatur. Ovid. *lib.* VI. *Fastor.*

> *Spargit aquis aditus & aquæ medicamen habebant,*
> *Extaque* de Porca *cruda bimestre tenet.*
> *Atque ita noctis aves extis puerilibus inquit*
> *Parcite: pro parvo victima parva cadit.*

Et Lucum amputare, quod *conlucare* vocant, nefas erat nisi expiationis gratia porca cæsa, vid. Cato *de re rustica* Cap. CXXXIX. Inprimis in mysteriis Eleusiniis *sus* erat solemnis hostia, vide Ælian. *lib.* x. *Histor. Anim.* cap. 16. p. 590. aliosque.

XVII. Non vero tantum immolaverunt Israelitæ huic Idolo in mysteriis sues, sed etiam earum *carne* usi sunt, in convivio scilicet sacro, & in ejus Idoli gratiam celebrato, אוכלי בשר החזיר. Quod mirum videri posset in memoriam sibi revocanti, quantopere abominati fuerint suem tanquam fœdissimum animal Judæi, adeo ut etiam ab eo nominando abstinuerint, illud דבר אחר *rem aliam*, aut מן ההוא מנא *de illa specie* appellantes; & Maccabæorum tempore dirissimos cruciatus & mortem potius sustinuerint, quam de carne suilla gustarent: illis etiam duntaxat summam & amplissimam virtutis mercedem adscripserint quin carnem porcinam non comedissent: cum ex ea ratione Hæreticis, beata tandem vita neganda esset, quod porcina usi fuissent: & id quidem ex loco præsenti Jesaiæ demonstrare conantur in מדרש ילקוט שמעוני Part. I. f. 145. col. I. לעתיד לבוא הקדוש ברוך הוא מוציא כרוז כל מי שעסק בתורה יבא ויטול שכרו שאף הכותים אומרים תן לנו שכרינו שאם אנו עשינו מצות אמר הקב״ה כל מי שלא אכל בשר החזיר שקצים ורמשים יבא ויטול שכרו באותה שעה הן נוטלין איפופסין שלהן שנאמר אוכלי בשר החזיר השקץ והעכבר יחדיו יסרפו נאם יי׳: *Tempore futuro D. O. M. prodire jubebit præconem* (promulgantem): *quotquot legis studiosi fuistis, adeste vestramque accipite mercedem. Tunc autem Hæretici dicent: da etiam nobis mercedem nostram, nam nos quoque præceptis morem gessimus. Verum Deus O. M. respondebit: qui non edit carnem porci, res abominabiles, aut reptilia, is accedat & mercedem suam auferat. Eadem hora* (Hæretici) *accipient sententiam suam; nam dicitur:* (Jes. LXVI. 17.) *qui comedunt carnem porci, & rem abominabilem muresque: simul consumentur, dictum Jebovæ.* Veruntamen insigne illud odium nihil impedivit, quo minus interdum, præcipue cum ad idololatras defecissent suilla vescerentur. Sane non majori odio sues prosecuti sunt Judæi quam Ægyptii, de quibus Herodotus lib. II. cap. 47. Ὗν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι; καὶ τοῦτο μὲν ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑὸς αὐτοῖσι ἱματίοισι ἀπ᾽ ὧν ἔβαψε ἑωυτὸν, βὰς ἐς τὸν ποταμόν. *Suem impuram bestiam arbitrantur; quam si quis vel transeundo contigerit, se immergit flumini cum vestimentis.* Et tamen iidem ut Herodotus statim subjungit

git *plenilunio Lunæ* ( id eſt τῆ אחר Hecatæ ) *& Libero ſues immolant , extremam caudam lienem & omentum adipe alvi operiunt , ac igni adolent : reliqua carne plenilunii die veſcuntur , alio die non guſtant*. Igitur hanc Ægyptiorum conſuetudinem plane imitatos eſſe Iſraelitas ad Idololatras tranſeuntes evidenter e loco noſtro patet: eadem ratione, qua etiam plures alios Gentium vicinarum , Ægyptiorum maxime, ritus ſuſceperunt ſtante templo primo ; licet ſub ſecundo e captivitate Babylonica reduces fuerint ab omni idololatria alieniſſimi ; ſi Judæorum eos, qui Maccabæorum tempore ad Helleniſmum tranſiverunt , exceperis . Denique Lacedæmonios quoque Dianæ Corythalliæ γαλαθηνὰς ὀρθραγορίσκους : *lactantes porcellos* obtuliſſe diſcimus ex Athenæo *Deipnoſophiſt. lib.* IV. *cap. 6.* p. 139.

XVIII. Sed magis mirum videri poſſet etiam *Mures* ab iiſdem in cibum adhibitos fuiſſe, quod tamen hoc loco Jeſaias indicat אוכלי בשר החזיר והשקץ והעכבר. Vir reconditæ eruditionis Boch. *Hieroz.* part. I. lib. 3. cap. 33. docte ut ſolet demonſtravit *mures agreſtes* Orientalibus in deliciis fuiſſe ; עכבר enim proprie *murem agreſtem* denotat , denominatum a *vaſtatione agri* & *ſegetum* , dictumque עכבר ex עכל בר *vaſtator* aut *conſumtor frumenti* : & reſpondere Arabico اليربوع idem obſervavit : quod murum genus Turcis عرب طوشنر *lepus Arabum* , & Perſis موش نشتر *mus campeſtris* vocatur . Voce اليربوع etiam Arabs h. l. Hebraicum עכבר interpretatur الذين ياكلون لحم الخنزير والرذالات واليربوع *Qui comedunt carnem porcinam & abominationes* , & aljarbua : mure ejuſmodi Aljarbua dicto veſci in Oriente homines , luculentus quoque teſtis eſt Olearius in *Itinerario Perſico* . p. 519. Quid quod etiam Heliogabalus 10. *illa millia murum cum mille muſtelis & mille ſoricibus* ideo ſibi exhiberi juſſiſſe videtur: qua de re vide Lampridium *in Heliogabalo* cap. 27. ut in conviviis de quibus ibi ſermo eſt iiſdem uteretur . Certe *ſorices* olim Romanis delicias conficiebant , *quos deinde cenſores non alio modo cœnis ademere quam conchylia aut ex alio orbe convectas aves*. Quodſi vero in conviviis murium eſus uſitatus, quid veroſimilius, etiam in conviviis ſacris , ſolemnem eorum uſum fuiſſe, ut hoc loco aperte teſtatur Jeſaias.

XIX. Quin etiam Hecatæ ejuſmodi mures ab ejus cultoribus immolatos fuiſſe, ei apparebit veroſimillimum , qui conſideraverit, in conviviis ſacris tales cibos adpoſitos fuiſſe, de quibus certa & prima portio ante Diis ceſſiſſet ; Sues quoque quibus hic in convivio itidem uſi ſunt , immolatas ante fuiſſe, ut modo vidimus . Et id quidem ob eandem rationem ; ut enim ſus antiquiſſima hoſtia Cereri immolabatur, quia ſegetibus ſtragem inferebat notante Ovidio *lib.* XV. *Metamorph.* v. 3.

> —— *Et prima putatur*
> *Hoſtia ſus meruiſſe mori : quia ſemina pando*
> *Eruerit roſtro , ſpemque interceperit anni.*

Vide & Phurnutum *de Natura Deorum* cap. 28. Sic & majori jure murem agreſtem עכבר *vaſtatorem* illum *ſegetum* ut prolixe docet Bochartus loc. cit. Hecatæ immolatum eſſe cenſendum ; ſiquidem Hecate cum Cerere eadem eſt , prout ipſa de ſe teſtatur apud Euſebium *Præpar. Evang. lib.* V. *cap.* 13. p. 201. & 202. & Proſerpina *germina e ſemine propullulantia* ſignificet , in myſtica profanorum Theologia, apud Euſebium lib. III. cap. II. p. 109. & Phurnutum loc. cit. vide & Marmora Felſinea *Sect.* V. c. 13. pag. 282. 283. Hecatæ autem ſeu Lunæ ejuſmodi ſacra convivia parata fuiſſe, Diſſert. *de Gad & Meni* oſtendimus.

XX. Ejuſdem Deæ אחר Hecatæ cultum , a Propheta noſtro capite præcedenti c. 3. 4. deſcriptum fuiſſe exiſtimo qui locus quod ad cultum attinet cum noſtro convenire videtur . Dicuntur autem loco laudato Iſraelitæ idololatriæ ſcelere contaminati, non modo *ſacrificaſſe in lucis , & porcina Idolo ante conſecrata fuiſſe uſi* ; Verum etiam *adoleviſſe in lateribus , ſediſſe in ſepulcris , atque in abditis , & abſtruſis antris pernoctaſſe* . מקטרים על־הלבנים : הישבים בקברים ובנצורים ילינו *In lateribus adoleviſſe* aut *ſacrificaſſe* ( utrumque enim קטר ſignificare Diſſertatione de *Gad & Meni* oſtenſum eſt ) dicuntur , quia in *tectis* rem divinam faciebant Idololatrarum more II. Reg. XXIII. 12. & Jerem. XIII. 19. Tecta enim Orientalium plana & *lateribus* aut *tegulis ſtrata* erant , unde illi qui τὸν παραλελυμένον Chriſto offerre cupiebant, populi multitudine impediti ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν *cum in tectum adſcendiſſent per lateres* ( erutos ) *deferunt eum* Luc. V. 19. Idem luculento teſtimonio confirmant Magiſtri in Gem. בבא מציעא f. CXVII. c. I.

c. I. מאי מעזיבה רבי חנינא אמר קנים סנאין וסינא *Quid est* מעזיבה ( crusta illa tecti cujus in Mischna mentio fit ) *R. Chanina respondet calami spinæ rubi & lutum*: R. Chaninæ sententiam profitetur quoque Maimonides ad בבא בתרא *Cap.* II. ubi מעזיבה esse inquit הסיד והאבנים שנתנין על הקרוי calcem lapidesque contignationi impositos. Omnium optime autem Raschi in scholiis ad Gem. בבא מציעא f. CXVI. c. 2. מעזיבה observat fuisse טיט של טיט שנותנין על התקרה שקורין אסטריך. *Lutum sive laterem contignationi impositum, quem Lingua Germanica* Estrich *vocant*. Quod ut satis notum veteribus *pavimentum tegulis stratum* erat: vide præterea רבנו שמעון in אהלות cap. VI. sect. 4.

XXI. Talis consuetudo in tectis super tegulis sacrificandi, eorum erat, qui expiationibus & magicis artibus studebant, præsertim mulierum, quæ Tegulariæ ob eam causam dictæ sunt Glossæ Isidori: *Tegularia malefica eo quod supra tegulas sacrificet*. Ejus generis erat mulier illa apud Apulejum *lib.* III. *Metamorph.* p. 87. edit. in usum Delph. *Sic noctis initio priusquam cœna te reciperes, Pamphile mea jam vecors animi* tectum scandulare *conscendit, quod altrinsecus aedium patore perflatili nudatum, ad orientales cæterosque omnes aspectus pervium, maxime his artibus suis commodum secreto colit*, vide quæ sequuntur. Ex quo loco patet, ideo tecta destinasse profanos homines, quoniam aeri & vento exposita essent: eandem ob causam etiam sacrificiis *καθαρσίοις expiatoriis* inserviebant: aerem enim & ventum plurimum ad lustrationem facere Gentiles sibi persuadebant. Virgilius *lib.* VI. *Æneid.* vs. 740. ubi venti beneficio purgari a sceleribus animas apud Inferos dicit.

> --- *Aliæ panduntur inanes*
> *Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto*
> *Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne.*

XXII. Præterea sepulcra frequentasse a Jesaia dicuntur sine dubio *ut manes placarent* aut *consulerent*: ideo enim in monumentis versabantur νεκρομάντεις, ut docet ad h. l. Rabbi David Kimchi: היושבים בקברים לדרוש אל המתים. *Sedent in sepulchris ut mortuos consulant*, & referentibus Magistris in Gem. סנהדרין fol. lxv. 2. כדתניא ודורש אל המתים זה המרעיב עצמו והולך ולן בבית הקברות כדי שתשרה עליו רוח טומאה. *Traditio est eum* ( qui mortuos consulit ) *admodum esurire, tumque se ad sepulchra conferre, ibique noctem transigere, ut spiritus impurus ad eum accedat*: quemadmodum ita quoque Apollonius Thyanæus in Achillis sepulcro pernoctabat, ejus manes consulturus, auctore Philostrato *lib.* IV. *cap.* II. *p.* 148. Ob eandem rationem, etiam *carnis porcinæ* h. l. mentionem injectam esse verosimillimum est, quia porcis in expiationibus & februationibus uti solebant Profani. Non erant autem solemniores februationes quam circa Manes, cui rei olim apud Romanos totus Februarius destinatus erat, vide Plutarchum *Numa* pag. 72.

XXIII. Verum cui Eruditorum ignotum esse potest Hecaten *inferorum Reginam* inprimis ab illis qui νεκρομαντείας studiosi erant, singulari religione cultam fuisse? vide si dubitas Eusebium *Præpar Evangel.* lib. V. cap. 8. Itaque etiam ex Jesaiæ cap. LXV. non parum roboris accedit sententiæ meæ, atque אחד *Hecaten* designasse luculenter confirmatur.

# DAVIDIS MILLII DISSERTATIO DE BAALZEBUB & MIPHLEZET.

§. I.

VUlgari Eruditorum sententia Accaronitarum Deus בעל זבוב, Deum Μυῖαν Muscam ut LXX. verterant, aut Μυίαγρον Muscarum averruncum notat, qui etiam *Muscæ* imagine exhibitus fuisset, qualis Græcorum *Jupiter* Μυίαγρος & *Hercules* ἀπόμυιος celebratur; ita docuerat Seldenus, Vossius, Bochartus in *Hierozoico*, aliique. Jacobus autem Basnage Vir Cl. in *Antiquit. Jud. Tom.* I. singularem sententiam sectatus est, & *Deum exercituum* & *armorum* designari hoc nomine credidit, quoniam Phœnices Hebraicum צבאת facile in זבוב convertere potuerint. Sed mirum videri debet, quare ad Deum *Muscam Muscarumque averruncum*, aut *belli potentem* potissimum mittere Achazus sciscitatum voluerit *de vita*, an valetudinis recuperandæ spes reliqua esset. II. Reg. I. & qua tandem ratione Muscarum armorumve Deo tanquam ἄρχοντι δαιμόνων *Dæmonum Principi* inprimis tribuetur ejiciendorum Dæmonum potestas, quam Beelzebubo aut Beelzebulo adscriptam a Judæis legimus Matth. XII. 24. Luc. XI. 15. Igitur facile apparet, alium Deum idololatrarum quærendum esse, cui quæ Beelzebubo in Sacris Litteris tribuuntur, rectius veriusque applicentur.

II. Vix autem alium Deum afferri posse putem, in quem ea omnia rectius conveniant, quam in Plutonem, quem ut *Inferorum Præsidem*, inde ab antiquissimis temporibus religioso cultu prosecuti fuerunt Gentiles. Nam Beelzebub in Evangelio ἈΡΧΩΝ ΔΑΙΜΟΝΙΩΝ vocatur Dæmonum *Maniumque* Princeps: talis autem erat Gentium profanarum *Sarapis* aut Pluto (iidem enim censentur) qui ΑΡΧΩΝ ΔΑΙΜΟΝΩΝ appellatur a Porphyrio apud Eusebium *lib.* IV. *Præparat. Evang. c.* XXIII. *p.* 174. Eundemque τὸν ΜΕΓΑΛΟΔΑΙΜΟΝΑ *magnum illum Dæmonem* e Gentium sententia vocat Clemens Alexandrinus *Protrept. ad Gentes* p. 31. Sæpissime autem *Princeps* aut *Rex Inferorum* audit in scriptis Profanorum: apud Æschylum in *Persis* v. 631. Chorus præter alios Plutonem quoque *inferorum Regem* orat, ut Darii manes redire jubeat:

> Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, Βασιλεῦ τ' ἐνέρων
> Πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὰν ἐς φάος.
> *Terraque & Mercuri, & (tu) rex inferorum.*
> *Mittite ex inferis animam in lucem.*

Apud Sophoclem *Oedip. Colon.* v. 1553. ἘΝΝΥΧΙΩΝ ἈΝΑΞ Noctis & tenebrarum rex appellatur. A Latinis quoque summanus, de quo Plinius *lib.* II. *Histor. Nat. cap.* 52. utpote *Summus Manium*: Quod liquet ex Inscriptione veteri apud Gruterum fol. 1015.

PLUTONI SUMMANO<br>ALIISQUE DIS STYGIIS.

Qui Græcis autem & Latinis *Pluto*, idem Rabbinis censetur סמאל *Angelus improbus*, quem *Dæmonum Principem* vocare consueverunt. In מדרש רבות fol. 247. c. 2. מלאך סמאל הרשע ראש כל השטנים הוא *Angelus Sammael improbus Princeps est omnium Diabolorum*. Ceterisque Diabolis majoris ordinis præfectum: unde in עמק המלך f. 83. c. 2. *Regem Regum atque Principum perditionis*, eundem appellant: מלך מלכים על כל שרי המשחית.

III. Deinde Beelzebubo utpote *Dæmonum principi* tribuitur in Evangelio ingens in Dæmones potestas, ita ut ejus nutu & imperio abeant & ejiciantur. Eadem potestas adscribitur a Gentilibus Plutoni Dæmonum præfecto, quem proinde Magos sibi conciliare studuisse; ut Dæmonum Maniumque opera & ministerio usuri eos sibi obsequentes haberent, testatur Porphyrius *de Abstinentia Animal. lib.* II. §. 41. Τούτους μάλιστα καὶ τὸν προεστῶτα αὐτῶν ἐκτιμῶσιν, οἱ τὰ κακὰ διὰ τῶν γοητειῶν διαπραττόμενοι. *Hos* (Dæmones) & maxime eorum Principem

co-

*colunt, qui mala per magiam perpetrant*. Quid quod? Plutonem etiam hominibus tradidisse perhibet idem Porphyrius, qua ratione Dæmones ſive conciliari, ſive averti & ejici poſſent, apud Euſebium *Præparat. Evang. lib.* IV. *cap.* 23. Ex eadem ratione fiebat, ut Manes conſulturi Plutonem Inferorum Præſidem implorarent, ut §. II. ex Æſchylo probatum dedi, & ab aliis qui de Magia ſcripſerunt ſatis oſtenſum eſt. Rabbini etiam narrant *Dæmonum Principem*, quem interdum alio nomine אשמדאי vocant, a Salomone Rege conſultum fuiſſe, ubi locorum mirabilis ille vermiculus שמיר inveniri poſſet, in Gem. גיטין f. LXVIII. c. I.

IV. Hactenus quidem quæ in S. Litteris de Beelzebubo memoriæ prodita ſunt, haud male in Plutonem quadrant; verum quæ II. Reg. I. de Achazo a Beelzebubo de valetudine & vita ſciſcitante leguntur, vix ac ne vix quidem, Plutoni accommodari poſſe videntur: quomodo enim ad Dæmonum Inferorumque Principem vitæ ſalutiſque mortalium cura pertinebit, ita ut ad eum, in vitæ diſcrimine conſultum mittere potuerint Idololatræ? id in quoſvis potius quam in Plutonem convenire videtur. Attamen, ſi rem penitius introſpiciamus, etiam ex hac ratione merito Plutonem pro Beelzebubo accipi debere apparebit: quod ex Veterum Idololatrarum ſententia merito de vita & valetudine conſulendus fuerit. Pluto enim non modo Dæmonum Maniumque, ſed etiam mortis imperium habebat: ob quam cauſam in Cabirorum ſacris Axiokerſos vocabatur, Apollonii Rhodii Scholiaſte auctore *ad lib.* I. *quatuor ſunt Dii Cabiri, Caſmilus* ſeu *Mercurius, Axieros* Ceres. Αξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη, Αξιοκέρσος δὲ ὁ Ἀδης. *Axiokerſa Proſerpina &* Axiokerſos Pluto. Hic Axiokerſos Hebraicum eſſe videtur אחזי-קרץ Poſſeſſio mea pernicies *ſeu mors*: quemadmodum Diabolus ita Hebr. II. 14. dicitur τὸ κράτος ἔχειν τοῦ θανάτου, *mortis imperium habere*, ut recte obſervavit in comparabilis Bochartus *Lib.* I. *Geograph. S. cap.* 12. Plane ita a Seneca vocatur *Mortis Dominus* in *Hercule Furenti v.* 564. ubi Chorus ipſi Plutoni mortis metum Herculem injeciſſe dicit.

*Et mortis Dominus pertimuit mori.*

V. Phœnicibus autem Pluto ipſa mors credebatur; referente Philone Byblio apud Euſebium *Lib.* I. *c.* 10. *p.* 38. *nec multo poſt* ΜΟΤΘ *filium ex Rhea genitum vita functum conſecrat*, ΘΑΝΑΤΟΝ δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσι, *hunc autem Mortem* ( Μοὺθ enim eſt Hebreo מות ) *& Plutonem Phœnices vocant*. Ex qua ratione etiam ΑΔΗΣ appellatus eſt ab Hebraico aut Punico איד ἀπώλεια *pernicies mors*, ut appoſite obſervavit doctiſſimus Avenarius in Lexico. Incommodæ enim & ridiculæ ſunt aliorum etymologiæ, dum Ἅδης vel ex Græco ἴδης ab εἴδω *video* & α privativo deducunt, quaſi notaret locum ἀόρατον, aut ab Adamo, aut אדמה vel ארון: vide Gatakeri *Miſcell. Poſthum. cap.* 3. *p.* 792. Proinde denuo cum Plutone conveniet Rabbinorum *Sammael*, quem toties מלאך המות *Angelum mortis* appellare conſueverunt. ילקוט ראובני fol. 97. c. I. גלית הפלשתי הוא יצר הרע הוא נחש-הוא סמאל הוא מלאך המות *Goliathus Philiſtæus eſt figmentum, pravum, is eſt Serpens, is eſt Sammael qui Angelus mortis*. Et quidem extra Terram Iſraeliticam mortis infligendæ poteſtatem ei tribuunt, quemadmodum in terra S. mortis imperium haberet Gabriel. טוב הארץ fol. XVI. c. 3. יש שני מלאכים ממונים על המיתה אחד ממונה על מתי חוצה לארץ ושמו סמאל ואחד על מתי ארץ ישראל ושמו גבריאל וכל אחד ואחד יש לו חיילות רבות וכל חיילותיו נקראים מלאכי מות *Duo Angeli ſunt Mortis præfecti, alter eorum qui extra Terram moriuntur, cujus nomen Sammael, & alter in Terra Iſraelitica morientium qui Gabriel vocatur, utrique ingentes exercitus ( copiæ ) ſunt, qui omnes exercitus Angeli mortis vocantur.*

VI. Quum igitur Pluto *Mortis Dominus* cenſeretur, facillime fiebat, ut de vita ſolliciti ad eum mitterent conſultum, ſi qua ejus ſpes ſupereſſet, eumque, ut tardiore pede veniret vitam ereptum, omni ratione placarent. Maxime cum *Parcæ*, quarum arbitrio vitæ mortalium tempus permiſſum, eſſent ſub imperio Plutonis, & ad ejus nutum ſtamina ducerent, e ſententia Profanorum: apud Papinium Statium *Lib.* VIII. *Thebaidos* ita ad Plutonem Amphiaraus v. 119.

*Nam tibi præſagi quiſnam ſuper auguris uſus*
*Cum parcæ tua Juſſa Trahant?*

Quamobrem facile Pluto, ut vitæ ſtamina producerent imperare poterat, idonea ratione placatus. Erat præterea mortis pariter atque vitæ mortalium arbiter, quique revocaret ex vita & emitteret in lucem animas, quo nomine Plutonem compellat Parcarum una Lacheſis apud Claudianum *de Raptu Proſerpinæ Lib.* I. *v.* 55.

--- *O maxime noctis*

*Ar-*

*Arbiter, Umbrarumque potens, cui nostra laborant.*
*Stamina; qui finem cunctis & semina præbes,*
*Nascendique vices alterna morte rependis:*
*Qui vitam letumque regis: nam quicquid ubique*
*Gignit materies, hoc te donante creatur,*
*Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi*
*Rursus corporeos animæ mittuntur in ortus.*

Diligentissime etiam commendare Plutoni salutem suam & victimas propterea vovere solebant: Tibullus *Lib.* III. *Eleg.* 5. *vs.* 31.

*Vivite felices, memores & vivite nostri,*
*Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.*
*Interea nigras Pecudes promittite diti*
*Et nivei lactis pocula mixta mero.*

Exhibet Inscriptio in veteri marmore Ædium Farnesianarum votum Plutoni, utpote Jovi Stygio pro salute uxoris, allata a Reinesio *Syntagm. Inscript.* pag. 232.

SIGN. IOVI. STYGIO
C. ATINIUS. C. F.
CLV. MARIUS
VOTO. SUSCEPTO
PRO. SALUTE. VX. SUÆ. A. S. P. P.

Et apud Gruterum fol. 97. aram Plutoni posuisse nonnemo dicitur, ex voto maris periculo ejusdem Numinis beneficio ereptus:

PLUTONI.
DEO. IN LOCO
SUB. TERRA. COND.
PERICULO. OCEANI
LIBER. ARAM. POSU
IT. FAB. VICELIA
NUS. EX. VOTO.

Non aliter Rabbini Sammaelem illum cultoribus suis serenam tranquillamque vitam producere dicunt, in זוהר Part. II. fol. v. c. 2. ad verba Eccles. XII. 15. ויש רשע מאריך ברעתו *Et est improbus qui prorogat dies suos in malitia sua;* ita commentantur. רא סמאל דאוריך שקט ושלוה לאדם *hic est Sammael qui prorogat quietam & tranquillam vitam Edomo*: cui nempe præesse alias dicitur.

VII. Restat ipsum nomen בעל זבוב quod si haud difficulter Plutoni applicuero, nemo opinor paulo humanior erit, quin in hanc sententiam pedibus iverit. Facile autem id nominis Plutoni tribui poterit, genuina ejus vocabuli significatione accuratius excussa. Nimirum Hebraicum זבוב latius omnino patere, atque in genere insecta quævis, ad homines bestias plantasque contaminandas vexandas corrumpendasque nata, e. g. locustas &c. denotare videtur: quod liquido cuicunque attendenti apparebit ex consideratione locorum, quibus præterea hoc vocabulum in S. Litteris occurrit. Manifestus videtur Jesaiæ locus cap. VII. c. 18. 19. והיה ביום ההוא ישרק יהוה לזבוב אשר בקצה יארי מצרים ולדבורה אשר בארץ אשור : ובאו ונחו כלם בנחלי הבתות ובנקיקי הסלעים ובכל הנעצוצים ובכל הנהללים *Et die illo sibilabit Jehova ad muscas, quæ sunt in fine fluviorum Ægypti, ad Apes quæ in Terra Assyriæ. Et venient & requiescent universæ in vallibus locorum desolatorum & in fissuris petrarum, & in omnibus laudatis arboribus.* Hic זבוב evidenter insecta notat, a quibus virgultis arboribusque strages infertur, quod muscis ita dictis parum convenit, rectius multo locustis quæ arbores plantasque depopulantur: vide Joel I. 14. &c. Deinde ab *extremitate fluminum Ægypti*, id est, Æthiopia quo extremitas Nili excurrebat, advocandæ dicuntur, ubi ingens locustarum numerus & populi ἀκριδοφάγοι, vide Bochartum *Hierozoico Part.* II. *cap.* 3. & alibi. Alter locus est Eccles. X. I. זבובי מות יבאיש יביע שמן רוקח *Muscæ mortuæ faciunt ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii*: atque omnium insectorum & locustarum præsertim fœtor est pestilentissimus, quem etiam notat Joel II. 20. & pluribus ostendit Bochartus *Part.* II. *Lib.* 4. *cap.* 4. *pag.* 480. 481.

VIII. His vero multitudinis fere infinitæ, impuris & noxiis insectis tam similes videntur Dæmones, ut merito hoc nomine notari & intelligi mereantur. Certe nulli alii sunt quam impuri illi nocentesque Spiritus, quos ΑΚΡΙΔΑΣ *Locustas* propterea vocat Joannes in Apocalypsi Cap. IX. utpote quæ emergunt ex Abysso ex orco c. 3. lædunt & interficiunt homines sigillo Dei in fronte non notatos vs. 4. & Principem habent *Abaddon* Hebraice, Græce ΑΠΟΛΛΥΩΝ dictum v. 11. h. e. *Plutonem* harum locustarum seu δαιμόνων ἄρχοντα. Siquidem אבדון significat miseram defunctorum conditionem & perniciem, quam ob causam junctum legitur אבדון cum קבר *sepulcro* Ps. LXXXVIII. 12. cum שאול Gr. ᾅδης Prov. XV. 11. & cum מות Jobi XXVIII. 22. Pluto autem Ἄδης איד *perni-*

*nicies*, & מות θάνατος vocabatur, ut supra ostensum; præterea אשמראי a שמר *perdidit*, ὀλοθρευτής. Itaque ovum ovo non est similius quam locustarum Princeps Abaddon Baalzebubo seu Plutoni *Dæmonum Principi*.

IX. Confirmari egregie & luculenter illustrari potest hæc sententia e monumentis Rabbinorum, qui Dæmones cum זבובים comparare, & haud raro eo nomine indicare & intelligere solent. Verba Ecclesiastic *Cap.* x. 1. magno consensu de יצר הרע ( proprie *concupiscentia prava* ) interpretantur, quæ esset musca illa unguentum corrumpens. Paraphrastes Chaldæus: ויצרא בישא דשכן על תרעי לבא היכרבובה וגרם מותא בעלמא על דמסרי חכימא בעדן דחטי ומחבל שמא טבא דהוא דמי מן קדמות דנא למשח רבותא דמבסם בבוסמנין: *Prava concupiscentia* יצר הרע *quæ habitat in portis cordis, similis est muscæ letiferæ: affert enim causam mortis mundo, Sapientem ad peccandum adducit, atque ita bonam illius famam corrumpit, quæ ante similis erat suavissimo unguento aromatibus condito*. Eorum nonnulla reperiuntur quoque in Gem. ברכות f. lxi. 1. א״ר יצר הרע דומה לזבוב ויושב בין שני מפתחי הלב שנאמר זבובי מות וג׳: *Rebbi dicit figmentum pravum simile esse muscæ, atque inter duas cordis portas habitare*: Eccles. x. 1. *enim dicitur*. Ut Muscarum mortuarum una efficit, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii. Per יצר הרע autem sæpissime Diabolum & quidem Sammaelem *mortis angelum* intelligunt, Gem. בבא בתרא fol. xvi. c. 1. הוא שטן הוא יצר הרע הוא מלאך המות: *Diabolus figmentum pravum, & Angelus mortis idem sunt*. Et R. Ephraim in עיר גבורים pag. 11. col. 1. היצר הרע הוא כח של סמאל, *figmentum pravum est robur Sammaelis*. Simili modo Maimonides in מורה הנבוכים *Part.* III. *Cap.* 22. *fol.* 147. c. 2. Satanam figmentum pravum & Angelum mortis unum idemque esse perhibet: וכבר התבאר לך שעניין אחד בעצמו יכונה בשלשת השמות האלה-וכבר ידעת פרסום זה הדעת בתורתינו ר״ל יצר טוב ויצר רע ואומרם בשני יצריך וכבר אמרו שיצר הרע יתחדש בבן אדם בעת לידתו לפתח חטאת רובץ וכמו שאמר התורה מנעוריו ושיצר טוב אמנם יםצא לו אחר שלמות שכלו ולזה אמרו נקרא יצר רע מלך גדול ונקרא יצר טוב ילד מסכן וחכם כמשל הנשוא לגוף בן אדם והתחלף כחותיו באמרו עיר קטנה ואנשים בה מעט וגומר כל אלו הברים נמצאים כתובים להם ז״ל מפורסמי׳ ואחר שבארו לך שיצר רע הוא חשטן הוא מלאך בלא ספק רוצי׳ לומר שהוא גם כן יקרא מלאך מפני שהוא בתוך בני האלהים ויהיה גם כן יצר טוב מלאך באמת אם כן זה העניין המפירסם כדברי חכמים ז״ל שכל ארם נלוו אליו שני מלאכים אחד מימינו ואחר משמאלו הם יצר טוב ויצר רע: *Jam expositum est unam eandemque rem indigitari tribus hisce nominibus*: ( Diabolo, figmento pravo, & Angelo mortis ) *Nosti etiam expositionem hujus sententiæ in Lege nostra de figmento bono & figmento malo, & quod sapientes de utroque figmento tuo loquantur. Figmentum pravum perhibent in homine oriri nativitatis tempore: dicitur enim* (Gen. IV. 7.) pro foribus est peccatum excubans: *& quod Lex alibi ait*: ( Gen. VII. 21. *figmentum cordis hominis* ) a pueritia ipsius ( *malum est*. ) *De figmento vero bono referunt, quod in homine demum reperiatur post intellectus perfectionem. Eam ob causam figmentum malum* Regem Magnum *appellari* ( Eccles. IV. 13. ) *dicunt*: *Figmentum vero bonum puerum inopem & Sapientem, quemadmodum alibi comparatione haud dissimili utuntur, de corpore humano ejusque variis facultatibus, provocantes ad* ( Eccles. IX. 4. ) Civitas quædam parva in qua homines pauci erant, *quæ omnia in illorum scriptis p. m. reperiuntur exposita. Posteaquam igitur tibi exposuerunt figmentum malum Satanam atque Angelum esse, hoc est Angelum appellari, quod in medio filiorum Dei sit, inde liquet bonum figmentum simili quoque modo revera Angelum esse. Atque proinde hoc ipsum est quod in Magistrorum scriptis p.m. expositum videmus; cuivis homini duos adesse Angelos, unum a dextra, alterum a sinistra: id quod de figmento bono atque malo intelligendum est*. Hæc e Maimonide adduxi, ut simul dijudicari queat, quam ob causam figmentum pravum in Rabbinorum scriptis Satanas & Angelus mortis vocetur.

X. In מקרש ילקוט שמעוני Part. II. fol. 14. col. 1. Dæmones indicantur nomine זבובין ibi enim R. Simeon ben Jachai ita Deum filios Eli alloquentem introducit: מפני מה אתם אוכלים שיירי מנחה ומניחין את הקומץ לזבובין *Quare comeditis reliquum fertorum, & manipulum ferti*, ( Deo offerendum ) *relinquitis*, לזבובין, i. e. *dæmonibus*: quemadmodum enim sacrificia rite oblata Deo, ita vitiata Dæmonibus cedere credebantur. Hinc in שני לוחות הברית fol. CVI. c. 2. docetur: sacrificium cultro fissuram habente jugulatum oblationi inidoneum esse, atque Sammaeli cedere, quod vitiatum credatur: ששוחט הנפש בסכין פגום שהוא סמאל. Et in זוהר *Part.* III. *fol.* III. *c.* 3. Sacrificium illegitime oblatum canibus i. e. Dæmonibus immolari per-

perhibent. דאי לא אתבר ההוא רוח לאו קרבנירה כלים ולכלבי אתמסר דהא קרבנא דא לאו דקבה אלא מכלבי: *Si sacrificium non animo fracto offeratur* ( ut Deus illud adversetur ) *tum nihil quicquam est*, & canibus *cedit*: *ejusmodi enim oblatio non ad Deum sed* canes *pertinet*: Canes vero stylo Cabbalistico, quo liber זוהר conscriptum est Dæmones significare, e זוהר *Part. cit. fol.* 110. cap. 3. liquet, ubi כלב *canis* per נחש serpentem antiquum sive dæmonem exponitur. Hinc recte in ילקוט loco supra laudato R. Simeon ben Jachai per זבובין dæmones intelligit, ad illos enim fertum a filiis Eli oblatum pertinere censebatur, quod prius ejus reliquias commedissent, quam pugillum Deo sacrificassent: pugillus enim fertis exemtus in altari prius comburebatur, atque tunc demum Sacerdotes reliquiis vescebantur, quod Lege Divina imperatum est Levit. II. 2. 3. & a Magistris docetur in Gem. מנחות. *fol.* XI. I. & LXXIV. 2.

XI. Quando igitur in Evangelio Beelzebul ( quod dictum puto pro Beelzebub mutato β in λ mutatione haud infrequenti ut jam a Bocharto & aliis ostensum ) vocatur *ἄρχων τῶν δαιμονίων* posterius interpretationem prioris esse arbitror, ita ut בעל idem sit ut alias sæpissime, atque *ἄρχων* & זבוב collective sumtum pro זבובים *Dæmones*, *Diaboli*, atque adeo בעל זבוב *Princeps Dæmonum*, quemadmodum ita simili ratione *ἄρχων τοῦ κόσμου* & *ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος* vocatur Joh. XII. 31. Ephes. II. 2.

XII. Adjiciam quoniam haud alienum ab hoc loco est, nonnulla de Etymologia vocabuli Plutonis, quo toties usus sum in hac Dissertatione. A *πλοῦτος divitiæ* derivant vulgo singulari consensu fere omnes, quod in intimis abditisque Terræ locis, quibus Pluto præesse credebatur, *divitiæ*, aurum & argentum reconditum latet: quæ appellatio apprime conveniret, si Inferorum Deus idem tantum & plane esset cum *divitiarum datore*, Pluto: qui tamen diversus plane depingitur ab Aristophane, Luciano, Philostrato in *Iconibus*, aliisque. Rectius meo quidem judicio ex Oriente repetetur ejus nominis origo, unde Deorum cultus ad Græcos dimanavit; præsertim cum Philo Byblius ex Sanchoniathone referat, hunc Deum a Phœnicibus *Plutonem* vocari apud Eusebium *lib.* I. *Præpar. Evang. cap.* 10. pag. 38. *Θάνατον δὲ τοῦτον καὶ Πλούτωνα Φοίνικες ὀνομάζουσι*, *Hunc autem Mortem* ( Μοὺθ ante dixerat מות) & *Plutonem Phœnices vocant*.

XIII. Proinde derivabo a פלץ *tremuit*, *terruit*, converso צ in ט, ut טביא *caprea* ex Hebr. צבי, טלל *texit* a צלל, Tyrus צור, & ejus generis plura. Vehementissimum autem terrorem mortalibus injicere credebatur Pluto, utpote *Mors*, *τὸ φοβερῶν φοβερότατον*, & מלך בלהות *rex terrorum*, Jobi XVIII. II. 14. Sammael Rabbinorum Pluto מלאך המות morituris *terrorem incutere*, atque ita eripere vitam dicitur. In עבירה זרה *fol.* XX. c. 2. אחרו עליו על מלאך המות שכולו מלא עינים בשעת פטירתו של חולה עומד מעל מראשותיו וחרבו שלופה בידו וטיפה של מרה תלויה בו כיון שהולה רואה אותו מזדעזע ופותח פיו וזורקה לתוך פיו ממנהמת ממנה מסריח ממנה פניו מוריקות ( Magistri ) *de Angelo mortis referunt eum totum oculeum esse*, & *tempore quo graviter decumbens diem suum obit*, *a cervicalibus stare*, *strictum etiam gladium manu gerere cui fellis guttula adhæreat*. *Ex cujus aspectu ægrotus perterritus os aperit*, *cui* ( Angelus mortis ) *guttulam illam immittit*, *unde tunc moritur putrescit atque facies ejus flavescit*.

XIV. Ab eadem radice פלץ a qua Pluto dictus est, nomen etiam accepit Idolum מפלצת, cujus mentio fit I. Reg. XV. 13. nempe a *terrendo*, ut omnes fere Interpretes consentiunt. In eo tamen discrepantia est, quod *Priapum* vulgo ad terrendas aves interdum adhibitum post Hieronymum alii intelligunt, alii autem distinctius *phallum*, ut præter Seldenum, Bochartus *Geogr. Sacra Lib.* I. *cap.* 18. cui ita præiverant Rabbini in Gem. עבודה זרה fol. XLIV. I. quæ etiam inveniuntur in מדרש ילקוט שמעון *Part.* II. *fol.* 32. *col.* 2. Mihi persuasum est designari hoc nomine Deam Hecaten; quoniam numen femininum indicat cum terminatio vocabuli, tum quod a Maacha Asæ Regis Matre præcipua religione cultum hoc idolum in Sacris Litteris dicitur: mares autem mascula, feminina vero Numina feminas & mulieres coluisse, nemo est profanæ Antiquitatis aliquo modo peritus, qui ignoraverit.

XV. Nulli vero Dearum insignium nomen מפלצת a *terrore* rectius accommodabitur, ut *horrenda* & *terrifica* audiat, quam Hecatæ Inferorum Reginæ: utpote quæ propterea a Græcis ΒΡΙΜΩ vocari solet. Testis est Apollonii Rhodii Scholiastes ad *lib.* III. v. 860. *Βριμὼ δὲ αὐτὴν προσηγόρευσε διὰ τὸ φοβερὸν καὶ καταπληκτικὸν τῆς δαίμονος, καὶ φάσματα ἐπιπέμπειν τὰ καλούμενα ἐμπούσια*. *Appellavit eam autem Brimo quod terreat* & *percellat hæc Dea*, & *spectra immittat Hecatæ dicta*. Ipsa quoque terribili specie apparebat, *trinis capitibus*, *multis manibus*

*bus* ( rectius legendum videtur: *multis mammis* ) *horrifica*, vide Minucium Felicem p. 192. horrenda omnia conspiciebantur ea adventante: Virgil. *Lib.* VI. *Æn. v.* 255.

> *Ecce autem, primi sub lumina Solis & ortus,*
> *Sub pedibus* mugire solum & juga cœpta moveri
> Silvarum: *visæque canes ululare per umbram*
> Adventante Dea.

Ipsos canes ululare credebant, quod monstrosam Hecaten metuerent. Theocritus Idyll. 11. v. 12.

> Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι.

*Et ad Hecaten infernam, quam catuli quoque timent*. Ibid. v. 14. eam *Deam terribilem* vocat: Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, *Salve Hecate terribilis*. Rabbini canes ululare docent Sammaele conspecto, Angelo Mortis. Bechai in ביאור על התורה *fol.* LXXIV. *col.* 2. אמרו רז״ל כלבים צועקים מלאך המות בא לעיר שנחקים אליהו בא לעיר כלבים: *Magistri nostri* p. m. *referunt canes ululare angelo mortis urbem ingrediente, Elia vero adventante eos ludere*.

XVI. Adde Deam מפלצת eandem esse cum אשרה 1. Reg. XV. 13. II. Chron. XV. 16. id est cum *Athara* & *Astarte*, quæ Luna. Hecate autem Luna erat & in Lucis colebatur. Apulejus *lib.* XI. *Metamorp.* pag. 358. *Nocturnis ululatibus horrenda Proserpina --- lucos diversos inerrans* &c. Alia attuli in Dissertatione de אחר. Itaque מפלצת Hecate, Inferorum Regina, conjux est Plutonis פלוט ab eadem radice dicti; eadem *Dæmonum princeps* est, non secus atque Beelzebub; vide Eusebium *Præparat. Evang.* pag. 126. Denique quare Maacha Hecaten inprimis sibi colendam duxerit, satis quoque constare potest ex illis, quæ de Hecates cultu docui Dissertatione modo memorata. Commemorari tamen potest etiam nova ratio, quod Hecate nempe *Salutis Dea* habita fuerit, cujus opem in summo periculo constituti implorabant, & præsentissimam sentiebant: ita perhibet Aristophanis Scholiastes *ad Pacem* vers. 276. οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τοὺς δαίμονας τοὺς ἐν Σαμοθρᾴκῃ, τούς τε Κορυβάντας καὶ τὴν Ἑκάτην. *In periculi constituti, invocabant Deos Samothracum* ( Cabiros ) *& Corybantes & Hecaten*. Inter quos Deos autem, cum Pluto Axiokersos familiam duxerit, etiam ex hoc loco ratio afferri potest, quare Achazus morbo periclitatus ad Beelzebubum potissimum de valetudine consultum miserit.



# DAVIDIS MILLII DISSERTATIO DE GAD & MENI.

*Jeſ.* LXV. cap. II.

הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך :

§. I.

MUltis diſquiſitum eſt a Viris ingenio & eruditione florentiſſimis, quinam Dii ( illos enim qui hic *avaritiam* & *lucri cupiditatem* Judæorum tangi exiſtimant, aut de *congerronum turba* & *numero poculorum*, cum Guſſetio mire commentantur, non moramur ) per Gad & Meni apud Jeſaiam intelligantur. Ut aliorum ſententias, a Pſeiſſero in *Dubiis vexatis*, & Fullero in *Miſcellaneis* memoratas taceamus, prætterire ſilentio non debemus Magnorum Virorum Huetii & Vitringæ nuper defunctorum expoſitiones, ſingulari & eximia qua pollebant doctrina exornatas. Ille *peculiari Diſſertatione Origenis Commentario in Joannem* ſubjecta pag. 109. per Gad Fortunam intelligit ſeu Lunam, per Meni autem Solem, eandemque ſententiam repetitam videmus in *Huetianis* nuperrime editis p. 336. Hic in *Commentario* ad Jeſaiæ locum, in quo verſamur, inverſo ordine Gad Solem appellat, Meni autem Lunam.

II. Huetii ſententiam Cl. Vitringa l. c. fregit, levia enim argumenta ſunt, quibus *Solem* ſub nomine Meni latere ſibi perſuaſit Huetius; at nec fortiora eſſe videntur Cl. Vitringæ ( quod dicere liceat manes doctiſſimi Viri ceteroquin veneranti ) quibus nomine Gad *Solem* deſignari probare conatus eſt. Nempe quia alias frequentiſſimus fuerit in Oriente Solis & Lunæ cultus, & נר *beneficum* ſignificet, quod optime Soli tribueretur. Etſi enim Sol cum Luna cultus interdum fuerit, nondum tamen recte hinc inferre aliquis poterit, igitur & hoc loco duo illa Numina conjungi, præſertim cum *Luna* ſi non majori, ſaltem eodem jure *benefica* audiat, ut mox apparebit.

III. Nos per Gad & Meni hoc loco non duos diverſoſque Deos ut omnium quos vidimus ſententia eſt, ſed unum idemque Idolum utroque nomine, & accuratius Lunam deſignari, exiſtimamus. Hanc ut ſententiam profiteamur in cauſa eſt, quod hoc quem exponimus loco Iſraelitæ dicantur: *menſam exſtruxiſſe τῷ Gad*, & *libamen* aut *poculum impleviſſe τῷ Meni*. Talis vero Gentilium ( eorum enim conſuetudinem Judæos hoc loco imitatos eſſe extra controverſiam eſt ) conſuetudo erat, ut quoties Deos ſuos convivio exciperent ( excipiebant autem ſæpius diebus feſtis; tum ut eorum in ſe benevolentiam provocarent, tum ut averruncarent iram ) eidem Deo, cui menſam cibis refertam parabant, poculum quoque vino aut alio liquore plenum adponerent, ut non modo cibo ſed etiam potu reficeretur. Ita Babylonii olim Belo, quem ſub Draconis ſpecie venerabantur, *menſam* & *poculum* adponebant, ſi fides eſt habenda Joſepho Goriondi *lib.* I. *cap.* 13. *fere ſub initium*
וזה משפט מנחתו פר אחד ועשרה אלים
ומאה בני יונה ומאה כבשים ושבעים
בכר מעג לחם שלחנו ועשרה כרי יין
למערכת שלחנו כה היה משפטו ליום
*Hæc erat conſuetudo ſacrificii Beli: offerebatur bos unus, arietes decem, centum columbarum pulli, centum agni, ſeptuaginta placentæ, & is panis menſæ ejus fuit: præterea decem amphoræ vini, quo illius menſa erat inſtructa & hoc quotidie fieri ſolebat.* Conſentit Auctor libri Apocryphi *Hiſtoriæ Draconis Babylonici* c. 2. etſi in menſura iſtius oblationis diſcrepet. Similem hiſtoriam narrat Ælianus de Dracone, quem in Melitte Ægyptii Divinis honoribus proſequebantur *menſa & cratere appoſito*, *Hiſtor. Animal. l.* XI. *c.* 17. Ut quoque in omnibus ſacrificiis tanquam Deorum *cibo*, po-

potus loco aut ſanguis effundebatur, aut libatio ſolemni ritu fiebat: quare etiam Apoſtolus conjunxit τράπεζαν καὶ ποτήριον δαιμονίων 1. Cor. x. 21. Cum igitur & hic apud Jeſaiam menſæ & libaminis mentio occurrat, utrumque ad idem idolum referendum eſſe arbitramur, diverſis modo nominibus inſignitum.

IV. Præſertim cum ille loquendi modus Sacris Scriptoribus perfamiliaris ſit, ut eandem rem in diverſis ejuſdem commatis membris duobus nominibus exprimant. Ita Jerem. li. c. 41. איך נלכדה ששך ותתפש תהלת כל הארץ איך היתה לשמה בבל בגוים *Quam Scheſach ſub poteſtatem redacta eſt, & laus totius terræ occupata! quam Babylon eſt deſolationi inter gentes*; Hic *Seſach* & *Babel* eandem rem denotat, ut ab Interpretibus obſervatum eſt. Alterum & plane geminum hujus phraſeos exemplum exſtat Jerem. xxxii. 35. ויבנו את במות הבעל אשר בגיא בן הנם להעביר את בניהם ואת בנותיהם למלך: *Et ædificarunt excelſa Baali, qui eſt in valle filiorum Hinnon, ut traducerent filios ſuos Molecho*. Hoc loco in poſteriore membro *Molecho*. Hoc loco in poſteriore membro *Molechus* vocatur, qui in primo *Baal*, conſtat enim in valle illa turpi, idololatria infami Molechum cultum fuiſſe. Adde Jerem xix. 5. ובנו את במות הבעל לשרף את בניהם באש עלות לבעל *Ædificaverunt excelſa Baalis, ad comburendum filios ſuos igne, holocauſta Baali*. Ubi idem idolum bis Baal vocatur. Id quod etiam Abarbanel *Comment.* in Jerem. xliv. 17. obſervat: ואני כבר סורעתיך רעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא הוקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ *Ego autem dudum ſententiam meam propoſui, quod Baal quem Divino honore colunt, pro ſole habeant. Is autem* מולך *dicitur, quia* מלך *regnat in omnibus pravis hominibus*. Alexandrini quoque Interpretes, ut de uno eodemque Deo duobus nominibus inſignito cogitemus, nos admonere videntur, vertunt enim: Ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. Idem enim Δαιμόνιον & Δαίμων Græcis ſignificat quod Τύχη, ut mox docebimus.

V. Denique ipſa horum nominum expoſitio, unum Idolum intelligendum eſſe confirmabit, idque Lunam eſſe probare conabimur. Vocabulum נר haud commode ex Hebraica lingua derivari & exponi poſſe putamus: ſi enim a נדד derivaretur, quod eſt *turmatim tumultuoſe & latronum more confluere*, nullus aut ſatis difficilis ſenſus erit loci Gen. xxx. 11. quo nos multo commodiorem inferius ſuppeditabimus. Nec quia נד cum נדוד & נדד Gen. xlix. c. 19. conjungitur, in figurata locutione ſtatim ab Hebraica illa radice arceſſenda ejus origo eſt; non magis atque Japheto illud nomen ab פתה *alliciendo* primitus impoſitum fuiſſe contendere aliquis jure queat, ob alluſionem Gen. ix. 27. In primis cum veriſimillimum ſit, Idolum a Gentilibus acceptum, nomen quoque peregrinum retinuiſſe; atque in ejus denominatione non minus Iſraelitas quam in toto ejus cultu Profanos eſſe imitatos. Quemadmodum iidem alia Idola a vicinis gentibus accepta peregrino nomine ſalutaverunt *Ciun*, *Remphan*, *Teraphin* &c.

VI. Quamobrem hujus vocis incunabula apud Arabes rectius quæri exiſtimamus, ut Viri Linguæ Arabicæ periſſimi obſervarunt; & quidem in radice جد *Felix bonus fuit:* a qua الجد & permutatione literæ ejuſdem organi الحظ derivatur, quod notante Aljauhari البخت *ampliſſimam & maximam fortunam* ſignificat. Hoc ſenſu occurrit in carmine Celeberrimi Poetæ *Tograi* a Pocockio edito vſ. 37. Inde etiam Perſæ Deum a bonitate vocant جودا peinde ut Germani & Belgæ dicunt Gott, *Godt* quia *goed*: adeo ut quoque in hoc vocabulo convenientia nonnulla Perſicæ & Germanicæ linguæ obſervari poſſit, quam jam dudum Viri Docti oſtenderunt. Arabes etiam Deum ob beneficia accepta prædicantes hac vulgo formula utuntur: الله جد ربنا Deus bonus Dominus noſter, id eſt, *optimus*, unde Jupiter O. M. toties Latinis audit. Ideo autem *a bonitate* Deus nomen accepit, quia οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός. Matth. xix. 17. quod etiam Profanis haud latuit, qui Deum non modo ΑΓΑΘΟΝ ſed ΑΓΑΘΟΤΗΤΩΝ bonitatem bonitatum appellaverunt, vide Simplicium *ad Epictetum* c. xxvii. p. 250. A benignitate vero nomen ſortita eſt Luna, jure merito: cum quia terræ proxima ſingularem in eam vim exerat, adeo ut creſcendi facultas a Luna ad animalia perveniat, auctore Macrobio in *Somn. Scip.* l. 1. c. xxix. p. 67. & mortalium corporum & Auctor & conditrix cenſeatur, Ibid. c. xi. p. 41. videatur Gellius quoque *Noct. Attic.* l. xx. c. 8. quin & *ſalubrius ſidus & generationi aptius quam ipſe Sol* veteribus Ægyptiis credita fuit, teſte Plu-

Plutarcho *de Iside & Osiride* p. 367. Τὴν μὲν γὰρ σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν εὐμενῆ καὶ γοναῖς ζώων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσεσι, τὸν δὲ ἥλιον ἀκράτῳ πυρὶ κεκληρωκότα θάλπειν τε καὶ καταυαίνειν τὰ φυόμενα καὶ τεθηλότα, καὶ τὸ πολὺ μέρος τῆς γῆς παντάπασιν ὑπὸ φλόγμου ποιεῖν ἀοίκητον. *Lunam quidem genitabile & humectans lumen habere, benignam esse & animalium procreationi & stirpium pullulationi. Soli hoc datum, ut nimio igne calefaciat & exsiccet natas & florentes stirpes, & magnam terræ partem suo ardore faciat inhabitabilem.* Et. generationis præses, vide Eruditi Viri Philippi a Turre *Monumenta veteris Antii* c. III. p. 184. & 186. Quibus rebus meruit ut ΜΗΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ, MATER MUNDI ob tam *insignem benignitatem* vocaretur, apud Plutarchum l. c. Quo nomine etiam Orientalibus nota fuit, sic enim Mohammedanus aliquis Ebn Dissan apud Herbelot *Bibliotheque Orient.* p. 298. dicebat: *que la Lune qu'il appelloit* la mere de la vie, *dans sa conjonction avec le Soleil qu'il nommoit le Pere de la vie, engendroit des enfans, par le moyen desquels la generation & la propagation de tout ce qui est dans le monde inferieur, se faisoit.*

VII. Atque hinc demum veram Deæ Atergatis nominis rationem expromere nobis licebit. Communis Doctorum virorum sententia est, componi hoc vocabulum ex אדיר & דג, ut significet *excellentem piscem*, quia Lucianus, seu qui alius libelli *de Dea Syria* auctor est, ejus Deæ simulacrum *dimidia parte piscem referre* testetur. Verum, ut alia hujus sententiæ incommoda taceamus, rectius, illa si derivatio vera esset *Adardagis* vocaretur, non *Atergatis*. Nobis certum est, exponi hoc vocabulum debere ex אתור Chaldaico Assyria & גד aut גדא Deus, dea, ut notetur Assyriæ dea, id est, celebratissima illa Auctoribus dea Syria. Macrobius enim *Saturn.* lib. I. c. XXIII. Assyriis eam Deam vindicat, dum *duo* fuisse *Assyriorum Numina* memorat *Adad & Atargatin*; immo & Lucianus Deam illam Syriam initio libri de ea conscripti vocat ΗΡΗΝ ΤΗΣ ΑΣΣΥΡΙΗΣ *Junonem* Assyriam. Cujus rei ratio est, partim quia olim Assyriæ nomen latius patebat, ita ut ipsam Syriam complecteretur; partim quod antiquissimis temporibus qui a Barbaris, id est, populis Orientalibus Assyrii vocabantur, Syri dicerentur Græcis, teste Herodoto lib. VII. c. 63. Neque nos moratur, quod Seldenus *de Diis Syris* pag. 192. & Salmasius *in Solinum* pag. 91. Deam Syriam ab Atergati diversam fuisse contendunt, quod hanc in Phœnicia Lucianus viderit *dimidia parte piscem referentem*, cum Dea Syria Hierapoli *mulieris forma* eodem teste appareret: potuit enim eadem Dea diversis in locis diversa figura coli; prout Lucianus eodem libro pag. 677. docet, Apollinis simulacrum *barbatum* exhiberi, quod alibi tamen semper *imberbe* conspiceretur. Accedit quod Strabo l. XVI. pag. 1085. disertis verbis Syriam Deam Hierapoli cultam Atergatim fuisse referat: ἐν ᾗ (ἱερᾷ πόλει) τιμῶσι τὴν Συρίαν Θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. Et Atergatin seu Deam Syriam Lunam esse, non modo a Luciano libro sæpius citato doceatur, verum etiam recentioribus temporibus catervatim a Viris doctis ostensum sit: vide inprimis Scaligerum *ad Fragmenta Græca Emendationi temporum* subjecta p. 27. Ita etiam apud Gruterum p. 86. Dea Syria diademate lunato ornata apparet.

VIII. Ab illis autem, qui regiones Syriæ nomine comprehensas (quibus terra Canaan quoque annumeranda est) incolebant, non opus erat, ut Luna *Atergatis* seu *Dea Syria* vocaretur, sed simpliciter gad deam, quæ videlicet excellenti modo pro Dea ibi locorum haberetur, vocasse erat satis: quemadmodum ita Athenienses *Minervam* suam nomine ΘΕΑΣ vulgo intelligebant. Aristophanes *Pluto* v. 1194.

> Τὸν ὀπισθόδομον ἀεὶ φυλάττων τῆς Θεοῦ.

*Posticam eadem semper custodit deæ.* id est, Minervæ, sic ubique fere idem. Hanc nostram sententiam mirum in modum confirmat Antipater Tarsensis Stoicus, apud Athenæum *lib.* VIII. *cap.* 18. *p.* 346. qui hanc Atergatim olim simpliciter *Gatim* appellatam fuisse memorat h. e. גד *Deam*, a Syris nempe; quam aliarum regionum incolæ postea addito loco, ubi præcipua religione coleretur, & unde ejus cultus ad alios manasset, *Deam Syriam* vocare debebant. Atque ita Rabbini Idolum quodcunque גד vocare solent, ita גד הרים est *Deus montium* in Gem. חולין fol. XL. col. 1. ורמנהי השוחט לשום הרים לשום גבעות לשום נהרות לשום מדברות לשום חמה ולבנה לשום כככים ומזלות לשום מיכאל השר הגדול לשום שילשול קטן הרי אלו זבחי מתים אמר אבי לא קשייא הא דאמר להר הא דאמר דהר דגדא: *Et objicio qui sacrificium jugulat nomine montium, nomine collium, nomine rivorum, locorum desertorum, nomine Solis, Lunæ, stellarum fixarum & planetarum,* no-

*nomine Michaelis Magni illius Principis, nomine vermis minoris: ecce hæc omnia mortuorum ſacrificiis ſimilia ſunt* ( de quibus utilitatem percipi non licet: ) *ſed reſpondit Abii, nulla hæc eſt difficultas, nam in Miſchna proprie ſic dicti montes intelliguntur* ( in Baraita ) *autem* ( quæ miſchnæ objecta fuit ) *Deus aut montium Idolum* ( cui & ſacrificare, aut e ſacrificiis oblatis aliquam percipere utilitatem nefas. ) Diſputant enim ibi, an ex ſacrificio idolo oblato utilitatem quis percipere poſſit, idque negant, quia tale ſacrificium ſimile eſſet ſacrificio mortuorum, ex quo nullum fructum percipi liceret. Qui *Dii* Montenſes apud Auctores & in Inſcriptionibus vocantur. Dicta confirmat Inſcriptio apud Gruterum pag. 21.

ARAM. IOVIS. FVLGV
RATORIS. EX. PRAECEP
TO. DEORVM. MON
TENSIVM. VAL. CRES
CENTIO. . . . . DEDICA
VERVNT.

Et גד יון eſt *Deus aut Idolum Græcorum* in מסכת זבים C. 1. m. 5. Affine denique eſt vocabulo גד Chaldaicum כדי quod *ſufficientem* notat ( כ enim & ג ejuſdem organi litteræ frequentiſſime permutantur in Linguis orientalibus ) quam ubertatem Lunæ convenire ut ſignificarent, Iſidem *Multimammiam* finxerunt, utpote cujus Deæ *omne corpus continuatis uberibus denſabatur* juxta Macrobium.

IX. Non tamen ſub nomine Gad ſolam *Lunam* ſimpliciter in ſe conſideratam hic intellectam velimus; ſed ut *ejus Numen unicum multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus* ( olim ) *venerabatur orbis*, ex ſententia Apuleji *Lib.* XI. *Metamorph. p.* 363. & omnes Deas ad Lunam referri poſſe Ampliſſimus Cuperus erudite obſervavit *Harpocrate* pag. 108. hoc nomine *Gad* ſeu *Lunæ* hoc loco *Venerem* quoque intelligendam eſſe exiſtimamus. Quod eo facilius Lectoribus perſuadebimus, quicunque meminetint, *Venerem* pro Luna habitam olim fuiſſe: vide præter alios Vaillant *Numiſm. area Imperat. Part.* II. p. 97. & Deam illam Syriam, quam Lunam eſſe modo vidimus, *Venerem Orientalium* fuiſſe, quod jam occupatum eſt a Voſſio, Seldeno aliiſque. Venus autem eadem cum Luna credita eſt Antiquis, cum ob alias rationes, tum ob *formæ excellentiam*: quæ *pulcherrima Dea* Antiquis celebrabatur, ut omnibus notum eſt. Atqui Luna ob inſignem pulchritudinem ſæpius celebratur & a ſacris & a profanis Scriptoribus. Hinc cum ſingularem Eccleſiæ formam prædicare vellet ſponſus Cant. VI. c. 10. his verbis utitur: כי זאת הנשקפה כמו שחר יפה כלבנה: *Quænam illa eſt, quæ vultum exſerit aut aurora Pulchra ut Luna?* Non enim ad imperium *Lunæ* hoc loco reſpicitur ut quidam Magiſtri arbitrati ſunt in מדרש תהלים fol. XX. c. 3. למה נמשלו ישראל כלבנה מה לבנה שולטת ביום ובלילה כך ישראל שולטין בעולם הזה ובעולם הבא יכול שיהיו הסרין כלבנה שהיא חוסרת בכל חרש וחרש: *Quamobrem Iſraelitæ* Cant. VI. 10. *Lunæ aſſimilantur? quemadmodum Luna die nocteque dominatur, ita quoque Iſraelitæ imperium & in hoc & futuro ſeculo exercebunt. Aut forte quia deficiunt ſicut Luna ſingulis menſibus.* Nam ut omnem ſuam pulchritudinem Solis radiis Luna debet, ſic Eccleſia a Chriſto qui eſt *Sol Juſtitiæ* omnem animi pulchritudinem conſequitur, quippe qui Eccleſiam *lavit* τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων. Epheſ. V. 26. 27. Et quia ad ejus imaginem renovatur, de quo dicitur: יפיפית מבני אדם Pſ. XLV. cap. 3. *pulcherrima* ſit neceſſe eſt. Ob eandem rationem a Mohammedanis ob formæ venuſtatem Joſeph قمر كنعع *Luna Canaanis* vocari ſolet: *c'eſt-àdire*, Interprete Herbelotio *Bibl. Oriental.* p. 496. *ſelon leur langage la beautè la plus parfaite qui ait jamais paru ſur l'horizon de la Judèe.* Perinde ut Latinis quoque Luna *ab inſigni pulchritudine* commendatur: Ovidius *Leandri Epiſtola* verſ. 67. ubi ita ad Lunam de Herus forma Leander:

> *Non referam mores cœleſti pectore dignos:*
> *Forma niſi in veras non cadit illa Deas.*
> *A Veneris facie non eſt prior ulla Tuaque,*
> *Nove meis credas vocibus, ipſa vides:*
> *Quanto cum fulges radiis argentea puris*
> *Concedunt flammis ſidera cuncta tuis,*
> *Tanto formoſis formoſior omnibus illa eſt,*
> *Si dubitas cœcum, Cynthia, lumen habes.*

Notari hic meretur, ab Ovidio quoque h. l. Lunam cum Venere comparari ob formæ venuſtatem. Virgilio etiam *forma pulcherrima Dido* Dianæ, quæ itidem Lu-

Luna eſt, aſſimilatur *Lib. 1. Æneid. vſ.* 500. ſeqq.

> *Regina ad templum forma pulcherrima Dido*
> *Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.*
> *Qualis in Eurotæ ripis aut per juga Cynthi*
> *Exercet Diana choros; quam mille ſecutæ*
> *Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram*
> *Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnes:*
> *Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.*

X. Alia ratio, ob quam eadem cum Luna Venus cenſeatur, eſt, quod Venus pariter *fœcunditatis & generationis* cauſam a Babyloniis Venus *Mylitta* vocabatur teſte Herodoto *l. 1. c.* 131. id eſt, ܡܘܠܕܬܐ *Genetrix*, quo nomine Lanis ſæpiſſime venit. Apud Gruterum p. 225. in inſcriptione præter alia hæc verba leguntur:

VENERI. GENETRICI
CESTUM. MATRONAE
DONUM. TULERVNT.

In Nummo quoque apud Vaillant conſpicitur *Venus Genitrix Numiſm. Imperat.* p. 183. & a Græcis eodem modo ΓΕΝΕΤΤΑΛΙΣ vocatur, utpote τῆς γενέσεως ἔφορος *generationis Præſes*, ut memorat Scholiaſtes Ariſtophanis *ad Nubes* v. 52. quin & jam ab Antiquis habita eſt pro *Matre Deum*, Auctore Servio ad *Lib.* x. *Æneid. verſ.* 83. vide & Seldenum, qui hic nobis otia fecit, *de Diis Syris Syntagm.* II. *Cap.* 2.

XI. Merito igitur ex Veterum ſententia nomine *Gad bona benigna* Venus appellatur, quemadmodum apud Reineſium *in Inſcriptione* p. 127. *Bona Dea* audit:

BONAE. DEAE
VENERI. CNIDIAE.

Imo ΘΕΑ ΠΑΝΑΓΑΘΟΣ *Dea undiquaque Bona* epud Gruterum pag. 59. Gad autem ſeu *Dea* ſimpliciter eodem modo vocabitur, quo Herodotus alias ab Arabibus Venerem *Alitta* appellari teſtatur L. 1. c. 131. quod eſt Arabum الالهة *Dea*; quamvis alii nomen apud Herodotum الليه eſſe putent لانها السعيدة

وملكة الليل quod *Domina* ſit & *Regina* noctis, ut Abenſial Aſſemoni Arabs in libro *de Sectis Religionum in Oriente*. Hinc igitur denuo patet, *Venerem* eandem cum *Luna* in Oriente habitam fuiſſe.

XII. Eadem erat *Atergatis* ut §. VII. oſtendimus, & *Athara* apud Strabonem *lib.* XVI. *ſub finem*; qui in eo tantum fallitur, quod Græcos Orientalium *Athara* in *Atargatis* commutaſſe arbitratur. Utrumque enim vocabulum Orientalium eſt, idemque numen deſignat, ſecus atque Salmaſius in *Solinum* p. 405. putavit. Ἀθάρα enim Arabum eſt الزهرة ſeu *Venus*, quam ita ab *inſigni formæ ſplendore* vocant: زهرة enim quod cum זהר Hebræorum convenientiam habet *ſplendor* & *lumen* eſt. Immo & Dianam eodem nomine appellare ſolent. Ita Arabs Act. XIX. v. 28. *Dianam* Epheſiorum زهرة interpretatur, forte quod Dianam pro Venere itidem habebat; ſaltem Diana Luna eſt, ut ſupra vidimus: atque ex ea quoque ratione Atergatis Athara aut الزهرة vocabitur frequenti illa literarum permutatione. Cum itaque Strabo utrumque nomen Deæ Syriæ tribui audiret, Atergatis Græcum nomen eſſe hariolatus eſt, quod illa terminatio Orientalibus non in uſu eſſet, Græcis autem frequentiſſima; ſed male, ut ex dictis apparet.

XIII. Denique Lunam ſub nomine *Gad* etiam tanquam *Felicitatis cauſam* conſideratam eſſe ex Antiquitate conſtat: ob illam enim, quam in ſublunaria in quæ dominari credebatur, exerebat vim, eadem ſæpius cum *Fortuna* eſt, vide Voſſium de *Idolol. lib.* II. *cap.* 43. Ægyptios certe per *Tyxhn*, quam *inter Deos Præſtites qui homini naſcenti adeſſent* numerabant, *Lunam* intellexiſſe, *quia corporum Præſul eſſet, quæ fortuitorum varietate jactantur*, auctor eſt Macrobius *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 19. Arabum itidem Perſarumque Aſtronomis Luna *ſidus felix & fauſtum* eſt. Ita enim Anonymus Perſa *de Siglis Arabum & Perſarum Aſtronomicis* a Johanne Gravio Lond. 1648. editus p. 7. & 9. وشمسرا نير اعظم كويند وقمررا نير اصغر وهر دورا نيرين ونيرين سعدين *Sol luminare majus appellatur, Luna luminare minus, utraque luminaria. Luminaria* ve-

*vero felicia sunt*. Atque ita hunc locum etiam intellexerunt lxx. Interpretes, qui גד Hebraicum per δαιμόνιον, aut, ut in Complutensi editione est, δαίμων interpretantur ut §. iv. ostendimus. Fortuna enim sæpius δαίμων Auctoribus vocatur, Euripides *Troad.* vers. 101.

Μεταβαλλομένȣ ΔΑΙΜΟΝΟΣ ἀνέχȣ.

*Sustine mutuatam Fortunam.*

Unde *miser* & *infelix* homo κακοδαίμων appellatur. Recte etiam *a bonitate benignitateque* גד *Fortuna* omnis felicitatis datrix vocatur, quippe quæ in Nummis cum *Cornu copiæ* conspici solet: & Romæ *Fortunæ Mammosæ* ad ejus ubertatem benignitatemque indicandam exstructum erat templum, vide Montfaucon *Diarium Italicum cap.* xi. *p.* 159. ita ut hinc quoque appareat, Fortunam eandem esse cum Luna, *Iside* & *Diana Multimammia*. Præterea *Bona fortuna* frequentissime tum apud Auctores tum in Inscriptionibus audit; quemadmodum apud Gruterum *Inscriptionum* p. 1072.

FORTUNÆ
BONÆ
SALUTARI.

Et Græce ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ in Inscriptione apud Reinesium pag. 380. In Marmore autem Oxoniensi n. lvii. pag. 117. conjunguntur ΘΕΟΣ ΑΓΑΘΟΣ & ΑΓΑΘΑΙ ΤΥΧΑΙ ΚΑΙ ΕΠΙΣΩΤΗΡΙΑΙ *bonus genius* & *bona fortuna* & *salutaris*. Igitur nomen גד *Lunæ* ut felicitatis Auctori seu *Fortunæ* merito tribui, haud facile aliquis cum ratione negaverit.

XIV. Præsertim cum illam significationem hoc vocabulum manifesto præ se ferat Gen. xxx. 11. ubi Lea cum Silpa ancilla puerum enixa esset, gaudio exultans exclamabat: בגד, quod recte Vulgatus vertisse videtur, *Feliciter*, & lxx. ἐν τύχῃ; quibus assentiuntur Chaldæi Paraphrastæ, licet pro בגד legisse videantur בא גד *venit fortuna*. Jonathan enim exponit אתא מזלא טבא, Targum Hierosolymitanum אתא גדא טבא *Venit fortuna bona*, Syrus ܐܬܐ ܓܕܝ *Venit fortuna mea*; ut quoque Rabbini ad unum fere omnes *fortunam* hic intelligere solent, quam מזל טוב solemni more vocant. Proinde Lea sibi hac formula adprecatur *Fortunam*, & ulteriorem pariendi felicitatem: perinde ut hodie Judæi annulo pronubo verba מזל טוב, quibus hic *Gad* exponunt, fausti fœcundique conjugii ominandi gratia inscribere, & sponso sponsæque occurrentes eadem formula fausta & felicia quævis adprecari solent, ut quoque boni ominis gratia *Plenilunio* olim nuptias celebrari moris erat; quare apud Euripidem Clytemnestræ diem quo filiæ nuptias esset celebratura roganti respondet Agamemnon: *Iphig. in Aulide* v. 717.

Ὅταν σελήνης εὐτυχὴς ἔλθῃ κύκλος.

*Cum Lunæ felix venerit circulus* h. e. *plenilunium*. Eodem quoqun modo, ut Judæi matrimonio *Feliciter* solemni verbo acclamare solebant. Juvenalis *Satyr.* ii. *vers.* 119.

*Signatæ tabulæ: dictum* Feliciter!

ubi vide Grangæum. Adde Catullum *Epithal. Thetidos* pag. 188. Edit. Isaaci Vossii.

*Quare agite optatos animi conjungite amores,*
*Accipiat conjux* Felici *fœdere Divam.*

In genere etiam hac formula felicem rei eventum sibi exoptabant: id quod discimus e præclaro nummo apud Seguinum *pag.* 4.




Ubi in altera parte *Fortuna* cum solitis insignibus *cornu copiæ* & *gubernaculo* apparet; pars altera inscriptionem exhibet: *Feliciter*.

XV. Nihil nos movet, quod contra hanc expositionem objici solet: Leam Jacobi viri Religioni veræ addicti uxorem Idololatrarum consuetudinem imitatam esse haud vero simile videri: cum nihil quod obstet videamus, quo minus Lea Idololatricis ritibus tamdiu assueta, non ita veteres mores exuisse censeatur, quin insperato gaudio oblato solemni ibidem locorum loquendi modo uteretur; utpote quæ non minus atque Rachel idola Patri erepta tamdiu secum circumtulerat, non sine cultus iisdem exhibiti suspicione, donec tandem ea abjicere juberetur a marito Gen. xxxv. 2. 4. Sed tamen negare possumus, Leam his verbis Idololatricum ritum prodere, non magis atque Judæos hodiernos, quorum animis satis ab Idololatria sunt aversi, cum novæ nuptæ מזל טוב acclamant, Idololatriæ aliquis jure accusaverit. Accedit denique huic sententiæ Josephus, qui nomen גד puero a Lea impo-

posi-

poſitum τυχάιον, a *Fortuna datum*, interpretatur.

XVI. In altera voce מני *Meni Lunæ* aſſerenda faciliore negotio defungemur: plures enim non modo noſtri ævi Doctiſſimos Viros hic nobis aſſentientes habemus, verum etiam diverſarum linguarum conſenſu eadem ſententia luculenter confirmatur. *Luna* Arabibus quoque ante Mohammedis tempora مناة *Menath* vocata eſſe videtur, quam Deam Mohammed perſtringit in Alcorano *Sura* LIII. cui titulus eſt النجم مكية *Stella Meccana* verſ. 19. 20. افرايتم اللات والعزى ومناة الثالثة الاخرى *Ecquid vobis videtur de Allata, & Alloza, & Menata tertia alia?* quas tres Meccanorum Deas fuiſſe, interpretes ad Suram IV. verſ. 115. obſervant. Turcæ Lunam *Ma*, Tartari eam *Mine* vocant, ut in elegantiſſimis *Legationis Turcicæ epiſtolis* Busbequii p. 136. videre eſt. Germani ita fere Mond, Belgæ *Maan*, aliique ſimiliter dicunt. Et fortaſſe *Manith* Virginienſibus in America quoque Luna eſt, quam ita per excellentiam ut Syri Gad, *Manith Deam* vocant: *Manith* enim Virginienſibus Deam eſſe, obſervavit Deceſſor meus Celeb. Relandus *Differt. Miſcell.* XI. *de linguis Americanis* p. 212.

XVII. Certe Lunam, quæ poſterioribus ſeculis ΣΕΛΗΝΗ Græcis dicta eſt, olim ΜΗΝΗΝ vocatam eſſe, liquet ex vetuſtiſſimis Atlantiorum traditionibus apud Diodorum Siculum *Bibliothec.* lib. III. p. 191. ubi Heleus matri in ſomnis adſtans prædicit: Ὀνομασθήσεσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἥλιον μὲν τὸν πρότερον ἐν οὐρανῷ πῦρ ἱερὸν καλούμενον, σελήνην δὲ τὴν Μήνην προσαγορευομένην. *Qui olim ſacer in cœlo ignis vocatus eſſet, Helium appellatum iri ab hominibus* & Selenem *quæ* Mene *dicta fuiſſet*. Neque tamen ita poſterioribus illius nominis uſus obſolevit, quin haud raro itidem pro *Luna* apud idoneos Auctores reperiatur. Ita enim in veteris Poetæ carmine quod ad Manethonis fragmenta edidit Cl. Gronovius, ΝΥΚΤΙΦΑΝΗΣ ΜΗΝΗ *Luna notu lucens* appellatur: perinde ut apud alium Poetam apud Stobæum eodem nomine venit, ut intelligamus eandem omnino eſſe cum Latinorum *Noctiluca*, quo nomine Dianam ſeu Lunam intelligi omnibus notum eſt. Hæc loca debeo Illuſtri Ezechieli Spanhemio *de præſtantia & uſu Numiſm. Tom. II. Differt.* X. *pag.* 130. Addo eodem nomine in præclaro nummo apud Carolum Patinum *Numiſm. Imperat.* p. 45. occurrere,




qui Liviam exhibet capite turrito, juxta quam *Luna falcata* cum inſcriptione ΜΗΝΗ CΑΜΙΩΝ *Samiorum* apparet, vide ibi Patinum. Solebant enim turpiſſima adulatione, ut Imperatores Deorum nomine & habitu in nummis inſignire, ſic Dearum ornatu & nomine Auguſtas exhibere, qua de re vide Cuperi *Marmora Antiqua Apotheoſi* adjecta p. 285. Pervenit eadem vox denique ad Romanos, qui Deam *Menam* colebant, quæ menſtruis fœminarum præeſſet, vide Auguſtinum *lib.* IV. *de Civitate Dei* c. 11. Eadem erat ΓΕΝΕΙΤΗ ΜΑΝΗ *Geneta Mana*, id eſt *Genetrix Luna*, cui tamquam Δαίμονι περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν. *Deæ Generationi & partui mortalium præſidi*, canem immolaſſe, ut Argivos Lucinæ, auctor eſt Plutarchus *Quæſt. Rom.* pag. 277.

XVIII. Maſculinum eſt ΜΗΝ, quod Deum *Lunum* ſæpius ſignificat apud Strabonem; etſi id Salmaſius ad Spartiani *Caracalam* cap. VII. neget, & *orbem* quem menſtruo curſu Luna deſcribit ſeu *menſem* intellectum velit. Huetius autem per *Mena* Strabonis, ut & hoc Jeſaiæ loco per מני *Solem* intelligit: ſatis tamen refutatus eſt Salmaſius ab Ampl. Cupero *Harpocrate* pag. 16. & nuper a Celeb. Vitringa, qui & Huetii expoſitionem convulſit *Comm. in Jeſ.* ad noſtrum locum, ut §. 2. *hujus Differt.* oſtendimus. *Mena* autem *Deum Lunum* deſignare, clariſſime patet ex Nummis qui hunc Deum, cujus dorſo Luna falcata adhæret, cum gallo adſtante exhibent, ut apud Vaillant *Numiſm. Imperat. in Coloniis P.* I. *p.* 166. in nummo Antonini Pii, ibidem *P.* II. *p.* 4. in nummo Septimii Severi,

& pag.



& pag. 17. in alio nummo Juliæ Domnæ; denique in nummo Caracallæ pag. 26. quem etiam vulgaverat Patinus pag. 240. exhibetur. Qui nummi egregie illustrant Jamblichi locum jam ab aliis citatum, quo gallus ἱερὸς τοῦ Μηνὸς *Meni Sacer* esse perhibetur, id est, *De Luno*, cui toties gallus πάρεδρος datur.

XIX. Causa autem, quare Luno aut Lunæ consecratus ab Antiquis fuerit Gallus hæc nobis esse videtur, cum quod *parientibus faciles partus procurare crederetur*, ut Patinus, & ex eo Vaillant ad nummos ante adductos recte observasse videntur, Luna autem cum Lucina quæ parientibus opem ferebat, eadem esset: tum fortassis etiam ob fœcunditatem e Rabbinorum sententia, qui ob eam causam sponso & sponsæ gallum & gallinam fœcunditatis ominandæ apprecandæque gratia præferebant: ita enim in Gem. גיטין fol. LVII. I. אתרנגולא ואתרנגולתא חריב טורמלכא דהוו נהיגי כי הוו מפקי חתנא וכלתא מפקי קמייהו תרנגולא ותרנגולתא כלומר פרו ורבו כתרנגולים יומא חד הוה קא חליף גונדא דרומאי שקלינהו מנייהו נפלו עליהו מחונהו אתו אמרו ליה לקיסר מרדו בך יהודאי אתא עליהו וכו': ( Traditio est ) *propter gallum & gallinam Turmalcka destructam esse; more enim receptum erat ut, cum sponsus & sponsa* ( ad thalamum ) *ducerentur gallus & gallina præcederent; quasi acclamaretur: crescite & multiplicamini illarum ad instar. Die autem quodam cum cohors Romanorum præteriens gallum & gallinam sponsis præcedentes auferret: Judæi illius urbis manus militibus injecerunt. Hi autem Cæsarem adierunt dicentes: seditionem concitant Judæi* &c. quam ob causam, ut in Gemara additur, cum universa sua civitate deleti sunt. Inde forte etiam ritus manavit, ut hodie adhuc post copulationem in convivio nuptiali gallo aut gallina vescantur. vide Buxtorf. *Synagoga* cap. 39. Aut denique Luno aut Lunæ gallus sacer censebatur, quia noctis tempus quo *Luna noctiluca* imperat, cantu suo distinguit. Sane ob similem rationem gallus nocti olim immolabatur: Auctor est Ovidius *l.* 1. *Fastor.* vers. 455.

> *Nocte Deæ* Nocti *cristatus cæditur ales,*
> *Quod tepidum vigili provocat ore diem.*

Quo loco per *Deam Noctem* ipsa quoque *Luna* intelligi potest, siquidem *Nox* & *Luna* sæpius apud Auctores permutantur: adi Jani Parhasi *Epistol.* I. p. 725. Tom. I. *Facis Gruterianæ*. Denique *Mena* apud Strabonem *Deum Lunum* notare, præclare ut cetera omnia demonstravit Spanhemius *Dissert.* IV. *de usu & præstantia Numism.* Tom. I. p. 193.

XX. Originem hujus vocis מני, unde sine dubio Μὴν & Μήνη Græcorum, vulgo derivare solent a מנה *numeravit*, quia Veteres annos ad Lunæ cursum numerabant: ut inter Antiquitatis non plane expertes satis constat. Verum aptior sine dubio erit hujus vocabuli etymologia ex ipsa Lunæ natura petita, quam ab Arabum منى *fluere* arcessimus. Præivit nobis Alzamachscharius Commentator in Alcoranum, qui Idolum Arabum مناة Menath, de quo §. XVI. a منى *fluere* derivat, etsi ob *victimarum sanguinem* in Idoli gratiam *effusum*, id factum interpretetur apud Pocockium *Specim. Histor. Arabum* p. 92. Hæc, inquam, etymologia apprime quadrat in Lunam, utpote quæ sidus humoris plenum jam olim credebatur, quod sublunaria humore repleret ut sol exsiccaret. Hæc etymologia mirum quoque in modum inde confirmatur, quod Latinorum *Dea Mena*, quam τῷ מני simillimam esse vidimus, *menstruis fluoribus præesse* credita sit, ut ex Varrone docet Augustinus *de Civit. Dei lib.* VII. c. 2. Dea mena *menstruis fluoribus præest, quamvis Jovis filia tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menstruorum, in libro selectorum Deorum ipsi Junoni idem auctor adsignat, quæ in Diis selectis etiam Regina est: & hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna sua eidem cruori præsidet*. Ex hoc loco præterea patet, ipsam *Lucinam*, quæ Luna est, his fluoribus præfectam, atque proinde ex incerta profanarum Gentium Theologiæ cum Dea Mena confusam fuisse. Immo eadem illa Dea etiam Fluonia, quod nostrum מני a منى Arabico accuratissime exprimit, vocatur a Festo *hac voce*. Fluoniam *Junonem mulieres colebant, quod eam Sanguinis Fluorem in conceptu retinere putabant*.

XXI. Erat autem Lunæ eo, quem nos expoſuimus ſenſu, celeberrimus in toto oriente cultus, ut quoque ex ante dictis aliquo modo colligere licet. Arabes inprimis diu ante Mohammedis tempora, tanta religione Lunam venerati ſunt, ut inde interdum ΑΛΙΛΑΙΟΙ ab Agatharchide & Diodoro Siculo, id eſt, בני הלאל Filii Lunæ & Hebraice ירחים Lunares fuerint dicti, videri hac de re meretur Bochartus *Geograph. S.* lib. II. c. 19. Et Deæ اللات ſeu *Lunæ* Idolum juſſu Mohammedis tandem fractum eſſe, anno Hejiræ 9. teſtis eſt Abul Feda. Quanquam non ita veteris Idololatriæ veſtigia abolita apud Mohammedanos fuerint, quin hodie adhuc Lunæ ſigno in turrium faſtigiis, & alias tanquam imperii inſigni utantur, etſi non ignoro, alias quoque hujus conſuetudinis a Viris Doctis adferri ſolere rationes. A Sabæis autem, quo nomine omnes fere Orientis Idololatræ veniunt, Lunam cultam, ejuſque originem ab ipſo Adamo repetitam eſſe, dubitatione caret, ſi credimus Maimonidi in מורה נבוכים P. III. c. 29. ſequentia de illis teſtanti: וחשבו שאדם הראשון איש נולד מזכר ונקבה כשאר בני אדם אלא שהם מגדלים אותו ואומרים שהוא נביא שליח הלבנה ושהוא קרא לעבדת הלבנה וחשבו ששת חלק על דעת אדם אביו בעבדתו הירח (Sabæi) *exiſtimarunt Adamum primum virum fuiſſe ſicut reliqui homines e viro & fœmina progenitum. Verum magnis laudibus* (Adamum) *evexerunt: eum* Apoſtolum Lunæ *vocitantes, atque homines ad cultum Lunæ invitaſſe. Setum vero a ſententia Patris ſui Adami in cultu Lunæ abiiſſe autumant.* Idem veteres Ægyptios Lunam coluiſſe hirco immolato loco citato cap. 46. teſtatur: המצריים מקריבים ללבנה בראשי החדשים שעיר *Coptos in Ægypto in Novilunio Lunæ hircum immolare.*

XXII. Iſraelitas denique Lunam coluiſſe circa ea quibus Jeſaias *Meni* cultum illis exprobrabat, tempora conſtat e Jerem. VII. 18. & XLIV. 17. ibi enim מלכת השמים Regina Cœli Luna vocatur, perinde ut Saracenis بعلة سما Regina Cœli, nec non Apulejo Lib. II. *Metamorph.* pag. 357. & apud Horatium *carmine ſæculari* vſ. 35. Siderum Regina. In Gruteri itidem *Inſcriptionibus* p. XXV. Lun. Reg. Et pag. XXVIII. Fortuna Regina, audit.

FORTUNÆ<br>REGINÆ<br>AUG<br>MARCIUS<br>V. S. L. L. M.

Ibidem pag. LXXXIII. Venus Regina, vide quoque *Marmora Felſinea* pag. 27. Merito proinde nomine מלכת השמים apud Jeremiam, non modo *Lunam* ſed etiam *Fortunam* & *Venerem* intelligere poſſumus, cum Luna Fortuna & Venus, eadem Dea fuerit tribus nominibus inſignis, ut jam ex iis quæ de nomine נר diximus, apparet. Venerem veteres Perſæ jam tempore Artaxerxis, Arabes autem ante Mohammedis tempora præcipua religione coluerunt, ut inter Eruditos conſtat: an vero lapidi illi quadrato, quem hodie adhuc venerantur Mohammedani, Veneris effigies inſculpta ſit, ut perhibet Euthymius editus a Sylburgio in *Saracenicis* p. 84. affirmare non audemus. Confidentius dixerimus inſignem illam diei Veneris religionem ad Turcas ab antiquis Arabibus, Veneris cultui addictiſſimis, perveniſſe. Veneris autem cultus ideo in Oriente invaluiſſe videtur, quia populi Orientales inprimis ad libidinem proni, eam Deam ſibi præcipue propitiam reddendam cenſuerunt. Denique Lunam tanquam Felicitatis Auctorem & Datricem ab Iſraelitis cultam atque adeo pro Fortuna habitam fuiſſe, evidenter conſtat e Jerem. XLIV. 17. ubi Iſraelitæ idololatræ ad Jeremiam dicunt, *ſibi quamdiu* מלכת השמים *Reginam Cœli* (id eſt, Lunam ut vidimus) *coluiſſent, omnia proſpere ceſſiſſe, ſatiabamur cibo & eramus felices, & malum non videbamus:* כי עשה נעשה את כל הדבר אשר יצא מפינו לקטר למלכת השמים והסיך לה נסכים כאשר עשינו אנחנו ואבתינו מלכינו ושרינו בערי יהודה ובחצות ירושלם ונשבע לחם ונהיה טובים ורעה לא ראינו; commate quoque ſequente omnis mali cauſam, quod poſtea ſibi accidiſſet, in ejus cultus omiſſionem rejiciunt.

XXIII. Quoniam autem h. l. utroque nomine Gad & Meni Luna deſignatur, quorum hoc maſculino, illud feminino generi ſimilius videtur, inde fortaſſe eum errorem hauſerunt Profani, ut Lunæ utrumque ſexum adſcriberent. Saltem ea Caſauboni conjectura eſt ad Spartiani *Caracallam cap.* VII. ſuſpicantis, inde ab Orientalibus utrumque ſexum Lunæ tributum, quod Hebræi Lunam & maſculino vocabulo ירח & fœminino לבנה inſignirent. Potior tamen ejus opinionis ra-

ratio petenda videtur, sive e vario respectu, quo vel ad terram vel ad solem referebant Lunam veteres: sic ut ad terram relata, *terræ maritus* atque adeo *Deus Lunus*, cum sole vero comparata *solis uxor* & *Dea Luna* crederetur; sive potius dicendum erit, designasse hoc modo Gentiles *omnimodam generandi vim & sufficientiam in Luna*, utpote *Dea*. Nam omnibus Diis Deabusque ex ea ratione utrumque sexum vulgo tribuebant, quod Dissertatione nostra *de Commutatione vestium utriusque sexus prohibita*, abunde probavimus.

XXIV. Progredimur ad rationem qua Lunam Israelitæ sibi conciliare conati fuerunt. Verba Jesaiæ sunt: הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך: *Exstruunt* Gad *mensam &* Meni *poculum implent*. Phrasis ערך שלחן significat *mensam cibis exstruere*, ut patet e Ps. XXIII. 5. & Jes. XXI. 5. &c. Eadem quoque significatio phrasi huic frequenter tribuitur in Rabbinorum scriptis, ut in מדרש מכילתא fol. XXXVIII. 2. & in מדרש ילקוט שמעוני P. I. fol. 74. c. 3. Hinc *panes propositionis* vocantur לחם המערכת quia iis panibus tanquam cibo ordinario sacra mensa erat instructa, vide Gem. מנחות fol. XCVIII. I. & פסקתא זוטרתא fol. XXXI. I. In hac igitur phrasi שלחן pro *cibis mensæ impositis* sumitur, ut alibi frequenter in Scriptura, æque atque apud Rabbinos. Hinc Jonathan Obad. v. 7. אכלי לחמך *panem tuum comedentes* vertit: פתורך *comedentes mensam tuam*, & Raschi Scholiis in יבמות fol. LXXXVII. תרומה היא קניה לכהנים שאינה שירי שלחן מלך אבל שירי קדשים הרי הן כמשא מאת פני אלהים: *Primitiæ sacerdotibus propriæ sunt, quia non sunt reliquiæ mensæ Regis summi* (id est sacrificiorum altari tanquam mensæ impositorum) *Verum reliquiæ sacrificiorum sunt doni instar a Deo dari*. Occurrit eadem significatione vocabulum שלחן in מסכת סוכה Cap. II. m. 7. ubi observantibus Magistris שלחן מדרש יוחנן בן החורני *mensa R. Johannis filii Choroni mensam epulis refertam* significat, vide Gem. סוכה fol. III. I. Et מדרש ילקוט שמעוני P. I. fol. XXXVII. 2. ubi Salomonem omnium optime de rerum præstantia & dignitate judicium ferre potuisse perhibent, quod habuisset שלחן *mensam varii generis cibis refertam*. Hinc & Arabs, verba nostra ita vertit: وهيبتم مايد الامام وللتم مراحا الجان *Instruxistis* Mensam cibis extructam *& consecrastis vinum temperatum* مايدة enim non in genere mensam significat, quæ Arabibus خوان vocatur, sed *mensam cibis oneratam*. Eadem vox in Alcorano reperitur *Surata* v. quæ hoc nomine المايدة مدينة *Mensa Medinensis* insignitur, quia eo loco fabula narratur de mensa quadam deliciis referta, quam Christus e cœlo ad Apostolos demisisset, vers. 121.-124. ان قال الحواريون ياعيسي ابن مريم هل يستطيع ربك لن ينزل علينا مايدة من السما قال اتقوا الله لن كنتم مومنين قالوا نريد لن ناكل منها وتطمين قلوبنا ونعلم لن قد صدقتنا ونكون عليها من الشاهدين قال عيسي ابن مريم اللهم ربنا انزل علينا مايدة من السما تكون لنا عيدا لاولنا واخرنا واية منك وارزقنا وانت خير الرازقين قال الله اني منزلها عليكم نمن يكفر بعد منكم فاني اعذبه عذابا (Revoca in memoriam) *cum Dilecti Jesu* (Apostoli) *dicerent: Jesu fili Mariæ, an Dominus tuus facultatem habebit mensam de cœlo ad nos demittendi? respondit: Deum timore prosequimini si fideles estis. Dixerunt* (porro) *Constituimus omnino ea vesci, cordaque nostra tranquilla reddere, atque hoc modo scire an fidem serves in promissis; & super eam esse e testificantibus*, h. e. (illi interesse.) *Jesus filius Mariæ porro dixit: Deus Domine noster, demitte ad nos* mensam *e cœlo, quæ nobis in festum* (oblectamentum) *sit, primo nobis dein & posteris nostris: immo in Tui signum, nosque ale Tu enim optimus alentium es: Deus porro dixit: demittam eam quidem ad vos, at qui postea infidelis e vobis fuerit is maximas dabit pœnas*. Syrus quoque verba Textus nostri exponens, voce ܦܬܘܪܐ utitur, quæ quidem in genere mensam significat, frequenter tamen etiam pro *cibis* sumitur, ut Lucæ XXII. 21. 30. & Act. XVI. 34. ubi Commentariensis ܣܡ ܦܬܘܪܐ *adposuisse mensam*, id est, epulas parasse *& exultasse* legitur. Quam significationem voci τραπέζης sæpius quoque tribuebant Græci, ut Pollux *Onomast. Lib.* VI. *c.* 12. *segm.* 84. observat: Τραπέζας δὲ ἐκάλων ϗ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τεθέμενα *mensas autem cibos quoque vocabant illis impositos*: vide etiam *Casaubonum ad Athenæi Lib.* XIV. *Cap.* II. p. 914. aliosque.

XXV. Intelligitur autem hoc loco per שלחן

שלחן *mensa sacra* aut ara, cui *Dei cibus*, id est, sacrificia imponebantur: quare etiam Malach. I. 7. *altare* vocatur שלחן יהוה *Mensa Jehovæ* ( confer quod ad phrasin τράπεζα κυρίου I. Cor. X. 21. ) quo nomine etiam in Talmude ara venire solet, ut in Gem. יבמות fol. LXXXVII. I. רב ספרא אמר מלחם אביה תאכל לחם ולא בשר רב פפא אמר מלחם אביה תאכל לחם הקנוי לאביה פרט להזה ושוק דמשולחן גבוה *Rabb Safra contendit* ( hunc loci Levit. XXII. v. 14. ubi filiæ sacerdotis, sacro pane vescendi copia conceditur sensum esse ) *ut de pane duntaxat non autem carne* ( sacrificiorum ) *intelligendus sit*. *Rabb Papa* ( contra ) *dicit phrasin hanc cibum omnem patris complecti, excepto armo & pectore mensæ altæ*, id est, quæ de ara cedunt sacerdotibus. De collocatione itidem membrorum victimæ in *altari*, verbum quoque ערך adhibetur Levit. I. 12. וערך הכהן אותם *& collocabit ea sacerdos super lignis*: quamquam Magistri hæc verba ita intelligunt, ut membra secundum naturalem situm quem in vivo animali habuerunt, igni imponenda fuerint, phrasin Biblicam ערך in Talmude per סדר *ordine* naturali *disponere* exponentes. vide Gem. תמיד fol. LXIV. I. & LXV. 2. מדרש ילקוט שמעוני Part. I. fol. 118. 2. Hinc in Gem. מנחות fol. XXVI. 2. additur verba איברים סדרן phrasin Biblicam איברים שערכין exprimere. Eodem sensu etiam alii Auctores *Sacras Mensas* in templis aut alibi habebant, quibus cibos in Deorum gratiam imponebant; qualem mensam ἱερὰν τράπεζαν memorat Aristophanes *in Pluto* v. 678. cui *placantæ* impositæ fuissent. Talis etiam erat *mensa argentea* Apollini apposita apud Troezenios, vide Ælian. *Var. Histor. Lib.* I. *cap.* 20.; immo multis in templis tales *argenteas mensas* Diis consecratas fuisse, constat e Cicerone Lib. III. *de Nat. Deor.* Cap. XXXIV. ubi Dionysium *De omnibus delubris Mensas argenteas auferri jussisse* refert.

XXVI. Mensa apposita *potum* quoque addiderunt Israelitæ: והממלאים למני ממסך. Vocem ממסך hic interpretes vulgo exponunt *potionem mixtam*, & intelligunt vinum mulso mixtum: nempe quia Hieronymus *Comment.* ad h. l. veterem olim consuetudinem præcipue in Ægypto fuisse testetur, ut postremo anni die mensam ponerent refertam varii generis epulis *& poculum mulso mixtum*. Verum mens Hieronymi non est, illud poculum fuisse *vini mulso mixti*; sed *mulso* eoque solo *plenum*. Latini enim *miscere* dicunt pro *infundere vinum* aut *replere poculum vino*, sive mulso sive alio liquore. Sic Cicero *Lib.* II. *de finibus c.* 5. *Miscere mulsum* dixit. Sic Græci κεράννυμι eodem modo dicunt, ut Hebræi מסך & ממסך, ut plurimis exemplis dudum evicit Eruditissimus Gatakerus *Advers. Miscell. Posthum.* c. V. Itaque hoc loco per ממסך intelligimus *poculum* a מסך *infundendo vino* aut *implendo* ita dictum, perinde ut Græci *poculum* κρατῆρα a κεράννυμι *infundere* vocant. Immo ut hanc ob causam accuratius vocabulum Hebraicum exprimamus, per *craterem* potius vertimus; præsertim cum & illa vox Latinis usitata, & quod maxime huc facit cum *mensa sacra Deorum* pari modo ut hic apud Jesaiam conjungi soleat: Virgilius *Lib.* II. *Æneid.* v. 763.

> —— *Huc undique Troja gaza*
> *Incensis erepta adytis*, mensæque deorum
> Crateresque auro solidi, *captivaque vestis*
> *Congeritur*.

Idem de convivio Didus, quod sacri speciem habebat *Lib.* I. *Æn.* v. 727.

> *Postquam prima quies epulis* mensæque *remotæ*
> Crateras *magnos statuunt & vina coronant*.

XXVII. Utque sic etiam Syrus hoc vocabulum per ܟܣܐ *lagenas* aut *pocula* interpretatus est: ܘܡܙܓܬܘܢ ܠܗ ܟܣܐ *& miscuistis ei pocula*. Chaldæus autem hæc verba ita παραφράζει ומסזגין לרחותהלן אנגין *Et infundunt Idolis suis scyphos*: אנגן autem erant *pocula rotunda* אחן סהר *ut Luna plena*. vide *Interpretes* ad Cant. VII. 3. ejusdem cum כוס של ברכה ποτήριον τῆς εὐλογίας I. Cor. X. 16. formæ, quod poculum vide descriptum in Gem. שבת f. LXXVI. 2. & ברכות fol. LI. I. Idem quoque confirmat additum in loco nostro verbum הממלאים *implentes* ממסך *poculum*, *craterem*: incommode vero & difficillime diceretur: *potionem mixtam* הממלאים *Implentes*: In hoc verbo ceteroquin satis plano hic tantum observasse liceat, de tali *impletione* accipiendum, quæ ad summum usque crateris labium fiebat, *ad summum usque implere*. Nam id operam dare solebant in libationibus suis Pagani, ut infusum vinum crateris labium exsuperaret, idque *coronæ instar cingeret*, vide Athenæum *L.* I. *c.* II. *p.* 13. quod *vina coronare* Virgilium *Lib.* I. *Æneid.* v. 728. dixisse autumant nonnulli. Simile quid & circa poculum benedictionis modo memo-

moratum observatum fuisse, Talmudistarum monumenta testantur. Illud enim post prandium מלא adeo implendum erat; ut non tantum נדתיו *latera ejus* undiquaque implerentur; sed & עיטור sive *vini corona* ejus *summitatem cingeret*. vide Gem. ברכות fol. LI. I.

XXVIII. Tali modo Lunam *mensa cibis referta & cratere adposito* convivio exceperunt Israelitæ, solemni Gentilium consuetudine, qui ut Deos suos eo magis sibi propitios redderent, & sive gratias agerent insigni beneficio mactati, sive imminens periculum deprecarentur, Diis suis convivium & lautissimas epulas parare solebant: talia erant *Lectisternia* Romanorum satis nota. In Oriente pariter usitatissima erat ea Deos demerendi consuetudo, *ut coram Idolis mensas cibis & poculis instruerent*, ut Vir Litteraturæ Orientalis peritissimus Thomas Hyde *de Relig. Vet. Pers. c.* III. *pag.* 94. observavit. Qualis etiam *mensa Isiaca* ( Isis autem eadem est cum Luna ) fuit, *in qua epulæ & libationes reponebantur*. vide Laurent. Pignorii *Expos. Mensæ Isiacæ* p. 13. Hujusmodi Lectisternium apparet etiam in nummis, vide Vaillant *Fam. Rom. Tom.* I. p. 292. Confer quoque Illustrem Spanhem. *de præst. & usu Numism.* T. II. Differt. x. f. 193. Quod vero Lunam tali modo Israelitæ coluerint, docemur præterea Jerem. VII. 18. ubi *Lunam cœli Reginam* מלכת השמים *placentis & libamine* coluisse dicuntur: הבנים מלקטים עצים והאבות מבערים את האש והנשים לשות בצק לעשות כונים למלכת השמים והסך נסכים לאלהים אחרים למען הכעיסני: *Ipsi filii colligunt ligna, eorumque patres ignem accendunt, ac fœminæ depsunt massam; ad faciendum popana reginæ cœlesti, & libandum libamina Diis alienis, ut me irritent*. Quod repetitur Jerem. XLIV. 17. 18. לקטר למלכת השמים והסך-לה dummodo קטר hic non tam accipiatur pro *suffitum adolere*, quam in genere *incendere, flammis tradere*. Non raro enim in Scriptura קטר etiam de *victimarum combustione* usurpatur, vide Levit. I. 9. 13. 15. & VI. 15. ut & in Talmude in Gem. ברכות fol. II. c. I. הקטר חלבים ואברים *Obtulit combussit ablegmina & membra*: & in פסחים fol. LIX. 3. קמא דלא מתקטרין אימורים כהנים לא מציא אכלי בשר: *Quum intestina nondum igne absumta sunt, sacerdotibus carne vesci nefas*: vide quoque fol. LXV. 2. Simili ratione Græcum θύειν quod proprie est *thus adolere*, unde θυμίαμα *suffitus*, fere de *victimarum oblatione* sumitur: quod inde factum suspicatur Porphyrius Lib. II. *de abstinentia ab esu animalium* sed *thus* duntaxat aut *placentas* offerrent. Eodemque modo Latini *adolere*, quod sæpius quidem de thuris crematione in sacris usurpant, non raro de *victimis* quoque adhibere solent: ita Servius ad Virgilii Eclogam VIII. v. 65. *adole* exponit *incende*: & plura exempla adduxit Eminentissimus Norisius in *Cenotaphiis Pisanis* Differt. III. pag. 393. Ut hinc constare videatur Israelitas Deam *Lunam* convivio excepisse ideo dici, quod placentas aut aliud cibi genus aræ & mensæ sacræ imponerent, aut in ejus gratiam flammæ traderent & vinum affunderent. Denique & locus Jerem. VIII. 18. sententiam nostram confirmat per Gad & Meni unam Lunam intelligendam esse, duobus nominibus in diversis commatis membris insignitam: pariter enim hic apud Jeremiam Luna in priore commatis parte per מלכת השמים *Reginam cœli*, & in posteriore per אלהים אחרים *Numen alienum* designatur.

XXIX. Inveni quoque singularem loci nostri expositionem in Gem. סנהדרין fol. XCII. col. I. ubi Magistri ex Jesaia probare volunt, cœna finita frustula quidem panis in mensa reliquenda esse, at non integrum panem, ne Idolo Gad videatur consecrari: verba sunt: וה'אר אלעזר כל המשייר פתיתים על שלחנו כאלו עובד ע"ז שנאמר העורכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך לא קשיא הא דאיכא שלימה בהדיה הא דליכא שלמה בהדיה: *Rabbi Eliezer ait: qui panem post prandium in mensa relinquit, is videtur Idolo mensam instruere*. Jes. LXV. 11. *enim dicitur: Gad mensam adornatis &c. partes tamen panis & frusta in mensa relinqui possunt si integer panis non adsit*. Qui ritus ut eo melius intelligi queat, exponendus est ex אורח חיים Sect. clxxx. §. 1. 2. אין להסיר המפה והלחם עד אמר ברכת המזון כדי שאינו משייר פת על שלחנו אינו רואה סימן ברכה בעולם אבל לא יביא פת שלימה ויתננה על השלחן ואם עשה כן מחוי דלשם ע"א עביד שנאמר העורכים לגד שלחן *Post prandium non licet mappam una cum pane removere, nisi gratiarum actione* המזון *recitata: qui enim non relinquit frustula panis in mensa, is benedictionem Divinam haud consequetur. Non tamen integrum panem relinquere debent, ut gratiarum actio recitetur, hoc enim si quis facit, perinde est ac si Idolo mensam instruat &c.* Eadem consuetudine Romani semper aliquid cum mensa tolleretur relinquebant; cujus rei rationes adfert Plutarch. *Quæst. Rom.* p. 279.

# JO. GOTHF. LAKMACHERI DISSERTATIO DE GAD & MENI,

## Sive Hecate, & Mana a Judæis olim culta.

*Es.* LXV. 11.

ואתם עזבי יהוה השכחים את הר קדשי הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך.

*Vos autem, qui, deserto Jehova montisque mei sancti obliti, Gadæ mensam instruitis, & τῷ Meni potionem impletis mixtam.*

### CONSPECTUS.

*Sententiæ nostræ summa proponitur* §. I. *Gad & Meni non diversarum, sed unius Deæ nomina sunt* II. *Ac ejus quidem, quam* Ἑκάτην *&* Μήνην *vocarunt Græci. Nomina Hecates tria præcipua, triplex imperium, forma triplex.* III. *Hecates nomine Lunam venerati sunt Græci.* IV. *Quam* Μήνην *appellarunt antiquiores.* V. *Nomina hæc duo,* Ἑκάτη *&* Μήνη *originem dedere Hebraicis* גד *&* מני. *Loquitur enim propheta de cultu Græco, Seleucidarum demum tempore a Judæis antea ignorata, nomina etiam Græca esse vero simillimum.* VI. *Idem ex summa nominum similitudine confirmatur* VII. *Quæ ex Genes.* XXX. 11. *& Jer.* VII. 18. XLIV. 19. *possint objici removentur* VIII. *In cultu τῷ Gad & Meni præstando imitati Judæi sunt illum Græcorum morem, quo novilunio quovis cœna Hecatæ,* δεῖπνον Ἑκάτης, *instruebatur, cujus cœnæ ratio ex Aristophane, Plutarcho & Luciano describitur.* IX. *Quid* κῶμος Ἑκάτης *sit, Plutarcho de* superstitione *memoratus, disquiritur* X. *Phrasis* ערך שלחן mensam instruere *componitur cum* Ἑκαταία μαγίδι, *sive* mensa Hecatæa XI. *Illa vero* מלא ממסך implere potionem mixtam *refertur ad* μιγάδας λοιβάς, *sive* libamina mixta, *Hecatæ offerri solita.* XII. אחד Acad *Es.* LXVI. 17. *idem numen esse ac* גד Gad *ostenditur* XIII.

### §. I.

Post tot doctissimorum virorum pericula, & diligentem cumprimis Campeg. Vitringa (1) & Dav. Milii (2) disquisitionem, meum quoque experiri audet ingenium tenue, num quid lucis istis Esaiæ verbis adferre valeat. De quo nec plane desperandum videtur, postquam ritui, quem in gente sua divinus vates ibi reprehendit, superstitioso summam intercedere animadverti similitudinem cum illis sacris, quæ Hecatæ quovis novilunio Græci solebant facere. En igitur opinionis, in quam facta rituum comparatio me adduxit, summam: „ Gad & Meni unum „ idemque numen sunt, Græcis Ἑκάτη „ & Μήνη dictum, cui mensam epulis „ & potione mixta refertam adornarunt „ Judæi, in fœdam prolapsi superstitio„ nem: Græcorum ad exemplum, qui „ mensibus singulis Hecatæ δεῖπνον, sive „ *cœnam*, simili prorsus apparatu in„ struere consueverant. „ Equidem hujus rei aliquid doctissimis viris Joh. Clerico (3) & Augustino Calmeto (4) in mentem venisse, &, si verum licet dicere, tunc demum, nec sine gaudio quodam meo, deprehendi, cum cogitationes hac animo mecum aliquamdiu jam volvisem; quoniam vero neutrum eandem, ea qua fieri poterat & conveniebat ratione, expedivisse ac demonstrasse video, (5) operam hanc in me su-

ſuſcipere ſtatui. Ita enim decere arbitror, ut veritatem, quæ eminus quaſi apparuit aliis, in lucem clariorem protrahamus, ornemus ac confirmemus. Studebo igitur ſententiæ modo propoſitæ momenta ſingula uberius declarare.

II. Itaque id primum agendum mihi duco, ut *Gad* & *Meni* ( 6 ) non diverſarum, ſed unius Deæ nomina eſſe oſtendam. Apparet autem hoc primum ex eo, quod *Gadæ menſam inſtrui* ſive cibos apponi, ( 7 ) & τῇ *Meni potionem impleri* ſive offerri propheta queritur. Quod ſi enim diſtincta illa fuiſſent numina, cultores eorum plane inſoliti quid egiſſe oporteret, oblato alteri nudo cibo, alteri vero ſolo potu. Conſtans enim hic & perpetuus gentium idololatricarum mos fuit, ut ſacrificia Diis cum offerrent, eſculentis ſemper potulenta jungerent, & nunquam illa ſine his, aut hæc ſine illis exhiberent. Ea ſcil. hominum erat ſimplicitas, ut ex ſacrificiis Deos alimentum quoddam capere crederent. Quam opinionem ſtolidam ſalſe, more ſuo, ridet Lucianus (8) his verbis: οἱ δὲ θεοὶ παρὰ Ζηνὶ καθήμενοι ἀποσκοποῦσιν ἐς τὴν γῆν, καὶ πάντη περιβλέπουσιν ἐπικύπτοντες, ἔνθεν ὄψονται πῦρ ἀναπτόμενον, ἢ ἀναφερομένην κνίσσαν ἑλισσομένην περὶ καπνῷ. κἂν μὲν θύῃ τις εὐωχοῦνται πάντες, ἐπικεχηνότες τῷ καπνῷ, καὶ τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον, ὥσπερ αἱ μυῖαι. ἢν δ' οἰκόσιτοι ὦσι, νέκταρ καὶ ἀμβροσία τὸ δεῖπνον. *At vero Dii, juxta Jovem aſſidentes, in terram deſpiciunt, & quaquaverſum inclinato capite circumſpectant, ſicunde accenſum* ( non *ſubvolantem*, ut Eraſmus vertit, legens fortaſſe ἀνιπτάμενον ) *ignem videant, aut nidorem in aere ſurgentem circaque fumum rotantem ſeſe. Quod ſi quis ſacrum faciat, epulantur omnes fumo inhiantes; ac muſcarum in morem ſanguinem exſugentes, circum aras effuſum. Alioqui, ſi domi cibum capiant, nectare atque ambroſia victitant.* Idem in *Timone* ( 9 ): Ἔτι γοῦν ἐν ταῖς ῥισὶ τὴν κνίσσαν αὐτῶν ἔχω. *Adhuc mihi* ( verba Jovis ſunt ) *nidor illorum in naribus reſidet.* Nidorem intelligit taurorum pinguiſſimorum caprarumque, quas in aris adoleviſſet Timon. Elegans etiam hanc in rem Ariſtophanis ( 10 ) locus eſt:

> Ὥς τ' ἀπειλεῖν φησὶν αὐτῇ τοὺς θεοὺς ἑκάστοτε,
> Ἡνίκ' ἂν ψευσθῶσι δείπνου, κἀπίωσιν οἴκαδε,
> Τῆς ἑορτῆς μὴ τυχόντες, κατὰ λόγον τῶν ἡμερῶν.
>
> *Ac proinde ſibi* Luna *minari ait Deos ſubinde, cum*
> *Fruſtantur convivio*, ſacrificiis, *&*
> *domum redeunt, feſti ſui*
> *Compotes non redditi, juxta dierum rationem.*

Quid? quod ipſius divini Moſis: ( 11 ) ואמר אי אלהימו אשר חלב זבחימו יאכלו ישתויין נסיכם *Tum dixerit* quiſpiam: *Ubi ſunt eorum Dii? Qui comederunt adipem eorum victimarum, qui biberunt vinum eorum libaminum.* Perinde igitur ac mortales cibos ſumere non ſolent abſque ullo potu, quippe ad illos digerendos & concoquendos neceſſario, ita nec Deos ſine potione accipiendos eſſe judicarunt, ſed aut vinum illis, aut liquorem alium, qui vel in altare, vel in caput victimæ, uti Romanis mos fuit, effunderetur, adminiſtrandum. Deinde familiare admodum hoc ſcriptoribus ſacris Vet. Teſt. eſt, ut, cum in una ſermonis periodo ejuſdem rei bis facienda eſt mentio, duo diverſa ejus adhibeant nomina. Nempe horum varietas in orationis numerata fuit elegantia. Sic Jerem. li. 41. urbs, quæ uno in commate vocatur *Scheſchach*, in altero ſtatim audit *Babel*, ſicuti poſt interpretes complures Cl. Millius l. c. obſervavit. Refero huc etiam illud Eſaiæ: ( 12 ) דבר שלח יהוה ביעקב ונפל בישראל *Verbum miſit Jehova ad Jacobum, & cecidit in Iſraelem.* Nec minus hæc Pſaltæ: ( 13 ) יגל יעקב ישמח ישראל *Exultabit Jacob & lætabitur Iſrael*, in quibus dubium eſſe nequit, quin per Jacobum & Iſraelem nnus idemque deſignetur populus. ( 14 ) Tali igitur dicendi ratione Eſaiam hic quoque uſum eſſe, tum ex antea dictis clarum puto eſt, tum ex infra dicendis magis etiam, uti ſpero, elucebit.

III. Jam numen illud, duobus prophetæ inſignitum nominibus, idem eſſe reor, ac illud quod & Ἑκάτην & Μήνην nuncuparunt Græci. Varia hujus Deæ Græcis antiquis uſurpata reperio nomina, in quibus tria hæc eminent: Ἑκάτη, Ἄρτεμις & Σελήνη, ſive, ut vetuſtiſſimo ævo dixere, Μήνη, de quo poſtremo fuſius in progreſſu diſſeremus. *Scholiaſtes* Ariſtophanis: ( 15 ) Τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιόν, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην καὶ Ἄρτεμιδα καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. *Hecaten antiquitus coluere in triviis; propterea quod eandem & Lunam & Dianam & Hecaten vocarent.* Nec mirum triplici nomine appellatam fuiſſe Deam, quippe cui triplex tributum a Jove credebatur imperium, unum in cælo, in terra alterum, tertium apud inferos, propter quod & χθονίας vel καταχθονίας mactari ſolebat cognomine. Heſiodus: ( 16 )

H δ'

Ἡ δ' ὑποκυσσαμένη Ἑκάτην τέκε, τὴν
περὶ πάντων
Ζεὺς Κρονίδης τίμησε. πόρεν δέ οἱ ἀγλαὰ
δῶρα,
Μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο
θαλάσσης.
Ἡ δὲ καὶ ἀστερόεντος ὑπ' οὐρανοῦ ἔμμορε
τιμῆς
Ἀθανάτοις τε θεοῖσι τετιμένη ἐστὶ μά-
λιστα
*Illa autem* ( Asteria ) *gravidata Hecaten peperit, quam super omnes*
*Jupiter Saturnius honoravit: dedit vero ei splendida dona,*
*Potestatem ut habeat terræque & infrugiferi maris.*
*Imo etiam stelligero in cęlo sortita est honorem*
*Immortalibusque Diis honorata est maxime.*

*Apollonius Rhodius*: ( 17 )
Ἑπτάκι δὲ Βριμὼ κουροτρόφον ἐγκαλέ-
σασα
Βριμὼ νυκτιπόλον χθονίην ἐνέροισιν ἄνασ-
σαν.
*Septies Brimo nutricem juvenum evocans,*
*Brimo noctivagam, subterraneam, inferis præsidentem*

Hinc etiam natam credo consuetudinem Hecaten triplici forma effigiandi, cujus auctor extitit Alcamenes quidam, qui teste Pausania (18) πρῶτος ἀγάλματα Ἑκάτης τρία ἐποίησε προσεχόμενα ἀλλήλοις, *triplex fecit junctis corporibus Hecates signum*: Quo Virgilius ( 19 ) respexit, quando

*Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ*

dixit. Et Ovidius ( 20 ) hoc versu:

*Ora vides Hecates in tres vergentia partes* Nempe caput ei fingebant triplex, quorum unum, idque dextrum caninum esset, medium suis agrestis, sinistrum equinum, ut ex Orpheo ( 21 ) discimus.

Σὺν δ' αἰολόμορφος ἵκανε,
Τρισσοκέφαλος ἰδεῖν, ὀλοὸν τέρας, οὐ-
δαπτόν,
Ταρταρόπαις Ἑκάτη. λαιοῦ δ' ἄρ ἐπέσ-
συθεν ὤμου
Ἵππος χαιτήεις. κατὰ δεξιὰ δ' ἦεν ἀ-
θρῆσαι
Λυσσῶπις σκυλάκη. μέσση δ' ἔφυ ἀ-
γριόμορφος.
*Cum illa, varias formas habens*
*Triceps conspiciendam se dedit, monstrum horrendum, infandum,*
*Tartarea Hecate: e sinistro enim humero caput quatiebat*
[illegible] a-

*Rabiosus canis. Medium vero caput ferinam faciem habebat.*

Isidorus ( 22 ) *Eandem, Dianam, & Triviam asseverant, quod tribus fingatur figuris. De qua Virgilius*:

– Tria virginis ora Dianæ,

*quia eadem Luna, eadem Diana, & eadem Proserpina vocatur. Sed cum Luna fingitur*:

-- Sublustri splendet amictu.
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux.

Sic & nummum illum, in quo tres mulierum formæ, tergis junctæ tribusque instructæ capitibus, cum cane pedibus assistente repræsentantur, non ad Furias, uti Ezech. Spanhemius, ( 23 ) qui nummum protulit, opinatus est, sed ad Hecaten referendum esse, Mich. Angelus ( 24 ) *Causeus de la* Chausse ostendit. Aliam tamen ejus figuram in mœnibus castelli Ephesini observavit solertissimus antiquitatis indagator, Jac. Sponius, cujus verba subtexo ( 25 ): „ Dans la „ muraille se voit enclavé par le dehors „ un autre bas relief d' une tête avec „ un serpent d'un côté & un arc de l' „ autre, ce qui represente cette Divi„ nité, que les payens appelloient Pro„ serpine (26) dans les Enfers, qui est „ marquée par le serpent, la Lune dans „ le Ciel, qui est exprimée par cette „ tête, & Diane sur la terre, qui est „ designée par cet arc. Ce sont ces trois „ Divinitez, qui selon leur Theologie „ n'en faisoient qu'une; qu'ils nommo„ ient aussi *Hecate triformis*, (27) He„ cate a trois visages, & qu'on pour„ roit dire avec beaucoup d'apparence „ avoir été un ombre, ou un crayon „ de la tres sainte Trinité. “ Pro triplicis hujus & nominis & potestatis symbolo in triviis etiam culta fuit Hecate, τελοδίτιδος *triviæ* cognomen inde consecuta. (28)

IV. Ex his igitur etsi intelligi jam potest, Hecates nomine Lunam veneratos esse Græcos, convenit tamen instituto nostro, ut testimoniis etiam luculentioribus idem confirmemus. Quid potest esse clarius invocatione hac, qua apud *Senecam* (29) utitur nutrix?

*O magna, silvas inter & lucos, Dea,*
*Clarumque cœli sidus, & noctis decus,*
*Cujus relucet mundus alterna face,*
*Hecate triformis?*

Idem aperte indicat Menelaus apud *Euripidem*: (30)

Ὦ φω-

Ω' φωσφόρ' Ἑκάτη πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.
*O Hecate lucifera ſpectra nobis offer lata.*

Nec minus verſus iſti poetæ cujuſdam veteris, quibus Hecate incantatorem quendam ſic alloquitur: (31)

Ἠέλιον μετὰ φέγγος, ἀπείριτον ἀστεροπληθὲς,
Ἄχραντον πολὺ δῶμα θεοῦ λίπον, ἠδ' ἐπιβαίνω
Γαίης τ' ἀῤῥήτων ἐπέων, οἷς δὴ φρένα τέρπει
Ἀθανάτων ἀδαὴ θνητὸς βροτὸς.
*Poſt matutinum ſplendorem, immenſam, aſtris refertam*
*Et incontaminatam prorſus domum Dei reliqui, atque venio*
*In terram vivorum alumnam tuis monitis*
*Suaſuque nefandorum verſuum, quibus certe præcordia delinit*
*Immortalium rudia mortalis homo.*

Et non longe poſt:

Τίπτε μ' ἀεὶ θείοντος ἀπ' αἰθέρος ὧδε καθίζων,
Θειοδάμοις Ἑκάτην μὲ θεὴν ἐκάλεσσας ἀνάγκαις.
*Cur me ſemper currente ab æthere, hic deſidens,*
*Divinam domantibus me Hecaten Deam evocaſti neceſſitatibus.*

*Theocritus* (32) quidem Hecaten a Selene ſive Luna diſtinguere videri poterat, cum ex pharmaceutriæ perſona ita canit:

Φαῖνε καλόν. τὶν γὰρ ποταείσομαι ἅσυχα δαῖμον,
Τᾷ χθονίᾳ θ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι
Ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία, καὶ μέλαν αἷμα.
*Lucoas pulchre: ad te enim convertam carmina placide o Dea,*
*Et ad Hecaten ſubterraneam, quam etiam catuli timent,*
*Cum incedit per mortuorum ſepulchra, & atrum ſanguinem.*

Verum, ſi quid recte judico, ſpectant hæc non tam ad duo eaque diverſa numina, quam ad duas ejuſdem numinis virtutes atque poteſtates, nominibus duobus ſignificari ſolitas, ut hæc ſit ſententia: „ Ad te carmina mea converto „ Dea, quæ Selenes ſub nomine virtu„ tem in cœlo exſeris tuam, quando „ lumen in terram ſpargis, quamque „ Hecaten ſimul appellant mortales, „ quatenus cum poteſtate & imperio „ apud inferos verſaris. “ In hac opinione Scholiaſten quoque fuiſſe deprehendo, quippe ad locum illum inter alia ſic commentatur: Ἑκάτη ἡ αὐτή ἐςι τῇ Σελήνῃ: *Hecate eadem eſt ac Selene, ſive Luna.*

V. Ut vero propius tandem ad propoſitum noſtrum accedamus, Lunam, Σελήνην vulgo dictam, Μήνην Græcis antiquioribus nuncupatam fuiſſe, demonſtrari oportebit. Teſtatur autem hoc, præter *Heſychium* & *Suidam*, qui ambo Μήνην Σελήνην interpretantur, *Diodorus* cumprimis *Siculus*, (33) qui ab Atlantiis traditum ſcribit, quod Helius, matri in ſomnis adſtans, prædixerit, ὀνομασθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἥλιον μὲν, τὸν πρότερον ἐν οὐρανῷ πῦρ ἱερὸν καλούμενον, Σελήνην προσαγορευόμενον, *qui olim ſacer in cœlo ignis vocatus eſſet, Helium appellatum iri ab hominibus, & Selenen, quæ Mene dicta fuiſſet*. Minime tamen uſus iſtius nominis ita fuit abolitus, quin poſterioris etiam ætatis ſcriptores interdum iſtud pro illo Σελήνης uſurpaverint. Ita enim in veteris poetæ carmine, quod ad Manethonis fragmenta edidit *Gronovius*, νυκτιφαὴς Μήνη, *Luna noctu lucens*, memoratur. Quin imo Romanos illud a Græcis quondam acceptum in ſua lingua conſervaſſe, hic *Plutarchi* (34) locus docere nos poteſt: Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενέτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν; ἢ ὅτι δαίμων ἐςὶν ἡ Γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν; ῥύσιν γάρ τινα σημαίνει τοὔνομα καὶ γένεσιν, ἢ ῥέουσαν γένεσιν. ὥσπερ οὖν οἱ Ἕλληνες τῇ Ἑκάτῃ, καὶ τῇ Γενέτῃ κύνα Ῥωμαῖοι θύουσιν ὑπὲρ τῶν οἰκογενῶν. Ἀργείους δὲ Σωκράτης φησὶ τῇ Εἰλιονίᾳ κύνα θύειν διὰ τὴν ῥᾳστώνην τῆς λοχείας. *Cur Manæ Genetæ canem immolant Romani, votoque petunt, ne quis domi natorum bonus fiat? An quod hæc Dea ortui ac partui præeſt interitui obnoxiorum ac fluxorum corporum? (fluxum enim quendam & generationem, ſeu generationem fluxam vox a manando ducta indicat). Ut igitur Græci Hecatæ; ſic Romani Genetæ canem immolant pro domi naſcentibus. Argivos etiam Socrates ait cane Lucinæ rem ſacram facere, ob facilitatem pariendi.* Circa quæ duo ſunt, quæ monenda putamus. Primum, quod ſacra eadem apud Romanos Manæ Genetæ facta ſunt, ac Hecatæ apud Græcos, puta ex cane, hinc liquere, quod unum idemque numen ſint. Deinde falſum in eo eſſe Plutarchum, quando Manæ nomen ex *manandi* verbo ortum eſſe exiſtimavit, cum manifeſto illud ipſum Græcum Μήνη ſit, forma Dorica vel Æolica, quæ eſt Μῆνα l. Μάνα, prolatum. *Iſidorus* Hiſpalenſis (35) ex eodem nomine Latinorum *menſis* factum credidit,

*Menſis*, inquit, *nomen eſt Græcum, de lunæ nomine tractum. Luna enim μήνη Græco ſermone vocatur*. Prætermittimus loca & documenta alia, a viris doctis *Ant. Bynæo* (36), *Camp. Vitringa* (37) & *Dav. Millio* (38) magno numero indicata. Unicum tamen, qui illos effugit, locum non poſſum, quin adjiciam. Extat is apud *Moſchum* (39):

Ἕσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας,
Ἕσπερε κυανέας ἱερὸν φίλε νυκτὸς ἄγαλμα,
Τόσσον ἀφαυρότερον Μήνας ὅσον ἔξοχος ἄστρων.

*Veſper amabilis, aurea lux Veneris,*
*Care Veſper, cæruleæ noctis imago ſacra,*
*Tantum obſcurior Luna* (Μήνας) *quantum præſtantior aſtris.*

Vbi quidem ſatis perſpicuum ex re ipſa & contextu carminis eſt, per Μήναν idem ſignificari aſtrum, quod verſu ſtatim quinto, uſitatiori vocabulo Σελαναία dicitur. Nec omittendus plane videtur ſcriptor recentior hymni illius in Chriſtum (40), qui Gregentio in MS. præfixus eſt, ex quo hos apponemus verſus:

Ἀγγέλων θεῖαι σοῦ χορεῖαι
Εἰσὶν, αἰῶνές τε τρέχουσ' ἄπαυστοι
Ἥλιος, Μήνη, τὰ δὲ λαμπρὰ κόσμου
Ὄμματα στίλβει.

*Conditæ per te choreæ Angelorum*
*Seclaque æterno rapiuntur actu*
*Luna, Sol, per te atque oculi orbis almi ſidera florent.*

VI. Hæc igitur duo vocabula Ἑκάτη & Μήνη originem dediſſe, arbitror Hebraicis גד & מני. Quod ut appareat, id mihi ante omnia præſtruendum eſſe ſentio, quod loco illo ritus quidam ſuperſtitioſi a Propheta vituperentur, quos Seleucidarum ſub imperio a Græcorum gente admiſſuri eſſent Judæi, parum fidi religionis avitæ cultores, antea ipſis nec exerciti, nec cogniti. Sunt autem varia hujus rei eaque minime obſcura in toto illo ſermone indicia, ex quibus brevitatis cauſa præcipuum tantum memorabo. Suppeditant hoc nobis verba v. v. quibus ob carnis porcinæ comeſtionem reprehenduntur Judæi: האכלים בשר החזיר ופרק פגלים בכליהם *Comedentes carnem porcinam, & fruſtum carnium abominandarum in vaſis eorum*. Sane enim nullo unquam tempore hujus ſe criminis reos fecerunt Judæi, quam Antiochi Epiphanis ætate, qui Syrorum Rex partim blandis verbis & pollicitationibus, partim etiam minis ac ſuppliciis diris, Judæorum bene multos eo adegit, ut ritu patrio deſerto Græcum ſuſciperent, ac, in ſpretæ a ſe legis Moſaicæ documentum evidens, carne ſuilla idolothyta, & id genus cibis aliis veſcerentur. Quam Antiochi crudelitatem copioſa & luculenta narratione perſecuti ſunt auctores librorum, qui Maccabæorum (41) nomine inſcribuntur. Animadverterunt hoc, qua fuerunt ſagacitate, interptetes duo præſtantiſſimi, *Hugo Grotius & Camp. Vitringa*, quorum hic, veſtigiis illius inſiſtens, affirmare non dibitavit, „ quod „ hic omnino alludi videatur ad ſuper„ ſtitionis fœdiſſimum genus, quo pro„ fani inter Judæos multi ſe polluerunt „ tempore Antiochi Epiphanis, ut pla„ ne etiam videtur liquere ex parallelo „ loco c. LXVI. 17. In ſcriptis enim hi„ ſtoricis & propheticis aliis veteris fœ„ deris nulla hujus criminis memoria. " Quemadmodum vero eſus carnis ſuillæ, ita procul omni dubio crimina etiam reliqua, eadem prophetæ oratione Judæis exprobrata, ab alio populo nullo, quam a Græcis, Syriæ & Palæſtinæ, uti notum ex hiſtoria, tunc imperantibus, adſcivere irreligioſiores ex gente iſta homines. Referri igitur ad claſſem illam quoque oportebit cultum τῆς Gad & Meni. Ex quo conſequitur, rem, de qua loquitur propheta, Græcam eſſe, imo addere auſim, apud Judæos tempore illo novam & ignoratam antea. Exploratum certe eſt, uti carnis porcinæ a Judæis ante ævum illud comeſtæ, ita & cultus τῆς Gad & Meni præſtiti, nullum in memoriis Judaicis apparere veſtigium. Res igitur ſi Græca eſt, a Græcis ad Judæos profecta, nomina etiam, quibus hi eandem, Eſaia prædicente, appellaturi erant, Græca eſſe, vero eſt ſimillimum. Ita enim ſolet fieri, ut rerum peregrinarum peregrina etiam gens ea ſervet vocabula, quæ illas recipit: id quod noſtrum inter Germanos nos exemplum docere poteſt in rebus variis, quas a Gallis Italiſque accepimus. Quod ſi igitur reperiri in Græcorum religione poſſit numen aliquod, cui cum nomen Gad & Meni, tum cultus etiam huic, Eſaia nuncio, a Judæis præſtandus aptari poſſit commode, vix dubium eſſe poterit, quin illud prophetæ animo fuerit obverſatum.

VII. Hujuſmodi autem numen Hecate eſt, alio nomine Μήνη, ſicut antea oſtendimus, vocitata. Primum enim nomen utrumque Gad & Meni optime huic convenit, utpote ſimillimum. Nam ſi ex Ἑκάτη terminationem, ut fert conſuetudo, abjeceris, & deinde, pro more orientalium, paulo celerius, vocali prima abſorpta, vocem protuleris, habebis

Kat,

*Kat*, quod ſolo adhuc ſono duriori differt a *Gad*. K vero & G cum ejuſdem organi ſint litteræ, pariter ac T & D, facile inter ſe permutantur. Hinc quod Græcis eſt Κάμηλος, Hebræorum ore effertur גמל *gamal*, & ex Græcorum *ἀμοργὴ amurcam* faciunt Latini, ac viciſſim ex Κόμμι *gummi*. Q. Terentius Scaurus (42): C *cognationem cum* G *habet : & ideo alii dicunt Camelum. alii Gamelum*. מני vero quam affine ſit τῷ Μήνη cum nemo non facile pervideat, his quidem operoſius inter ſe comparandis ſuperſedere potero. Unicum tantum moneo; terminationem Græcam η Judæos interdum in י convertere. Bxemplo ſit אוני, quod eſt ex Græco ὠνὴ *emtio*. Itaque opus non erit nominum גד & מני natales in oriente quærere, & cum Cl. Millio ex جد ſgadda l. gadda, *felix*, *bonus fuit*, hoc vero ex مني mana, *fluxit*, arceſſere. Ceterum longius, quam limites permittunt, exſpatiaremur, ſi in nominis etiam Græci Ἑκάτη originem veram accuratius inquirere inſtitueremus, aut Græcorum de numine illo mythos excutere. Alii hoc ſervandum eſt opportunitati.

VIII. Quando vero Seleucidarum demum temporibus (de quibus vaticinatus illo ſermone eſt Eſaias, quibuſque voces Græcas plurimas in Judæorum linguam illatas eſſe, apud ſagaciores philologos in confeſſo eſt) nomen æque ac cultum numinis ficti *Gad* a Græcis mutuatos Judæos eſſe §. VI. profeſſus ſum, duo eſſe intelligo, quæ opponi mihi poſſint. Unum eſt, quod Moſes jam tum Gadæ (43) mentionem injiciat, quando Leam, cum filium ſibi ex Silpa natum videret, lætam exclamaſſe refert, בגד *bagad*. Hanc enim exclamationem interpretes complures, LXX. & vulgatum, qui ἐν τύχῃ, *feliciter* reddidere, ſecuti, ita acceperunt, quaſi numen aliquod orientalibus *Gad*, Græcis τύχη, Latinis *Fortuna* dictum illa concelebretur. Sed dubium ſane eſt, neque extra controverſiam adhuc poſitum, propriine an appellativi nominis loco habenda ibi ſit vox גד. Qui propriam cenſent certi cujuſdam numinis appellationem, ii Leæ conſilium, cui in reliquorum liberorum nominatione ſimile nullum extat, Jacobo autem, ſine cujus conſenſu nomina filiis impoſita fuiſſe non eſt credibile, juſto fortaſſe majorem & a religioſiſſimo numinis cultore vix exſpectandam indulgentiam erga uxorem ſuperſtitioſam vi dentur tribuere. (44) Malim igitur cum iis facere, qui גד illo loco *turbam* ſive *catervam* exponunt, ut ita de multitudine liberorum gaviſa ſic exclamaverit fœmina, & in rei memoriam nomen filio dederit, cui *copiæ* ineſſet ſignificatio. Eſto vero per גד Deum vel Deam aliquam deſignari, Hecate certe non erit: quod nec quenquam memini eſſe opinatum. Vocabulo uno res Hebræi ſolent ſignificare plures, eaſque diverſiſſimas. Alterum quod urgere contra ſententiam noſtram poſſet, *cultus reginæ cœli eſt*, quem ſuo jam tempore Judæis exprobravit Jeremias (45). Nempe cœli reginam Lunam multi interpretantur, quam ipſam Hecates nomine cultam Græcis fuiſſe ſupra nos docuimus. Sed in interpretatione hac non eſt cur acquieſcamus, præſertim cum alii, & in his Joh. Seldenus, (46) ac majori quidem veri cum ſpecie, reginæ cœli titulum ad Junonem retulerint. Negari interim nolim, Lunam Judæos, etiam ante exilium Babylonicum, tanquam Deam, ac menſium, qui lunares ipſis erant, præſidem, adoraſſe: quod autem adhibitis vel nominibus Græcis, qualia ſunt Ἄρτεμις, Εκάτη, Σελήνη & Μήνη, vel ritibus etiam Græcis ante Seleucidarum id fecerint imperium, vix quiſquam mihi perſuadebit.

IX. Porro, ut Hecaten & Μήνην in animo habuiſſe credam vatem divino actum ſpiritu, præter nominum ſimilitudinem. cultus etiam facit ratio eadem. Quemadmodum enim Gadæ & Meni menſam Judæi cibis inſtructam potionemque appoſuere mixtam, ita Hecatæ quoque Græci in noviluniis menſam poſuere in triviis, addito ſimul mixto libamine. Apparatum illum omnem δεῖπνον Ἑκάτης, *Hecates cœnam*, Græcis appellare mos fuit. Nos eum primum univerſe ex monumentis fide dignis deſcribemus, tum per partes explicabimus, & cum Eſaiæ dictis componemus. Sic igitur de cœna illa Ariſtophanes (47)

> Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι,
> Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον.
> φησὶ γὰρ αὕτη,
> Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προπέμπειν.
> Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.
>
> *Ex Hecate hoc ſcire licebit.*
> *Utrum ſatius ſit ditem, quam inopem vivere. Nam ipſamet inquit,*
> *Opulentos & dites quovis menſe ſibi apponere cœnam:*
> *Inopes vero & egenos prius auferre hanc quam pene feratur.*

Ad quæ Scholiaſtes: Τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις ἐτίμων τὸ παλαιὸν, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σε-

Σελήνην καὶ Ἀρτέμιδα καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. Κατὰ δὲ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι δεῖπνον ἑσπέρας, ὡς θυσίαν, τῇ Ἑκάτῃ προσάγοντες, ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἐτίθουν. οἱ δέ γε πένητες ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ ἤσθιον αὐτὰ, καὶ ἔλεγον, ὅτι ἡ Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά. Λέγει οὖν παρὰ τῆς Ἑκάτης μάθωμεν, τῆς ἐπισταμένης τί καλὸν, Πενία, ἢ Πλοῦτος. αὕτη γὰρ ἐπίσταται, τίνες παρέχουσιν αὐτῇ δεῖπνα. Ἄλλως. Ἔθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ μῆνα τιθέναι τῇ Ἑκάτῃ τοὺς πλουσίους, λαμβάνειν δ' ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας. ἀπὸ τῶν ἱερῶν γὰρ οἱ πτωχοὶ ζῶσιν. Sententiam verborum *Car. Girardus* (48) hunc in modum expressit: „ Moris fuit „ pevetusti, ut Luna ( Hecaten vocat „ uti Aristophanes ipse, ita etiam Scholiastes ) in triviis coleretur, illicque „ potius, quam in biviis & quadriviis, „ quod tribus vocaretur nominibus, Σελήνη, Ἄρτεμις, Ἑκάτη. Et quoniam „ menses ad cursum lunæ prisci metiebantur, κατὰ νουμηνίαν, i. e. nuvilunio „ ( qui primus dies mensis erat ) in triviis pro sacrificio *Cœnam* divites *Lunæ* „ ( *Hecatæ* ) vesperi apparabant, ex panibus nonnullisque aliis, in quem locum irruentes pauperes protinus illatos cibos devorabant, quos Lunam „ comedisse dictitabant. “ *Plutarchus*, (49) postquam graviter monuisset, non decere, ut ad convivium invitatus multos alios eo secum adducat, subjicit, fore alioquin, ὥς τε πάσχειν τοὺς δειπνίζοντας ἃ πάσχουσι οἱ τῇ Ἑκάτῃ καὶ τοῖς ἀποτροπαίοις ἐκφέροντες τὰ δεῖπνα μὴ γευομένους αὐτοὺς, μηδὲ τοὺς οἴκοι πλὴν καπνοῦ καὶ θορύβου μετέχοντας, *ut qui convivium præbet eadem fortuna utatur, qua ii, qui* Hecatæ *& averruncatoribus geniis* Cœnas *exponunt, fumo interim & molestiis vexati*. Cibos autem Hecatæ in cœna illa appositos vilioris fuisse generis, tum ex Aristophane ejusque scholiaste, tum etiam ex his Antiphanis poetæ apud *Athenæum* (50) intelligimus:

> Δηλονότι ταῦτα ἐστὶν Ἑκάτης βρώματα
> Ἅ φησιν οὗτος μαινίδας καὶ τριγλίδας.
> *Ea quidem certe sunt Hecates cibaria*
> *Quæ iste narrat, Mænides & Triglides.*

Pisces hi erant minimi atque contemtissimi. Accidit hinc, ut *Hecates cœna* in proverbium abierit, de quo referri huc juvat, quæ *Erasmus* (51) commentatus est: „ Veteres cœnam perparcam & im„ pendio frugalem Hecatæ cœnam ap„ pellabant, quod apud inferos tenuissi„ mo victu minimoque cibo eoque vi„ lissimo vivitur, juxta poetarum theo„ logiam. Siquidem umbræ plebejæ „ malva porroque victitant. Hecate Mæ„ nidas, pisces apud nos contemtissimos, „ habet in deliciis, ut sibi sacros. Un„ de & Athenis locum esse dictum Tri„ glam, atque inibi simulacrum Heca„ tes Triglantinæ. “ (52) Hac de causa Hecates cœnam *Lucianus* inter Cynicorum cibos refert, & cum lupinis rebusque ex lustratione relictis, quæ vilissimæ censebantur, conjungit. Repræsentat certe (53) Diogenem harum rerum cupidum, quippe qui Pollucem, jubeat Menippo mandare, ut ad inferos descendens veniat ἐμπλησάμενος τὴν πήραν θέρμων τε πολλῶν, καὶ εἴ που εὕροι ἐν τῇ τριόδῳ Ἑκάτης δεῖπνον κείμενον, ἢ ὠὸν ἐκ καθαρσίου, ἤ τι τοιοῦτο, *pera impleta & multo lupino, & sicubi in trivio positam inveniat Hecates cœnam, aut ovum ex lustratione relictum*. Alibi (54) Charontem & Menippum introducit sic inter cetera colloquentes: CH. δεῖξον τί ἐν τῇ πήρᾳ ἔχεις. *Ostende, quid habeas in pera*. MEN. Θέρμους εἰ θέλεις καὶ τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον. *Lupinum si velis, & Hecatæ cœnam*. Sic & *Demosthenes* (55) sorditiem quandam Canoni exprobraturus, ait eum ἑκατήσια κατεσθίειν *cibos Hecatæ appositos devorare*.

X. Hæc commentanti recordari subit illius Plutarchi loci, quo κώμου Ἑκάτης mentio injicitur, nec abs re plane videtur paucis, ὡς ἐν παρόδῳ, disquirere, utrum κῶμος Ἑκάτης idem ibi sit ac δεῖπνον Ἑκάτης, an diversum quid. Recitat *Plutarchus* (56) ex poeta quodam vetere versus hos:

> Ἀλλ' εἴτ' ἔνυπνον φάντασμα φοβῇ
> Χθονίας θ' Ἑκάτης κῶμον ἐδέξω
> Τὴν περιμάκτριαν κάλει γραῦν.
> *Si visum quoddam in somno oblatum timeas,*
> *Aut Hecates subterraneæ comessationem* ( ita vulgo vertunt ) *acceperis,*
> *Piatricem advoca vetulam.*

Consilium est, quod præstigiator aliquis homini dat superstitioso, qui ex somnio tristi dira sibi metuit mala. Observamus hic obiter, τὴν περιμάκτριαν γραῦν perperam a *Xylandro* verti *vetulam, quæ pistrino adsidet*; debuisset enim, *piatricem* reddere. Nam περιμάξαι, est *circumferre*, sive applicare aliquid *corpori expiandi* causa. De quo ritu legi merentur, quæ post *Isaac. Casaubonum* (57), *Joh. Lomeierus* (58) studiosissime commentatus est. *Polluci* (59) ἀπομάκτρια dicitur, quæ Plutarcho est περιμάκτρια. Talem Glaucotheam s. Empusam fuisse, Æschinis matrem, ipsi oratori huic objicit *Demosthenes*. (60) Paucis, fœminam hic præstigiator postulat talem, qualem *Ovidius*: (61)

Et

*Et veniat quæ lustret anus lectumque locumque,*
*Præferat & tremula sulphur & ova manu.*

Expiatione igitur, ex opinione Græcorum vulgari, indiguisse oportet, cui κῶμος Ἑκάτης obtigerat, præsertim cum superstitioso suo hæc insuper præcipiat præstigiator: καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν καὶ καθίσαν ἐν τῇ γῇ διημέρευσον, *mari corpus merge, ac per totum diem humi deside*. Hoc ipsum vero movet me, ut per κῶμον Ἑκάτης longe aliud quid designari existimem, quam *cœnam Hecates*, qua usos lustrari aut expiari debuisse nusquam reperio. Ingenio si quid indulgendum esset, pro κῶμον reponendum suspicarer τρόμον, ut hic esset sensus: *si terrorem ab Hecate, spectrorum præside, immissum accepisti*. Sed salva esse potest vulgata lectio, cum præter illam *commissationis*, plures etiam alias κῶμος vox admittat significationes, in quibus sunt, quæ optime huc videntur quadrare. Ut reliquas mittam Lexicographis notatas, κῶμος apud *Euripidem* (62) *turbam* notat, speciatim juvenum ad bellum euntium:

Ἦν δ' ἀπιστῶσ', οἵδε δεύτεροι λόγοι
Κῶμον δέχεσθαι τὸν ἐμὸν ἀσπιδηφόρον.
*Si parere nolint*, (verba sunt Thesei) *hæc erunt secunda verba*,
*Turbam meam scutiferam ut exspectent*, seu respiciant.

Item *agmen* (63):

Κἂν τῷδε μόχθῳ πτηνὸς ἐσπίπτει δόμοις
Κῶμος πελειῶν.
*Et in hoc labore irruit in domum volucre*
*Agmen columbarum*.

Nec non *sodalitium* s. *comitatum Bacchicum* (64):

χ' ὥστε Βακχίῳ
Κῶμοι συνασπίζοντες Ἀλθαίας δόμους
Προσῆτ', ἀοιδαῖς βαρβίτων σαυλούμενοι.
*Cum Baccho*
*Sodalium chori simul tutantes Althææ domum*
*Aderatis, cantu barbitorum delectati*.

Qui tres significatus, uti valde sunt cognati, ita singuli phrasi δέχεσθαι κῶμον Ἑκάτης apti sunt. Sit igitur κῶμος Ἑκάτης *turba*, *agmen* vel *comitatus* Hecates, eumque δέχεσθαι *visione nocturna accedentem ad se cum horrore conspicere*. Nam de hujusmodi visione sermonem hic esse præcedentia arguunt: Εἴτ' ἐνύπνιον φάντασμα φοβῇ. Ecquid vero turba, agmen vel comitatus iste? Omnia φαντάσματα τὰ καλούμενα Ἑκαταῖα (65) *spectra*, *quæ vocantur Hecatæa*, quod scilicet ab Hecate immitterentur. Nempe Hecaten nocturnis spectris & terriculamentis præesse credebant. Præcipuum in his erat, quod *Empusæ* gerebat nomen, de quo Scholiastes *Aristophanis*: (66) Ἔμπουσα φάντασμα δαιμονιῶδες ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον, καὶ φαινόμενον τοῖς δυστυχοῦσιν. ὃ δοκεῖ πολλὰς μορφὰς ἀλλάσσειν. Καὶ οἱ μὲν φασιν αὐτὴν μονόποδα εἶναι, καὶ ἐτυμολογοῦσιν οἱονεὶ ἑνίποδα, διὰ τὸ ἑνὶ ποδὶ κεχρῆσθαι. οἱ δὲ ὅτι ἐξηλλάττετο τὴν μορφήν. δοκεῖ δὲ καὶ ταῖς μεσημβρίαις φαντάζεσθαι ὅταν τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσιν. *Empusa spectrum est dæmonicum, quod infortunatis, Hecate immittente, apparet, & in formas mutari videtur plurimas. Quidam illud uno tantum pede ajunt præditum, ideoque dictum putarunt* ἔμπουσαν, *quasi* ἑνίποδα. *Alii vero ex formæ mutabilitate nominis rationem repetunt. Videtur vero etiam ipsa meridie apparere, quando manibus parentant*. Latius vero Ἐμπούσης vocabulum usurpatum postea fuit de spectro quovis, quo homines perterrefaceret Hecate. Hinc Hecuba, quam *Lycophron* (67) dicit

Κλαγγαῖσι ταρβήσουσαν ἐννύχοις βροτούς
*Clangoribus territuram nocturnis homines*,

postquam scilicet in canem mutata esset ab Hecate, ipsa etiam Empusa vocatur a *Theocrito*. (68) Itaque κῶμον Ἑκάτης *spectra* interpretor, quæ ad Hecates, tanquam ducis & principis, mandata terrorem incutiunt mortalibus (69). Hæc igitur si per somnium visa forte essent, suadet præstigiator superstitioso, ut lustretur, aqua marina se abluat, imo humi per totum diem desideat. Pervulgatus enim Græcorum mos erat, ut insomnio tristi, vel spectaculo quodam nocturno, territi ritus susciperent expiatorios, speciatim aqua vel marina vel fluviali sese lavarent, quo minas somnii a se averterent: cujus moris multa passim in scriptis veterum extant exempla. Ita *Æschylus* apud *Aristophanem* (70):

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Κάλπισι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
Θέρμετε δ' ὕδωρ,
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.
*Sed mihi famulæ facem accendite,*
*Situlaque ex fluviis aquam date,*
*Calefacite vero aquam,*
*Ut divinum somnium abluam.*

Exemplum aliud apud *Æschylum* (71) Atossa præbet, Xerxis mater, quæ somnio, quo curru excussus filius Xerxes, adstante mortuo jam ante patre Dario, perterrita, ait:

Ἐπεὶ δ' ἀνέστην καὶ χεροῖν καλλιρρόου

Ἔψαυσα πηγᾶς σὺν θυηπόλῳ χερί.
*Postquam vero surrexi, ac manibus pulcre fluentem*
*Tetigi fontem religiosa manu.*

Ita Circe quoque, post infausta somnia, abluit se aqua marina. *Apollonius Rhodius* (72).

Τῷ καὶ ἐπιπλομένης ἠοῦς νοτίδεσσι θαλάσσης
Ἐγρομένη πλοκαμούς τε καὶ εἵματα φαιδρύνεσκε.
*Quocirca sub ortum diei, marino rore*
*Evigilans crines abluebat, & vestimenta.*

Pariter Ædesius a somnio expergefactus τὸν παῖδα καλεῖ, τὴν ὄψιν καὶ τὸ πρόσωπον ἀποσμῆσαι τῷ ὕδατι βουλόμενος, *servum advocat, faciem aqua volens abstergere*, ut refert *Eunapius* (73). Exempla plura commemorant *Jo. Lomejerus*, (74) *Ezech. Spanhemius* & *Lud. Kusterus* (75). Judæi etiam, quod addere liceat, consuetudinem servant similem, quando post insomnium aliquod infaustum, ominis avertendi causa, jejunium sibi imperant, ipso etiam sabbato, quod a jejuniis alioquin immune prorsus esse debet. (76) Sed satis de his; accedamus nunc ad specialiorem formularum, quibus sacra Gadæ facta describit propheta, considerationem.

XI. Priori loco nobis hic occurrit ערך שלחן *mensam instruere*, qua phrasi facile patet actum indicari, quo mensa quædam adornatur epulis. Hoc autem in sacris, nominatim in cœna Hecates, fieri apud Græcos consuevisse, ex *Polluce* (77) cognoscimus, qui ex Sophocle Ἑκαταίας μαγίδος δόρπον, *Hecatææ magidis cœnam* memorat. Μαγὶς autem inter alia, quemadmodum idem docet Pollux, mensa dicitur ἡ ἐπιτιθεμένη καὶ αἰρομένη, *quæ apponitur &, ut collibuit, tollitur*. *Helladius* (78): Ἡ μαγὶς, ἀντὶ τῆς τραπέζης Αἰγύπτιον δόξει καὶ παντελῶς ἔκθεσμον: *Vox μαγὶς pro illa τραπέζης usu loquendi Ægyptiaco, & plane præter morem adhiberi videtur*. Addit tamen interim, observante *Sebero*, hoc sensu voce ea non tantum usum Sophoclem Atticum, sed etiam Epicharmum Doricum & Cercidam τὸν μελοποιόν. (79) Affinis eadem vox Arabice مايدة *maida*, *mensam* significanti *cibis oneratam*, ut in isto Corani: (80) قال الحواريون يا عيسي ابن مريم هل يستطيع ربك لن ينزل علينا مايدة من السما قال اتقوا الله لن كنتم مومنين *Dixerunt apostoli: O Jesu fili Mariæ, an poterit Dominus tuus demittere ad nos mensam de cœlo? Respondit: Timete Deum, si estis fideles.* Nullus autem dubito, quin μαγὶς Ἑκαταία mensa Sophocli sit cibis illis recipiendis inserviens, qui Hecatæ quovis novilunio pro δείπνῳ apponebantur. Nam δόρπον, quod mensæ illi tribuit Sophocles, idem esse ac δεῖπνον inter omnes constat. Spectat denique huc etiam illud *Plutarchi* (81): Ἀλλ' οἴεται δεῖν τροφὴν εἶναι ὁ Κλεόδημος, ὅπως τράπεζαι καὶ κρατῆρες ὦσιν, ἃ Δήμητρι καὶ Κόρῃ θύεται ἔτι. *Alimentum esse debere putat Cleodemus, ut* Mensæ *sint &* Crateres *possitque Cereri & Proserpinæ* (Hecatæ) *sacrificari*. Ad istam igitur mensam Esaiam respexisse arbitror, non ad *aram* quandam, in qua sacrificium fieret, sicuti Cl. *Millio* visum est, quamvis non diffitear, שלחן iuterdum de *ara* adhiberi. Quippe convenientiores sacris illis mensæ erant portatiles, cum in compitis facienda essent, quam moles quædam lapidea, sive altare.

XII. Superest ממסך, quod τῇ Μηνὶ *impleri* ægre habet vatem divinum. Voce hac *mixturam*, sive *potum mixtum* indicari, ex usu vulgari verbi מסך (ex quo nomen illud derivatum) manifestum. מסך enim plerisque in locis est *miscuit*: unde ממסך recte exponitur ab interpretibus *potio mixta*, cujusmodi potio, uti Diis Deabusque aliis, ita Hecatæ quoque, pro libamine fuit oblata. Rem omnem paulo altius repetamus. Diis inferis, ad quos Hecate etiam pertinebat, nonnullisque aliis, nullum in sacrificiis exhibebatur vinum, sed sacra fiebant νηφάλια, quasi *jejuna* dicas, sive *sobria*. Polemon: (82) Ἀθηναῖοι τε γὰρ ἐν τοῖς τοιούτοις ἐπιμελεῖς ὄντες, καὶ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσιοι, νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι Μνημοσύνῃ, Μούσαις, Ἠοῖ, Ἡλίῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, Ἀφροδίτῃ οὐρανίᾳ. *Athenienses, harum rerum observandarum studiosi, & in sacrificiis Deorum faciendis diligentes ac pii, nephalia sacra faciunt Mnemosynæ, Musis, Auroræ, Soli, Lunæ,* (Hecatæ) *Nymphis Venerique cœlesti*. Nomen vero sacra hæc inde retulerunt, quod potione carerent inebriante, libaminumque in illis locum vel aqua impleret, vel mel, vel oleum. Qualibus sacris gentes plurimas priscis temporibus Deos placasse auctor est Teophrastus apud *Porphyrium*: (83) Τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν. νηφάλια δ' ἐστὶ τὰ ὑδρόσπονδα. Τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα. Τοῦτον γὰρ ἕτοιμον παρὰ μελιττῶν πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν. Εἶτ' ἐλαιόσπονδα. Τέλος δ' ἐπὶ πᾶσι τὰ ὕστερα γεγονότα οἰνόσ-

πον-

πονδα. *Antiquissima apud gentes plurimas sacrificia* ſobria *fuerunt. Vocantur autem ſobria, in quibus aqua libatur: ſucceſſit deinde mellis ( hunc enim primum acepimus fructum liquidum, ab apibus elaboratum ) tum* olei, *& poſtremo tandem vini libatio*. In quibuſdam νηφαλίοις mel miſcebatur aquæ. *Suidas* (84): νηφάλιοι θυσίαι, ἐν αἷς οἶνος ἐ σπένδεται, ἀλλὰ ὕδωρ μελίκρατον. *Dicuntur etiam ſobria ſacrificia, in quibus vinum non libatur, ſed aqua mulſa*. Sic enim vocant Latini aquam melle mixtam, quæ μελίκρατον & ὑδρόμελι a Græcis nuncupatur. De hujus conficiendi ratione & utilitate inſigni non ſuperfunctorie diſſerunt *Dioſcorides* (85), & *Plinius* (86). *Euſtatio* (87) neſcio quæ fides habenda ſit, cum ſcribit: Μελίκρατον οἱ παλαιοὶ μίγμα φασὶ μέλιτος καὶ γάλακτος. *Ajunt veteres*, μελίκρατον *mixturam eſſe mellis & lactis*. Quanquam ſtatim ſubmonet, Græcos recentiores, poſt Homerum, nomen illud aquæ dediſſe mulſæ (88). Hanc igitur aquam in ſacris potiſſimum Dianæ, ſive Hecates, libari mos fuit. Liquet id ex hiſtoria illa, quam de Camma, venuſtiſſima femina, uxore Sinati, Galatiæ reguli, & Synorige, Galatarum potentiſſimo, qui ut Camma potiretur, Sinatum interfecerat, narrat *Plutarchus* (89). „ Camma ſcilicet, poſt mariti cædem, „ refugium habuit & ſolamen calamitatis ſacerdotium *Dianæ* avitum, in cujus æde plerumque commorabatur, neminem admittens, quamquam multi „ ipſam & potentes ambirent. Cum autem Synorix auſus eſſet eandem de „ nuptiis appellare, non ſubterfugit, „ neque facinus ejus culpavit, ad quod „ ſcilicet non alia pravitas, ſed amor „ ipſius & deſiderium impuliſſet. Ergo „ Synorix fidens Cammæ venit eam in „ matrimonium peritum. Occurrit mulier, dataque dextra ad aram *Dianæ* „ hominem adduxit. Ibi ἔσπεισε ἐκ φιάλης ΜΕΛΙΚΡΑΤΟΝ πεφαρμακωμένον, „ cum de *Aqua mulſa*, quam veneno „ infecerat, e patera *Libaviſſet*, dimidium ipſa ebibit, reliquumque Synorigi ebibendum propinavit cet. “ Imprimis vero obſervatu dignum eſt, quod liquorem Hecatæ effuſum *Apollonius Rhodius* (90) μιγάδας λοιβὰς, *miſta* vocet *libamina*, quibus Hebraico ממסך nihil eſſe poteſt ſimilius.

Πηχυῖον δ' ἄρ ἔπειτα πέδῳ ἐνὶ βόθρον ὀρύξας
Νήησε σχίζας. ἐπὶ δ' ἀρνειῦ τάμε λαιμόν.
Αὐτόν τ' εὖ καθύπερθε τανύσσατο. δαῖε δὲ φιτρὰς
Πῦρ ὑπένερθεν ἱείς. ἐπὶ δὲ ΜΙΓΑΔΑΣ χέε ΛΟΙΒΑΣ
Βριμὼ κικλήσκων Ἑκάτην, ἐπαρωγὸν ἀέθλων.

*Cubitalem deinde in ſolo foſſam effodiens*
*Extruxit ligna, præterea vero agnæ ſecuit jugulum,*
*Ipſamque probe deſuper extendit, accenditque ligna,*
*Ignem ſubmittens* Miſtaque *ſuper infudit* Libamina,
*Brimonem vocans Hecaten, auxiliatricem laborum.*

Idem: (91)

Μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηΐδα μειλίσσοιο
Λείβων ἐκ δέπαος σιμβλήϊα ἔργα μελισσῶν.

*Unigenitamque Hecaten Perſeiam placa,*
*Libans ex patera alvearenſia opera apum,*

non ſine aqua admixta, ut ex priori loco patet. Tanta igitur hac etiam in parte ritus ſimilitudo; vix dubitare me ſinit, quin ſacrum Hecatæ mulſum, atque adeo cœnam Hecates omnem, ob oculos propheta habuerit.

XIII. Tandem ſicco pede prætereunda hic eſſe non videtur אחר, quo nomine alibi (92) Eſaias fictum quoddam numen deſignat. Hoc equidem nomen idem eſſe cenſeo ac גר, eidemque Deæ, cui poſterius hoc vindicavimus, competere. Res enim ipſa docet, agi iſtic quoque de Hecates ſacris: quod & diſſertatione ſingulari (93) Cl. *Millius* abunde demonſtravit. Nec ſoni magna eſt differentia; aliquam tamen eſſe nemo mirabitur, qui facile contingere meminerit, ut cum in linguam aliquam vox quædam peregrina immigrat, ſonos ea in ore peregrino nanſciſcatur diverſos. Quod non difficile foret exemplis confirmare variis, niſi experientia quotidiana otium nobis faceret. Sic qui inter Hebræos Græcum Ἑκάτη conciſius extulere molliuſque, ii dixere גר; qui plenius paulo aſperiuſque, אחר per proſtheſin τῶ א ( quod locum τῶ E in hoc exemplo impleret. ) Hebræis minime inſolitam, (94) & mutato G in CH quæ, ob cognationem, haud raro miſcentur, ſicuti videre eſt in חלבנה, χαλβάνη, *galbanum*. Pari modo Hebr. ח & Gr. K. confunduntur. Sic Hebr. *Challa*, *placenta*, a Græcis pronunciatur κολλύρα vel κολλυρίς, *Buxtorfio* etiam agnoſcente. Quæ cum ita ſint, nomen אחר non minus quam גר Hecatæ adjudicare ſuſtinemus.

NO.

# NOTÆ.

(1) Qui in *Commentar.* ad h. l. per *Gad* Apollinem ſive Solem, per *Meni* vero Lunam, Syris olim & Phœnicibus, Aſtartæ, ſive Ουρανίης, nomine cultam, intelligi exiſtimat.

(2) Hic *diſſertationum ſelectarum* quarta idem argumentum ex inſtituto tractans, in eo nobiſcum ſentit, quod utroque vocabulo, *Gad* & *Meni*, unum idemque indicetur numen, videlicet Luna; de nominum vero iſtorum origine reliquiſque huc pertinentibus plane diverſa opinatur.

(3) In *Comment.* ad Geneſ. XXX. 11. & in *notis ad Theogoniam Heſiodi* v. 411.

(4) Dans le *Comentaire ſur Eſaie*.

(5) Agnoſcit quidem *Clericus*, reſpici a Propheta ad cœnas unoquoque Menſe Hecatæ oblatas; nomina vero Gad & Meni non a Græcis profecta, ſed in oriente nata, atque גד idem eſſe exiſtimat ac חד aut חתא, vel אחתא, quod *unum* ſonat & *unam*. Idem, cum in *Biblioth. ancienne & moderne* Tom. XXI. part. 2. p. 367. *Millii* ſententiam, qua *Gad Fortunam bonam*, Lunæ tribui ſolitam, proprie ſignificare ſtatuitur, recenſuiſſet, ſubjicit: „Mr. *Mill* „ en rapporte pluſieurs raiſons appuyées ſur l' Etimologie des mots, & ſur la Religion des orientaux. Il me ſemble qu'il a raiſon, & je m'en „ ſuis expliquè depuis longtems ſur la Theogonie „ d' Heſiode. On en verra encore quelques preuves „ nouvelles dans mon commentaire ſur l' Eſaie, que „ j' ai ecrit depuis long-tems, quoi qu'l ne ſoit pas „ encore ſuous la preſſe. „ Utrum igitur priorem etymologiam adhuc teneat eruditiſſimus vir, an illam Millii, ut innuere videtur, amplexus ſit, tempus illud docebit, quo luci datus erit ejuſdem in Eſaiam commentarius, avide adhuc a multis exſpectatus. *Calmetus*, quamvis Hecates cœnam ipſe quoque attingat, mox tamen in *Vitringæ* dilabitur ſententiam. Neuter vero apparatum iſtum omnem, quo in Hecates ſacris utebantur Græci, vel diſtincte ſatis explicavit, vel ad præſentem Eſaiæ locum ſigillatim applicuit.

(6) Ut nomina hæc non appellativa, quod nonnulli crediderunt, ſed propria eſſe evincam, & quidem certi cujuſdam numinis, minime opus erit, cum opera hac pridem defuncti ſint melioris notæ interpretes.

(7) Tametſi enim עָרַךְ שֻׁלְחָן alibi *potus* æque atque *cibi* denotet appoſitionem: hic tamen ad *eſculenta* ſola phraſin reſtringi, perinde ac Pſalmo XXIII. 5. ex appoſito liquet.

(8) In de *ſacrificiis* T. Opp. III. p. 89.

(9) Pag. 55. edit. Barlæi.

(10) In *Nubibus* Act. I. ſc. 6. v. 162.

(11) Deut. XXXII. 37. 38.

(12) Cap. IX. 7.

(13) Pſ. XIV. 7.

(14) Addi his poſſunt Exod. XIX. 3. *Sic dices familiæ Jacobi, & indicabis filiis Iſraelis*. Hoſ. V. 13. *Ivit Ephraim ad regem Aſſyriæ, & miſit ad regem Jarebi*, urbis Aſſyr. Mich. V. 5. *Paſcent Aſſyriam gladio, & terram Nimrodi in portis*, limitibus, *ejus*. Obad. v. 18. *Erit domus Jacobi ignis, & domus Joſephi flamma*.

(15) Ad *Pluti* v. 549.

(16) *Theogon.* v. 411.

(17) *Argonautic.* III. v. 862.

(18) In *Corinthiacis* c. 30.

(19) *Aen.* IV. v. 511.

(20) *Faſtor.* I. v. 141.

(21) *Argonaut.* v. 975.

(22) *Origin.* lib. VIII. p. m. 197.

(23) Libro de *Cæſ. Imp. Jul.* fol. 84.

(24) In Deorum ſimulacris tab. XIII. Repræſentat figuram *Bern.* de *Montfaucon* in *Antiquitè expliquée* P. I. l. 3. c. 14. Deſcribit vero in hunc modum: „ Tres figuræ a dorſo junctæ diſſimiles ſunt; „ prima bicornem lunam capite præfert, & ſuper „ cornibus florem, quæ nota Iſidis eſſe videtur.... „ Secunda biretum, ſeu galerum Phrygium geſtat, „ ex cujus infima ora radii erumpunt, atque coronam ceu radiantem, efficiunt, altera manu gladium, altera ſerpentem geſtat..... Tertia lauro „ coronatur, dextraque manu clavem geſtat, ſiniſtra „ vero funes. „ Conf. cel. *Chriſt. Gottl. Schvvarzii* diſſ. *de Diis clavigeris* nuper admodum editam, ubi eandem figuram aere expreſſam videbis.

(25) Ex *Voyage de Græce & du Levant* T. I. p. m. 247.

(26) Hecaten enim Proſerpinam quoque dixere veterum bene multi, neque hanc ab illa diverſam putarunt. Scholiaſtes ad Idyll. Theocriti II. v. 12. Τὴν Ἑκάτην φασὶ τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ Περσεφόνῃ. *Hecaten ajunt eandem eſſe ac Proſerpinam*. Conf. *Voſſium* de *idolatr.* l. II. c. 29. p. 452.

(27) Sic a *Seneca* in *Medea* ſtatim in principio & a *Valerio Flacco Argonaut.* I. appellatur. Græcis uſitatæ appellationes ſunt, τρίμορφος, τριπρόσωπος, τρισσοκέφαλος.

(28) v. *Ever. Ottonis* de *Diis vialibus* diſſertationem p. 84. ſeqq.

(29) In *Hippolyto* v. 411.

(30) In *Helena* v. 575.

(31) Apud *Nicephorum Scholiis in Syneſium* p. 404. edit. Pariſ.

(32) Idyll. II. v. 10.

(33) *Biblioth. hiſtor.* lib. III. c. 57.

(34) In *quæſtion. Rom.* p. 277.

(35) *Origin.* I. V. c. 33.

(36) De *calceis vet. hebr.* l. I. c. 9.

(37) *Comment. ad Eſ.* LXV. 11.

(38) *Diſſ.* citat. p. 106. ſq.

(39) *Idyllio* VI.

(40) Legitur hymnus hic in Cel. Jo. *Alb. Fabricii*, *Delectu argumentorum & ſyllabo ſcriptorum pro Verit. Relig. Chriſt.* p. 111. ſq.

(41) Lib. I. c. I. & II. lib. II. c. VI. & VII.

(42) Libro de *orthographia* apud *Peringerum* de *templo Herculis Gaditano* §. III. p. 7.

(43) Gen. XXX. 11.

(44) Idem fere cogitaſſe video *Joh. Clericum*; cum ad locum iſtum commentaretur.

(45) Cap. VII. 18. & XLIV. 19.

(46) De *Diis Syris* ſyntagm. II. c. 2. p. 245.

(47) In *Pluto* v. 594.

(48) In *notis* ſuis ad Ariſtophanem.

(49) *Sympoſ.* lib. VII. p. 708.

(50) *Deipnoſophiſt.* lib. VII. p. 313.

(51) In *Adag.* chil. IV. cent. V. p. m. 791

(52) Deſumſit hæc *Eraſmus* ex *Athenæo* l. c. p. 325.

(53) In *Dialogo* Diogenis & Pollucis T. Opp. I. p. 240. ubi conferri meretur elegans *Jac. Micylli* de *luſtrationibus Græcorum* annotatio.

(54) In *mort. dial.* T. Opp. II. p. 83.

(55) *Adverſus Canonem* p. 693.

(56) In libello de *ſuperſtitione* p. 166.

(57) In *Comment.* ad Theophraſti *Characteres* p. m. 358. ſeqq. adde *Menandrum* in fragment. p. 120. edit. Clerici.

(58) De *luſtrationibus gentilium* c. 35. p. 436.

(59) *Onomaſt.* lib. VII. c. 37. p. m. 370.

(60) Orat. de *falſa legat.* p. 323. Conf. orat. de *corona* p. 515. 516.

(61) *Artis amat.* l. II. v. 329.

(62) In *ſupplic.* v. 389. ubi præclare *Joſua Barnes*: κῶμος proprie eſt *comeſſatio*, figurate *comeſſantium turba*. In hoc loco ponitur pro *juvenum turba* ad bellum, quaſi ad convivium, euntium, ut *Heſiodus* in *Scuto* v. 114.

λιλαιόμενοι πολέμοιο
Φυλόπιδα στήσειν. Τά σφιν πολὺ φίλτερα θοίνης

*Cupientes bello*

*Prælium conſerere: quæ res ipſi multo gratior, quam epulæ.*

(63) In *Jone* v. 1196.

(64) In *Cyclope* v. 38.

(65) Vid. *Scholiastes* Appolloni Rhodii I. ad §. cit.

(66) Ad *Ranas* v. 295.

(67) In *Alexandra* v. 1177.

(68) In *Ara* : quod poema a nonnullis Simmiæ Rhodio tribuitur.

(69) Cujusmodi terriculorum exemplum aliquod si cupis, *Euripidem* adi in *Hecuba* v. 68. sqq.

(70) In *Ranis* v. 1376.

(71) In *Persis* v. 201.

(72) *Argonant.* l. IV. v. 670.

(73) In *vitis Sophist.* p. 49.

(74) De *Lustrationibus* c. IX. p. 79.

(75) In *annotat.* ad citatum antea Aristophanis locum.

(76) Vid. *Jo. Buxtorfii Synagog. Jud.* c. XVI. p. 322. & R. *Leonis* de Modena *Ceremonies & coutumes des Juifs* par. I. ch. IV. p. 10.

(77) *Onomast.* l. VI. c. 12. & X. c. 23.

(78) In *Excerptis Photianis* fol. 871. annotante *Sebero* ad Pollucem.

(79) *Ezech. Spanhemius* ad *Nubes* Aristoph. v. 507. Μαγὶς dicta juxta Hesychium μάζα illa, seu *mellita offa* in antrum Trophonii deferri solita; quod in novissimis eruditissimi Hemsterhusii ad aliquot Luciani dialogos notis p. 63. occupatum forte video : ac prout alioquin μαγὶς, vox Cypria pro μάζα apud Athenæum l. XIV. p. 663. apud Helladium vero μαγὶς pro *mensa* dicitur.

(80) Sura V. v. 121.

(81) De *septem sapientium convivio* p. 35. edit. Clasen.

(82) In libro quem scripsit ad Timæum, allegante *Scholiaste* Sophoclis ad Oedip. Colon. v. 99. Conf. *Jo. Phil. Pfeifferi Antiquit. Græc.* lib. II. c. 29. p. 52. ubi simul probatur, ab Eumenidum quoque sacris vinum absuisse.

(83) De *abstinentia* l. II. p. m. 156.

(84) In *Lexico* T. II. p. 620. edit. Kiister.

(85) *Mater Med.* l. V. c. 9.

(86) *Hist. Nav.* l. XXII. c. 24.

(87) Ad *Odyss.* X. v. 519. p. m. 411. Meminit tamen *Plinius* quoque *lactis mulsi*, sive lactis melle mixti *Hist. Nat.* X. c. 22.

(88) Differre aliquantum μελίκρατον ab ὑδρομέλιτι *Ger. Jo. Vossius* de *idololatria* l. IV. c. 79. Adeat hunc, cui quid interfuerit cognoscere volupe est.

(89) In *Amatorio* p. 768. Conf. eumdem de *virtutibus mulierum*.

(90) *Argonaut.* III. v. 1298.

(91) I. c. v. 1036.

(92) Cap. LXVI. 17.

(93) Quæ inter *selectas* quintum locum obtinet.

(94) Ita v. c. quod tribus Judæ oppidum Gen. XXXIIX. 5. dicitur כזיב, Josuæ XV. 44. & Mich. I. 14. appellatur אכזיב Cf. *Hilleri Onomasticum sacrum* p. 124. Pari modo pro זרוע, *brachium*, apud Jerem. cap. XXXII. 21. est אזרוע. & ex Græco κλίμα Judæi suum fecerunt אקלימה אקלים.

# HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE DIIS CABIRIS.

I. PRodit nuper Eruditissimi Viri, *Tobiæ Guthberleti*, dissertatio de Diis Cabiris, quam cum avide perlegissem, & de nonnullis, quæ ad hoc argumentum spectant, per literas agerem cum Amplissimo Viro, *Gisberto Cupero*, in quo an eruditionem eximiam an humanitatem singularem magis mirari debeas, ambiguum est; quem nunc cura rei bellicæ, ipsi patriæ nostræ nomine mandata, a cultu Musarum ad Martis studium avocavit, transmisit mihi legendum de iisdem illis Diis tractatum Doctissimi ICti Veneti, *Joannis Antonii Astorii*, conscriptum ad Celeberrimum Virum, quem Roma eloquentiæ Professorum, Eminentissimus Cardinalis *Josephus Renatus d' Imperiali* Bibliothecæ præfectum habet, communem amicum nostrum, *Justum Fontaninum*. Non potui tamen acquiescere in illorum Virorum etymologiis, quibus significationem vocis *Cabirorum* eruere conati sunt. Sed mihi se sponte quasi nonnullæ novæ obtulerunt, quas lectori exponam, ut quod velit eligat.

II. Cogitanti itaque mihi de nomine Deorum Cabirorum, quos singulari ratione cultos fuisse in insula Samothracia veterum monumenta testantur, ante omnia inquirendum esse duxi, quot & qui illi Dii fuerint, ut exploratum mihi esset, an significatio nominis, quam darem, vere illis convenire posset. Quamvis autem hic in partes eant tum veteres tum recentiores, ( e quibus insigne illud Scriptorum par modo laudatum, Astorium dico & Guthberletum, plurima collegit, quo lectorem remittimus ) duas tamen magis receptas sententias deprehendi, quarum una solos Jovis filios, Castorem & Pollucem, Græco Dioscororum, Διοσκόρων ( ita scribendum monet Phrynichus, non Διοσκέρων ) nomine celebratos Cabiros dictos fuisse censet, & se cum multorum Scriptorum bonæ notæ testimonio, tum fide antiquarum Inscriptionum tuetur, quibus hi duo fere & non alii Cabiri appellantur. Altera quatuor Cabiros statuit, mota auctoritate Mnaseæ, cujus verba nobis conservavit Eruditissimus Scholiastes Apollonii Rhodii ad *lib.* I. *Argon. v.* 917. Μυῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθράκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ τὰ ὀνόματα, Τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος. ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα δὲ, ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅδης. Ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Initiamur autem in Samothrace Cabirorum sacris, quorum nomina Mnaseas recenset. Quatuor numero sunt. Axieros, Axio cersa, Axiocersos. Axieros quidem est Tellus sive Ceres. Axiocersa Proserpina. Axiocersus Pluto. Qui autem adjungitur quartus, Casmilus, qui Mercurius est, uti tradit Dionysodorus.* Ineditum Bibliothecæ nostræ publicæ Etymologicon Magnum, ex hoc loco Scholiorum Apollonii sua hausisse videtur, quæ habet de Cabiris, sed quartum eundem nomine cum tertio facit, omisso Cadmilo. Κάβειροι, scribit, ὄνομα θεῶν καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν τέσσαρα τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος, ἀξιόκερσος. Locum integrum non exscripsit. Hinc ut numerum quaternarium inveniat, bis eundem nominavit. Ut & illis, qui duos, & his qui quatuor, Cabiros admittunt, satisfiat, puto convenire etymon ex voce Hebraea ( nam & Herodotus *lib.* II. notavit, ἱερὸν λόγον, *sacrum sermonem*, & Diodorus Siculus *lib.* V. παλαιὰν ἰδίαν διάλεκτον, *veterem & propriam linguam* in Sacris Samothracicis esse usitatam ) חבר Καβάρ *conjunxit*, *sociavit*, unde חבירים Κάβειροι, *Socii*, *juncti*, litera Hebraea ח per K reddita, ut in κάβηλος a חבל, φασεκ a פסח πατικοι a פתוחים & multis aliis. Sic ut meo judicio Dii Cabiri, idem sonet, quod *Dii Socii*, vel *Conjuncti*.

III. Quam apte hoc etymon conveniat Castori & Polluci, vel me tacente, unusquisque facile videt. Quid enim sibi aliud vult, quod a Veteribus *Gemini*, Δίδυμοι, *Fratres*, *Socialia Sidera*, & mul-

multis similibus nominibus appellentur, quæ idem notant quod חבירים *Junctii*, *Socii*. Magi ipsi illos Δεύας dixerunt, auctore Hesychio, id est, *Duos*, *Geminos*, nam دو *Dou* Persis id notat. Et quis nescit, hos Deos nequaquam Σωτῆρας & faustos fuisse, nisi *Junctos*? Si enim unus sine alio conspiceretur, salutaris non erat.

IV. Concedet forsan aliquis, hoc etymon Geminis sc. Castori & Polluci satis bene convenire, verum negabit id commode quatuor illis a Mnasea recensitis tribui posse. Quod mihi difficultatem non pareret, siquidem illam sententiam, quæ solos Geminos fuisse Cabiros tuetur, amplecti constituissem. Sed, ut verum fatear, existimo Samothraces non solis Dioscoris nomen Cabirorum tribuisse, sed & quatuor illis, ex Scholiasta Apollonii mox adductis. Quo me movet, ut alia transeam, quod Ceres etiam a Pausania Καβεῖρα appelletur, cujus, ut & Proserpinæ, templum Thebis esse scribit *lib.* IX. *c.* 25. & conjungit Cabiros cum Cerere, se taciturum dicens quomodo αὐτοῖς καὶ τῇ μητρὶ sacra fiant. Quo etiam pertinere videtur illud Ovidii de arte amandi *lib.* 2.

> *Quis Cereris ritus audet vulgare profanis,*
> *Magnaque Threicia Sacra reperta Samo?*

Quamvis enim ex conjunctione Cereris cum Cabiris non possit ostendi eam in numero Cabirorum fuisse, non magis quam Jovem & Apollinem, quibus junctim cum Cabiris vota fecisse Pelasgos tradit Dionysius Halicarnassæus *antiq. Rom. l.* 1. *c.* 3. quia tamen a Pausania expresse *Cabira* dicitur, hinc ab Ovidio quoque eam ut Cabiram innui existimo. Quamobrem & mihi ratio danda est, cur reliqui quatuor Cabiri *Socii* dicti sint.

V. Socii appellantur Ceres, sive Terra Mater, Proserpina, Pluto & Mercurius, non quatenus Dii sunt, aut magni & Potentes, ita enim plures essent, sed quia hi quatuor sunt θεοὶ Χθόνιοι, i. e. *Dii inferi*, qui in mortuorum cura communes operas jungunt, & Collegium aliquod separatum constituunt. Unde & aliquando conjeci illos Deos קבירים *Kebirim*, *sepultorum* dictos, quod his quidem quatuor optime convenit, sed Castori & Polluci non item. Antequam vero missam faciam conjecturam illam, qua Cabiros quasi *inferorum* sive *sepultorum* קבירין Deos dictos esse suspicatus sum, hoc ad illam firmandam addo: non videri dubium hanc etymologiam omnibus aliis præferendam, si constet proprie illos quatuor quos Mnaseas recensuit, Cabiros fuisse, & non nisi diu postea Castorem & Pollucem Cabiros dictos esse. Nam & aptissime hoc etymon exprimit id, quod quatuor his numinibus proprium est, quod Dii Χθόνιοι, sive inferi sint, & nulla alia ratio dari potest cur hi quatuor, & non alii, conjungantur, nisi quod ad eos cura mortuorum pertineat. Non fuisse autem Castorem & Pollucem veros & antiquos Cabiros Samothracicos patet ex illorum ætate, quæ recentior est, & ex eo quod ipsi Diis Cabiris in Samothrace sacra fecerint. Ergo ipsi non fuerunt Samothracici illi Cabiri. Quod si quis etymon Cabirorum tale, quod commune esse potest quatuor illis Diis Inferis, & duobus Dioscoris habere vult, meo Judicio aptius non inveniet quam חבירים, *Socii*, *Juncti*.

VI. Disquiramus nunc de singulis, qua ratione cura mortuorum ad eos pertinuerit. Prima Ceres est, Δημήτηρ, Terra mater, quæ omnes mortuos excipit & in sinu suo recondit, quare *Athenienses appellarunt mortuos Cereales*, τὰς νεκρὰς Ἀθηναῖοι Δημητρείας ὠνόμαζον, uti testatur Plutarchus in *lib. de facie in orbe Lunæ*: & Tellus Dea χθονία dicitur ab Æschylo *in Persis*, loco mox citando, & Templum Ceteris χθονίας memorat Pausanias in Corinthiacis, addens χθονίαν δ' οὖν ἡ θεός τε αὐτὴ καλεῖται καὶ χθόνια ἑορτὴν κατὰ ἔτος ἄγουσι ὥρᾳ θέρους, *Chthonia ipsa Dea appellatur, & festum annuum æstate in honorem ejus celebrant, dictum Chthonia*. Meminit & Cereris χθονίας Apollonius in Argon. *l.* IV. *v.* 986.

> —— οἱ δὲ ἑ Δηοῦς
> Κλείουσι χθονίης καλαμητόμον ἔμμεναι ἅρπην.
>
> —— *illi vero Cereris*
> *Chthoniæ dicunt esse messoriam falcem.*

Sequitur filia ejus Proserpina, regina Erebi & Stygia Juno,

> —— *& damnatura nocentes*
> *Et requiem latura piis* ——

ut Claudianus canit, cum marito, qui tertius est, Plutone, qui & ipse θεὸς χθόνιος dictus Eurip. in Alcestide *vers.* 237. qui ambo inferni tenent imperium, & quibus cum mortuis rem esse perpetuo nemo dubitat. Junguntur hi tres apud Virgilium, Ceres, Proserpina & Pluto, quibus Æneas ut Diis inferis sacra facit, *Æneid. lib.* VI. *v.* 249.

> —— *ipse atri velleris agnam*
> *Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori,*

*Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.*
*Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras.*

His tribus adjicitur Mercurius, Deorum famulus. Et ita jungitur ut *προστιθέμενος*, *adjectus*, Cabirus tamen & ipse, quippe qui viam facit sepultis ad inferos. Quo facit elegans lapis antiquus, exhibens ædificium, cujus portam aperit caduceatus Mercurius, & ne quis dubitet, quæ ea sit, inscriptio præfixa habet, ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ ΘΕΟΙΣ, *Diis Inferis*. Ideo appellatur a Claudiano, *de raptu Proserp.*

*—— commune profundis*
*Et superis numen, qui fas per limen utrumque*
*Solus habet, geminoque facit commercia mundo.*

*Mercurius ducere & reducere solet animas*, scribit Petronius in *Satyrico*, & Homerus

*—— ψυχὰς κατάγει δ' ἀΐδός δε.*

Quare & Mercurius Plutoni & Telluri (eodem modo uti alias nomine Cabirorum) adjungitur ab Æschylo *in Persis*, ubi Chorus animam Darii evocat *pag.* 155. ed. Steph.

Ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοὶ
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ βασιλεῦ τε ἐνέρων
Πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὰν ἐς φάος.
*Sed o Dii infernales puri*
*Tellus, Mercuri, & Rex inferorum,*
*Remittite animam in lucem.*

Scholiastes ibi notat hos tres *καταχθονίους θεοὺς* esse *πομποὺς τῶν φθιμένων*, *qui mortuos emittunt*, *τοὺς θεοὺς τοὺς κάτω*, *τοὺς πέμποντας ἄνω τοὺς νεκρούς*. Eodem sensu Sophocli in *Oed. Colon. v.* 1617.

Ἑρμῆς ὁ Πομπός, ἥ τε νερτέρα θεός.

Ubi & Mercurius & Proserpina junguntur. Cicero etiam *lib.* III. de natura Deorum unum Mercurium recenset, *qui sub terris habetur*. Et Plutarchus in *libro de facie in orbe Lunæ* Mercurium appellat *Proserpinæ σύνοικον*, *contubernalem*. Horatius Orci *Satellitem*. Ex quibus clarissime liquet, cur hi quatuor, quemadmodum χθόνιοι & καταχθόνιοι θεοί, mystico etiam nomine Cabirorum, quasi infernalium, conjungantur, & cur hos Samothraces præcipue hoc nomine appellaverint. Atque ita videbar mihi assecutus rationem, ob quam illi tres *Cabiri* appellarentur a Samothracibus, & quomodo hæsitanter Mercurius iis adjectus sit, & ab aliis omittatur.

VII. Dari quoque potest ex hac explicatione ratio cur nocte hæc Sacra Cabirorum fuerint peracta. De Dioscoris enim certum est, non nisi noctu illa profuisse navigantibus, & quod ad quatuor illos alios attinet, sunt hi, modo recensiti. Numina tenebrarum. Mors ipsa quid nisi nox est? Et atra nocte nos tegit *Tellus*. Quin ipsa Tellus, sive Ceres *μέλαινα nigra* dicta, quod ob luctum Proserpinæ in loco subterraneo, quem Pythia Δηοῦς κρυπτήϊον ἄντρον diserte appellat, diu latuerit, teste Pausania *lib.* VIII. *cap.* 42. *Proserpina*, *Noctis hera* audit Valerio Flacco *l.* 7. & *ἀφανὴς θεὸς* Sophocli in Oed. Colon. *v.* 1627. *Pluto ἄναξ ἐννυχίων*, i. e. τῶν ἐν νυκτὶ ἀεὶ καὶ σκότῳ διατελούντων, τεθνηκότων. *Rex illorum qui in tenebris degunt*, i. e. *mortuorum*. Plutonem ita alloquitur ex persona Lachesis Claudianus de rapt. Prof.

*---- o maxime noctis*
*Arbiter, umbrarumque potens ----*

Et ita Pallas.

*Nocte tua contentus abi, quid viva sepultis*
*Admisces?*

Quamvis in campis Elysiis Sole non careant, uti Proserpinam Pluto consolaturus ait:

*Amissum nec crede diem, sunt altera nobis*
*Sidera. Sunt orbes alii: lumenque videbis*
*Purius, Elysiumque magis mirabere Solem.*

Et Virgilius *Æneid.* VI. *v.* 638.

*Devenere locos lætos & amœna vireta*
*Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.*
*Largior hic campos æther & lumine vestit*
*Purpureo, solemque suum, sua sidera, norunt.*

Mercurius quoque, ne quid desit quod nocturna horum Cabirorum sacra esse suadeat, dicitur

Νυκτὸς ὀπωπητήρ ----

In *Hymn. ad Merc.* qui vulgo Homero adscribitur, & ad noctem æternam viam facit & somniis præest, uti notum.

VIII. Quod si nec hæ conjecturæ Tibi probentur, mallem, præ communi a כביר *Cabir*, *magnus*, ducta, aliam etymologiam quæ nec ipsa veri specie destituitur & Καβείρους dictos censet quasi *potentes* גבירים, a גבר *potens fuit*, unde גבורה *potentia*, גבור, *fortis*, *Gigas*, quod & de Deo usurpatum invenies, גבירה *Regina*, &c. Quæ derivata ideo appono ut liquido appareat vera notio radicis, quæ est potentem esse, גביר exprimitur recte per Κάβειρος, ג per K, uti גמל Κάμηλος & multa talia, & Scheva per α,

α, uti שמואל, שלמה, Σαμουὴλ, Σαλομών. Quid vetat itaque, quo minus Κάβειρος, exprimat נביר *potentem*, nomine formato ex part. Pehil, & *Dominum*, ( Κύριον ) uti transtulerunt οἱ ὁ, & τὸν κράτος ἔχοντα, ארון וראש, *Dominum*, & *Caput*, uti Kimchi *in lib. radicum*, quod idem sonat ac בעל *Baal*, *Belus* antiquissimum Deorum nomen, & *Marnas*, Gazensium Deus מרן quod *Maran* exprimitur in notissima voce Μαραναθα. Quo & hoc facit, quod Cabiri Samothracum a Varrone non *Magni* tantum sed & *Potes* appellentur. Hæc ejus verba sunt *lib.* IV. *de Ling. L. Hi quos augurum libri scriptos habent sic* Divi Potes, *& sunt pro illis qui in Samothrace* ΘΕΟΙ ΔΥΝΑΤΟΙ. *Cassius Hemina dixit* ( apud *Macrob.* III. 4. ) *Samothracas Deos, eosdemque Romanorum penates proprie dici* θεοὺς μεγάλους, θεοὺς χρηστοὺς, θεοὺς δυνατούς. Quo Macrobius refert illud Virgilii de Junone,

---- *Dominamque potentem*.

Unde & Curetes Orpheo in hymnis ἐνδύνατοι. Præferrem itaque, si optio daretur, hanc etymologiam a נבירים *potentibus* ductam, communi opinioni quæ a כבירים *magnis* eos derivat. Nec desunt aliæ rationes, uti quod כבר, radix vocis כביר, proprie notet *multum esse*, *multiplicari*, & derivata, כביר & alia, multitudinem potius quam magnitudinem indicent. Id patebit conferenti loca Sacri Codicis. Quod ne a me fingi credas, uti hypothesi meæ serviam, en tibi ex Lexico Santis Pagnini Judicium Merceri ex Hebræis petitum, אביר *proprir ad robur corporis pertinet*, הדר *ad qualitatem & habitum*, אדיר *ad quantitatem*, כביר *vero, quod &* כאביר, *proprie ad multitudinem & copiam*. Ita & Cl. Goussetus in nuperrime edito Lexico ratiocinatur, ex collatione variorum locorum Sacri Codicis inter se concludens. *Cum videam ipsum verbum* הכביר *inservire multiplicationi indicandæ & derivatum* כביר *sonare multitudinem in aliquot claris exemplis, ut Job.* 31. 25. *de opibu divitum. Imo Es.* 16. 14. *negationem ejus adhiberi ad exponendum* מזער *de populo ad paucitatem redacto, item Es.* 10. 13. *de magno numero habitatorum & Es.* 17. 12. *&* 28. 2. *de aquis abundantibus, ideo & ad multitudinem abundantiamque reduco alia loca, quæ id patiuntur commode. Job.* 8. 2. *Job.* 34. 17. 36. 5. 34. 24. Aliud derivatum כברה, *cribrum*, quod farinam multiplicare videatur in aere, hanc notionem etiam firmat. Sic & Raschi ad *Job.* 8. 2. כביר proprie ait esse לשון רוב *notionem multitudinis:* licet non ignorem alios conjungere notionem magnitudinis, ( ex usu Linguæ Arabicæ eam, ut videtur, addentes ) sed in S. S. nil occurrit quod nos eo devenire cogat. כבר enim omnia Lexica per *multiplicare* reddunt. Et כביר ubique per *multum* transferri potest. Vide de eo Cl. Bootium in *Anim. Sacr. l.* 3. *cap.* 2. ubi ostendit vocem כביר nunquam significare *fortem*, sed *copiosum*. Fateor apud Arabes كبير καβὲρ significare *magnum*, sed ad Arabicum sermonem confugere non opus est, ubi Hebræus vocem ipsam נביר Καβὲρ habet sensu ad minimum æque commodo, ac fundit vox Arabica. Cur rivos petimus, quum fons nobis pateat? Cur a filia poscimus, quod mater ipsa nobis subministrat? Ego certe nullam hic necessitatem video: atque ita occasio reprehensionis præciditur hominibus quibusdam μισάραβοι, qui ægre ferunt voces Hebræas, Phœniciasve ex Arabica ( quam nudius tertius natam credunt, ego filiam Hebrææ matre sua locupletiorem hoc tempore existimo ) explicari. Hic utique nil me cogit. Dixerit Varro Cabiros esse Deos Magnos, dixit etiam *potes* & Δυνατοὺς. Nec ullus veterum, quod sciam, scripsit, Cabiros inde ita dictos esse, quod essent magni. Ego etiam illos Deos magnos esse dico, nego tamen Cabiros ideo dictos a כבירים quasi *magnos:* quod nomen multis aliis Diis, qui Magni appellantur, commune fuisset, & non datum aut Dioscoris, aut Cereri, Proserpinæ, Plutoni, & famulo Deorum Mercurio, exclusis reliquis.

# ZACH. BENJAMIN POCARI DISSERTATIO DE SIMULACRIS SOLARIBUS ISRAELITARUM.

## SYNOPSIS.

I. *Πολυθεότης gentilium non realis est; sed verbalis.* II. *Hinc ad solem omnia idola referri posse, probatur ex universali a prima statim origine idololatriæ solis cultu.* III. *Ad resolutionem mysteriorum provocatur, & vindicatur conatus, omnia idola ad eum reducendi, ab Eusebii sinistro judicio.* IV. *Modo eum colendi etiam populus Dei decipi passus est.* V. *Simulacra ei immediate constituit, quæ* חמנים *adpellabat: horum origo debet ab Ægyptiis repeti.* VI. *Incerti sunt doctissimi quidnam fuerint.* VII. *In genere templa solis fuisse quidam putant.* VIII. *Alii determinate vel Phœnicum ἀμμωνέους, vel Persarum πυραθεῖα volunt.* IX. *Concessa antiquitate templorum solis etiam apud populum Dei, per* חמנים *tamen intelligi posse negatur.* X. *Universale potius nomen omnium simulacrorum, quæ Israelitæ in honorem variorum solis effectuum erexerunt,* חמנים *sunt.* XI. *Ejusmodi equi solis fuerunt, 2. Reg.* XXIII. II. *sculptiles, non vivi.* XII. *Præter hos alia simulacra solis habuisse Israelitas conjicitur ex ritu* חמון *apud Ezechielem deplorandi.* XIII. *Locus illorum & modus colendi datur.*

### §. I.

TAnta simulacrorum & idolorum multitudo reperitur apud gentiles, ut mireris stultam illorum cœcitatem in adserenda πολυθεότητα, si singula Deos diversos repræsentant: & omnia; quæ referuntur de illis, secundum literam accipi debent. Præter id enim, quod homines fuisse plerique feruntur, quod absurdum est; ejusmodi de illis facta recensentur, quæ minime deos decet. Inde *Plutarchus* ferre non potest, hoc a gentilibus dici, verumque adfirmari, & contemtim de his, qui ita sentiunt, in Iside & Osiride dicit, οὐδὲν γὰρ οὗτοι διαφέρουσι τῶν ἱστία καὶ κάλως καὶ ἄγκυραν ἡγουμένων κυβερνήτην, καὶ νήματα καὶ κρόκας ὑφάντην καὶ σπονδεῖον, ἢ μελίκρατον, ἢ πτισάνην ἰατρόν. *Hi sane nihil ab his differunt, qui vela, rudentes & ancoram pro gubernatore, & fila ac stamina pro textore, & cyathum, mulsum, vel ptisanam pro medico habent.* Defendit hoc dictum, quod nimis durum alicui videri poterat, veram theogoniam ex mente diversorum exhibendo, ἐκεῖνοι, inquit, τοῖς τῶν Θεῶν ὀνόμασι τὰ τῶν Θεῶν δῶρα καὶ ποιήματα καλεῖν οὐκ ἐφείδοντο, τιμῶντες ὑπὸ χρείας καὶ σεμνύνοντες. οἱ δὲ ὕστερον ἀπαιδεύτως δεχόμενοι καὶ ἀμαθῶς ἀναστρέφοντες ἐπὶ τοὺς Θεοὺς τὰ πάθη τῶν καρπῶν, καὶ τὰς παρουσίας τῶν ἀναγκαίων καὶ ἀποκρύψεις θεῶν θενέσεις, καὶ φθορὰς οὐ προσαγορεύοντες μόνον, ἀλλὰ καὶ νομίζοντες, ἀτόπων καὶ παρανόμων καὶ τεταραγμένων δόξων αὑτοὺς ἐνέπλησαν. *Illi nomina Deorum liberaliter donis ac operibus illorum tribuerunt, ob utilitatem ea honorantes atque exornantes. Sed posteri horum indocte ita accipientes, imperiteque in ipsos Deos detorquentes ea, quæ frugibus accidunt, & quæ utilia videntur, & occultos Deorum ortus interitusque non vocantes modo, sed etiam sic habere rem arbitrantes se ipsos absurdis, impiis, tumultuosisque opinionibus obruerunt.* Plebem non miremur, quod omnia simulacra vel personas, in quarum memoriam posita erant, Deos crediderit, & sine dubio admiserit, ea, quæ audivit relata, vere accidisse. *Quum enim*, sunt verba *Clerici* in commentario ad Exod. XX. 4. *symbolica illa significatio ex arbitrio fingentium penderet, paulatim factum, ut rationes symbolorum oblivioni mandarentur, plebisque animus iis solis, quæ sensus percellebant, adficeretur, ac tandem crederet, sub iis figuris aut vivis, aut mortuis habitare numen. Sic docebant sacerdotes, teste* Plutarcho, *de Iside & Osiride*, ὡς εὔμορφον εἰκό-

εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν, *pulcram imaginem Osiridis animi censendum esse Apin*. Idque faciebant, ut *Diodorus Siculus* auctor est, ob pericula, quæ arcana Deorum divulgantibus impendent. Ne Deus quidem satis duxit, hæc viris spiritu suo ductis manifestare: absurditate enim idololatriæ ostensa, non revocari Israelitæ poterant; quo procliviores fuissent, si hæc absurda in bonam partem exponi posse compererint.

II. Quum igitur probabile sit, gentiles tam absurde non credidisse, unumquodque idolum aut simulacrum Deum diversum significare; quæritur cujusnam hæc simulacra omnia symbola fuerint? Tutissimus ibit, qui solem putat: illum enim a primis statim hominibus, qui verum Dei cultum reliquerunt, religiose habitum esse, testis *R. Moses ben Maimon* est in More Nevochim Lib. III. c. 29. Ibi de Zabiis, sub quo nomine omnes nationes idololatricæ antiquissimæ comprehenduntur a transitu a vero Dei cultu ad idololatricum sic dictæ, refert, *Ex annalibus illorum antiquis in linguam Arabicam translatis patet, quod solem Deum maximum esse dixerint*. *Plutarchus*, qui mentem ejusque providentiam verum Deum dicit l. c. non contradicit sententiæ huic: verba ejus hæc sunt, ἀλλ' ὥσπερ ἥλιος καὶ σελήνη καὶ οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ θάλασσα κοινὰ πᾶσιν, ὀνομάζεται δὲ ἄλλως ἀπ' ἄλλων. οὕτως ἑνὸς λόγου τοῦ ταῦτα κοσμοῦντος, καὶ μιᾶς προνοίας ἐπιτροπευούσης, καὶ δυνάμεων ὑπουργῶν ἐπὶ πάντας τεταγμένων ἕτεραι παρ' ἑτέροις κατὰ νόμους γεγόνασι τιμαὶ καὶ προσηγορίαι. *Quemadmodum sol, & luna, & cœlum, & terra, & mare communia omnibus aliter ab aliis adpellantur; ita unius mentis, quæ hæc disponit, uniusque providentiæ administrantis & virium, quæ omnibus, ut ministri, constitutæ sunt, alii apud alios secundum leges exhibiti sunt honores atque denominationes datæ*. Per mentem enim non verum Deum intelligere videtur, sed principium movens, quod gentiles corporibus cœlestibus ex analogia terrestrium tribuerunt. Et quia influunt illa, sol maxime, in terrestria corpora, ita, ut congruens horum dispositio ab illis proficiscatur; amissa veri Dei cognitione illud pro Deo habuerunt coluerunt que. Sic disserit *Macrobius* Lib. I. Saturnal. cap. 17. *Nam quod omnes pene Deos, duntaxat, qui sub cœlo sunt, ad Solem referunt, non vana superstitio, sed ratio divina commendat. Si enim sol (ut veteribus placuit) dux & moderator est reliquorum luminum, & solus stellis errantibus præstat; ipsarum vero stellarum cursus ordinem rerum humanarum (ut quibusdam videtur) pro potestate disponunt, vel (ut Plotino constat placuisse) significant: necesse est, ut solem, qui moderatur nostra moderantes, omnium, quæ circa nos geruntur, fateamur auctorem. Et sicut Maro, quum de una Junone diceret, quo numine læso, ostendit, unius Dei effectus varios pro variis censendos esse Numinibus; ita diversæ virtutes solis nomina Diis dederunt*. Gentiles reliquas etiam stellas & totum cœlorum exercitum veneratos esse, palam est: in ipsis enim literis sacris sæpe interdicitur Israelitis, ne adorent, nec colant omnem exercitum cœlorum. Et *Eusebius* præparat. Evangel. Lib. I. cap. *6*. testimonio suo adfirmat, οἱ δὲ μὲν, inquit, λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων τῆσδε τῆς μόνης καὶ ἀληθοῦς ἀποπεσόντες εὐσεβείας τὰ φωσφόρα τῶν οὐρανίων σαρκὸς ὀφθαλμοῖς διὰ νήπιοι τὰς ψυχὰς καταπλαγέντες, Θεούς τε ἀνεῖπον, καὶ θυσίαις καὶ προσκυνήσεσιν ἐγέραιρον, id est ex versione Franc. Vigerii. *At reliqua hominum multitudo, quum ab ejus unius veritate pietatis excidisset, ad cœli astrorum, quæ corporeis oculis intuebantur, splendorem puerili mente obstupescens, illa Deos esse pronuntiavit, iisdemque per sacrificia & adorationes cultum adhibuit*. Hic cultus autem propter solem fiebat, & adhibebatur stellis, solis, ad instar regum, ministris: quibus sol directionem & dispositionem horum vel illorum corporum terrestrium commiserit.

III. Fortius pro universali solis cultu pugnat disquisitio & resolutio mysteriorum, quæ sub variis simulacris & ritibus idololatricis apud gentiles antiquos latent. Ea enim docet, nihil præter diversos solis effectus & proprietates significari, adeoque soli Soli cultum divinum exhibitum esse. Amplior hic campus est, quam ut emetiri eum possim. *Joh. Gerh. Vossio* enim de idololatria totum librum secundum materia hæc confecit, & *Macrobius* loc. cit. a cap. XVII. ad XXIV. prolixe & ingeniose id egit; nec scopo conveniens est. Unum ergo tantum dare lubet exemplum de Dagone, deo Philistæorum, cujus mentio fit I. Sam. V. 4. Oannem a Babyloniis cultum, quem Berosus memorat apud Eusebium, secundum Seldenum de diis Syris syntagm. 2. cap. 3. Dagonem hunc esse, ex conformi utriusque simulacri descriptione Seldenus citatus probat. Quidquid de hoc ἱστορικῶς legitur, quod scilicet ex mari erythræo emersus Babyloniam pervenerit, & sole occidente in mare redierit, homines omnivarias artes, literas, agriculturam, ædium sacrationes, architecturam,

ram, & leges politicas docuerit; id certe facillime poterit de Sole dici. Biforme enim ſimulacrum, piſcis & hominis ſpecie adparens, univerſam Solis in omnes res poteſtatem, ne his quidem exceptis, quæ infra terram ſunt, exprimit. Hanc exercet vel ipſe circa terram volutatus, vel terra circa eum in gyrum mota, ita ut hemiſphærio alteri diſpareat, ſi alteri adparet, quam diſparitionem abitum ſeu deſcenſum in mare gentiles omnes vocarunt. Et varii hujus unius ejuſdemque ſolis effectus & operationes induxerunt homines iſtos ad artes earumque genera varia: ex quo homines Sol inſtituiſſe fertur. *Euſebium* præparat. Evangel. Lib. III. cap. 13. ſequuturi, conatum hunc impudentiam interpretaremur, μεταβὰς, inquit, δὲ ἐκ τούτων καὶ τὰ λοιπὰ κατὰ τὸν ὅμοιον τρόπον τῆς γενναίας ἀπελέγξεις φυσιολογίας, εὐλόγως τῆς ἀναισχυντίας ἐπιμεμψάμενος τοῖς φέρε τὸν ἥλιον αὐτὸν εἶναι τὸν Ἀπόλλω, καὶ πάλιν τὸν Ἡρακλέα, καὶ αὖθις τὸν Διόνυσον καὶ τὸν Ἀσκληπιὸν ὁμοίως ἀποφηναμένοις, i. e. *Si ad reliqua deſcendere lubeat, quidquid ex præclara phyſiologia ſupereſt, ſimilem in modum facile coargues, adeoque homines iſtos impudentiæ jure poſtulabis, qui unum eumdemque ſolem, ut hoc præcipue eligam, non Apollinem modo, ſed etiam Herculem & Bacchum, & Æſculapium eſſe ſtatuerunt.* Sed quamvis hiſtoriæ, quæ recenſentur, hac ratione abſurdæ ſint, ita, ut ὁ αὐτὸς πατὴρ ἂν γένοιτο καὶ υἱὸς Ἀσκληπιὸς ὁμοῦ καὶ Ἀπόλλων, *idem pater ſimulque filius Æſculapius & Apollo*, quemadmodum laudatus *Euſebius* dicit; non adſtringimur tamen ad eaſdem. Relationes enim non ſecundum ſenſum literalem debent accipi, ut omnes veræ hiſtoriæ credantur: verum partim meræ fabulæ ſunt, quibus ſolis effectus tecte laudantur; partim, quemadmodum ii, qui apud nos de patria bene merentur, magnis efferuntur laudibus, atque Deus per illos laudatur; ſic & de gentilibus, qui omnia ſolis regimini tribuebant, dici poteſt, illos non tam magni feciſſe homines, inſtrumenta felicitatis atque utilitatis, vivos & mortuos; quam ipſum ſolis effectum, cujus memoria ſub hoc vel illo ſimulacro perfectiſſima erat, veneratos eſſe.

IV. Hunc ſolem cum reliquis ſtellis tempus aliquod abſque nomine & ſimulacris ſine dubio coluerunt, & ut *Euſebius* l. c. Lib. I. cap. 6. dicit πρὸς αἰθέρα δὲ καὶ αὐτὸν οὐρανὸν ἀποβλέποντες, καὶ μέχρι τῶν τῇδε ὁρωμένων ταῖς ψυχαῖς ἐφιγμένοι, *adſpectum in ætherem cœlumque ipſum defigebant, vimque mentis omnem, rerum illarum, quæ in illo cernuntur, finibus terminabant.* Facile etiam cum *Thoma Hyde* de religione veterum Perſarum cap. I. p. 3. crederem, Zabios ſolem reliquoſque planetas non divino cultu adoraſſe ſed nimiam tantum iis perſoluiſſe reverentiam. Succeſſu autem temporis, ut eo melius memoriæ mandarentur, aliiſque inculcarentur ſolis effectus, ſimulacra finxerunt varia: iiſque eo tandem ſeduci poſſi ſunt, ut πυροδουλείαν iſtam, ſicut *Hyde* diſtinguit, cum πυρολατρείᾳ permutaverint. Hic cultus non potuit non diſplicere Deo, ab ejuſque majeſtate & veneratione multum detrahere, immo verendum fuit, quemadmodum evenit apud gentiles, nec penitus ejus cognitio in oblivionem abiret, & promiſſiones & doctrina de Meſſia omnino extinguerentur. De gentilibus non miremur: *Deut.* IV. 19. enim juſto ſuo judicio Deus dehortans Iſraelitas ab idololatria, inter gentiles diviſiſſe dicitur ſpecies idolorum omnes, quibus ſervirent. Proh dolor! autem, ut hoc vitium etiam eos invaderet, qui ſemen Semi integri erant. Evocavit enim Deus Abrahamum ex Ur Chaldæorum, ubi cum majoribus ſuis adſecla idololatriæ erat, *Joſ.* XXIV. 2. partim ut convinceret idololatras craſſi erroris; partim ut ſartam tectam ſui cognitionem & cultum purum in poſteris ejus ſervaret. Neutrum autem potuit adſequi. Gentiles enim erroribus ſuis non recuſarunt ſolum liberari; ſed & magis magiſque progreſſi omnem Dei reverentiam exuerunt. Poſteri autem Abrahami, qui abunde Dei voluntatem & eſſentiam edocti erant, ſponte amiſerunt, & gentiles imitati adſumſere juxta Deum idola omnia: ac ſi hac ratione perfectiorem Deo cultum exhiberent. Ut miremur illorum proclivitatem ad hæc vana, & maximis beneficiis a Deo cumulatorum animum ingratum, eumque tam frigidum atque remiſſum in eo colendo.

V. Omnia quidem idola & fabricata ſimulacra, ut ex ſupra dictis patet, ad ſolem referebantur: quædam enim illum vel mediate, vel immediate ſignificabant. De illis hic dicendi locus non eſt, niſi limites diſſertationis tranſgredi & totam gentilium idololatriam ex aliis repetere velim. Poſterioris ergo generis ſimulacra materia ſunto. Hæc in litteris ſacris חמנים dici, adſerere non vereor: חמן enim a חמה ſole ratione derivationis omne id ſignificat, quod Soli dicatum eſt, & in honorem ejus erectum. Sic *R. Salomo B. Melech* in 2. *Chron.* XXXIV. 4. dicit: והנכון ששורשו חמם והנון נוסף מענין

מעניז המה׳ ונקראו כן לפי שעשו אותן עובירו השמש׃ *recte constituitur radix ejus* חמם *& Nun Hemanthicum est ex notione solis, vocantur autem ita, propterea quod fecerunt ea cultores solis*. Quod summæ antiquitatis sint, tam ex ipso solis cultu, quam literis sacris patet: *Levit.* XXVI. 30. enim jam mentio illorum fit. Minatur ibi Deus Israelitis, si declinaverint a vero ejus cultu, sese ostensurum verum Deum inter alia hoc, quod חמנים illorum, quibus solem ut verum Deum colerent, sit eversurus. Ille enim Deus, qui ab alio removetur, verus esse non potest: sed major eo ille est, qui subvertit. Supponit hic locus frequentiam τῶν חמנים, ut, si deflexuri sint, certe sint erecturi eosdem: alias enim Deus ipse speciem quamdam solis colendi docuisset Israelitas. Hoc me movet, ut cum *Seldeno* eruditissimo facere non possim, qui de Diis Syris syntagm. 2. cap. 8. a Persis originem habere, adfirmat. *Certe*, inquit, *in laudato Levitici loco & alibi sæpius cum τοῖς* חמנים *alia ex Persarum sacris traducta exprobantur*. Præterquam, quod loc. cit. innitar, ex aliis rationibus hæc sententia se mihi non commendat: *Tomas Hyde* in relig. veter. Persar. c. I. pag. 16. refert, quod Persæ ante Zoroastrem simulacra non coluerint. *Sed Zoroastres*, inquit, *præsertim coluit Deum in naturali quodam antro, quod ille mithriacum effecit, & mirifice ac mathematice comparavit: ubi scilicet mithra præsidens hæc inferiora modo regio regens eaque imprægnans sedebat*. Exhibet hæc simulacra æri incisa cap. IV. Si etiam concedamns, de varietate & multitudine ejusmodi simulacrorum intelligi verba debere, quæ minime existentiam illorum ante Zoroastrem excludat; Israelitis cum Persis huc usque negotium fuisse, non legimus. Ex Ægypto egressi erant, adeoque non longius, quam ad Ægyptios, recurrere fas est, quorum cultum idololatricum illis Deus prohibuit. Sic accusat Deus regnum Israel & Juda, *Ezech.* XXIII. 3. quod a pueritia sua scortata fuerint cum Ægypto: pueritia horum regnorum nihil aliud, quam statum notat sub servitute Ægyptiorum, & scortari, cum illorum religione communionem. Idem *Ezech.* cap. XX. 7. exprobrat Israelitis, quod mandatum divinum, ne polluerentur diis stercoreis Ægyptiorum, datum illis exeuntibus ex Ægypto irritum fecissent. Quod solem coluerint Ægyptii, confecta res est: si enim in universum nationibus & populis omnibus cultus hujus fuit communis; hi non debent, nec possunt excludi. Montibus quidem Ægyptum destitui patet, quod a Nilo irrigetur, & fructifera reddatur, teste *Strabone* Geogr. Lib. XVII. τὴν δὲ Αἴγυπτον, inquit, καὶ μόνος (Νεῖλος) καὶ πᾶσαν καὶ ἐπὶ εὐθείας (διέξεισιν) *Ægyptum vero & solus (Nilus) & totam & in rectum (permeat)*: ea enim loca, eodem dicente, quæ editiora & sublimiora ipso fluento sunt, deserta sunt, τὸ δὲ ὑπερδέξιον καὶ μετεωρότερον τοῦ ῥεύματος πᾶν ἀοίκητον ἑκατέρωθεν διεξιὸν καὶ ἔρημον διὰ τὴν αὐτὴν ἀνυδρείαν· *Quidquid editius est, & fluento ipso sublimius, id ab utraque parte desertum, & ob aquæ penuriam cultoribus vacuum transit*. Juvat tamen *Spencerum* de legibus Hebræorum ritualibus lib. II. cap. 5. pag. 415. audire, *qui Ægyptii quidem*, inquit, *montibus destituti ar[illegible] altissime e terra elevatis ad sacra obeunda utebantur*. Quæ an במות nominari nequeant, non video. Hoc certum est, במות non semper aut montem naturalem, aut locum, vel a natura, vel arte editum significare; sed ædificium ex materia combustibili in altum erectum, & supra altari ornatum: 2. *Reg.* XXIII. 15. enim de *Josia* refertur, quod non diruerit solum altaria & excelsa Jeroboami, sed & combusserit excelsa.

VI. Parum abfuit, quin crederem, per חמנים in Levitico intelligi tam templa, quam simulacra, verbo omnia, quæ soli immediate erecta sunt; nisi me auctor 2. Chron. XXXIV. 4. aliud doceret, & ostenderet, non templa, sed simulacra tantum per חמנים innui. Interim multi eruditissimorum fuerunt, qui vel adsumserunt sententiam de templis, vel siluere plane, nihil determinaturi. Posterioris generis sunt LXX. Interpretes, qui varie hanc vocem transferunt, modo enim ξύλινα χειροποίητα, modo εἴδωλα, modo ὑψηλὰ, modo βδελύγματα, modo τεμένη usurpant. Convenit cum illis *Luth.* qui nomine generali bilder und goentzenbilder utitur. Item *Drusius* in Bibliis crit. Angl. Tom. I. ad *Levit.* XXVI. 30. nihil detetminat, sed binas sententias de templis & simulacris retulisse, contentus est. Judicium suum suspendit *Abrah. Calovius* in Bibl. illustr. ad h. l. *Quum*, inquit, חמן a חמם *incaluit*, *dicatur*, *&* חמה *sol sit, ac solarium interpretantur illud, & simulacrum exstructum in aprico loco calorem solis excipiente, item templum Ammonis, quod alii Heliocaminum vocant, notante Avenario, quod ab Ammone, qui Hebræis* חם, *& nomen & institutum venisse, quidam putant, suo loco relinquimus*. *Joh. Cocceius* in Lexico

xico ſun ad vocem חמנים inſcitiam horum, nobis non ſine providentia divina evenire putat: *Bene*, inquit, *nobiſcum agitur, quod veterum idololatriæ formam & inſtrumenta ignoramus, ſi non novis commentis in idem genus recidimus*. Sive enim conjecturam ejus loc. cit. ſumam, quod vocentur חמנים *in genere, quæ excogitata ſunt ab hominibus, ut accedentes fiant* נחמים בהם *inardeſcentes in illa*; ſive conſiderem, quæ in obſervationibus de diſtinctiori ſignificatione vocum linguæ Hebrææ ex uſu ſcripturarum a *Joh. Henrico Maio* ex ἀνεκδότων ejus tomo II. Lexico ejus additis, nobiſcum communicat, & intelligam vel *locos apricos tanquam* τεμένη ἡλίῳ, *in quibus cultus ſoli adoratione & ſacrificio fieret; vel quia ignis ſolis ſymbolum, foculos, in quibus ignis perpetuus ſervaretur; vel, ut* Levit. XXVI. *indicari videtur, ſtatuas*, & hinc forte *imagines Apollinis vel Solis:* incertos nos dimittit de vera mentis ejus ſententia quæſituros. Ut taceam, quod in loco priori admodum late & obſcure loquatur: nam vel figuram terrorem injicientem, מפלצת dictam, cujuſmodi 1. *Reg.* XV. 13. אשרה ſeu lunæ ſimulacro tribuitur, intelligit, quo enim major terror, eo reverentia devotior fuit; vel de aliis rebus, quæ excitarunt devotionem, loquitur, inter quas ſilvas fuiſſe & nemora, *Seneca* Epiſt. 41. tradit, *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens, illa proceritas ſilvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit.*

VII. Prioris ſententiæ omnes fere, quos evolvendi poteſtas mihi, ſunt. In duas claſſes ſe dividunt, alii enim indeterminate templa & ædificia; alii preſſe & determinate templa horum vel illorum gentilium ex imitatione a Judæis exſtructa cenſent fuiſſe. *Aben Eſra* primum occupet locum, qui in commentario ſuo in *Levit.* XXVI. 30. dicit, בתים עשויים למשתחוות לשמש: *domus fuerunt ædificatæ ad adorandum ſolem*. Conſentit cum eo *Abrabanel* in commentar. in legem ad h. l. f. 219. c. והחמנים שהיו בתים עבדי כוכבים ומזלות שהיו עובדים שמה לשמש ולירח: *Chammanim fuerunt domus cultorum ſtellarum & ſiderum, in quibus ſerviverunt Soli & Lunæ. Clericus in* commentar. ad *Lev.* XXVI. 30. propugnans ſententiam hanc, præter nominis derivationem, duobus nititur argumentis. (1) verbis 2. *Chron.* XXXIV. 4. quibus חמנים a ſtatuis, quas per הפסילים innui putat, diſtingui, adeoque a ſtatuis diverſum quid ſignificari adſerit: &, ut paradoxum, quod templa ex ſuperioribus partibus altarium in altum exſtructa dicantur, declinet; parietes templi intelligit circa altare in altum conſtitutos. *Quum*, inquit, *altari ſimulacrum non imponeretur, nihil aliud intelligi poteſt, præter templi parietes, circumquaque in altum exſtructos*. (2) Ad morem apud gentiles receptum provocat, πυραθεῖα ſeu templa, in quibus Soli æternus ignis alebatur ædificandi. *Grotius* ad h. l. *Si*, inquit, *quis conſideret* Jeſ. XVII. 8. Ezech. VI. 4. *non tam ſimulacra, quam loca fuiſſe videntur, nempe in quibus ſacri ignes facti, quod origo videtur ſignificare:* πυραθεῖα Straboni lib. XV. πυρεῖα *aliis*. *Sebaſt. Munſterus* in Bibliis ſuis ad h. l. *Amœna ædificia* fuiſſe, putat, *quæ ſunt ſupra tectum*. Interpretatur forte ita Hebræorum interpretem *Raſchi*, qui ad h. l. ita commentatur, מין עבודה אלילים שמעמידים על הגגות ועל שם שמעמידים בחמה קרויין חמנים *Species cultus Idolorum ſunt, quæ erigebant in tectis, & propterea quod erigebant propter ſolem, vocantur Chammanim*. Sed idola non ſunt ædificia. *Spencerus* loc. cit. Lib. III. diſſert. 6. cap. 1. ita convictus eſt templorum per חמנים intelligendorum, ut antiquitatem illorum ex Levitici loco adſtrui poſſe confidat: *Primo itaque*, inquit, *horum templorum ethnicorum mentio, quamvis ſub nomine obſcuriori, venire creditur* Levit. XXVI. 30. *Et Diſſipabo excelſa veſtra & ſuccidam templa veſtra ſolaria: ſic vocem expono, quod ea* LXX. *per* τεμένη *explicent*.

VIII. *Bochartus* de colonia Phœnicum *Lib.* II. *cap.* 17. *p.* 773. templa Phœnicum, quæ ἀμμάνεοι dicuntur, per חמנים intelligit. Mentio fit horum apud *Philonem Byblium* in *Euſebii* præparat. Evangel. Lib. I. cap. 9. p. 32. occaſione ſcriptorum Sanchuniathonis, quæ hic ex horum templorum monumentis abſconditis & in adytis repoſitis conſarcinavit. Celeberrimus quidem *Vitringa* in commentario ſuo in *Jeſ.* XVII. ſe ignorare fatetur, quid ſibi velit *Bochartus* per ἀμμανεῖς; ſed templa fuiſſe, palam eſt ex ipſo *Philone Byblio*. Si enim l. c. p. 31. dicit, Sanchuniathonem hiſtoriam ſuam compoſuiſſe ἐκ τῶν κατὰ πόλιν ὑπομνημάτων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν, *ex ſingularum urbium actis & templorum monumentis*; templa iſta pag. 32. ἀμμανεῖς adpellat. Et ſi derivationem ſpectes, templa ſolis, quæ putat etiam *Bochartus*, ſunt: nihil enim facilius eſt, quam ab Hebræorum חמה mutatione litterarum quieſci-

ſcibilium adhibita, & Græcorum ναὸς dialecto Attica νεὼς derivare hoc nomen: nihil refert, ex duabus linguis componi, quum non inſolens ſit. Et forte templum *Ammonis*, quod aliqui putant, unum ex his templis fuit, pari modo ob nominis deductionem: ab arena enim, quæ Græcis ἄμμος, dici abſonum eſt, etiamſi & hæc ob calorem ab Hebræorum חמם ita adpelletur; templum enim arenæ audiret, quam cultam a gentilibus neſcimus. Diſconvenientia etiam ſimulacrorum Ammonis cum arenæ natura diſſuadet, & *Avenarius*, ſecundum Calovium, templum hoc Heliocaminum dictum fuiſſe monet. Et quamvis *Freinshemio* in indice commentarii ſui in *Curtium* ſub voce *Ammon* non placeat, Ægyptii nominis originem ſtatim ab Hebraiſmo repetere, quum ἀμοῦν apud Ægyptios, ſecundum *Manetonem* apud *Plutarchum* de Iſide, occultatum ſignificet; Hebræam tamen adfirmare nullus dubito, ipſa enim ſcriptio ἀμοῦν Ammonis nomini contraria eſt. *Scaliger* in Catullum p. 124. quem *Seldenus* ſequitur de diis Syris ſyntagm. 2. cap. 8. πυραθεῖα apud Perſas ſolita vult per חמנים innui. Horum genuinam nobis imaginem communicaturi, *Strabonis* geograph. lib. xv. pag. 504. edit. Caſaubon. in ſubſidium vocant. Hæc ille ita deſcribit, ἔστι δὲ καὶ πυραθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι, ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι· καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες ἐπᾴδουσιν, ὥραν σχεδόν τι πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες, πάρας περικείμενοι πιλωτὰς καθηκυίας ἑκατέρωθεν μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη καὶ τὰς παραγναθίτας, *Sunt (in Cappadocia) & πυραθεῖα, ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt: in ea magi & cinerem multum & ignem perennem ſervant: & eo quotidie ingreſſi imprecationes faciunt, per horam ante ignem virgarum faſciculum tenentes, pileis infulis velati, ex utraque parte dependentibus, adeo ut vittæ labia contegant ac malas*. Nomen horum πυραθέων ex eodem patet: immediate enim verbis adductis addit, quod eadem ſacra, quæ in πυραθείοις iſtis fieri ſolebant, in templis Anaitidos & *Homani* celebrentur. Et hac ratione auctores laudati ob nominis convenientiam πυραθεῖον τοῦ ὁμανοῦ intelligere videntur: *Amanus* enim, inquit *Seldenus* loc. cit. *ſane Sol erat, ni fallor, ut Anaitis luna*.

IX. Ipſi templorum fautores non conſentiunt. Alii enim templa tecta, ut ignis ab injuria tempeſtatis ſervari poſſet, intelligunt, cujuſmodi æri inciſum exhibet *Hyde* l. c. cap. XXIX. tab. 8. ad p. 354. alii autem ſepta quædam tantum ingentia, *Hypethra* dicta, quæ & ipſe *Strabo* l. c. innuit. A vero alienum non eſt, moviſſe hunc diſſenſum *Grotium*, ut non ſimulacra, ſed loca velit. Qua voce nimis late & obſcure mentem ſuam exprimit: nam, ut de templis, quæ etiam intelligi poſſunt, non dicam, vel loca excelſa intelligit, & Pleonaſmum *Levit.* XXVI. 30. & *Ezech.* VI. adfirmat, in utriſque enim locis a במות diſtinguntur; vel loca depreſſa innuit, quorum nullum idololatricum novimus, præter vallem ben Hinnom, ubi quidem Molech, cui filii vel combuſti, vel per duos ordines ignis traducti ſunt, ſolem denotare, evictum eſt, ſed hic ignis perennis non erat. Qua ratione in ſubſidium vocet *Ezech.* VI. & *Jeſ.* XVII. neſcio: nihil impedit enim, quo minus apud utrumque prophetam ſtatuas aut ſimile quid intelligere queam. Deinde vox האשרים apud Jeſaiam & verbum נשברו, nec non מזבחות apud Ezechielem ſuadent, analogum quid intelligi debere, quodque fractioni aut comminutioni obnoxium eſt, atque cum altaribus poteſt componi. Templa fuiſſe apud vetuſtiſſimos Ægyptios & alias nationes eo etiam tempore, quo peregrinati Iſraelitæ in Ægypto ſunt, non dubito. *Julius Firmicus* enim de errore profanæ religionis pag. 22. edit. Lugdunenſ. 1645. *huic (Joſepho) inquit, poſt mortem Ægyptii patrio gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt*: & *Lyſimacus* apud *Joſephum* in Appionem Lib. I. ſub fin. ſecundum *Spencerum* Moſen ejuſque comites accuſat & exprobrat, illos Θεῶν τε ναοὺς καὶ βωμοὺς, οἷς ἂν περιτύχωσιν, ἀνατρέπειν, *Deorum & templa & aras, in quas nempe inciderent, evertiſſe*. Tantum igitur abeſt, ut negem morem gentilium, templa ædificandi; ut potius Hoſpinianum de origine templorum cap. v. & Polydorum Vergilium de rerum inventoribus Lib. I. cap. 5. ſequuturus, jam tempore turris Babylonicæ Deos in templis cultos eſſe credam. Et quod attinet ad Perſas, *Herodotus* quidem in Clio p. 28. edit. Baſil. 1688. de iis dicit: ἀγάλματά τε καὶ ναοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ πεποιημένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιοῦσι μωρίην εἶναι φέρουσιν, i. e. ex verſione Laurentii Vallæ: *Neque ſtatuas, neque templa, neque aras exſtruere conſuetudo eſt: quin immo hoc facientibus inſaniæ tribuerunt*. Quem ſequutus *Alexander ab Alexandro*. genial. dier. Lib. II. cap. 22. *Apud Perſas*, inquit, *nulla dicabantur templa Diis, quia, quum ſolem præcipuum numen, & Deum maximum colant, mundum univerſum*

*sum illi templum esse dixerunt*. *Th. Hyde* tamen, qui *Herodoti* verba ad Zabiorum antiquorum tempora restringit, l. c. p. 153. ex *Scharistano* Arabe templa apud Persas fuisse probat, eorumque catalogum usque ad *Zoroastrem* ex eodem recenset: adeo, ut bellum inter *Ariasp*, τῆς Turan seu Scythiæ orientalis regem, & *Gushtasp*, Persarum regem, quod l. c. p. 19. ex *Megiddi* historici Persici vita *Gushtaspis* memorat, non nisi propter multiplicata hæc πυραθεῖα, ortum dici queat. Tantum etiam abest, ut negem populo Dei templa Solis fuisse; 1. *Reg*. XVI. 32. enim de *Achabo*, Israelitarum rege, refertur, quod ædificaverit Samariæ בית הבעל, qui בעל multiplici quidem sensu in literis sacris occurrit, & ipsi Deo tribuitur *Hos*. II. 18.; hic tamen, ut monet *Seldenus* l. c. Syntagm. 2. cap. 1. p. 197. de *Phœnicio Belo*, qui *Sol*, accipi debet. Immo non eo tempore moris esse cœpit, sed accusantur Israelitæ Amos. v. 26. quod jam in deserto circumtulerint tabernaculum *Regis sui*, qui verosimiliter nullus alius fuit, quam *Sol*, ab Ægyptiis & Phœnicibus cultus. Hujus simulacrum imponebatur huic סכות, quod vel ναΐσκους seu capsulas ad effigiem templi factas, & usu frequenti apud veteres idololatras tritas; vel cum *Seldeno* tabernaculum grandiusculum ex levi & portatili materia fabrefactum; vel, cum *Ludovico de Dieu* thensas aut lecticas, quæ erant vehicula argentea vel eburnea, velo sæpe cooperta, vertas, perinde erit. Discrimen enim illorum tam magnum fuisse non videtur, & quodcunque eligam, ejusmodi fuit, quod vel a quibusdam viris portatum, vel jumentorum jugis tractum fuit: quem morem antiquissimum apud Phœnices refert *Philo Byblius*, apud *Eusebium* l. c. Lib. 1. cap. 10. ὃ καὶ ξόανον εἶναι μάλα σέβασμιον καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν τῇ φοινίκῃ, i. e. ex versione *Vigerii*: *Et huic quidem simulacrum eximio cultu dedicatum est, addito quoque in Pœnice templo, quod ab aliquot jugatorum boum paribus gestabatur*. Hæc omnia verisimilitudinem quidem & possibilitatem, nequaquam autem veritatem evincunt. In hac enim adstruenda omnia verba & nomina, quibuscum חמנים construuntur, consuli debent, quæ templa statuere nullo modo permittunt. Unicus modo locus est, 2. *Reg*. x. 27. ubi verbum נתץ, quod alias nonnisi de aris & ædificiis in literis sacris dicitur, de מצבת הבעל, quæ citra dubium חמן est, ut Prædicatum legitur: in reliquis locis aut גרע, aut שבר, aut כרה, aut כרת invenimus, quæ verba omnia ædificiis non competunt. *Quis ergo*, dicit *Vitringa* in commentar. in *Jes*. XVII. 8. p. 506. col. 2. *non videt, illas voces rectius adplicari ad ligneas statuas, aut qualescunque alias ex metallo formatas, laminis æris aut argenti obductas, quam ad templa & sacraria*. Omnium maxime sententiæ huic contrarius est locus 2. *Chron*. XXXIV. 4. qui commentarius reliquorum est, ubi dicitur: והחמנים אשר למעלה מעליהם גדע *& solaria, quæ fuerunt in altum erecta ex partibus superioribus eorum* (altarium) *incidit*. Nihil facilius est, quam adfirmare ex hoc loco, simulacra fuisse, aliter enim verti non postulat, non consentiente solum *Interprete Caldæo* ad h. l. a *Matth. Frid. Beckio* 1680. edito p. 349. qui ita transfert וחנסניא די לעיל מעלויהון קטע *& simulacra solaria, quæ fuerunt supra* (erecta) *incidit*. Sed & adprobante *Raschi* in h. l. qui dicit צורת חמה שהושיבו למעלה גבוה כנגד חמה ומשתחוים לו i. e. *imago solis, quam collocarunt supra ea in altum versus solem, adoraturi illum*. Id quam maxime innotuit *Clerico*, & ultra se recipere non potest, quam ad parietes templorum. Inscitia nostra aut neglecta sedulitas evolvendi auctores profanos & inveniendi in illis simulacra, altaribus imposita, ne tollat auctoritatem divinam. Nullibi apud profanos de more solem adorandi impositione manus ori legimus, nihilo tamen minus ex *Job*. XXXI. 26. 27. recte conjici non vereor adfirmare cum *Vossio* de origine & progressu idololatriæ Lib. II. cap. 2. Immo vestigium hujus moris, simulacra aris imponendi, longe remotioribus hoc temporibus habemus: *Jud*. VI. 25. enim imperatur *Gideoni*, ut destruat altare τῷ בעל patris sui, & succidat simulacrum, אשר עליו, *quod est supra illud*. על quidem *juxta* transferri posset, sed LXX. Interpretes dissuadent, qui ἐπ' αὐτῷ habent. Et si suppono, quod mox probabile reddam, חמנים & אשרים seu אשרות idem esse, absurdum erit, templa propugnare: nam 2. *Reg*. XXI. 7. dicitur Manasses פסל אשרה in domo Dei sui atriis ejus posuisse. Sententiam de templo *Ammonis*, quæ per se corruit, non prolixe examinabo, veram ejus originem & initium ab ejus patronis primum expectaturus.

X. Solas literas sacras sequuti videmus ex omnibus locis, in quibus vox חמנים vel sola, vel cum aliis juncta occurrit, simulacra notari. Chaldæi paraphrastæ Onkelos in Levit. XXVI. 30. Jonathan Jes. XVII. 9. XXVII. 8. & auctor paraphraseos librorum paralipomenorum 2. Chron. XIV. 5. XXXIV. 4. 7. trans-

transferunt per חנכנסיא. Quod simulacra intelligant per hanc vocem, clarum fit 2. Chron. XXXIV. 4. ibi enim dicit auctor, fuisse, לעיל מעליהון, *in altum erectos ex partibus superioribus illorum ( altarium.* ) Quæ autem facies fuerit horum simulacrorum, conjicere non licet. Jes. III. 19. eamdem vocem pro רעלה *peplo muliebri faciei obducto, ne sole coloretur* usurpant, cujus figuram R. *Schelomo ben Melech* ad l. c. dat. Et quia ibi peplum muliebre a trepidatione per ventum excitata dicitur; *Beckius* laudatus in notis ad paraphrasin in 2. Chron. XIV. 5. *Num igitur*, inquit, חנכנסיא *valde tremula simulacra sunt? Vatablus* & *Fagius* in Criticis Anglicanis Tom. I. p. 894. 896. simulacra volunt: *Hæc vox*, inquit *Vatablus*, *non simpliciter simulacra signat, sed ejusmodi, quæ cultores solis erigebant. Junius* & *Tremellius subdiales statuas* vertunt. Et *Vitringa* l. c. *Meo*, inquit, *judicio omnino hac voce intelliguntur statuæ Soli consecratæ, vel editis natura locis, vel erectæ eductæque in altum, aris, tectis, ( ut Jarchius ) aut perticis impositæ Solis naturam aut figuram symbolice repræsentantes.* Quum autem simulacra in litteris sacris vel מצבות, vel אשרים, vel חמנים, vel פסילים, vel מסכות adpellentur: dubium oritur, num חמנים, de quibus nobis sermo, diversa ab his species fuerit; aut num omnibus nominibus idem simulacrum solis, sed propter accidentalia diverso nomine insignitum exprimatur; aut num חמנים & אשרים sint omnium nomina generalia, & unum idem, ac alterum valeat. Certe si conferimus 1. Reg. XV. 13. ubi Asa, pius rex Judæorum, aui sui *Rehabeami* idololatriam removisse fertur, & 1. Reg. XIV. 23. ubi de omni populo Judæ sub *Rehabeamo* dicitur, quod exstruxerint מצבות ואשרים cum 2. Chron. XIV. 4. sub חמנים comprehenduntur מצבות & אשרים: in Chronicis enim his vocibus omissis tantum חמנים inveniuntur. Cui contraria videtur relatio verborum 2. Reg. XXI. 3. & 2. Chron. XXXIII. 3. ad verba 2. Chron. XXXIV. 4. in duobus prioribus enim locis אשרות tantum leguntur; in posteriori autem פסילים, אשרים, חמנים, & מסכות invenimus. Et quum singulis speciebus fere prædicata peculiaria dentur; facile aliquis species diversas constituere potest. Si conjecturam meam proponere licet, & benevole lubet audire, hæc est; מצבה in genere notat simulacrum quodvis, aut monumentum, quod in altum erigitur. Sic de lapide Jacobi Genes. XXIIX. 18. cui incubuerat, dicitur, quod illum in memoriam visionis excellentis constituerit מצבה. Pari modo in memoriam rerum variarum notatu dignarum legimus in literis sacris ejusmodi monumenta erecta: Exod. XXIV. 4. ad montem Sinai in memoriam Decalogi dati, Genes. XXXV. 20. in memoriam mortis Rahelis. Quia igitur simulacra deorum, & solis etiam, in altum erigebantur, adpellabantur מצבות: & in hunc finem constitutæ interdicuntur Israelitis. Ut autem distingui possent simulacra, quæ soli ponebantur, חמנים ea vocarunt, aut מצבת בעל ut 2. Reg. X. 27. בעל enim Belum Phœnicium, qui Sol, significat, ut supra dictum. Non denego eumdem voci אשרים & fœminino אשרה & אשרות significatum, tam notum enim, quam quod notissimum, est, אשרים non modo nemora, sed & simulacra & idola significare: ut *Spencerus* de legibus Hebræorum ritualibus Lib. II. cap. 16. pag. 587. ex collatione Jud. II. 13. cum Jud. III. 7. & 1. Sam. VII. 4. probat, אשרות esse simulacra *Astartes*, deæ Sidoniorum, quam Lunam dicit *Seldenus* de diis Syris syntagm. 2. cap. 2. & Jerem. XVII. 2. de אשרים sub arbore viridi sermo habetur, ubi, nihil aliud quam simulacrum intelligas, neglecto chiasmo, doctissimi Cocceii in Lex. ad vocem אשרה, qui positui accentuum plane contrarius est. Quem significatum Judæi non admissuri arborem intelligunt in honorem numinis plantatam sequuti Mischnam suam in עז c. 3. §. 7. ut *Kimchi* in libro radicum ad אשרה, & R. *Sch. B. Melech* in Jer. XVII. 2. quorum verborum hunc sensum vult. *Postquam recordantur filii illorum altarium illorum prope arborem viridem, quæ fuit ex* אשריהם *seu arboribus numini lantatis.* Quia autem vox חמנים, alii significatui, præter hunc, quo simulacrum solis significat, non subest, & distinctius rem exprimit; hanc vocem primario hisce simulacris datum fuisse, statuere fas est. Ceterum hæ voces unum idemque idolum, non diversa, etiamsi conjungantur, ut Jes. XVII. 8. XXVII. 9. significant, quæ sive אשרים sive חמנים adpelles. Reliquæ voces פסילים & פסילות materiam horum aliorumque simulacrorum notant, quæ vel lignum fuit vel metallum. Quo abierunt a Zabiis antiquis, si fides habenda Maimonidi in More Nevochim Part. III. cap. 29. ubi dicit, *Erexerunt quidem Soli imagines aureas, Lunæ vero argenteas, atque ita metalla & climata terræ inter stellas partiti sunt.* Quod פסילים peculiaria simulacra non fuerint, inde patet, quod 2. Reg. XXI. 7. de Manasse di-

dicatur, procuraſſe illum פסל האשרה: aliter exponi non poteſt, quam quod idolum illud opus ſculptum fuerit. Et quamvis idola, dicta פסילים, lignum pro materia ſupponant; artem tamen metalla tractandi ita perfecerunt artifices veteres, ut ejuſmodi fuſerint idola, quæ ſculptis non cedebant; & in hunc finem dicitur Jeſ. xliv. 10. פסל נסך *ſculptile fudit*. Hac ratione optimus ſenſus erit verborum 2. Chron. XXXIV. 4. ita enim poſſunt transſcribi: *Duodecimo anno regni ſui cœpit purgare Judam & Hieroſolymas, ab excelſis & ſimulacris ſolaribus, quæ fuerunt vel ſculptilia, vel fuſilia. Diruerunt in conſpectu ejus altaria Baalorum, & ſimulacra ſolaria iſta, quæ fuerunt in altum erecta ex partibus ſuperioribus illorum, concidere juſſit, ſimulacra, inquam, iſta ſolaria, quæ vel ſculptilia, vel fuſilia fuerunt, frangere, comminuere, & ſpargere juſſit cinerem illorum ſuper ſepulcra eorum, qui ſacrificaverant iis.* Verſu 4. enim decretum quaſi regis habetur de removendis ſimulacris idololatricis, & 5. exſequutio ejuſdem mandati: horum neutro nec plus, nec minus contineri poteſt, aut debet.

XI. Hiſce ſimulacris certam aliquam figuram dabant, quæ certum Solis effectum aut proprietatem ſignificabat. Hinc Exod. xx. 4. interdicitur Iſraelitis כל תמונה אשר בשמים ממעל *Omnis imago ejus rei, quæ in cœlo ſupra adparet*. R. *Obadias de Bartenura* ad verba tractatus Aboda Sara cap. III. §. 3. המוצא כלים ועליהם צורת חמה צורת לבנה צורת דרקון יוליכם לים המלח *Qui invenit vaſa, ſuper quæ imago ſolis, aut lunæ, aut draconis eſt, projiciat ea in mare ſalis*. Ad hæc verba inquam, ex mente R. *Moſis ben Maimon* ſub forma regis coronati ſolis ſimulacrum nobiſcum communicat פירוש הרמבם זל לא שימצא עיגול ויאמר זהו השמש או כמין קשת עיגול ויאמר זו לבנה אלא שימצא הצורה שמיחסים אלו הוברי שמים לשמש ולירח כמו שאמרו שצורת השמש צורת מלך מעוטר יושב על עגלה: *interpretatur R. Moſes ben Maimon pag. m. non intelligere debes, ſi inveniat aliquis circulum, & velit dicere, hic eſt ſol, aut* (ſi inveneris) *quaſi ſpeciem arcus circularis, & dicere velis, hic eſt luna: ſed ſi invenit aliquis figuram, quam tribuunt proprie aſtrologi Soli & Lunæ, e. g. ſi dicunt, figura ſolis eſt forma regis coronati, globo inſidentis*. In literis ſacris equos & currus ſolis, quorum mentio fit 2. Reg. XXIII. 11. חמנים adpellare non dubito: exacte enim hoc caput cum 2. Chron. XXXIV. parallelum eſt, ubi diſerte חמנים leguntur. Quamvis venerabilis Beda in lib. Reg. quæſt. 28. adfirmet, eos ſimulacro ſolis more gentilium ſubditos fuiſſe; nihil prohibet, quo minus etiam ipſos חמנים adpellem, ipſi enim proprietatem ſolis, celeritatem ſcilicet, ſignificant. Nova hæc ſolis figura videtur fuiſſe: apud Ægyptios enim antiquos horum veſtigia non invenimus. Si Perſas in hac re imitatos Iſraelitas eſſe cum Dieterico in antiquitat Bibl. P. 1. p. 149. & Clerico in commentario ſuo ad h. l. dicimus, non errabimus. Quemadmodum enim *Alexander* ab *Alexandro* genial. dier. lib. III. cap. 12. in genere equum Soli & Marti ſacrum fuiſſe refert; ſic & *Xenophon* Cyropæd. Lib. VIII. cap. 3. pag. 499. edit. Oxon. 1703. de Perſis dicit, ἐπεὶ δὲ ἀφίκοντο πρὸς τὰ τεμένη, ἔθυσαν τῷ Διὶ καὶ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους. ἔπειτα δὲ τῷ ἡλίῳ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους. *Quum ad delubra perveniſſent, ſacra Jovi fecerunt, combuſtis integris tauris, deinde etiam ſoli eique ſolos equos adoleverunt*. Venerabilis Beda l. c. cœpiſſe hanc idolorum ſpeciem poſt Eliæ in cœlum adſcenſum conjicit, *Audientes Græci*, inquit, *ab Iſraelitis, quos divinas habere literas fama prodebat, quod Elias curru & equis igneis ad cœleſtia translatus, vel hoc ipſum in pariete depictum videntes, crediderunt, vicinia nominis decepti, Solis hic tranſitum per cęlos eſſe deſignatum, & miraculum divinitus factum commutaverunt in argumentum erroris humana ſtultitia commentum*. Quando ſibi conſtat hæc conjectura, ut videtur ex eo, quod Bonifacius in hiſtoriæ ludricæ Lib. XVII. cap. 7. p. 679. ſub finem, edit. Venet. 1652. dicit: *Ante miraculum hoc nullibi apud gentiles equorum & curruum ſolis mentio fit*; non miremur Iſraelitas, quod imitati gentiles fuerint, non puduit enim eos, Molocho filios comburere, quam ſpeciem idololatricam ab oblatione Iſaaci, Abrahamo a Deo imperata, originem traxiſſe, conjicit laudatus HYDE l. c. cap. 11. Aliam, ſi hæc non placet, ſuppeditat Herodotus in Clio pag. 45. lin. 15. Θεῶν δὲ μοῦνον ἥλιον σέβονται, τῷ θύουσιν ἵππους. νόμος δὲ οὗτος τῆς θυσίης τῶν θεῶν τῷ ταχίστῳ πάντων τῶν θνητῶν τὸ τάχιστον δατέονται. *Ex diis ſolum ſolem colunt, ei ſacrificant equos: ea vero ratio hujus ſacrificii eſt, deorum celerrimo omnium animalium perniciſſimum mactant*. Hi equi & currus artificioſe erant elaborati & fabrefacti, ut Bonifacius etiam l. c. *equos iſtos* dicit *ſculptiles*, & reſervabantur in atrio templi, & quidem, ut 2. Reg. XXIII. legitur, apud conclave Netanmelechi principis, qui erat

בפרורים

בפרורים *loco atria omnia intra templi ambitum seu murum extimum instar suburbiorum quorumdam cingente*, ut Surenhusen ad מדות cap. 2. §. 3. adfirmat. Locus reservationis horum equorum & curruum solis pugnat pro equis sculptilibus, ut vivos equos intelligere non possim, tota fere antiquitate renitente. Auctores hujus sententiæ Bonifacius l. c. Judæorum doctores pronunciat, & Abrabbanel in 2. Reg. XXIII. 11. adfirmat הנה, inquit, מלכי יהודה נתנו לעבודת השמש סוסים מיוחדים לזאת העבודה שהיו רוכבים עליהם אנשים *Ecce reges Judæ dederunt ad servitium solis equos, destinatos ad hunc cultum, super quibus equitarunt homines*. Idem innuit R. Schelomo ben Melech ad h. l. f. 84. col. 4. ובפירוש מרכבות הסוסים שהיו בהם לקראת השמש בבקר בורחו *Si interpreteris: sunt currus equorum, qui ibant cum illis obviam soli mane, quum oriretur*. Sanctius in commentario suo ad h. l. argumento sententiam hanc roborat: *Ita existimo*, inquit, *si enim equi ignei forent, aut ex materia, quam ignis solveret, atque combureret; quemadmodum currus combustus esse dicitur igne; sic etiam combusti dicerentur ex eadem materia equi ad currum alligati: at sublati sunt equi & crematus currus. Translati ergo sunt equi, qui jam devoti fuerunt flammis & cultro, ad meliores usus*. Celeberrimus Bochartus, qui eamdem sententiam defendit, in Hierozoic. Part. 1. cap. 10. p. 176. seq. tria argumenta addit (1) quod materia illorum non legarur, quam tamen soleant literæ sacræ e. g. de vitulo Aaronis & serpente Mosis, addere. (2) *Præterea*, inquit, *quum statuæ non nisi loculum suum occupent, quorsum equis statuæ adfixis, quique adeo illius fuissent particulæ & appendices, adsignatum fuisse diceretur spatium inter templi fores, & domum Netanmelechi in* פרורים *interjectum? Omnino hæc verba designant plateam aliquam templo attiguam, in qua equis soli sacratis exspatiari liberum fuit*. (3) *Quid? quod solis imagines idololatræ potius in ipso templo erexissent, quam in vicina platea*. Pace horum, & qui cum illis faciunt, sententiæ hujus fautorum recedere liceat. In verbo וישבת præsidium non invenit, in genere enim plane removere notat, quocunque fiat modo: Sic Deut. XXXII. 26. minatur DEUS, *removebo a quovis masculum illorum*, & Levit. II. 13. monentur Israelitæ, *ne committant, ut desinat memoria perpetua fœderis cum Deo*. In locis utrisque hoc verbum invenitur: & sensus incommodus proveniret, si destinare ad alios usus & fines transcribere vellem. Duo posteriora Bocharti argumenta translatio particulæ אל tollit; si enim non *in*, sed *ad* vertitur, locus illis omnino perpetuus adsignatur, in ipsis atriis templi. Nec stringit, quod materia eorum non addatur, hanc enim sibi sceri scriptores libertatem reservarunt in literis sacris consignandis, & nihil inde potest concludi. Tandem silentium literarum sacrarum prohibet, quod si enim non omisit Spiritus Sanctus, mentionem facere ædicularum שׁד קדשים cinædorum, seu sacerdotum, qui Veneris colendæ caussa nefandos ibi exercuerunt concubitus, & ubi mulieres corpore suo publice quæstum feccerunt; certe describi curasset impiam & horrendam plane dictu loci sanctissimi profanationem. Numerus illorum nobis non determinatur, quia Spiritus sanctus satis non duxit, copiosiorem de illis sermonem facere. Dubium non est, quin imitati fuerint gentiles, Solique attribuerint quadrigas, ut Bonifacius l. c. conjicit, quia, ut Isidorus Hispanicus Lib. XIIX. cap. 36. dicit, per quatuor tempora annus vertitur, ver & æstatem, autumnum & hyemem.

XII. Huc forte referri poterit ritus deflendi תמוז, cujus mentio fit Ezech. VIII. 14. תמוז non ut nomen idoli considero, sed mensem, qui cum Junio nostro coincidit, & quem deflevisse, vel propter quem, aut תקופת התמוז *Solstitium Tammus* flevisse mulieres istæ more gentilium referuntur, dico: quia post Solstitium istud Sol ab hemisphærio nostro recedere incipit: Si enim Spiritus sanctus idolum nominare voluisset, elegisset sane, ut semper solet, nomen proprium illius idoli, & non ambigue esset per Ezechielem ad nos loquutus. Ceterum omnino arbitror, eos ex imitatione gentilium hunc recessum simulacra significantia habuisse. De his doctores Judæorum non consentiunt. R. *Schelomo ben Melech* ad h. l. dicit, שם צלם או שם איש או שם חית שהוו עובדים אותה עיין בשרשו *Aut nomen imaginis est, aut nomen viri, aut nomen bestiæ, quam coluerunt, claritas latet in ejus radice*: Abendana in spicilegio ad h. l. sic commentatur, אומרים שהיו עושים צלם וממלאים עיניו עופרת והיו עושים אש מתחתיו והעופרת נמס ודומה שהוא בוכה *Dicunt, quod fecerint imaginem, & oculos ejus pice impleverint, & superstruxerint partibus ejus inferioribus ignem, quo pix liquuit, & visa est flere*. Quæ R. *Moses ben Maimon* in More Nevochim Lib. III. cap. 29. refert de falso prophe-

pheta, qui תמוז dictus fuit, & regem populi Dei ad idololatriam incitare voluit, mortis autem plaga adfectus, introduxit hunc ritum, fabulam ſapit, & merito auctori ſuo relinquimus. Tutius ibimus, ſi ad Ægyptios redimus, quos Macrobius Saturnal. Lib. I. cap. 21. p. 368. *Volentes ipſius ſolis nomine dicare ſimulacrum figuraſſe* refert, *raſo capite, ſed dextra parte crine remanente. Quod poteſtatem ſolis denotabat emergendi rurſus etiam eo tempore, quo non viſitur a nobis*. Nec alienum erit, ſi ſimulacrum Adonidis Aſſyriorum intelligas: mediate quidem ſolem reſpicere videtur; ſed ſive Adonis, ſive Sol dicas, unum idemque eſt, ſol enim κατ' ἐξοχὴν ex dialecto Hebræa dominus vocatur, quia habebatur omnium corporum cœleſtium director ſupremus. Hujus deflendi ritum Lucianus de dea Syria nobis his verbis deſcribit: τύπτονται δὲ ἑκάϛυ ἔτεος καὶ θρηνέουσι καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι καὶ σφισὶ μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵϛανται. ἐπεὰν δὲ ἀποτύψονταί τε καὶ ἀποκλαύσονται πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι ὅκως ἐόντι νέκυι. Μετὰ δὲ τῇ ἑτέρῃ ζώειν μὲν μυθολογέουσι καὶ ἐς τὸν ἀέρα πέμπουσι καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος τοῦ Ἄπιος. *Verberantur quotannis & lugent, & ritus ſolennes peragunt, ab ipſis magni adeo luctus per totam regionem indicuntur: poſtquam autem verberandi & deplorandi finis factus eſt, principio quidem inferias agunt Adonidi, tanquam mortuo exiſtenti. Poſtea autem ſequenti die & vivere eum dictitant, & in aerem mittunt, & capita detondent, ut Ægyptii, ſi mortuus eſt Apis*.

XIII. R. *Moſes ben Maimon* in commentario ad Aboda Sara cap. IV. §. 7. de Zabiis refert, quod figuras planetarum ratione temporis mutaverint וכן הרכיבו כזב שני על הכזב הראשון והוא הצלמים הנקראים הטלאסמם ואמר שכיהיה כוכב פלוני המצליח במקום הנאות לו תעשה צורה על תאר כך וכך ותביא מן התועלת כך וכך וכשיהיה הכוכב פלוני במקום פלוני שהוא הפכו תעשה לו צורה בתאר כך וכך ותרחה בו מן הרעה כך וכך i. e. ex verſione Surenhuſii: *Poſtea ſecundam falſitatem immiſcuerunt primæ, quæ tractat de imaginibus, quas vocabant telaſmam dixeruntque, quando talis planeta ſit felix in loco idoneo, facias hanc vel illam imaginem, & tum hanc vel illam ex illa percipies utilitatem: quando autem modo contrario talis planeta in iſto loco ſit infelix, facias imaginem in hac vel illa forma, & illa mediante hanc vel illam infelicitatem ſuperabis*. Id an de ſtatuis Soli poſitis adfirmari debeat, non determino: neſcimus enim, num diverſa ſolis ſimulacra, ſi fuerunt a Judæis adhibita, ſimul aut alternatim, prout tempus popoſcit, coluerint. Locus illis diverſus fuit, atria templi, excelſa, & ſpatium ſub arboribus viridibus, quorum omnium in literis ſacris mentio fit. De atriis templi ex hactenus dictis conſtat. De excelſis docemur Jud. VI. 25. 26. Referri huc poſſet Jerem. XVII. 2. ubi τῶν אשרים mentio fit, quod fuerint על עץ רענן *ſupra arborem viridem*, niſi ob defectum parallelismi *juxta* vertere deberemus, vel etiam *ſub*, quia in omnibus locis parallelis eſt תחת עץ רענן, ut R. *Schelomo ben Melech* ad h. l. dicit ועליו נאמר בכל מקום תחת עליו, כל עץ רענן *exprimitur in omnibus locis per* תחת (ſub omni arbore viridi). 2. Reg. XVII. 10. cum excelſis arboris viridis etiam meminit ſacer ſcriptor ויצבו להם מצבות ואשרים על כל גבעה גבוהה ותחת כל עץ רענן *& erexerunt ſibi ſtatuas & ſimulacra ſolaria, ſuper omnem collem ſublimem, & ſub omni arbore viridi*. Utrumque locum antiquiſſimis temporibus ad ea deſtinatum fuiſſe docemur Deut. XII. 2. ubi præcipit Deus Iſraelitis, ut removeant Deos gentilium, ſive fuerint על ההרים הרמים ועל גבעות ותחת כל עץ רענן *in montibus altis & collibus, ſive ſub omni arbore viridi*. Modus, quo venerabantur ea, fuit adoratio divina atque עבודה, quæ fiebat, ut *Aben Erſa* ad Fxod. XX. 5. commentatur, לזבוח ולהקטיר להם *ſacrificando & ſuffiendo illis*. Adoratio autem divina, quæ השתחוואה τῷ *Raſchi* ad Levit. XXVI. 1. eſt, ut a קדד, כרע & ברך diſtingui queat, proſtrationem totius corporis & expanſionem manuum pedumque notat. Sic *Raſchi* definit ad l. c. אפילו לשמים לפי בפשוט ידים ורגלים היא ואסרה התורה לעשות כן חוץ מן המקדש: *Etiamſi in cœlo fuerit, propterea quod ſit cum expanſione manuum pedumque, prohibet lex, facere ita extra ſanctuarium*. Adprobat calculo ſuo R. *Schelomo ben Melech* in Pſ. XCV. 6. diſtinctum ſimul omnium horum verborum ſignificatum communicans נשתחוה הוא שטות כל הגוף בארץ פשוט ידים ורגלים ונכרעה כריעת הראש עם קצת הגוף כמו שאנו כורעים בברכות נברכה הוא כריעת הברכים בארץ כמו ויכרע על ברכיו נשתחוה, כרעו על ברכיהם *eſt proſtratio totius corporis in terram, & expanſio manuum pedumque*, נכרעה *eſt deflexio capitis cum dimidia parte corporis, quod fit, ſi inclinamus ſuper genua*: נברכה *eſt dimiſſio genuum ſuper terram, e. g. 2. Reg. 1. 13. demiſit ſe ſuper genua ſua, & Jud.*

& *Jud.* VII. 6. *demiserunt se super genua sua*. Vetuit Deus hunc posteriorem, quemadmodum & modum priorem pluribus locis in literis sacris, quia sibi soli vindicat adorationem hujusmodi & corporis prostrationem, *Exod.* XXXIV. 14. ut venerationem & honorem præcipuum, quem Deus alii non dat, *Jes.* XLII. 8. Tribuitur quidem & tributus legitur in literis sacris hominibus, 2. *Reg.* IV. 37. *Genes.* XLII. 6. sed quemadmodum nomen Dei proprium אלהים abusive tribuebatur idolis atque judicibus, ( quod ex eo colligere licet, quod *Deut.* VII. 9. *Jos.* II. 11. Deo κατ' ἐξοχὴν tribuatur; ) sic etiam fastus & vesania imperatorum & adulatio adsentatorum introduxit hunc ritum, reverentiam istis exhibendi. Deinde probe debet distingui inter adorationem civilem atque religiosam, hanc, non illam, cohibuit Deus. *Religiosa autem omnis adoratio est*, verbis utor celeb. *Cocceji* in Lexico ad voc. שחה pag. 879. *quando non videtur, quod honoratur gestu venerantis aut supplicantis: item, quando signum tanquam imago aut symbolum præsentiæ divinæ habetur: aut in ipso homine non est axioma regis aut domini cui subjectio debetur.* Si aderat primum & ultimum, permisit Deus, ut reverentiam magistratibus, qui sui vicarii sunt, eo conciliaret majorem. Et si literas sacras consulimus, videbimus, Deum non nisi idolis exhiberi, vetare: quia hæc symbola erant divinitatis cujusdam: item soli & toti exercitui cœlorum etiam immediate exhiberi recusat: illis enim venerationem & supplicationem non debebant, quum corpora muta sint, & suspicio adorationis divinæ omnino adsit. Quidquid igitur dicant Persæ de civili tantum eorum solis cultu; & quam laboriose eos *Tomas Hyde* defendat, non effugient suspicionem: ejusmodi enim rebus exhibent hunc ritum, quibus hac ratione religiose fieri Deus ipse declarat, quia vetuit.

# JOHANNIS SPENCERI
## EXERCITATIO
## DE
## TYRIORUM GAMMADIN
## ET HAMMANIM.

### PRÆFATIO.

INter alia multa *Tyri* gloriæ & potentiæ plane singularis argumenta, apud *Ezechielem* Prophetam memorata, sic viros eorum, virtute militari præcellentes, descriptos (1) exhibet; *Paras, & Lud, & Put, fuerunt in exercitu tuo, bellatores tui: scutum & galeam suspenderent in te. Filii Arvad cum exercitu tuo super muros tuos undique:* ונמרים במגדלותיך היו *& Gammadim fuerunt in turribus tuis*. Hi *Gammadim* Tyriorum tot incertis ( ne dicam ridiculis ) conjecturis, interpretationibus pugnantibus, & opinionum divortiis, inter classis superioris eruditos occasionem præbuerunt, ut quod (2) *Xenophon* de exercitiis quibusdam juvenilibus asserit, de *Gammadim* illis usurpari possit; τοῖς μέν τοι ἀεί-



στοις οἱ ἀγῶνες ὗτοι πρὸς ἀλλήλους ϗ φιλονεικίας ἐνέβαλλον. Ut autem tenebris hisce lucis aliquid afferatur, & sermo meus ordinate disponatur; curabo ut quæ jam dicenda sunt, intra lineas & limites hosce contineantur.

*Primo*: Nonnulla de sensu *Grammaticali* & genuino vocabuli *Gammadim* sunt prælibanda.

*Secundo*: Doctorum sententiæ maxime celebres brevi examini subjiciendæ sunt.

*Tertio*: Sententia quæ minus abesse videtur a veritate, proponenda est, & ratione confirmanda.

*Quarto*: Præcipua sententiæ meæ obstacula de medio removenda sunt.

SE-

SECTIO I.

*De sensu Grammaticali vocabuli* Gammadim *nonnulla prælibantur.*

CUM *Gammadim* hisce tam infeliciter actum est, ut interpretes non minus de voce, quam re ipsa, diversa sentiant, & in partes abeant.

Nam 1. *Chaldæus* existimasse videtur hunc locum in mendo cubare, & & vocem hanc, non גמדים sed נפדים litera secunda mutata, legendam esse: nam *Targum* קפוטקאי *Cappadoces* habet, quasi נפדים legerat, aut legendum senserat. At religioni non bene consultum erit, si difficultate quavis oblata, Scripturam corruptelæ arguere, eique Criticos ungues admovere liceat. Deinde, nusquam legimus, *Cappadoces* virtute bellica sic inclaruisse, ut inde probabile fiat Tyrios olim existimasse, turres eorum vix in tuto futuras, nisi curam & tutelam earum Cappadocum genti demandarent.

2. Symmachus olim, *Hieronymo* teste גמדים vocem compositam esse judicavit, eamque tanquam גם מדים id est *etiam Medi*, dictionibus plane divisis, transferendam. Atque huic opinioni nonnihil præsidii præbere creditur *dagesch* illud forte quo מ afficitur in principio vocis. Quoniam autem ejusmodi compositio rarius occurrat in Originali, & *Medorum* mentio hic loco alieno fieret, cum *Persis* potius, versu superiore memoratis, quam cum *Arvadais*, conjungenda; cum etiam pauci sint e doctorum senatu, qui *Symmachi* versionem calculos suos mereri censuerunt; ei lectionem vulgo receptam non immerito præferendam sentio.

3. Sententia quæ passim inter doctos obtinet, ea est, quod nempe גמדים vox simplex sit, a גמד *cubitus* ortum habens, & *cubitos* aut *viros staturæ cubitalis* indicans. Docti significationem & originem illam voci *Gammadim* afferendam sentiunt, non una ratione moti: ratio princeps est, quod גמדים & גמד sono & literarum radicalium similitudine convenire pateat; & גמד *cubitum* notare dubitari nequeat, cum Lxx vocem eam σπιθαμὴν, Versio Vetus *palmam*, Kimchius *cubitum*, & Aquila πυγμὴν, *Judic.* 3. 16. verterint. Est autem πυγμὴ (docente (3) *Polluce*) spatium a cubito ad digitos in pugnum contractos & compressos; adeo ut aliquanto brevior esset quam πῆχυς, *cubitum legale* notans, & longitudine sex palmos contineret. Hæc omnia facile refutari (uti & facile confirmari) nequeunt, cum גמד & גמדים sint e (4) vocum eorum numero quæ semel tantum in Scriptura reperiantur.

SECTIO II.

*Sententiæ maxime celebres, de personis per* Gammadim *intelligendis, examini subjiciuntur.*

CUM e sermone præcedente, sensus vocabuli *Gammadim* paulo clarior evadat; in rem ipsam proximo, quam vox illa designat, diligenter inquirendum est. Hic autem interpretes tam difficili nodo impediti, in varias (ad instar *Protei*) se verterunt formas, ut seipsos explicarent. Variæ scilicet opiniones de vocis hujus intentione sunt excogitatæ, quarum momenta jam in lance rationis exploranda sunt. Ex iis autem.

Sententia prima, eorum est, qui putant habitatores *Anconis* Phœnices hic intelligendos. Atque hanc opinionem *probabilem* appellare dignatur (5) *Grotius*, quod Ἀγκὼν & גמד voces synonymæ sin, & Ἀγκὼν *cubitus* vocabulo גמד ex adverso respondere videatur. *Gammadim* itaque nihil aliud erit quam Ἀγκωνῖται, vel *Anconis* incolæ, si vox Græca in Hebræam transferatur. Quamvis autem hanc sententiam ingenii laude privari nolim, eam a vocis intentione non parum aberrare judico. Non est enim vel simile vero, quenquam, *Ezechielis* ætate, nomen Græcum urbi Phœniciæ dare voluisse; cum præsertim *Bochartus* exemplis pene multis probatum dederit, Phœnicios sub ea tempora portibus, urbibus, promontoriis, aliisque locis, nomina Phœnicia plurimum imposuisse. Deinde: modo Phœnices urbem illam, Græco nomine donatam habuerunt: verisimile est, eam non a *mensura* cubitali (quam גמד significat) sed *figura* cubitali nomen illud accepisse. Nam ea de causa urbs Ἀγκὼν *Ancon* a *Syracusanis* condita, nomen illud gessisse dicitur, quod referente (6) *Mela*, *ad inflexi cubiti formam & imaginem* structa videretur.

*Secundo:* Multi per *Gammadim* Pygmæos, staturæ cubitalis homulos, intelligendos arbitrantur. Inter eos familiam ducit *Vulgatæ Versionis* auctor & omnes in illius verba jurati; quorum præcipuos (7) *Caspar Bartholinus*, hujus sententiæ studiosus, enumeravit. In hanc autem sententiam concessere, quod Pygmæi

mæi illi ſegittandi artem, in bellis ſuis cum gravibus, frequenter exercerent; adeoque turribus ab hoſtium inſultu defendendis aptiſſimi crederentur. Utcunque, non pauci ſententiam illam irriſui habent, non tantum quod multum laboret adhuc hiſtoricorum fides, ut *Pygmæorum* gentem vel fuiſſe credamus; ſed quod incredibile ſit, Tyrios ipſas turres eorum bellis hiſce bellatorculis defendendas concredere voluiſſe. Spes nullas habuit *Tyrus*, ſi tales habuiſſet, cum præſertim Pygmæi non minus animo quam corpore molli, languido, & impotente, fuiſſe videantur. (8) *Nonnoſus* enim poſtquam βραχυτάτους quoſdam (Pygmæos, vel iis affinitate proxima junctos) memoraſſet, continuo addit, θάρσος μὲν ἔχον οὐδὲν &c. *Fiduciæ virilis ne micam habuere, cum noſtris hominibus conſpectis, quemadmodum nos viſa ingenti fera, metu perculſi fuerint*. Præterea: veri ne ſpeciem habet, *Tyrios*, cum ſibi *Perſas*, *Lydios*, *Arphadæos*, alioſque virtute militari claros, rerum ſuarum præſides & patronos, aſciviſſent; Pygmæos imbelles in talium virorum cenſum aſcribere voluiſſe.

*Tertio:* Ea ſunt opinione nonnulli, *Gammadim* regionem *Phœniciæ*, forma cubitali in mare projectam, & a mari poſtea devoratam, incoluiſſe, & nomen ſuum ab ea regione derivaſſe. Huic opinioni, *Junius* & *Tremellius* in Bibliis, *Marinus* in Lexico, *Polanus* & *Piſcator* in Ezechielem, *Buxtorfius* in *Lexico*, ſe patronos præbuere. Quamvis autem tot magni nominis auctores huic opinioni patrocinium præbeant, ei nunquam aſſenſurus ſum, quoad verba illa (9) viri doctiſſimi memoria teneam; *hanc gentem* Phœniciam, *& hocce ejus nomen nuſquam reperiri potui*. Fruſtra nempe dicitur a viris doctrina licet excultiſſimis, quod nuſquam legitur.

*Quarto:* Cum גמדים & גמד *cubitus* originem arceſſat, alii ſentiunt, *homines cubitales* hic, *cubito* ſeu brachio *valentes*, pugno fortes, manu promtos robore præſtantes denotare. *Neque dubium eſt*, inquit (10) *Fullerus* noſter, *quin eo reſpexerint* Lxx גמדים φύλακας, id eſt *cuſtodes*, aut *milites in præſidiis collocatos ad urbem tuendam ac conſervandam*, *metonymice* convertentes: nam id muneris, non Pygmæis, ſed fortibus inptimis & brachio toroſo validis, demandari ſolet. Atque hæc ratio cum veritate conjunctior exiſtimatur, quod *Aquila* Gammadim per πυγμαῖοι verterit, vocem a πυγμὴ *pugnum* ſimul & *pugilatum* ſonante derivatam: adeo ut vox ea viros *pugilatu* exercitatos, & *qui pugno* inflexo *graves ictus* infligunt, indicare cenſeatur. Speciosis niſce coloribus ſententia jam dicta fucari poſſet, niſi lux e (11) *Fulleri* noſtri verbis effulgens omnino prohiberet: Hebræis & Græcis *inſolens eſt ac inaudita utraque* vocum earum *ſignificatio*: *nam Hebræis vir fortis & robuſtus* גבור *dicitur &* איש חיל *reliquiſque hujuſmodi nominibus, nuſquam* גמד *uti nec pro* pugile *ab ævo condito adhibetur*. *Græcis autem ubique* πυγμαῖος *de quantitate uſurpatur*: *& a longe peritiſſimis in eaque lingua exercitatiſſimis viris exponitur* æquans *ſeu* explens menſuram πυγμῆς. His accedat quod *cubitus* Hebræis nec idem eſt quod *brachium*, nec eadem voce Hebraica notari ſolet: nec eadem roboris menſura cubito, quæ brachio tribui poteſt, cum oſſe tam grandi vel ſolido non conſtet.

*Quinto*: Aliorum ſententia, quæque maxime ſpecioſa creditur, hæc eſt; quod *Gammadim* e vicinia *Gammade* civitate (12) a *Plinio* corrupte *Gamale* dicta originem & appellationem derivarint. Opinionem iſtam calculis ſuis honeſtant *Junius*, *Polanus*, aliique πολλοὶ ϰ̀ ἀγαθοὶ, ſi *Fullero* credimus. Nam hanc *ſententiam* (13) inquit, *merito amplexi ſunt noviſſimi interpretes, qui* גמרים Hammadæos *reddunt, nimirum incolas urbis* Gamades *in Phœnice*, quam *ipſa ſe condens terra*, una cum agris circumjacentibus, *devoravit*, *uti narrat Plinius* in *Hiſt. Naturali*. *Ipſe tamen ibidem eandem urbem* Gamalen *pro* Gamaden *vitioſe appellat, deceptus Græco aliquo Codice mendoſo, ubi* Δ *in* Λ *corruptum legebatur; prono admodum lapſu & conſueto librariis Græcis, propter elementorum iſtorum maximam ſimilitudinem*. Cum autem hæc ſententia omni fulcimento deſtituta ſit, eamque nuperus (14) auctor merito rejecerit, & erudite refutaverit; conſultum erit, ab hoc argumento ſeceſſum facere, ne refutatio repetita Lectori faſtidium pariat.

Opiniones illæ quinque, utpote tam diverſæ & incertæ, locum fecerunt opinioni ſextæ, quod nempe nil certi de Prophetæ *Gammadim* intelligatur adhuc, nec unquam intelligendum eſt. Eo inclinavit animus auctoris illius, qui, poſtquam *Ezechielis* (15) verba recitaſſet, ad ſenſum ejus exprimendum illud *Pœnuli Plautini* mutuatus eſt; (16) *hæc equidem Pol credo, niſi Sibyllina legerit, extricare alium arbitror poſſe neminem*. Alius, clari nominis auctor, cum in hoc dicendi campo multum pulveris excitaſſet; tandem in hæc verba definit, ma-

*malo ego profiteri me ignorare quid sint Gammadæi, quam exhibere quid non sint.* Me quod attinet, & ipse censeo veritatem hic in abdito & incerto latitare; adeoque lectorem paulo humaniorem mihi veniam facile concessurum, si veritas meam etiam eludat indaginem; & ipse sententiam jam proferam, qua *Junonis* illius vice, capitis mei nubem amplecti videar.

## SECTIO III.

*Sententia veritati maxime vicina proponitur, & ratione confirmatur.*

CUM a nonnullis (uti dictum est) hic locus *Ezechielis* non tantum inter δυσνόητα Scripturæ, sed & ἀνόητα, numeretur; lectori forte non erit ingratum, si & ipse, de re tam obscura & impedita, sententiam meam in medium proferam. Eam autem sic paucis exprimo: „ *Gammadim* fuisse videntur, simulacra parvula, plerunque cubitalia, " in domibus aut turribus ethnicorum, in earum tutelam & præsidium, collocata. Ut huic sententiæ sua constet fides, ostendendum est, *Primo:* gentes antiquiores imagines quasdam parvulas, in domibus aut turribus eorum positas, in usu habuisse. *Secundo*: imagines illas plerunque cubitales fuisse, & circa Pygmæorum mensuram constitisse. *Tertio*: imagines illas in tutelam & præsidium collocari solitas. *Quarto*: quod Tyriorum *Gammadim* simulacris hisce προφυλακτικοῖς, & plerunque cubitalibus accenseri debeant. Ut hæc omnia hypothesi serviant, de iis uberius paulo verba facienda sunt.

*Primo*: Itaque, docendum est, ethnicos antiquiores imagines quasdam parvulas, in domibus aut turribus eorum positas, in usu habuisse. Huc allusum apud *Horatium*, ubi hæc habentur:

> *Parvos coronantem marino*
> *Rore Deos, fragilique myrto.*

In harum icuncularum censum venire debent ethnicorum *Lares*, *Penates*; Ægypti *Serapes*, & (uti placet aliquibus) Labani *Teraphim*. Ethnici nempe domos eorum nunquam in tuto futuras arbitrati sunt, nisi sacras illas *icunculas* præsto semper haberent, & illæ Deos eorum tutelares sibi præsentes exhiberent. Alia statim in medium proferam, quibus probabilitas ista suffulciri possit.

*Secundo*: Dictum est, imagines hasce parvulas plerunque fuisse cubitales, & proxime ad Pygmæorum formam & figuram accessisse. Huit mori fides testimoniis aliquot astruenda est. Inter ea primas habet (17) *Herodoti* testimonium: nam de mora *Cambisis* apud *Memphim*, & illius ingressu in *Vulcani* templum, agens; eum *multo derisu Vulcani statuam* aut *simulacrum*, πυγμαίε ἀνδρὸς μίμησιν *viri pygmæi imaginem*, *cavillatum* asserit. Et statim postea, *Cabirorum* simulacra ὅμοια τοῖσι τῦ Ηφαίςυ *Vulcani simulacris similia* fuisse refert, & Pygmæorum formas expressisse. Hæc a vero eo minus aliena censeantur, quod hodieque istiusmodi simulacra in *Ægypti* monumentis frequenter inveniantur, & a mercatoribus inde quotannis in omnes mundi partes invehantur. Hujus rei fidem (18) *Johannes Nardius* αὐτόπτης paulo firmiorem facit: multa nempe memorat ille *simulacra cubitalia, nonnunquam & semicubitalia*, supra ferales arcas ab Ægyptiis locari solita, ut corpus defuncti, tanquam amuleta & ἀποτρόπαια a Geniis adversis & inimicis tuta præstarent. Cum hisce cognationis haud parum habet *Abenephii* Arabis testimonium, qui mores & ritus Ægypti memoriæ prodidit. Sic enim apud (19) *Kircherum* Latine loquitur: *frequens erat in Ægypto usu phylacteriorum variis imaginibus insignitorum, queis se fortunatos futuros esse credebant; queis adjungebant statuunculas quasdam quas* Avertentes *nuncupabant; quas nunc in collo, pectore, manibus portare; nunc in angulis domuum, aliisque locis, veluti custodes eorum collocare solebant*. Aliud testimonium e (20) *Curtio* petitum claudat præsens argumentum: *distinguebant internitentes gemmæ jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia; quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem*. (21) *Scaliger* hunc locum in mendo cubare, eumque sic legendum arbitratur; *quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem*: nam *per Ninum* inquit *Assyriæ, per Belum Babyloniæ imperium conjunctum innuebant*. Et (si quid assuere liceret *Scaligeri* conjecturæ) diceremus etiam, imagines hasce conjunctas indicio fuisse, *Darium* ejusque subditos utrique cultum præstitisse, & utriusque Genios tutelares (22) imperio propitios expectasse.

*Tertio*: Hujusmodi simulacra cubitalia solebant in turribus, aliisque locis caute defendendis, in tutelam & præsidium colocari. Hic *Ovidii* fidem testor, qui, de *Laribus* publicis & eorum officio loquens, hæc habet,

> (23) *Stant quoque pro nobis & præsunt mœnibus urbis,*
> *Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.*

Ti-

*Tibullus*, hac fide fretus, prece supplice sic *Lares* advocat, suppetias allaturos,

(24) *At nobis ærata Lares depellite tela.*

Ex hoc usu quem in bello præstare censebantur, Romani *Lares* illo *hostilios* (25) appellarunt, & iis præsentibus se rem prospere gesturos arbitrati sunt.

*Quarto:* Prophetæ *Gammadim* inter hæc simulacra tutelaria, cubiti mensuram non excedentia, numeranda videantur. Hanc conjecturam facio, non levibus inductus argumentis:

1. Lxx vocem *Gammadim*, non per *cubitales*, sed (φυλακὰς) *custodes*, exposuerunt. In eas autem imagines id nominis optime quadrabat, eo quod eorum usui & officio maxime convenire videretur. Imagines illæ προφυλακτικαὶ erant, & urbes, turres, muros, aliosque locos munitos, ita custodire censebantur, ne damni quicquid iis ab hoste inferatur. Hoc eo credibilius, quod ethnici simulacris hisce cubitalibus id officii semper assignarent, eaque *custodum* partes agere quovis in loco, sibi persuaderent. Ea vias publicas, & homines iter facturos, custodire credita, fidem facit ille (26) *Plauti* locus.

*Vos Lares viales, ut me bene juvetis.*

Eodem consilio (27) *Philisthæi* simulacra sua portatilia, quæ David igni tradidit, secum tulisse creduntur; ut scil. illis in bello jam gerendo periclitantibus subvenirent, eosque in tuto conservarent. Ethnici, navigationem ullam longiorem suscepturi, Lararium quoddam horum Deorum minusculorum in puppe plerunque consecrabant, & eorum curæ custodiæque navis salutem commendabant. Hoc multis exemplis probant (28) *Doughteius*, aliique, non multo cum negotio consulendi. Civitates ethnicas ejusmodi custodes in usu & pretio habuisse, iisque domuum, murorum, & turrium suarum, defensionem demandasse multis evincunt (29) *Kircherus*, (30) *Gregorius* noster, (31) *Doughtejus*, alii, per otium lectoris adeundi. Ut hæc omnia probabiliora videantur, sciendum est, imagunculas istas Deos & Genios tutelares quosdam præsentes exhibuisse: illi vero hominum & civitatum φύλακες & curatores audiebant. Jupiter *Horatio* dicitur,

*Gentis humanæ pater atque custos.*

(32) Dæmones etiam Dii *fortitiorum* aut *fortitudinum* credebantur. Deus autem ut hunc errorem radicitus evelleret, gentium Deos & imagines, cæcos, claudos, somnolentos, & ad munus custodum ineptos pronunciavit; & se unum custodem & vigilem, appellavit. *Psal.* 121. 3. 4. Non *dormitat custos* noster, ecce *non dormitat neque dormit* ὁ φυλάσσων *custos Israel*. Vers. 8. ὁ Κύριος φυλάξει *egressum tuum & ingressum tuum*. Ubi Psalmista alludere videtur ad (33) morem Centilium, qui *Lares* simulacra sua tutelaria, in ipso quasi domus limine collocabant; spe freti, *Lares* illos, domus incolas, egredientes vel regredientes, protegere, & incolumes custodire voluisse.

E verbis *Ezechielis* aperte constat, non personas fuisse, sed res usui peculiari destinatas. Nam *propheta* modo plane diverso de personis loquitur quibuscum Tyro quicquam commercii fuit, quam cum de *Gammadim* verba facit. Appellantur enim (34) incolæ *Zidonis*, senes *Gebal*, *Tyri* sapientes, illi de *Paras*, de *Lud & Phut*, filii *Arvad*; & statim sequitur, & *Gammadim fuerunt in turribus*, nulla simili additione, vel nota distinctionis interposita. Ex hac autem loquendi diversitate non difficulter intelligitur, *Gammadim* res quasdam fuisse, quibus nomen *senum*, *incolarum*, *sapientum*, *filiorum*, minime convenire potuit. Cum itaque *Gammadim* pro rebus naturæ dissimilis accipiantur, nil video quo minus de simulacris quæ dixi cubitalibus, ad præsidium & tutelam comparatis, intelligantur.

3. *Sententiæ* meæ fidem & firmitatem conciliat ipse locus quo *Gammadim* sedem & usum invenisse perhibentur. Nam *Gammadim*, inquit (35) Propheta, *fuerunt in turribus tuis*. Quid autem *Gammadim* in turribus collocata sunt, nisi quod locis illis posita, in quibus urbis cujusque spes prima sita erat, ea maxime conservarent, & hostium incursus a civitatis parte quasi vitali propulsarent? Erant enim turres fortissima civitatis cujusque propugnacula: quod e variis Scripturæ locis satis intelligitur, vid. *Cantic.* 4. 4. *Judic.* 9. 51. *Judith.* 1. 14. Cum autem permagni interesset, ut loca tam fortia & momentosa fortiter & viriliter defenderentur; quid *Gammadim*, veluti locorum φύλακες, ibi ponerentur, nisi quod certum esset, eos fortitudine & virtute bellica, filios *Arvad*, *Persas*, *Lydios*, aliosque supra memoratos, longe superare? Nemo vero, consultior paulo, hoc in animum inducere potest, nisi *Gammadim*, Deorum tutelarium sedes & ædiculæ, tutelæ divinæ pignora & argumenta fuerint. Nisi ratio illa quid solidi habeat, nihil *ratio* vel *historia* suggerit, cur *Gammadim* omni-

omnibus aliis אנשי חיל *viris robustioribus* ita præferrentur , ut turribus ipsis defendendis illi præficerentur.

4. Aquila , perantiquus interpres , vocem *Gammadim* per Πυγμαῖοι reddendam censuit . At nulla ratio patitur , ut vox ea de *Pygmæis* vulgo dictis, i. e. staturæ cubitalis homulis , intelligatur ; cum nondum inter doctos conveniat, an milites illi cubitales fabulis Poeticis, an veris Historiis accenseri debeant. Et si hoc viris eruditione claris , eorum patronis, largiamur ; non minus a fide alienum erit , Tyrios istiusmodi Pygmæos, ad ipsas eorum turres defendendas evocare voluisse. Certe Salomon, turrem *Davidis* memorans , (36) refert, quod in ea שלטי הגבורים *scuta virorum fortissimorum suspenderentur*. Non est itaque vel simile vero, Tyrios eo stultitiæ devenire potuisse , ut Pygmæos , hominum ignavos maxime , adversarios vix gruibus ipsis formidabiles & ad risum tantum hosti movendum aptos, ad ipsas turres eorum defendendas admitterent . Ideoque non sine causa credendus est *Aquila* vocem per πυγμαῖοι transtulisse , non cum respectu ad Pygmæorum gentem ( forte poeticam & fabulosam ) sed ad imagines quas dixi *cubitales* , quæ Deos eorum tutelares præsentes exhibere adeoque magnum in parvo continere, credebantur.

5. Significationes quæ , in lingua *Chaldæa* & *Arabica* , voci גמר affinguntur, opinioni meæ non parum præsidii præbet. (37) Nam גמר Chaldæum, unde גמר *cubitus*, & גמדים *cubitales* originem arcessunt, *constrictus*, *arctatus*, *contractus est*, in significatis habet; adeo ut τοῖς גמדים belle conveniret sensus ille , cum essent simulacra non raro vinculis constricta, quasi (38) *contracta*, & Deos tutelares, eorum incolas *constringere*, & pene coarctare viderentur. In lingua *Arabica* vox cognata גמר *Gamad* , *impedivit*, *prohibuit*, *motiones debilitavit* , notat ; adeo ut ea lingua significatum hodieque retineat , cum antiquis *Gammadim* non male convenientem . Nam simulacra fuisse dixi ea virtute pollentia, ut malorum omnium occursus *impedire* , hostium insultus *prohibere* , & δαιμόνων κακέργων ἀντιτεχνίας & motus adversos *debilitare* crederentur. Hæc e Gentium fide loquor. Nec facile dubitari potest , quin linguæ illæ significatus illos olim ab Hebræo mutuatæ sint , quamvis hodie in Scriptura Hebraica גמר tantum & גמדים sensu jam dicto sumta , reperiantur.

6. Simulacra illa cubitalia , malorum remedia & urbium φυλακτήρια , apud Ægyptios & Phœnices olim in usu frequente versabantur. Ægyptios imagines illas frequentes habuisse , pateat e variis earum formis quas (39) *Nardius* & (40) *Kircherus* nobis visendas exhibuerunt. Eandem insaniam Phœnices infecisse, pateat ex *Herodoti* testimonio : nam , res Ægypti (41) memorans, *Vulcani statuam* πυγμαίε ἀνδρὸς μίμησιν *viri cubitalis* aut *Pygmæi imitamen* vocat . Et statim præcedunt, ἔστι γὰρ τȣ͂ Ἡφαίςȣ τὤγαλμα τοῖσι φοινικήοισι πατταΐκοισι ἐμφερέςατον, τȣ̀ς οἱ φοίνικες ἐν τῇσι πρώρῃσι τριήρεων περιάγȣσι. *Est Vulcani statua Phœniciis Pataicis simillima* , *quos in triremium proris Phœnices circumferunt* . Hos alii ( quod obiter noto ) in puppe (42) collocant. Horum autem *Patæcorum* originatio & usus e verbis (43) *Bocharti* colligantur: *observavit Scaliger Patæcos dici a verbo* פתח patach , *quod in Piel est* insculpere; *unde* פתוחים Sculpturæ , *Exod.* 28. 11. *& passim*. *Sed quid si Patæcos Phœnices per B scripserint* , *voce facta a* בטח (44) batch *confidere*, *securum esse:* unde בטח *nomen est* ἀσφάλεια *securitas*. -- *Itaque tutela navis* quæ salvum conductum præstare credebatur , *non aliunde potuit commodius sortiri nomen*. *Nec ullum momentum est in permutatione literarum B & P*, *cum ea nil sit frequentius*, &c. Cum itaque satis e jam dictis evictum sit, hujusmodi *Patæcos* , i. e. Deos tutelares, averruncos, προφυλακτικȣ̀ς , apud Ægyptios & Phœnices antiquiores familiariter invaluisse; fasile est creditu , Tyrios etiam , ad eorum exempla se composuisse, & *Patæcos* suos habuisse, eosque apud Ezechielem sub nomine *Gammadim* , i. e. *cubitalium* latitare. Huic argumento fidei & firmitatis aliquid afferunt illa cl. (45) *Seldeni* verba : Phœnicibus *Patæcus Deus nunc erat Baal*, *nunc Astarte* , *sive alius Syrorum* Deorum, *quem cubitali figura aut Pygmæi statura in navium & proris & puppibus circumferebant*.

## SECTIO IV.

*Objectiones nonnullæ refelluntur*.

UNum jam superest, ut scilicet interpretationis meæ obstacula, quæ cogitationibus meis occurrunt omnia , de medio removeantur.

Horum forte primum hoc erit: apertum est; argumentum meum a Græcorum petitum vacillare: per φύλακας enim illi , non imagines quas dixi φυλακτικȣ̀ς, longitudinem cubitalem non excedentes, sed

ſed (46) *milites præſidiarios*, viros robore præſtantes, quique ad turres inprimis defendendas ſemper excubias agerent.

At nil cauſæ video, cur LXX τοὺς *Gammadim* potius quam viros Arvad, Perſas, alioſque bellatores ſupra memoratos, & militia bonos, honorifico τῶν φυλακῶν titulo & officio cohoneſtarent; cum præſertim hiſtoria ſacra ſimul & profana bellatores hoſce ſilentio prætereat, nec unquam (niſi hoc uno in loco) cum honore memorentur. Rationi magis convenit, ut Dii præſidiarii potius quam milites præſidiarii, hic intelligantur: cum præſertim Dii illi tutelares implerent omnia, & domibus, navibus, turribus, lociſque omnibus præſidere, & bello præcipue præeſſe & prodeſſe maxime. Patet enim ex hiſtoria ſacra, veteres idololatras, ad bellum profecturos, Deos hoſce præſidiarios & portatiles ſecum exportaſſe. Vid. 2. *Chronic.* 25. 14. *Et factum eſt poſtquam rediiſſet Amaziah a cæde Edomæorum, adduxit Deos Seir* (in bello captos) *ſtatuitque ſibi in Deos*: & 2. *Sam.* 5. 21. ſed utut ſe res habeat, ſatius eſt ut Græci interpretes eo conſilio *Gammadim* per φύλακας expoſuiſſe dicantur, quam ut ſenibus illis eruditis, cum (47) auctore nupero, ſic conviciemur; *Septuaginta interpretes* (*quos Syrus & Arabs ſequuntur*) *ignoratione vocabuli* Gammadim *ex re & ſenſu* φύλακας cuſtodes *reddiderunt*; *ii enim in turribus locari ſolent*. Sed auctor ille, quod obſervatum eſt antea, non magis a convitiis temperavit, *Aquilæ* verſionem memorans.

*Secundo*: Longe credibilius eſt, vocem גמדים de viris quam rebus cubitalibus intelligendam. Cum enim pueri apud Ægyptios *Peches*, ob ſtaturam, cubitalem non multo ſuperantem, (48) appellari ſolerent, voce forſan a Gr. (49) πήχεις derivata; quidni viros quoſdam, apud Hebræos *Gammadim* dictos exiſtimemus, & nomen illud a menſura breviori accepiſſe? cum præſertim Pygmæi turribus optime convenirent, &, poſt pinnacula latentes, ab oppugnatoribus minime conſpicerentur.

Certum eſt, nomen a ſtatura cubitali deſumtum, pueris aliquando convenire potuiſſe, cum tam in incerto ſit adhuc an unquam tota natio reperiri potuit, cubiti tantum menſuras exæquantes. Deinde, modo tales olim fuerint, credi nequit Tyrios turribus ſuis tam male proſpicere voluiſſe, ut eas homulorum illorum tutelæ demandarent, aut illud imbelle genus hominum cum flore militum ſuorum numerari paterentur.

*Tertio*: Tyrii, qui *Gammadim* habuiſſe dicuntur, ſimulacra illa προφυλάκτικα nuſquam leguntur coluiſſe, vel quicquam ſuperſtitioni tam craſſæ cognatum retinuiſſe. Patet itaque, me *Gammadim* Tyriorum de ſimulacris eorum cubitalibus ad cuſtodiam turrium inſtitutis, perperam interpretari.

*Reſpondeo*: Cum Tyrus Phœniciæ metropolis eſſet, Phœnices autem hujuſmodi ſimulacris (uti dictum eſt) frequenter uterentur; Tyrios etiam talia ſimulacra in uſu habuiſſe, & a more patrio non receſſiſſe, minime temerarium eſt opinari. Sed nil opus eſt, ut rem hanc conjecturæ tantum probabili committamus, cum *Quintus Curtius*, *Plutarchus*, (50) alii, teſtatum reliquerint, hanc ſuperſtitionem Tyrios infeciſſe, eoſque imagines eorum tutelares vinculis alligaſſe, ne civitatem ſuam defenſoribus ſuis orbatam deſererent.

*Quarto*: Inde ſententia mea male firma redditur, quod hoc ipſo in loco *Gammadim* ſcuta ſua dicuntur ſuper muros Tyri ſuſpendiſſe. Hoc enim de *Gammadim*, modo ſimulacra quædam fuerint, nullatenus intelligendum eſt. Hæc autem objectio non multum urget; quod enim de *ſcutis* dicitur, (51) *filiis Arvad* tribuendum eſt, qui ſuper muros per circuitum diſponebantur. Nam verſus integer ſic ſe habet: *filii Arvad & exercitus tuus ſuper muros tuos circumquaque, & Gammadim in turribus tuis fuerunt; ſcuta ſua ſuſpenderunt ſuper muros tuos circumquaque: illi perfecerunt pulchritudinem tuam*. Adeo ut verſus ille ſic intelligendus eſt, quaſi verba illa (de *Gammadim* dicta) hac parentheſi includerentur: & hanc conſtructionem non parum confirmat verborum præcedentium & ſubſequentium affinitas & ſimilitudo.

*Quinto*: Non eſt fidei conſentaneum, *Tyrios* aut *Hebræos* nomen illud τοῖς *Gammadim* tribuere voluiſſe, modo ſimulacra tutelaria fuerint, & averruncis loci Geniis conſecrata. Non *Tyrios*: cum enim vox ea *cubitales* notet, id nominis tantæ virtutis imagines dedecore aſficere, & pene blaſphemare, videretur. Non *Hebræos*: iis enim mos erat, imagines uſui ſuperſtitioſo deſtinatas, *idola*, *abominationes* appellare, vel eas tali aliquo nomine probroſo, dehoneſtare.

At neque hoc argumentum facit, ut illius cauſa ſententiæ pœniteat: cum enim vox *Gammadim* duplici ſignificatu gaudeat, uno *vulgari*, & *honeſto* altero; ori Tyriorum ſimul & Hebræorum conve-

venire poterat. Hebræi nomen illud, ſenſu vulgari ſumtum, qua nempe res ad cubiti menſuram factas indicabat, idolis illis apte tribuebant, cum eo nomine nihil honoris idolo deferre viderentur. Tyrii veri nomen idem icunculis illis non gravate conceſſerunt, forte quod *inhibentes*, *impedientes*, *prohibentes*, denotaret; adeoque vim προφυλακτικὴν earum ſignificaret. Nam vox גמד (ut dixi ſupra) hujuſmodi ſignificatus in linguis vicinis (*Chaldæa* ſcilicet & *Arabica*) etiamnum retinet; quamvis voces גמד & גמדים ſolæ in Scriptura hodie reperiantur, eæque jam ſenſu nihil cognati habente uſurpentur.

*Sexto*: Huic opinioni nihil fidei deberi videtur, eo quod nulla ratio appareat, cur imagines illæ tutelares, גמדים eſſent, vel cubiti longitudinem non excederent. Certe, cum adeo parvæ fuerint, nihil majeſtatis præ ſe ferebant, ſed plane ridiculæ & contemtu tantum dignæ videri poterant. Hoc etiam Ægyptii experientia compertum habuere: nam (52) *Herodoto* referente, *Cambyſes*, cognata *Cabirorum* ſimulacra contemplatus, ταῦτα καὶ ἐνέπρησε πολλὰ κατασκώψας, *multis in ea jocatus verbis con cremavit*.

Non credendum eſt interim Ægyptios & alios e Gentilium grege, imagines illas ad menſuram cubitalem non raro componere voluiſſe, niſi cauſa gravis eos ita perſuaſiſſet. Ut itaque hoc myſterium curatius exponatur, ſciendum eſt ethnicos, tribus hiſce rationibus inductos, imagines ſuas, tam parvas & ad *cubiti* menſuram adaptatas fabricaſſe.

1. Ut eo facilius earum integritati conſervandæ conſultum eſſet, & eo minus rupturæ vel mutilationi alicui obnoxiæ redderentur. Refert enim Ægyptius (53) ille Myſtes, Ægyptios integritatis imaginum ſuarum curam religioſam ſemper habuiſſe; putabant enim ſtatuas rerum aut hominum cuſtodiæ deputatas, & ritu ſolenni conſecratas, tam diu virtutem & efficaciam ſuam retenturas, quam diu debitam integritatem conſervarant. Eas itaque non tantum e lapide plerunque duriſſimo, membris etiam omnibus corpori firmiter adaptatis, & ad modum pueri faſciis involuti, conficiebant; ſed breves & compactas adeo, ut vix poſſibile eſſet, ut uſu continuo, itinere longo, circumlatione quotidiana, malitia vel injuria humana, frangerentur, aut quid damni caperent.

2. Ut imagines illæ προφυλακτικαὶ huc illuc, ſine moleſtia vel fractura, transferri poſſent, prout uſus & occaſio poſtularent. Ea vanitate fuerunt ethnici, ut ſe nunquam in tuto crederent, niſi Deos præſentes habuiſſent, iiſque perpetuis itinerum, navigationum, præliorum, & periculorum omnium, comitibus uterentur. Eos itaque capſulis, ædiculis, ſacculis, aut ejuſmodi κρυπτηρίοις, circnmferre, pium tutumque cenſebatur. Eorum more, rudis & ſemipaganus Hebræorum populus, Deum πτελφόρητον & in (54) oculos eorum pene ſemper incurrentem, itineris ſui bellique comitem poſtularunt. Gentes itaque (ut ad rem præſentem redeat oratio) ſimulacra, Deorum habitacula, brevia & portatu facilia conficiebant, ut iis in caſu vel diſcrimine quopiam præſentibus uterentur. His apposite citari poſſunt (55) auctoris modo laudati verba: *patet Labanis idola, quæ Rachelem patri ſuo furatam -- Scriptura dicit, hujus farinæ idola fuiſſe, -- cubitales nempe ſtatuas, membrorum eminentia deſtitutas, quæ facile de loco ad locum transferrentur, & etiam intra fœnum, paleas, ligna, ſaxa, ſine periculo abſconderentur*.

3. *Conjectura* non plane temeraria eſt, ethnicos imagines eorum tutelares ad Pygmæorum formam (h. e. figura cubitali) compoſuiſſe; ut Geniorum ſuorum, (i.e. Dæmonum, Pigmæorum forma ſæpius apparentium) formam gerere poſſent & imitari.

Atque hæc ea ſunt quæ ad loci hujus obſcuri intelligentiam maxime videantur accommodata. Quæ tamen omnia Lectoris judicio ſubmitto libenter libentiſſime.

## CAPUT XXV.

*Lex de* חמנים Hhammanim *abolendis explicatur*.

INſignia illa idololatriæ veteris inſtrumenta, *Hhammanim* dico, ſemel in Lege, ſæpius in aliis Scripturæ locis, memorantur; nullam autem legem invenire licet, qua diſerte vel expreſſo nomine prohibentur. Minatur equidem Deus, ſe במות Hebræorum *abolere* velle, & eorum חמנים *ſuccidere*; & hiſtoria ſacra regum eorum mentionem facit honorificam, qui, cultus divini ſtudio ducti, *Hhammanim* ſuſtulerunt: at obſervare juvet, Deum uſum τῶν *Hhammanim* nuſquam in Lege diſertis verbis inhibuiſſe. Cum autem e Scriptura pateat, *Hhammanim* idola Deo perquam exoſa fuiſſe, & ideo ab (56) Græcis interpretibus βδελύγματα vocentur; cum etiam חמנים præ cæteris idolis, olim in

in uſu familiari verſarentur; non ſine ratione ſuſpicari quis poſſit, Deum idola tam frequentia, alicubi in lege, licet non explicite, vetuiſſe. Ut ad rem præſentem propius accedat ſermo: in lege locus unus & alter extat quibus *Hhammanim* interdicta ſunt, licet hactenus interpretum obſervationem fugiſſe videntur. Eos autem in mediam lucem proferam, cum occaſio ſe dederit magis opportuna. In præſens itaque pro dato ſumere fas ſit, Deum de *Hhammanim* abolendis legem tradidiſſe, quam etiam, hoc ordine ſervato, explicatam dabo.

1. Significatum & originem vocabuli *Hhammanim* inveſtigare conabor.

2. Sententias de eorum natura & forma, paſſim receptas, juſta lance examinabo.

3. Horum *Hhammanim* naturam & formam genuinam probabiliter explicabo.

4. Eorum etiam uſum & intentionem primariam e tenebris in lucem proferam.

5. Leges de *Hhammanim* abolendis, & earum rationes, explicate tradam.

6. Objectionibus maximi momenti conjunctim ſatisfaciam.

## SECTIO I.

### *De ſignificatione & origine voci* חמנים.

ORdinis mihi præſcripti ratio poſtulat, ut ſignificatum & originem vocis *Hhammanim* expediam primo. Hic autem auctores in ſententias diverſas abeunt. Nam

*Primo*: (57) Nonnulli *Jovem*, Ammonem aut Hammonem, Ægypti lingua, vocari ſentiunt, & inde templa vel ſimulacra quædam nomen *Hammanim* aut *Chammanim* accepiſſe, quod *Hammoni* vel Jovi ſacra eſſent, & ab Ægyptiis in illius honorem & cultum erigerentur. Utcunque, pro certo habetur & indubitato, Jovem nomen (58) *Ammon* inter Ægyptios antiquiores inveniſſe.

Cum autem *Amon* aut *Hamon* (quod ſtatim oſtendo) vox Ægyptia non ſit, cum etiam ab eodem fonte quo & vox ipſa *Hhammanim* (aſpiratione mollita) derivetur; ſuadet ratio, ut hanc ſententiam ad ipſius auctores, aſtruendam vel deſerendam, amandemus.

*Secundo*: Magiſtri Judæorum, aliique, vocis hujus originem *Chamo* tribuunt, & *Chammanim* ab eo nomen & originem traxiſſe judicant. (59) *R. Manaſſe* huic opinioni clare ſatis aſtipulatur, cum ait, וחם בן נח הראשון שמוצא את אונים וגו׳: *Cham autem, Noe filius, primus erat qui invenit idola arte facta, & docuit homines familiæ ſuæ cultum ignis*. Eandem ſententiam *Kircherus* paulo clarius aſtruit, aperte dicens, (60) *ego arbitror hæc ſimulacra* חמנים Chamanim, *ab ipſo Chamo nomen etymon ſuum derivaſſe*. Præcipuum opinionis hujuſce fundamentum in conſono *Chami* nomine ſitum arbitror: cum enim *Cham* a חם *fuſcus aduſtus*, vel potius חמה *calore* vel *ſole*, nomen acceperit, ejus auctores idola *Chammanim* ab eo nomen & originem traxiſſe, ne dubitandum cenſuerunt.

At incredibile eſt, *Chamum*, qui patris ſui pia monita ſæpius imbiberat, & *diluvii* mirabilia propriis oculis haud ita pridem uſurpaverat, idolis originem dare potuiſſe. *Chami* nomen quod attinet, ſententia hæc præſidio tam debili niti nequit; cum non ſine numine factum ſit, ut nomen, *calidum* aut *nigrum* notans, *Chamo* imponeretur; cui contigit *Africa*, regio calore immodico laborans, & a quo liberi Solis ardore infuſcati propagati ſunt.

*Tertio*: Cum hæc non proceſſit, alia nonnulli aggrediendum eſſe via conſuerunt. *Chammanim* ſcilicet a *Chamia* vel *Chemia*, (61) Ægypti nomine perantiquo, appellationem ſuam petiiſſe judicant: non tantum ob affinitatem ſoni, ſed quod plerique *Chammanim* ipſa (quæcunque demum fuerint) ab *Ægypti* moribus anſam traxiſſe cenſeant. Huic opinioni hinc etiam aliquid accedat ponderis, quod Lxx. vocem *Chammanim* (licet octies occurrat in Scriptura) nuſpiam exacte & juxta nativum vocabuli ſenſum interpretentur: ſed quandoque per εἴδωλα transferunt, quandoque βδελύγματα, nonnunquam ξύλινα χειροποίητα, nunc τεμένη, nannunquam ὑψηλὰ, & hujuſmodi voces, a Grammaticali ſenſu vocabuli *Chammanim* longe recedentes. Ita vero vertiſſe putentur, quod ſingularem חמן & pluralem חמנים voces exoticas eſſe crederent, & nihil ſermonis Hebræi præter flexionem & formam Grammaticalem retinere. Atque hæc omnia ſpecioſa quidem eſſe non diffitendum eſt: cum autem ſpecioſæ tantum conjecturæ ſint, nec ullo ſatis ſolido ſuffulciantur argumento; non tanti eſt, iis refutandis operoſius immorari.

*Quarto*: Veri ſpeciem, oculo meo longe pulchriorem, fert eorum opinio, qui vocem חמנים immediate quidem a ſingulari חמן mediate vero a חמה derivandam ſentiunt. חמה vero, primario *calorem* & æſtum, ſecundario *ſolem*, caloris fontem & cauſam, denotat. Lexicographi

phi ( *Avenarius*, *Schindlerus*, alii ) ſignificatum utrumque vocibus hiſce tam clare vindicarunt, ut hac de re lectori ſcrupulum omnem exemiſſe videantur. Nec minus extra dubium poni debet, hæc profani cultus objecta, *Chammanim* dicta, nominis originem traxiſſe a voce חמה quæ *ſolem* notat; cum inter voces eas, חמה & חמן tanta cognatio intercedat, & res hæc doctorum non paucorum ſuffragio confirmetur. Rationes autem varias in promtu habeo, cum *Chammanim* appellationis ſuæ cauſam & originem a חמה *ſole* & *calore igneo* derivaſſe cenſeantur. Nam,

1. Seculis antiquioribus ita more comparatum eſt, ut omnia ſoli ſacra, vel ei cognatione quadam conjuncta, appellationem arceſſerent a nomine ſolari חמה vel verbo חמם ( *uſſit*, *calefecit* ) præcipuum Solis effectum exprimente. Nam Deus ille in quo Solem colebant veteres, ab Ægyptiis *Ammon*, ab Africanis Hammon, ab aliis Deus *Omanus*, dictus eſt; ח aſpirationis durioris litera, emollita, vel plane liquefacta. Feſtum in Solis honorem ab Athenienſibus agi ſolitum, Αμμὼν (62) appellatum eſt: Africa univerſa, qua ſol impenſe colebatur, Αμμωνία ἀπὸ τȢ Αμμωνος ἐκαλεῖτο. Et Λιβύη nomen Αμμωνὶς olim habuit, quod regio eſſet Solis calore ſupra modum calefacta, juxta *Lucani* illud,

> *Terrarum primam Libyem ( nam proxima cœlo eſt,*
> *Ut probat ipſe calor ) tetigit ---*

Hæc eo probabiliora putentur quod prout Hebræi Solem חמה a verbo חמם *uſſit*, *calefecit*, appellarint; ſic a Græcis Sol Ζεὺς, a verbo ζέω *ferveo*, dicebatur. Cum itaque ſic more veteri factum eſſet, ut Sol nomen חמה notaretur, & omnia Solem affinitate quavis attingentia nomen inde deductum gererent; moris hujuſce ratio ſuadet, ut idola hæc, utpote Soli dicata, nomen חמנים a Solis nomine חמה petiiſſe ſentiamus.

2. Doctorum longe plurimorum conſenſu ratum eſt, *Chammanim* idola fuiſſe in Solis honorem & cultum fabrefacta. Veriſimili itaque conjectura ducor ut ſentiam, idololatras antiquos ad radii ſolaris formam, & ignis ( ſymboli ſolaris ) figuram pyramidalem, ea plerunque compoſuiſſe. Hic uſus itaque poſtulaſſe videtur, ut nomen, *Solis* ſimul & *ignis* notionem continens, iis imponeretur, h. e. ut *Chammanim* dicerentur. Aliter enim non facile eſt conjectura conſequi, cur nomen *Chammanim*, ſignificatu illo duplici gaudens, iis inderetur.

3. Non temere dubitandum eſt, Ægyptios Solem, Lunam, & Sydera, impenſe coluiſſe, eos etiam omnium primos in eorum honorem ſtatuas erexiſſe, & nomina naturam corporum eorum cœleſtium referentia iis impoſuiſſe. Hoc eo minus a veo alienum videri poteſt, quod veteres Ægyptii lingua patria, (63) Solem *Piri*, ab ignea qua pollet virtute, nominarent. Cum itaque Ægyptii, quos dixi, ſimulacris hiſce ſolaribus nomen fecerint, quod *Ægypti* lingua, *Solis* & *ignis* ſignificatum recipiebat; veriſimili conjectura colligo, Iſraelitas juſtum piumque cenſuiſſe, ut eorum nomen Ægyptium in ſynonymum Hebræum ( *Chammanim* nempe ) commutarent. Plura, quæ huc faciunt, in promtu habeo; ea vero in locum aptiorem differenda ſunt.

## SECTIO II.

*Sententiæ receptæ de natura & forma* τῶν Chammanim *examini ſubjiciuntur.*

OStenſum eſt hactenus, voce חמנים res quaſdam in Solis honorem poſitas, & appellationem a Solis nomine Hebræo derivantes, intelligendas eſſe. Cum autem nomen illud de rerum earum natura & forma nil certi referat, eas proximo, conjecturis & argumentis aliunde petitis, conabor inveſtigare. Sed ne quid impedimenti vel præjudicii mihi hoc negotium exequenti, ex aliorum opinionibus oriatur; primo ſententias de natura & forma τῶν *Chammanim* quæ fidem hactenus invenerunt, in trutina rationis explorabo. Doctorum autem ſententiæ de hac re quas mihi licuit obſervare, ſunt hæ quinque: Nam

*Primo*: nonnulli ſe perſuaſos habent, חמנים πυρεῖα vel πυραιθεῖα illa fuiſſe, quæ veteres non raro memorant. Erant autem πυραθεῖα, ſepta quædam ſacra, quibus idololatræ veteres, Perſæ cum primis, ignes inextinctos ſervarunt; quibus etiam, utpote ſymbolis Solaribus, cultum ſolennem tribuerunt. Moris hujus ethnici fidem ratam faciunt, (64) *Procopius*, (65) *Agathias*, (66) *Briſſonius*, (67) *Seldenus*, (68) *Gravius*, (69) *Voſſius*, aliique paſſim obvii. Hæc autem gentium πυρεῖα, τοῖς חמנים Hebræorum cognata fuiſſe, iiſque principia tribuiſſe, (70) *Scaliger*, (71) *Grotius*, (72) *Voſſius*, aliique ſentiunt. In hanc ſententiam tranſeunt, eo quod vox חמנים non *Solis* tantum, ſed & *ignis* notionem ferat: nam LXX voces חמם & חמה (a quibus חמנים ortum ducit ) θερμαίνω & ἥλιος reddunt, & inde Græci κάμινος *caminus*, & κυ-

& χυμαίνω *ferveo* ( aspiratione paulo fortius expressa ) petunt. Huic opinioni lucem & speciem præbent ea *Vossii* verba: חום „ *Chom* est calor, unde חמה *Cha-* „ *ma*, Sol vel ignis, a quo חמנים *Cha-* „ *manim*, quæ Græcis πυραιθεῖα. Hinc „ *Levit.* 26. 30. חמניכם *Chamanicem*, „ quod reddunt *simulacra vestra*, malim „ *pyræa*, sive *pyræthea* vestra: " hoc est, septa, in quibus ad ignem perennem concinitis carmen vestrum, & in eo, tanquam symbolo divino, Solem colitis.

Hic autem a *Vossio*, & aliis ejusdem sententiæ consortibus, dissentire cogor, eo quod חמנים *caloris* quidem, non autem *ignis*, significatum habeat; quod etiam חמנים in Scriptura quandoque (73) *succidi* dicantur, quod de ignibus dici nequit; & quod hac sententia concessa, non occurat ratio cur *Excelsa* & *Chammanim* tam frequenter in Scriptura consocientur. Præterea: Persæ longe distabant ab Israelitis, nec probabile est eorum mores & ritus innotuisse Judæis, *Ægypto* nuper egressis; cum tamen eos חמנים in usu tunc temporis habuisse, non difficulter e (74) Scripturis intelligatur.

*Secundo*: Ea fides aliorum animos occupat, *Chammanim* nempe templa vel delubra fuisse, quæ in honorem Solis, qui חמה dicitur, extruebantur. In horum auctorum numero censendi sunt Lxx, qui vocem illam per (75) τέμενη; *S. Hieronymus*, qui per (76) *fana* & (77) *delubra*; (78) *Aben-Ezra* qui per *templa facta ad cultum Solis*, interpretatur. Consentit *Targum* in *Jesai.* 17. 8. ubi vox חמנים per חנסניא *delubra* redditur: (79) *Coccejus* etiam; nam חמנים ( ait ille ) *videntur*, *in veterum superstitione*, *esse fana idolorum calentia ignibus sacrificiorum*.

At neque hæc sententia quid solidi vel sani continet: nam (80) historia sacra, *Josiæ* gesta referens, dicit inter alia, quod גרע החמנים *excidit Chammanim*, vel, uti nostri vertunt *The Sun-images he cut dovvn*. Cum hac autem versione non bene cohæret *delubri* notio: cum enim delubra, e cocto latere, saxo dolato, vel calce, præcipue coagmentata sint; *Josias* hæc equidem demoliri vel destruere potuit, non autem *excidere*, vel iis securim admovere. Deinde: nullibi legitur, sacerdotes ullos in *Chammanim* illis, ceu templis, habitasse vel ministrasse. Præterea: in versione Græca vox *Chammanim*, ὑψηλά, εἴδωλα, βδελύγματα (quod observatum est supra) verti solet: suadet autem loquendi proprietas, ut voces eas de columnis aut simulacris, potius quam templis aut delubris, exponamus.

*Tertio*: Ita fert animus aliorum, *Chammanim* scilicet *idola fuisse*, *Soli exposita in tectorum summitatibus*, uti (81) *Buxtorfius* hanc sententiam exprimit; vel *simulacra extructa in aprico loco Solis calorem excipiente*, prout *Avenarius*.

Cum autem opinionis hujusce patroni horum idolorum formam non exhibeant; cum etiam certum sit, idololatras, non hæc tantum, sed omnia Soli dicata, in tectorum aut montium summitatibus, ejus calori & quasi aspectui exposuisse; hanc etiam opinionem nullius æstimandam censeo, & hæc omnia ideo tantum ab auctoribus modo laudatis dicta, ne plane nihil dixisse viderentur.

*Quarto*: Alii ea sunt opinione, *Chammanim* simulacra fuisse Soli sacrata, & ad Orbis solaris imaginem facta, ab iis qui Solem pro Numine habuerunt. Hoc in animos suos induxerunt, (82) *Schindlerus*, (83) *Kircherus*, & (84) *inteepretes* nostri *Anglicani*, ( ni fallor ) qui *Chammanim Sun-images* reddiderunt. Hisce viam præstruxit (85) *Benjaminus Tudelensis*, qui regiones Orientales perlustravit, & ( si fidem ei tribuamus ) oculis suis hujusmodi simulacra frequenter usurpavit.

At neque hæc opinio, leviter percussa, solidius tinniet: nam (86) Scriptura sacra de חמנים loquitur tanquam columnis aut statuis excelsis, aut in altum elevatis; non tanquam simulacris in formam orbicularem fabrefactis. Deinde: *Benjaminus* ille a doctis auctor fabulosus haberi solet, eique non multum detrahitur, si & hæc historiola *Benjamini* fabulis accenseatur. His addo, quod auctor ille simulacra quædam, ad Orbis Solaris exemplar efficta fuisse dicit; ea vero *Chammanim* ipsa Lege memorata non dicit: ideoque sententiæ huic non multum subsidii præstare potest, modo veri nuncius.

*Quinto*: Sententia diversa placuit *Bocharto*, *Le Moin*, aliisque viris eruditione præstantibus; qui *Chammanim*, monumenta quædam historica, templis recondita, vel altaribus aut statuis literis arcanis inscripta, fuisse arbitrantur. Auctor (87) primus vocem *Chammanim* de templis præcipue; (88) secundus de monumentis inprimis, exponendam censuit. Sic enim auctor ille sententiam hanc paulo clarius exprimit: *erant* חמנים *statuæ vel altaria in honorem Solis*, *qui dicebatur* חמה *extructa*, *in quibus varia vetustioris antiquitatis monumenta cernebantur*. Ad fidem huic opinioni præstandam, multa speciose dicta sunt

ſunt ab auctore jam laudato, quæ lectori conſulenda relinquo, cum animus otiumque ferant.

Opinionem ipſam quod attinet, conjecturis licet ingenioſis commendatam, nullam apud me fidem invenire poteſt. Nam *Chammanim* fuiſſe ſtatuas aut altaria literis arcanis inſculpta, eo minus veritati conſonum eſt, quod e Scriptura pateat, ea inter *Canaanitas*, populum a literis & bonis moribus alienum, locum frequentem inveniſſe. Deinde: e totius Scripturæ ſerie patenter elucet, חמנים præter cætera profani cultus objecta vel inſtrumenta, Deo odioſa fuiſſe, & aboleri debuiſſe. At nulli rationi congruum eſt, Deum חמנים odio tam ingenti proſequi voluiſſe; ſi ſtatuæ tantum, altaria vel tabulæ ſaxeæ, literis arcanis exaratæ fuiſſent, & nil niſi *vetuſtioris antiquitatis monumenta* continuiſſent. Præterea: ſi ad Scripturas attendamus, חמנים ſemper inter idololatriæ objecta rituſque memorata reperiemus; ideoque par eſt, ut ea inter idololatriæ objecta rituſque memorata reperiemus; ideoque par eſt, ut ea inter idololatriæ potius quam hiſtoriæ monumenta recenſeamus.

## SECTIO III.

*Τῶν Chammanim natura & forma genuina probabiliter explicantur.*

CUM ſententiæ ſuperius allatæ longe abſint a veritate, mihi bene licebit (uti ſpero) ſententiam meam interponere; ſi præſertim argumentis aſtruatur, ad rationis trutinam perpendendis. Sic itaque naturam & formam eorum explicandam cenſeo: *Chammanim*, *ſymbola quædam erant, aut figura conica vel pyramidali facta, quibus idololatræ veteres ad ſolis & ignis cultum utebantur*: vel, ut rem totam paulo fuſius & explicatius referam, „ Hebræorum *Chammanim* erant ſtatuæ vel columnæ quædam altiores, e ligno vel ſaxo conflatæ, ad Obeliſci vel Pyramidis Ægyptiacæ ſimilitudinem formatæ, & apud idololatras antiquiores, Ægyptios imprimis, in uſu frequenti poſitæ. Ut autem huic deſcriptioni rudiori lux eo clarior afferatur, uſui erit illius partes omnes diſcutere, & ſigillatim explicare.

A primis itaque deſcriptionis hujuſce verbis auſpicari libet, *Hebræorum Chammanim erant ſtatuæ vel columnæ*. Hoc aſſero, Scripturæ præcipue motus auctoritate, qua voces illæ, מצבות (quæ *ſtatuas* aut *columnas* notat) & חמנים promiſcue & indifferenter uſurpantur. Hoc e variis Scripturæ locis inter ſe collatis luculenter innoteſcat.

Nam 2. *Paralip.* 14. 3. ſcriptum extat, *&* Aſa *removit excelſa*, *& confregit* את המצבות *ſtatuas* aut *columnas*: ſic autem *verſ.* 5. Capitis ejuſdem, de eodem *Aſa* legitur, *& removit de cunctis urbibus Judæ excelſa*, ואת החמנים *& Chammanim*: ubi manifeſtum eſt חמנים *verſ.* 5. in locum τοῦ מצבות *verſ.* 3. tanquam vocem ſynonymam, ſurrogari.

Uſus ille promiſcuus patet etiam e verbis *Exodi* 34. 13. *Altaria eorum diruetis*, *&* מצבתם *columnas eorum confringetis*; collatis cum *Levit.* 26. 30. *Abolebo excelſa*, i. e. altaria, *veſtra*, & ſuccidam חמנים *veſtra*: nam ibi חמנים locum τοῦ מצבות occupare, ſenſus affinitas & ſimilitudo dubitare minime patiuntur. מצבות autem *ſtatuas* aut *columnas* denotare, ſatis extra dubium ponit Græcorum verſio, qui vocem illam ſæpiſſime per στύλους & στήλας expoſuerunt.

Promiſcuus ille vocum earum uſus & intentio, ex hiſtoria *Joſiæ* fidem firmiorem petat. De eo nempe memoriæ proditum eſt, 2. *Reg.* 23. 14. quod *contrivit* את המצבות *ſtatuas*, *& ſuccidit lucos*: at 2. *Chronic.* 34. 4. *Joſiah* fertur *deſtruxiſſe aras* Baalim, *& Chammanim*, *& abſcidiſſe lucos*: adeo ut clarum ſit, חמנים ibi locum τοῦ מצבות obtinere, & voces eas ſe mutuo exponere & interpretari.

Progredior in deſcriptione τῶν *Chammanim* explicanda, qua ſymbola illa idololatrica *ſtatuæ vel columnæ altiores* appellantur. Nec immerito: erant enim *Chammanim* columnæ inſignes eminentia, ad multorum cubitorum altitudinem aſſurgentes. Hanc aſſertionem credibilem reddunt LXX, *Chammanim* (89) duobus in locis per τὰ ὑψηλὰ transferentes. Rei hujuſce fidem paulo certiorem faciunt illa Textus Hebræi verba quæ nobis occurrunt 2. *Chronic.* 34. 4. *Deſtruxerunt aras Baalim* והחמנים אשר למעלה מעליהם *& Chammanim quæ in ſublime* ſurgebant *deſuper iis*; h. e. quæ aras ipſas altitudine multum ſuperabant. Aſſertioni meæ nonnihil præſidii præbent etiam (90) illa, de Gideone dicta, *deſtruxit altare Baalis*, *& ſuccidit* את האשרה אשר עליו *ſtatuam* aut *columnam quæ ſupra illud*. Nam eo in loco vocem עליו *ſupra illud* ſignificare, verſione τῶν Septuaginta confirmatur, qui עליו hic ἐπ' αὐτῷ *ſuper illo*, non πρὸς αὐτὸ *juxta illud*, interpretantur: ſenſus etiam cohærentia poſtulat, ut eo loci vox אשרה non *lucum*: ſed *columnam* aut *ſtatuam ligneam*,

*gneam*, notare censeatur. Hunc autem significatum huic voci competere, ostensum est alibi, loco magis opportuno, Adeo ut intentio loci sit indicare, statuam aut columnam a *Gideone* succisam, in sublime elevatam fuisse: & supra altare multum eminuisse.

Duæ vero rationes assignari possunt, cur idololatræ veteres tam sancte curarunt, ut hæ statuæ solares in altum surgerent, & eminentia sua tam conspicuæ redderentur.

1. Ut earum altitudo eas Soli, numinum ethnicorum supremo, sacratas, & solem in iis cultum, esse denotaret. Atque inde factum est, ut omnia, soli, lunæ, vel exercitui cœlesti, sacra (puta, montes, luci, templa, pyramides, obelisci, altaria, (91) quercus, alia) in altum consurgerent, & admodum eminerent. Non ex decoro creditum est, aut eorum sublimitati consentaneum, ut Diis eorum supremis humile vel repens aliquid inscriberetur.

2. Statuæ solares (obelisci & pyramides) altitudine notabili donatæ fuerunt apud Ægyptios, quorum mores sacros (92) Hebræi, gentesque aliæ studiose sequebantur. Ægyptios hujusmodi columnas altitudine præcellentes erexisse, Solique dedicasse, multis exemplis indicavit (93) *Kircherus*, auctor *eruditus in omni doctrina Ægyptiorum*.

Pars ea descriptionis modo dictæ, *e ligno vel saxo conflatæ*, proximo succedit illustranda. Hoc autem paucis efficiam, si dixerim, Hebræos eorum *Chammanim* e ligno, sed Ægyptios e saxo, plerunque fabricasse. Assertionis primæ veritatem firmat Græcorum versio, qua *Chammanim* Hebræorum per (94) ξύλινα χειροποίητα *lignea manufacta* transferuntur. Sed assertionis hujusce fidem paulo firmiorem faciunt ea Scripturæ loca, quibus *Chammanim uri*, vel *exscindi*, dicuntur; cum idola quævis alia, una cum *Chammanim* memorata, (95) *frangi* dicantur, *everti*, *in pulverem reduci*, vel *liquefieri*. *Vatablus* ligneam τῶν *Chammanim* e loco (96) illo *Chronicorum* tam clare colligendam censuit, ut dicere non dubitaverit (97) *Chammanim lignea fuisse simulacra, apparet e 2. Paral. 34. 7. Et omnia* החמנים *succidit*. Huic affinitate non longe remota junctus est locus ille (98) *Jesaiæ*, qua החמנים τὰ εἴδωλα vocantur a Græcis, ἐκκεκομμένα. Huc etiam facere videtur locus (99) ille, quo *Josiah*, non המזבח altare solum a *Jeroboamo* factum *destruxisse*, sed & הבמה *excelsum*, una cum luco, *combussisse*, dicitur. Cum autem הבמה hoc in loco, ab *altari* simul & *luco* clare distinguatur; necesse est, ut columna eminentior, e ligno facta, eo nomine venire censeatur. Hæc omnia fide digniora sunt, quod hæc materia lignea cum summa τῶν *Chammanim* antiquitate maxime conveniat; cum simulacra e saxo facta vix ullum consensum colant cum temporum antiquiorum ruditate & simplicitate. Interea loci non inficias iverim, Ægyptios antiquiores, artibus mechanicis instructos, statuas ipsorum solares e lapide (100) *pyrite* formare solitos; eo quod lapidis illius color igneus, cum natura Solis ignea maxime censentire, eamque quadantenus imitari videretur. At Hebræorum rudi populo non licuit esse tam eleganter idololatrico. Illi, propter saxorum defectum, pyramides & obeliscos pares Ægyptiacis erigendo non erant, ideoque columnas aut trabes ligneas eorum loco soli statuerunt. Illi satis pie & ornate se sacra sua procurasse censuerunt, si columnam ligneam, ad radii solaris imitationem efformatam, in templo vel altaris vicinia posuissent.

Nil jam vetat, quo minus ad verba proximo transeam, quibus *Chammanim* columnas *ad obelisci vel pyramidis Ægyptiacæ figuram & similitudinem formatas* assero. Ad hanc sententiam, variis argumentis inductus, inclinat animus:

1. Gentes antiquiores Solem in pyramide, vel columella figuræ pyramidalis, coluere, Græcos veteres istiusmodi columellas usu frequentes habuisse, & proprias *Apollini* vovisse, ex *Hesychio* & (101) *Harpocratione* satis intelligitur. Ἀγυιεὺς ἐςι κίων εἰς ὀξὺ λήγων, ὃν ἱςᾶσι πρὸ τῶν θυρῶν. i. e. Ἀγυιεὺς *est columna in acutum desinens, quam ante fores statuunt*. *Paphii*, *Cypri* incolæ, statuam albæ pyramidi non absimilem (102) erexerunt, & in ea *Venerem* coluerunt. Ægyptii veteres (quod norunt e trivio pueri) pyramides, & obeliscos in cuspidem desinentes, in Solis honorem statuerunt.

2. Figura Pyramidalis Soli maxime conveniebat, cui τὰ *Chammanim* sacrabantur. Nam hujusmodi figura ignem (Solis symbolum) & radium solarem referebat; erat etiam figura maxime duratura, adeoque Soli, quem numen æternum credebant ethnici, maxime consentanea. Est itaque rationi congruum, ut *Chammanim* symbola Soli sacra, figuram plerunque pyramidalem gessisse censeantur.

3. Ægyptiorum *Chammanim*, aut columnæ quas illi in Solis honorem & cultum erexerunt, lapides erant altitudine con-

conspicui, & fastigio in acutum se attollente fabrefacti. Cum itaque Judæi, vitam agentes in *Ægypto* τοῖς *Chammanim* hac forma factis diutius assueverant; cum etiam moribus eorum antiquis, Ægyptiis inprimis, essent addictiores; ipsa rei per se spectatæ probitas opinari suadet, eos, in pyramidali τῶν *Chammanim* forma, mores Ægyptiorum exprimere voluisse; cum præsertim ipsas ils las statuas Solares ab *Ægypto* mutuas accepissent.

4. Statuæ Solares in Ægypto frequentes, eodem pene nomine quo statuæ Solares apud Hebræos, innotuere. Prout enim Hebræorum statuæ, *Chammanim*, sive *Solares* appellatæ sunt; sic etiam obelisci, vel statuæ quas (103) Ægyptii in Solis honorem erexerunt, *Niteb Piri* digiti solis, a radiorum forma quam imitantur, nomen acceperunt. Deinde: prout Ægyptii columnis eorum solaribus nomen *Pyramidum*, vel statuarum igniformium tribuerunt; sic & Hebræi statuis ipsorum solaribus nomen חמנים (quod *ignis* aut *ustionis* notionem gerit) assignarunt. Cum itaque Pyramides *Ægypti Chammanim* etiam Hebræorum, ea nominum affinitate sibi mutuo jungeretur; a veri fide non diffidet, ea, quo ad figuram, magnum inter se consensum & analogiam coluisse.

Jam ad ultimam descriptionis modo dictæ partem descendat sermo, qua scilicet asserui *Chammanim* „ statuas fuisse, „ apud omnes idololatras antiquiores, „ Ægyptios inprimis in usu frequenti „ positas. “ Laboris equidem ingentis, at usus exigui, res esset, testimoniis ostendere, gentes omnes idololatriæ deditas *Chammanim* olim in usu frequenti habuisse. Nemo enim cordatior paulo morem illum in dubium vocare potis est, cum apertum sit, idololatras omnes solem impensius adorasse, eique in statuis pyramidalibus, tanquam symbolis maxime familiaribus, cultum præstitisse. Ne tamen in hac incœpti mei parte diligentia mea desiderari censeatur, ostendam paucis, istiusmodi columnas, apud *Canaanæos*, *Hebræos*, *Britonas* antiquiores, inprimis autem Ægyptios in usum familiarem abiisse. Eas apud *Canaanæos* plurimum invaluisse, loca illa plurima testatum faciunt, quibus præceptum est Israelitis, ut eorum מצבות (104) frangerent & abolerent. Alibi nempe probatum dabo, vocem illam de columnis soli sacratis, & in ejus honorem & cultum symbolicum erectis, inprimis intelligendam. *Hebræos* etiam τοῖς *Chammanim* animos appulisse, & columnas illas in usu frequentes habuisse, non obscure colligitur ex historia sacra quæ mentionem earum tam frequentem injicit. Idem clare satis intelligitur e *Prophetis*, a quibus eorum aversiones (105) a *lucis* & *Chammanim* inter præcipua pœnitentiæ suæ sinceræ testimonia quandoque numerantur. Britonas antiquiores ejusdem idololatriæ reos peragunt eorum monumenta, passim obvia, quæ vetustas edax nondum abolere potuit. Nam plurimæ illæ columnæ pyramidales quas *Ignatius Jones*, seculi sui *Vitruvius*, in templo illo idololatrico *Stoneheng* dicto, (106) passim observavit, indicio sunt incolas antiquiores hujus insulæ cœlestes ignes in Deorum ordine collocasse, & pyramides illas in ignium eorum honorem & memoriam posuisse. Nec absurde, columnæ illæ, forma pyramidali factæ, & (107) *dæmonis sagittæ* vulgo dictæ, simili consilio positæ fuisse & non tam victoriæ ibi partæ (ut vulgi fert opinio) quam superstitionis antiquæ monimenta, censeantur. Præ cæteris autem mundi gentibus, Ægyptii ad statuas hasce solares affectibus inclinasse, easque in usu frequentes habuisse, videantur. Columnas enim solares, in agris, villis, urbibus, templis, alibi, statuerunt: adeo ut (si (108) *Kirchero* credimus) *vix ullus Ægypti locus esset tam exiguus, qui obeliscis*, hoc est, istiusmodi columnis, *non ornaretur*. Hac de re nemo dubitaverit, qui gentis illius ardorem in sole colendo contemplatus fuerit; quique pyramidum & obeliscorum mentionem in *Ægypti* monumentis obviam, multa etiam hujusmodi trabium solarium fragmenta in agris & (109) ruderibus urbium Ægyptiacarum hodieque reperta, secum in animo consideraverit. Hyjusmodi columnas in *Ægypto* frequentes (110) Propheta videtur ob oculos habuisse, cum ait, συντρίψει τοὺς στύλους τῆς Ἡλιουπόλεως, *conteret columnas civitatis solis*, vel *Heliopolis*, urbis Ægyptiacæ, potissimæ Sacerdotum sedis, quos religionis & philosophiæ studium occupatos tenuit.

## SECTIO IV.

*Usus & intentio* τῶν *Chammanim indicantur.*

RES Hebræorum veterum tam perplexæ sunt hodie & tenebris involutæ; annales ethnici, columnas soli vel syderi alicui sacratas memorantes, eas modo tam dissimilis descriptas exhibent; & Scriptura sacra plerunque *Chammanim* spectantia tacite adeo prætermittit;

tit; ut difficile ſit quicquam in hoc argumento pro certo ſtatuere, vel alicujus momenti teſtimonio confirmare. Quantum autem conjicere datum eſt, *Chammanim* non uni, ſed variis uſibus, inter idololatras antiquiores inſerviebant. Nam

*Primo*: *Chammanim*, mole grandiora, ſymbola vel figuræ fuiſſe videntur, in quibus idololatræ veteres, *igni* & *ſoli*, tanquam præſentibus, cultum exhibebant. In hanc ſententiam, non una ratione motus, inclinat animus: nam 1. ſortis hujus idola nomine חמנים ſemper in Scripturis innoteſcunt, voce a חמה *ſolem* & *ignem* vel *calorem intenſum* notante derivata. Quid autem hoc nomine donata veniunt, niſi quod *ignem* & *ſolem* repræſentarent, & idololatræ utrumque in חמנים tanquam ſymbolis eorum nomen & vicem gerentibus adorarent. 2. Vox ea ſemper πληθυντικῶς uſurpatur in Scriptura ſacra, & in ea vocem חמן nuſquam invenire datum eſt. Hujus autem ſignificatus, ubique pluralis, difficile eſt cauſam aſſignare, niſi vox חמנים duplicem ſignificatum continere; & *ſol* & *ignis* in חמנים tanquam ſymbolo vel figura vicaria, repræſentari, cenſeatur. 3. Sol & ignis idololatriæ fuerunt objecta & inſtrumenta vetuſtiſſima. Nemo rei hujuſce veritatem in dubium vocare poteſt, qui (111) Scripturæ ſacræ teſtimonio fidem adhibet; & auctores a (112) *Seldeno*, (113) *Grotio*, (114) *Kirchero*, (115) *Voſſio*, (116) *Reineſio*, citatos, conſultum ivit. Hic itaque omnia in conceſſis ponam, nihil otii vel operæ argumento tam trito & perſpecto impenſurus. 4. Cum ob Solis, & aliorum corporum cœleſtium, diſtantiam, ſacra iis ad votum fieri haud ita commode potuerint; eorum cultores hujuſmodi ſymbola, quæ præcipue congrua videbantur, in eorum honorem conſecrare pium eſſe judicabant. Nec ita multum intereſſe credebant idololatræ an ſymbolum, an ſymboli figuram, an ipſum numen, aut numinis imaginem adorarent. Hæc (117) *Seldenus* noſter obſervavit, libro illo qui in omnium manibus verſatur, aut verſari debet. 5. Figuræ, ignis formam referentes, Solis & Syderum ſymbola maxime congrua & uſu frequentia, ſeculis antiquioribus fuiſſe videantur. Nam apud Ægyptios in more erat, columnas altiores, pyramides, obeliſcos, pyropos, utpote Solis radios aut naturam igneam referentes, honore ſingulari proſequi: ſolebant etiam *Syri*, *Phœnices*, *Perſæ*, *Chaldæi*, alii πυρεῖα, ſtatuas igniformes, & quicquid illis analogum, Soli dedicare; iiſque utpote vim aut formam Solis igneam exprimentibus, cultum exhibere. Ideoque rationi morique veterum conſentaneum eſt opinari, eos columnas igniformes, חמנים dictas, in Solis & aliorum ſyderum honorem erexiſſe: cum præſertim (118) *Plato* corpora illa cœleſtia Θεὺς πυρινοὺς *ignea numina* nuncupaverit.

*Secundo*: τὰ *Chammanim* ſigna vel interpretes erant altaris illius in cujus vicinia ponebantur, & illud Soli, vel corpori alicui cœleſti, ſacrum & dicatum eſſe teſtabantur. *Chammanim* huic officio miniſtraſſe, e variis illis Scripturæ locis haud obſcure colligendum eſt, ubi במות *ſtatuæ ſolares* conſociata reperiuntur: vid. *Levit.* 26. 30. 2. *Paralip.* 14. 3. 5. 2. *Reg.* 23. 15. 2. *Chronic.* 24. 3. 4. 7. *Ezec.* 6. 4. & 6. *Jeſ.* 17. 8. & 27. 9. Quid autem tam ſancte curabant idololatræ veteres, ut altaria & *Chammanim*, tanquam res geminæ & germanæ, ſæpiſſime jungerentur; niſi ut *Chammanim* eſſent altarium indices & interpretes, & quivis חמן in altaris alicujus vicinia ſitum intuens, facile percipere poſſet, eos altare illud, non Lunæ, non Veneri, non Heroi alicui, ſed Soli tantum ejuſque ſacris, ſtruxiſſe & dedicaſſe?

*Tertio*: τῶν *Chammanim* uſus non poſtremus fuiſſe videtur, ut eſſent ἀναθήματα vel dona quædam honoraria quibus idololatræ frugiferum Solis influxum, aut grati recolebant, aut tacite implorabant. Huic conjecturæ anſam ſatis amplam præbent Dei per (119) *Prophetam* verba: *viris vacua eſt Iſrael, fructum ſibi ipſi profert: juxta multitudinem fructuum ejus, multiplicavit altaria:* כטוב *ſecundum bonitatem* (aut benignitatem) *terræ ſuæ*, הטיבו מצבות *benefecerunt* (aut erexerunt) *ſtatuas* pulcras: h. e. Gratias, ob uberes terræ fructus, columnis in Solis honorem ſitis tribuerunt; vel columnas novas & eximias, tanquam χαριστήρια, Soli, veluti fructuum largitori poſuerunt. Atque hic ſenſus non parum firmatur auctoritate *ſeniorum*, qui Hebræa ſic verterunt; Κατὰ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς αὐτοῦ, ᾠκοδόμησε στήλας.

*Quarto*: *Chammanim* inſtituta videntur ab ethnicis, ut eſſent objecta illa propinqua & viſibilia, ad quæ ritus eorum religioſos dirigere poſſent, cum circa ſacra verſarentur. Niſi enim *Chammanim* præſto fuiſſent, ethnicorum ritibus ſacris honorandi: nihil ſenſibile habuiſſent, quod eorum animos afficere, aut cui ritus eorum religioſos præſtare, poſſent, adeo ut neceſſe eſſet, ut eorum pia vota in aerem evaneſcerent, eorum

ze

zelus inter sacra multum defervesceret, ceremonias etiam nonnullas, cultus ordinarii comites, missas facerent. Gentium antiquiorum, non tantum crassa religio, sed & crassius ingenium, omnino postularunt, ut objectum aliquod inter sacra præsens occurreret, quod eorum oculos & animos defixos detineret, quod eorum zelum accenderet, & errantes eorum affectus & studia colligeret & determinaret. Huic ævi prisci genio morique congruum erat, ut ubi altare ad sacra peragenda comparatum erat, ibi Numinis symbolum aut simulacrum, vel arborum congeries, aut חמן aut affine aliquod cultus objectum sensibile, statueretur; ut altaris cui adstabat usum & finem exponeret, cultorum animos (uti persuasum est ethnicis) ad objectum proprium dirigeret, & eorum zelum animaret.

Sunt alia nonnulla ad hoc argumentum pertinentia, quæ in locum aptiorem differenda censui.

## SECTIO V.

*Leges de* Chammanim *abolendis, & earum rationes, explicatæ traduntur.*

Leges illæ in Pentateucho quæ τῶν *Chammanim* abolitionem pro scopo habent, interpretum longe plurimorum observationem & captum fugisse videntur. Non erit itaque lectori labor ingratus (uti spero) si leges eas e tenebris eruere, iisque lucem paulo clariorem impertire, satagam. Ut autem ordine justo procedat sermo, *primo*, de legibus illis distinctius agendum est; *secundo*, rationes earum diligentius investigandæ.

*Primo*: Leges illæ quibus *Chammanim* prohibentur, in medium producendæ sunt, & paulo distinctius explicandæ.

Ex iis autem legibus, *prima*, qua *Chammanim* alio licet nomine donata, prohibentur aut perstringuntur, occurrit *Exod.* 34. 13. *Eorum altaria diruetis*, ואת מצבתם *& eorum statuas confringetis*, ואת אשריו *& lucos eorum succidetis*. Eo scilicet in loco, voce מצבות columnas alto vertice conspicuas, & Soli præcipue sacras, intelligendas arbitror, tribus inductus argumentis.

1. מצבות hac in lege, prout alibi sæpe cum במות altaribus conjungitur, uti מצבות חמנים etiam conjungi solet hic & alibi, cum *altaribus* memorari, cuivis patebit consulenti, *Deuter.* 12. 3. *Deuter.* 7. 5. 2. *Paral.* 14. 3. & horum affines locos. Τῶν *Chammanim* una cum *altaribus* aut *excelsis*, mentionem fieri, pateat e *Levit.* 26. 30. *Ezech.* 6. 4. & aliis Scripturæ locis superius observatis.

2. Vox מצבות una cum אשרים aut אשרות *lucis*, hac in lege, uti & alibi sæpe, copulatur: vid. 1. *Reg.* 14. 23. 2. *Paral.* 14. 3. 2. *Reg.* 23. 14. 2. *Reg.* 17. 10. 11. & 2. *Paral.* 31. 1. Et observare juvet, אשרים & חמנים non minus frequenter consociari, vid. *Jesai.* 17. 8. 2. *Par.* 34. 4. 7. & *Jesai.* 27. 9. Si quid itaque e socio cognoscatur, מצבות & חמנים ejusdem pene naturæ & usus instrumenta notasse & nomine potius discrepasse quam re, minime temerarium est opinari.

3. מצבות & חמנים in Scriptis sacris, quandoque promiscue & indifferenter usurpantur. Nam in lege præceptum extat, quandoque de Gentilium altaribus & חמנים (120) amoliendis, alibi de eorum (121) altaribus & מצבות auferendis. Et historia sacra, res *Josiæ* memorans, (122) uno in loco dicit, eum *altaria*, *lucos*, *sculptilia*, וכל החמנים e medio sustulisse; (123) alibi vero, *lucos*, *excelsa*, ואת המצבות *& columnas*, nulla τῶν חמנים mentione facta. Si quis itaque in re tam obscura conjecturæ locus sit, & מצבות & חמנים tanquam genus & species differre censeantur; adeo ut מצבות de columnis quibusvis frequentius idololatricis, חמנים vero de columnis in solis honorem erectis intelligantur.

Lex secunda qua *Chammanim*, licet alio nomine velata, videntur interdicta, nobis occurrit *Levit.* 26. 1. *Non facietis vobis idola & sculptile*, ומצבה *& columnam non erigetis vobis*, Rationes autem duæ mihi causam opinandi præbent, מצבה חמן aut colunam solarem hic voce latitare: 1. Nuspiam occurrit מצבה inter alia superstitionis objecta vel instrumenta, quin statuam aut columnam soli vel corpori alicui cœlesti sacratam denotat. Nunquam enim מצבות & חמנים eodem in commate conjuncta licet invenire: sed si מצבות adsit, semper חמנים abesse; & si חמנים adsit, vocem מצבות semper abesse, reperiamus. Hoc argumento satis clarum est, eas voces esse pene synonymas, & significationes affines continere. Cum itaque vox מצבה hac in lege, a חמנים quidem separata, cum aliis autem instrumentis idololatriæ conjuncta, reperiatur; inde tuto colligendum est, columnam solarem illius notatione contineri. 2. Apertum est, vocabulum מצבות nonnullis in locis, de statuis aut columnis soli dicatis intelligendum esse. Nempe, 2. *Reg.* 10. 26.

26. 27. *Et* מצבות *ſtatuas* aut columnas *de domo Baalis*, i. e. Solis, eduxerunt: & *Jerem.* 43. 13. συντρίψει מצבות τοὺς ςύλους τῆς Ἡλιοπόλεως, ut reddunt *Septuaginta*. Non eſt itaque a veriſimili alienum, מצבה hic etiam eodem ſenſu capiendum.

Locus tertius quo *Chammanim* interdicta ſunt, nobis obvius eſt, *Levit.* 26. 30. *Abolebo excelſa veſtra*, *& ſuccidam* חמניכם *ſolaria veſtra*. Licet enim ipſe textus nihil in ſuperficie præter commi-nationem ferat, intellectu facile eſt, eum in imo prohibitionem, aut prohibitionis momenta, continere. Utcunque textus ille memoriam alicujus interdicti renovat: nam credendo non ſum, Deum minas illas contra *Chammanim* ingerere voluiſſe; niſi prius eorum uſum lege publica ſuſtuliſſet.

Lex quarta τῶν *Chammanim* uſum inhibens, his verbis lata legitur, *Deut.* 16. 22. *Neque eriges tibi* מצבה *ſtatuam quam Dominus Deus tuus odio habet*. Hanc legem (in præſens) levi tantum digito tactam præteribo, eam ex profeſſo in loco ſuo tractaturus. Nam lex ea varii generis *Chammanim* nondum obſervata vel explicata continet; & illius ſenſum & intentionem genuinam, multorum interpretum, *Rabbinorum* præcipue, commentariis eluſam potius quam elucidatam reperiamus.

Oſtenſum eſt hactenus, leges, quamvis nec multas nec claras, in Codice Moſaico latuiſſe, quibus erectio τῶν *Chammanim* interdicta eſt. Proximum eſt, ut rationes in medium proferam, cur Deus tot leges τοῖς *Chammanim* adverſas dederit, & eorum erectionem tam diligenter inhibuerit. Hujus autem interdicti, frequenter inculcati, cauſæ ſequentes aſſignari poſſunt.

1. *Chammanim* εἴδολα fuerunt, & non tantum ad radium ſolarem reverendum, ſed Solem ipſum colendum, comparata. Hac de re non facile dubitandum eſt, cum certum ſit, (125) Græcos interpretes (125) id nominis iis tribuiſſe; cum etiam cum אשרים (notæ nigrioris idolis) (126) conjuncta veniat; quando etiam cum altari plerumque ſociata reperiantur, ut ſcilicet honos oblati ſacri in ea, vel Solem cujus ſymbola fuere, redundaret. Atque hinc elucet ratio, cur *Chammanim* nuſquam in Lege diſerte, vel expreſſo nomine, prohibeantur; quod ſcilicet idola fuerint, eoque nomine præcepto ſecundo vetita, cuivis tunc temporis innotuerit. Neque hoc alicui conſulto mirum videri poteſt, cum & alia peſſimi nominis idola in Scriptura memorentur, quæ tamen nuſpiam in Lege niſi generalibus illius Præcepti verbis interdicta ſunt.

2. *Chammanim* non tantum idola fuerunt, ſed idola quæ Deus (præ ceteris idolis) abominatus eſt, & odio maximo ſemper averſatus. Poſtquam enim Lex varia, τῶν *Chammanim* genera (אשרות & מצבות עצים) (127) enumeraſſet, ex improviſo ſubjungit, *quæ* (omnia) *Dominus Deus tuus odio habet*, præter cætera nempe profani cultus objecta & inſtrumenta. Deus odii hujus exemplum edidit, cum aperte comminatus eſt, ſe judicia graviora in Judæos immiſſurum, tantum ut eorum altaria dirueret, & animos ab eorum (128) *Aſcherim* & *Chammanim* ablactaret. Nec odium illud acerrimum interpretum Græcorum obſervationem fugit, qui, ea de cauſa, חמנים (129) βδελύγματα *abominationes* interpretantur; & (ex immani odio quo חמנים proſecuti ſunt) vocem illam, vocabulo ſenſum ejus genuinum exprimente, (130) nunquam reddiderunt. Ideo vero חמנים apud Deum & homines, tam immani flagrabant odio, quod ſymbola Solis eſſent quem gentes omnes vice Numinis habuerunt; quod etiam honorem Deo debitum, pluſquam alia quævis idola, ſurripuerunt.

3. *Cammanim* natales ex *Ægypti* finibus arceſſebant, & cum præcipus idololatriæ Ægyptiacæ monumentis apprime conveniebant. Aſſertionis hujuſce veritas elucebit e Sectione prima. Hæc autem affinitas in cauſa erat, cur Deus tam frequenter, licet non adeo diſerte, חמנים prohibuerit. Cum enim Iſraelitæ, idololatræ, præſertim *Ægyptiacæ*, ſtudio ducerentur, allium etiam & idololatriam Ægyptiacam ex æquo ſaperent; conſentaneum erat ut Lex *Chammanim* frequenter inhiberet, quæ ad Obeliſci & Pyramidis Ægyptiacæ exemplar effingebantur. Si enim Deus tam expreſſa ſuperſtitionis Ægyptiacæ monumenta toleraſſet, inde magni aditus ad reliqua genti ſequaci patefierent. Hæc omnia veritati ſimiliora faciunt ea Dei verba, populum ex *Ægypto* nuper egreſſum ſic alloquentis; (131) *abolebo excelſa veſtra & ſuccidam* חמניכם *ſimulachra ſolis veſtra*. Unde enim Iſraelitæ notionem illius vocabuli promte adeo intelligerent, & ad hujuſmodi idola fervidius inclinarent; niſi quod ex *Ægypto* nuper egreſſi erant, ubi hæc inprimis idola, & eorum nomina, in uſu familiari verſabantur?

## SECTIO VI.

*Objectionibus aliquot satisfactum est.*

EO me ducente metodi mihi præscriptæ filo, proximum est, ut objectiones notæ præcipuæ in lance rationis examinarem. Hoc oneris eo libentius in humeros suscepi, quod ansam mihi præbeat, argumentum principale paulo clarius explicandi; quædam etiam Scripturæ loca, quæ interpretes hactenus haud parum exercitos habuerunt.

Ex iis autem hæc primas habeat: sententiæ meæ de notione חמנים tota Doctorum natio refragatur, qui ea plerumque, non de idolis, aut statuis in sublime surgentibus, sed templis Soli, vel numini alicui fictitio, sacratis, hactenus intellexerunt. Inter eos eminet (132) *Bochartus*, qui sententiam hanc patrocinio satis amplo & erudito cohonestavit. Postquam enim e *Porphyrio* & *Philone* tradidisset, *Sanchoniathonem* ad historiam ejus concinnandam, subsidia multa hausisse, ἐκ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφῶν, καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀδύτων εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις Ἀμμουνέων γράμμασιν. *Ex templorum monumentis, & iis quæ reperta sunt in Adytis, arcanis Ammoneorum literis exarata*; hæc statim subjungit auctor ille cui parem nondum produxit Gallia: *Ammoneorum, id est,* חמנים ammanim, *quod alii* simulacra *exponunt, sed* LXX τεμένη *Ezec.* 6. 4. 9. *Hieronymus* fana 2. *Paral.* 14. 5. *Et* delubra *ibid.* 34. 7. *&* *Es.* 17. 8. *&* 27. 9. *Aben-Ezra in Levit.* 26. 30. templa facta ad cultum Solis: *quod verissimum; Sol enim Hebræis est* חמה amma, *unde* חמן amman *templum Solis, quem solum cœli dominum crediderunt prisci Phœnices.* --- *Ideoque literæ Ammoneorum seu* חמנים *sunt literæ templorum*, &c.

Sed hæc omnia (salva tanti nominis dignitate) speciose magis quam solide dicta sentio. Ad hanc sententiam non sine ratione propendet animus: nam e supra dictis, & statim dicendis, aperte constet multa de *Chammanim* affirmari, quæ columnis quidem aut idolis eorumque symbolis bene quadrant, templis autem vel delubris minime convenire possunt. Semel repetita sufficiant lectori consulto & vigilanti. Nec ad astruendam *Bocharti* & aliorum sententiam, quid momenti habebit illud e *Philone Bybliensi* testimonium, si rem diligenter expendamus. Nam

1. Αἱ ἐν τοῖς ἱεροῖς ἀναγραφαὶ, *ipsa templorum scripta vel monumenta*, a τοῖς τῶν Ἀμμουνέων γράμμασι, satis clare distinguuntur. Ideoque seutentiæ nobis adversæ nihil adjumenti præbere potest.

2. Nil impedit quo minus extrema illius testimonii verba, quasi hoc modo distincta & divisa, legamus & capiamus; καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀδύτοις εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις. (Ἀμμουνέων) γράμμασιν. Adeo ut vox illa, parenthesi clausa, non sit originis Hebraicæ (τῷ *Chammanim* affinis) sed Ægyptiacæ, sensum eundem fundens quem vocabulum ἀποκρύφοις. (133) *Manethos* enim Sebennita Ἀμοῦν, τὸ κεκρυμμένον καὶ τὴν κρύψιν *occultum & occultationem* interpretatur. Hisce consonus est eorum sensus, qui (τῶν Ἀμμουνέων) de sacerdotibus Ægyptiis, *Ammoni* devotis intelligunt, qui eorum mysteria, characteribus sacris & arcanis, a vulgi captu separabant.

3. Moribus Ægypti congruum est, vocem Ἀμμουνέων de columnis aut statuis quibusdam in templo plerumque positis, intelligere, quibus mysteria quædam, Politica, Historica, Theologica, Theurgica, arcanis characteribus expressa, insculpebantur. Hisce testimonium perhibent illa *Platonis* (uti creditur) libro (134) *Sapientiæ* secundum Ægyptios; *Sapientes Babylonii & Ægyptii, ad illa supremi mundi abdita penetrantes, animorum conceptus in lapidibus per figuras describebant. Idemque in omnibus artibus & scientiis faciebant. Deinde lapides, in quibus illa erant descripta, in Templis collocabant, & quasi paginas perlegendas exhibebant, talesque, librorum loco, illis erant in usu.* (235) *Proclus* rem hanc luculentius paulo memoriæ consignavit: *Ægyptiis*, ait ille, *præterita semper præsentia visuntur per memoriam. Memoria vero, per Historiam.* Αὕτη δὲ ἀπὸ τῶν στηλῶν, ἐν αἷς ἀνεγράφοντο τὰ παράδοξα, καὶ τὰ θαύματος ἄξια, τῶν πραγμάτων, ἤ τι ἐν εὑρέσεσιν. Historia *vero per columnas & cippos, in quibus describunt res paradoxas & admiratione dignas, tam gestas, quam inventas*. Id moris ab Ægyptiis ad alias (136) gentes effluxisse videtur, & ansam dedisse verbis illis *Apocalipticis*, Cap. 3. 12. *Qui vicerit, illum collocabo in templo* meo ut *columnam novo* -- *inscriptam nomine*. Huc etiam allusum est forsan 2. *Tim.* 3. 15. ubi Ecclesia *columna veritatis* audit, cui scilicet Evangelii veritas inscripta, omnibus visenda proponitur & intelligenda. Sed ut conjecturas hasce missas faciam: certum est Ægyptios columnas illas ingentes (obeliscos dico) frequentes erexisse, iis etiam mysteria philosophica, vel regum gesta, sacris characteribus exarasse. Cum autem

tem hujusmodi columnas *Ammoni* ( i. i. (137) Jovi aut Soli ) consecrarent, specie veri non caret, Ægyptios iis τῶν Ἀμμωνέων titulum imposuisse, eumque ( leviter mutatum ) in חמנים postea transiisse. Patet enim Mosem nomen illud statim ab exitu ex *Ægypto* (138) familiariter usurpare, quasi frequens usus in *Ægypto* illud populo familiare probeque notum reddidisset.

4. (139) Nonnulli ( nec sine veri specie ) sentiunt, τῶν Ἀμμονέων nomine Thebanos quosdam *Ægypti* inferioris incolas, intelligendos. Vocis enim originem ducendam existimant ab אמון vel המון נא apud (140) Prophetas memorata, urbe qua fanum erat in honorem Dei *Ammonis* consecratum; quæque a (141) Græcis Διόσπολις, a Romanis *Thebæ* dicebatur. Cum itaque docti in studia tam varia, circa vocis hujus originem & significatum distrahantur; temerarium est eam de *templis*, non autem *idolis*, aut columnis ad cultum positis, fidenter interpretari.

*Secundo*: Ad sententiam meam labefactandam, nonnulli forsan & hoc pugnabunt argumento: חמנים *statuæ solares* cum אשרים *arboribus* aut *lucis*, tanquam rebus cognatis, in Scriptura non semel conjuncta veniunt. Facile est conjunctionis hujus exempla nonnulla in medium proferre. 2. *Paral.* 34. 4. *Et destruxerunt coram eo altaria Baalis*, והחמנים & *Chammanim quæ erant super eis demoliri fecit*, והאשרים *& arbores* aut *lucos* &c. *Jes.* 17. 8. *Et non respiciet* והאשרים והחמנים Textus hisce cogantus occurrit *Jesai.* 27. 9. *Non stabunt* אשרים & חמנים. Cum itaque hæc duo, his & aliis in locis, consociata reperiantur; similius est vero, *Chammanim* templa fuisse, quam symbola vel idola, in Solis honorem posita; nam in symbolorum Solarium censu, comites eorum אשרים *luci* vel *arbores altiores*, numerari solent.

Hæc objectio solutionem non difficilem capiet, si rationes hujusce conjunctionis ( quantum conjicere licet ) paulo luculentius intelligantur.

Harum 1. sit hæc: hujusmodi אשרים vel arbores altitudine maxime notabiles, cœli fervores ab hominibus sacra τοῖς *Chammanim* peracturis propulsarunt, iisque templi vel domus cujusdam sacrationis usum præstiterunt. Veteres idololatras ea de causa se ad arbores altas densasque conferre solitos, varia scripturæ loca testatum faciunt. Ex iis uni liceat paulisper immorari, vid. *Jerem.* 27. 2. quod interpretes nostri sensum illius genuinum minime videntur attigisse. Sic enim locum reddidere: *Whilst their children remember their altars and their* (142) *groves by the green trees upon the high hills*. At sensus multo commodior, cum textus mente conjunctior, & cultorum prophanorum intentioni propinquior, evasisset; si עץ רענן non *arborem virentem*, sed *frondosam*, *condensam*, reddidissent. Hoc eo fidentior assero, quod Græcos interpretes hic a partibus habeam, qui vocibus illis Hebræis (143) sensum eundem tribuerunt. Sunt alii Scripturæ loci, moris ejusdem testes, vid. 2. *Reg.* 17. 10. *Hos.* 4. 13. *Ezec.* 6. 13. ad quos digitum sufficiat intendisse. Cum itaque veteres idololatræ, causa jam dicta moti, sub arboribns altis densisque ritus sacros obirent, & (144) ibi columnas ipsorum ad cultum erigerent; nil mirum, si חמנים aut מצבות cum אשרים non minus frequenter in Scripturis quam gentium sacris conjuncta reperiantur.

2. *Chammanim* & *Ascherim* cognatione propinqua se mutuo videntur attigisse. Erant enim *Ascherim*, vel arbores sublimiori vertice donatæ, symbola quædam *naturalia* Soli consecrata; sed *Chammanim* artificialia, utpote hominum opere & ingenio fabrefacta. Huc spectasse videntur (145) LXX, cum *Chammanim*, præter vocis intentionem, ξύλινα χειροποίητα *lignea* symbola manufacta reddiderunt. Cum itaque hæc duo Solis symbola fuerint, in cultu profano familiaria; clarum est, ea multum affinitatis inter se invicem coluisse, adeoque consentaneum fuisse ut junctis quasi manibus incederent, & de iis conjunctim mentio fieret.

3. Idololatræ olim τὰ *Chammanim* Soli tantum (si rite conjecturam facio) sed *Ascherim* toti exercitui cœlesti, consecrarunt, & in iis Solem, Lunam, & Sydera, tanquam in symbolis, coluerunt. Hoc in animum induco meum, quod historia sacra refert, *Manasse* (146) *lucum* simul *fecisse*, & *universam cœli militiam coluisse*; & in cultus hujusce testimonium פסל האשרה (147) *Sculptile* sive ligneum *luci* simulacrum, (cum totum lucum non posset) in domo Domini posuisse. Deinde: promptum est observare, vocem Hebræam, quæ congeriem arborum notat, nunc אשרות (148) *lucos*, nunc עשתרות (149) *greges*, exarari. Hic multum æstuant interpretes, rationem reddituri, cur אשרה & עשתרות significatus licet tam diversos habeant, tanquam voces synonymæ in Scripturis usurpentur. Mihi fit verisimile, rationem inde petendam, quod vox utraque *multitudinem* ( hæc ovium, arborum il- la)

la ) denotet, & utraque multitudinem, exercitum nempe cœlestem, satis apte repræsentet. Si hæc omnia quid veri ferant, liquidum est חמנים & אשרות symbola cognata fuisse, eaque scripta sacra non sine ratione quandoque conjunxisse.

*Tertio:* Nonnulli forsan & hac objectione mihi molestias afferent: si nomen *Chammanim* idolis jam sæpe memoratis, in Solis honorem aut memoriam imponeretur; mirum est, nulla nominis tam clari vestigia in moribus aut annalibus gentium antiquiorum deprehendi posse, cum præsertim Sol ipse præ cæteris idolis tam impense coleretur, & proculdubio nomen illud seculis antiquioribus in usu tam frequenti versaretur.

*Hac* in re veritatem adversarios fugere, clare constabit si monumenta temporum diligentius observentur. Nam veterum Saxonum annalibus memoriæ proditum est, eos inter alios Deos & Deas, ( 150 ) *Hamam* præcipua religione coluisse: id nominis autem a voce חמה *Solem* significante, principium habuisse, nemo facile dubitabit, qui literaturam Hebraicam vel a limine salutavit. Aliud exemplum huc spectans præbent ( 151 ) *Strabonis illa*, τῆς Αναίτιδος καὶ τοῦ Ωμανοῦ ( ἱερά ) i. e. *Dianæ* ( vel Lunæ) *&* *Solis* templa: non dubitandum enim, quin idem sit Ωμανὸς ac Αμανὸς lib. 11. memoratus, a voce חמה vel חמן originem arcessens, lævigata ח asperioris soni litera. Nominibus illis, utpote vocabulum cognatum, accenseri debet ( 152 ) nomen Αμμῶν vel Αμμων, quo Ægyptii per multa secula Jovem Hammonem vocabant, voce proculdubio ab eodem fonte Hebræo derivata. Nec in Ægypto solum sed in Africa & Arabia multa vocis hujusce vestigia deprehendi, clare probant, *Ammon*, *Ammonis*, *Ammonia*, *Ammonis* oraculum, & ejusdem familiæ voces, ibi frequentes olim & usu tritæ. In hujus rei fidem lectorem amandare liceat ad varia illa quæ ( 153 ) *Bochartus* congessit testimonia.

*Quarto:* nonnemo forsan contra sententiam meam & hoc pugnabit argumento: cum Scriptura sacra nullibi formam aut figuram τῶν *Chammanim* descriptam dederit; quæ de forma ipsorum pyramidali, vel figura ad radii solaris imitationem composita, dicta sunt hactenus, nil certi continere, sed merum imperium in lectoris fidem exercere merito censeantur. Nullus enim auctor profanus adeo antiquus est, ut hac de re fidem præstare possit, aut testimonium ferre cui niti liceat.

*Fatendum* est quidem, scripta sacra horum idolorum formam aut figuram nusquam aperte vel expresse declarasse. Inde vero satis intelligi datur, ea formam & usum plane singularem & ab aliis idolis distinctum habuisse, quod nomine peculiari & quasi proprio, ab aliis cujuscunque sortis idolis in scriptura discernantur. Cum enim idola quævis alia, generali פסילים aut צלמים aut עצבים nomine frequentius involvantur; hæ statuæ ( quas dixi ) Soli sacræ, *Chammanim* appellari, & eo nomine, seu charactere peculiari, distingui solent. Quando itaque nomen illud idolis hisce, veluti peculiare & proprium, in Scriptura tribuatur; haud absurde creditur, id nominis eorum finem & formam peculiarem exprimere, & illius significatum cum eorum forma pyramidali & veluti ignea quam maxime convenire. Neque hæc a fide aliena videri possunt, cum antiqui referant, columnas aut statuas in Gentilium ritibus usitatas πυροειδεῖς fuisse, & in cuspidem plerunque pyramidalem surrexisse. Nam Απόλλων Αγυιεὺς, referente ( 154 ) *Suida*, nihil aliud erat nisi κωνοειδὴς κίων, columna in *conum assurgens*, id est, Pyramis: & apud Corinthios *Jupiter Meilichius* Pyramidis figura repræsentabatur, si ( 155 ) *Pausaniæ* fidimus. Hæc paulo firmiora reddunt ea ( 156 ) *Scaligeri* verba quibus versus quosdam *Phoronidis* e *Clemente* citatos illustrare satagit. Postquam enim inde docuisset, *Callithoen*, *primam Junonis ædituam insulis & vittis ornasse columnam Deæ*, continuo addit, *simulacrum Deæ*, nam eo tempore Deorum simulacra erant tantum κίονες πυραμοειδεῖς.

# NOTÆ.

(1) Cap. 27. 10. 11.
(2) *Pæd.* 8.
(3) *Onomast.* Lib. 2. Cap. 4. *segm.* 157. περὶ τῶν διὰ χειρὸς μέτρων.
(4) Vid. *Schindler. Lexic. Hebr.* in voc. אמות:
(5) *Annot.* in *Ezec.* 27. 11.
(6) *Geogr.* Lib. 2. Cap. 2.
(7) *Opusculum* de *Pygmæis*. c. 2.
(8) Apud *Phot.* in *Biblioth. Cod.* 3. p. 7.
(9) Ap. *Bartholin.* in *Opusc.* laud. pag. 9. cap. 91.
(10) *Miscellan. Sacr.* Lib. 6. cap. 3.
(11) Vid. supr.
(12) Lib. 2.
(13) *Miscel. Sacr.* Ub. supr.
(14) *Ludolf. Comment.* ad *Hist. Æthiop.* Lib. I. c. 1. p. 74.
(15) Cap. 27. 11.
(16) Hic sensus est eorum, qui veram & genuinam vocis hujus significationem amissam sentiunt, cum *ex earum* sit *numero quæ semel tantum in Scriptura reperiuntur*. Ludolf. p. 73.
(17) Lib. 3. cap. 37.
(18) *Tab.* 5. notis in *Lucret.* affixa.
(19) *Oed. Ægypt.* Tom. 1. pag. 250.
(20) Lib. 3. 9. 7. ubi de *Curru Darii* loquitur.
(21) Lib. 6. de *Emend. Tempor.* p. 579.
(22) Reges & principes defuncti, inter Deos relati, civitatem ope & consilio apud Cœlites juvare credebantur. *Kipping.* pag. 117.
(23) Lib. 5. *Fastor.* v. 135.
(24) *Fest.* lib. 8. in voc. *Hostiliis*.
(25) In *Mercator.* Act. 5. Scen. 2.
(26) 2. *Sam.* 5. 21.
(27) *Annalect. Sacr.* P. 2. *Excurs.* 65.
(28) *Oed. Ægypt.* T. 1. p. 250. & T. 3. p. 476. 477. 521.
(29) *Not.* & *Observ.* cap. 7.
(30) P. 1. *Excurs.* 75. 87. & P. 2. *Excurs.* 52. *Voss.* de *Idololat.* l. 8. cap. 18
(31) Vid. *Med. post. Tempor. poster.* Cap. 4. 5. 17.
(32) Lib. 2. *Eleg.* 10.
(33) *Jes.* 57. 8.
(34) *Ezec.* 27. 8. 9. 10. 11.
(35) *Ezech.* 27. 11.
(36) *Cant* 4. 4.
(37) Vid. *Lexic. Castel.* voc. נמר.
(38) In lingua *Syriac* נרם [ vox eadem elementis transpositis ] *contraxit* sonat : *Castel.* in Voc.
(39) *Tab.* not. in *Lucret.* affix.
(40) *Oed. Ægypt.* T. 2. p. 447. & T. 3. p. 512.
(41) Lib. 3. cap. 37.
(42) *Boch. Phaleg.* col. 712. & *Selden. D. Syr.* 356. 358.
(43) Ub. supr. col. 713.
(44) *Ezec.* 28. 26.
(45) *Syntag.* 2. de *Diis Syr.* c. 16. p. 355. 356.
(46) Vid. *Fuller. Miscell.* L. 3. cap. 6.
(47) *Voss.* de *Orig. Idolat.* L. 9. cap. 13.
(48) *Ludolf. Comment.* ad *Histor. Æthiop.* p. 73.
(49) Vid. *Lucian. Rhetor. Præcept.* p. 816. ad quem *Vossius* provocat.
(50) Vid. plur. apud *Dougth. Analect. Sacr.* P. 1. *Excurs.* 167.
(51) *Ezec.* 27. 11.
(52) In *Thalia* Cap. 37.
(53) *Kircher. Oed. Ægypt.* P. 3. p. 476. in *Jes.* 17. 8.
(54) *Exod.* 32. 1. 1. *Sam.* 4. 3. 8.
(55) Ub. supr.
(56) Vid. Lxx. in *Jes.* 17. 8.
(57) *Avenar. Lexic.* in voc. חמן.
(58) Vid. *Bochart. Geograph. Sac.* Col. 6. 7.
(59) Lib. cui tit. מגן חגבורים
(60) Lib. de *Obelisc. Pamphil.* cap. 2. pag. 15. ub. supr.
(61) Quæ vocatur חם *Psal.* 78. 51. & sæpe *Chemia*. Vid. *Bochart.*
(62) *Hesyc.* in voc. Ἀμμὰν.
(63) Vid. *Kircher. Prodrom. Ægyptiac.* Cap. 5. p. 146.
(64) De *Bell. Persic.* L. 2. Cap. 24. pag. 147.
(65) De *Justinian. Imperat.*
(66) De *Reg. Pers.* L. 2. p. 158. &c.
(67) De *Diis Syr. Syntag.* 2. c. 8.
(68) In *Evang. Persic.* pag. 57.
(69) De *Origin. Idol.* Lib. 2. Cap. 9.
(70) *Not.* in *Catul.* N. 91.
(71) *Annot.* in *Lev.* 26. 30.
(72) *Ub. supr.*
(73) *Lev.* 26. 30. 2. *Par.* 34. 7.
(74) *Levit.* 26. 30.
(75) Lxx. in *Ezec.* 6. 4. 6.
(76) 2. *Par.* 14. 5.
(77) In *Levit.* 26. 30.
(78) *Ib.* 34. 7.
(79) *Lexic. in Voc.*
(80) 2. *Paral.* 34. 4.
(81) *Lexic. Hebr.* voc. חמנים
(82) *Lexic. Pentagl.* col. 594.
(83) *Obelisc. Pamphil.* Lib. 1. c. 2. p. 14.
(84) 2. *Par.* 34. 4.
(85) *Itinerar.* p. 107.
(86) 2. *Chronic.* 2. 34. 4.
(87) *Geogr. Sacr.* Lib. 2. de *Ling. Phœn.* cap. 17. col. 773.
(88) *Var. Sacr.* Tom. 1. Prolegom. sub. fin.
(89) Viz. 2. *Par.* 34. 4. & 7.
(90) *Judic.* 6. 25. & 28.
(91) Ἄγαλμα Διὸς Κελτικὸν, ὑψηλὴ δρῦς. *Max. Tyr.* Differt. 38.
(92) *Ezec.* 20. 7. 8. & 23. 8.
(93) *Oed. Ægypt.* T. 1. p. 30. & T. 3. p. 264. 5. 6. Et *Obelisc. Pamph.* pag. 157.
(94) Vid. Lxx. in *Lev.* 26. 30.
(95) *Ezec.* 6. 6.
(96) 2. *Chronic.* 34. v. 4. & 7.
(97) *Annot.* in *Levit.* 26. 30.
(98) *Jes.* c. 27. 9.
(99) 2. *Reg.* 23. 15.
(100) *Kircher. Obelisc. Pamph.* p. 50.
(101) *Harpocrat.* in voc. ἀγυιάς.
(102) *Max. Tyr.* Differt. 38.
(103) *Kircher. Obelisc. Pamph.* p. 395.
(104) *Exod.* 34. 13. *Deut.* 7. 5. *Levit.* 26. 1. *Deut.* 12. 3.
(105) *Jes.* 27. 8. *Jes.* 27. 9. *Ezec.* 6. 6.
(106) *In Opere inclyt. cui tit.* Stoneheng. restored.
(107) Vid. *Cambden. Britan.*
(108) De *Obelisc. Pamphil.* L. 1. p. 75.
(109) Id. ib. pag. 60.
(110) *Jerem.* 43. 13.
(111) *Job.* 31. 26. *Deut.* 4. 19.
(112) De *Diis Syr.* Synt. 2. cap. 8.
(113) *Comment.* in *Lev.* 26. 30.
(114) *Oed. Ægypt* Tom. 1. p. 250.
(115) De *Orig. Idol.* Lib. 2. c. 9.
(116) *Inscript. Antiq.* pag. 93.
(117) De *Diis Syr.* Proleg. cap. 3. p. 50. 53.
(118) Ap. *Diog. Laert.* in Vit. *Platon.*
(119) *Hos.* 10. 1.
(120) *Levit.* 26. 30.
(121) *Exod.* 34. 13.
(122) 2. *Paral.* 34. 7.
(123) 2. *Reg.* 23. 14. 15.
(124) Lxx. in *Jes.* 27. 9.
(125) *Jes.* 17. 9.
(126) *Aquila*, *Symmachus*, & *Theodotion. Jes.* 27. 9. vertunt חמנים τιμίνη.
(127) *Deuter.* 16. 21. 22.
(128) *Jes.* 27. 9.
(129) *Jes.* 17. 8.
(130) Vid. *Kircher. Concord.* in voc.
(131) *Levit.* 26. 30.
(132) *Geogr. Sac.* Lib. 2. de *Ling. Phœnic.* & *Punic.* Cap. 17. col. 772.
(133) Ap. *Plut.* De *Isid.* & *Osir.* pag. 354. C

(134) Lib. 14. cap. 14.
(135) Lib. 1. in *Timæum*.
(136) Vid. *Le Moin.* Proleg. ad *Var. Sacr.* sub fin.
(137) Αμμῶν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία, *Herod.* Lib. 2. c. 42.
(138) *Levit.* 26. 30.
(139) *Marshan. Can. Chron.* pag. 234.
(140) *Ezec.* 30. 15. *Nahum.* 3. 8.
(141) Vid. Lxx. in *Ezec.* loc. cit.
(142) אשריהם
(143) Ἐπὶ ξύλυ δασέος. *Ligni* vel *arboris densæ*. Lxx. in *Jer.* 17. 2.
(144) Vid. 2. *Reg.* 17. 10.
(145) In *Levit.* 26. 30.
(146) 2. *Reg.* 21. 3.
(147) v. 7.
(148) *Judic.* 3. 7.
(149) *Judic.* 2. 13.
(150) Vid. *Georg. Fabric. Origin. Saxonic.* Lib. I. p. 61.
(151) *Geogr.* L. 15. p. 1066. A
(152) Ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τῦ Διὸς εἶναι τὸν Αμῦν (ὃ παράγοντες ἡμεῖς Αμμωνα λέγομεν) *Plut.* de *Isid.* 354. C
(153) *Geogr. Sac.* L. 1. Col. 7.
(154) In Voc. Αγυιεύς.
(155) In *Corinthiac.* p. 132.
(156) In *Euseb. Chronic. Animadv.* p. 14.

# JO. FRID. MAYERI
## DISSERTATIO
## DE
## IDOLO אשרה.

### ARGUMENTUM.

ISraelitæ עם קשה עורף: cur: adorant vitulum conflatum ab Aarone; quem Moncæjus excusat; & populum a culpa liberant Rabbinorum multi; quibus autem reliqui resistunt. Et quidem recte.

Appellat omni sane merito Jacobi posteros, quos sibi in peculium elegerat asciveratque sanctissimum præpotensque Numen, populum קשה עורף, duræ cervicis; qui instar equi feri & indomiti, ferendoque jugo nondum assuefacti summopere ferociebat, (1) nec a cursu suo se abduci permittebat. Noverat, religionem & cultum Diis falsis hominumque fictis manibus idolis præstitum, aut unquam exhibendum, indicta gravissima pœna sibi esse prohibitum; & quantus foret zelus DEI irascentis atque punientis, intelligebat, cum legem promulgari in montis apice Sinaitici, multis continuo fulguribus coruscationibusque atque telis mortem minitantibus, extra se ingenti metu rapti cernerent, totamque plagam subsilire quasi ac moveri persentiscerent: noverat, Pharaonem Regem, (2) cum suis subditis cum ob alia perpetrata scelera, tum etiam præcipue ob idolorum cultum (3) tantas in Erythræo mari (4) exsolvisse pœnas, ut eorum nullus, aquarum præcipitatis cumulis, evaserit; utut Israelitarum vestigiis imminentes in adversum littus eos abiisse lætos cernerent. (5) Supplicii autem præsentis a summa Majestate vindice Ægyptiis inflicti, ac mandati adeo brevi cepit populum oblivio, ac tanta fuit ejus pertinacia, ut Mose ad Deum regresso, Aaronem ex auro idolum sibi suetum fabricare invitarent; conflatum adorarent: gravissimamque Dei iram in se derivarent. Et licet Aaron, primus hujus idoli autor, excusetur a Moncæjo: quod nihil aliud fecerit, quam quod postea fuisset faciendum; ponendo vituli imaginem, quæ Cherubini faciem præ se ferret, angelumque denotaret; quem Dominus in via esse præcessurum dixerat: quod autem ipsa Aaronis excusatio & gravissima Mosis reprehensio, subsecutaque Numinis indignatio refellit: tum a multis Rabbinorum populus Israeliticus Pontificem ad hanc idoli compositionem sollicitans peccato fere liber declaretur, rejicientibus in tumultuariam & ab ipso Jova undique corrasam manum culpam; (6) insulse tamen & plane impie agunt, suosque necessarios, religioni puta Judaicæ addictissimos a se omnino diffidere vident. (7)

O summam populi incuriam & pertinaciam, quæ nullis monitis, afflictionibus, nullis minis excisionis prohiberi adeo potuit, ut sæpissime salutis fontem deserentes non ad ingenium redierint, & a vicinis gentibus idolorum cultum assumserint. Legenti Judicum historiam,

riam, Samuelis atque Regum Libros, rei veritas patebit. Quorum lectionem Scripturæ studioso universam committimus & relinquimus; nobis autem ex II. Reg. XXIII. v. 6. 7. præsentem locum eligimus.

ויצא את האשרה מבית יהוה מחוץ לירושלים אל נחל קדרון וישרף אתה בנחל קדרון וידק לעפר וישלך את-עפרה על קבר בני העם:

ויתוץ-בתי הקדשים אשר בבית יהוה אשר הנשים ארגות שם בתים לאשרה:

quæ Luth. ita vertit: Und ließ den Hayn aus dem Hauße des HErrn führen / hinaus für Jerusalem / im Bach Kidron und verbrand ihm im Bach Kidron / und macht ihn zu Staube / und warf den Staub auf der gemeinen Leute Gräber v. 7. Und er brach ab die Häuser der Hurer / die am Hause des HErrn waren / darinnen die Weiber wircketen Häuser zum Hayn.

Tu autem, Sancte Deus, juva nos & veritatem edoce?

## CAPUT I.

I. *Vocabuli* אשרה *significatio, luci scilicet; quid fuerit? unde dictus.* II. *variorum scelerum receptacula: citantur authores.* III. *quæ fuerit causa interdictionis div.* IV. *consentiunt quidam Judæi: alii absolute prohibitos dicunt; quod autem Maimon restringit.* V. *ratio Talmud. rejicitur, ut* VI. *Cocceji* VII. *prima approbatur sententia: Abrahamus primus lucorum author.* VIII. *ab hoc in Ægyptum & aliorsum transiit; a quibus idololatricus factus.* IX. *ab Ægypto varia idola: sed significatio hæc 2. Reg.* XXIII. 6. 7. *non admittitur, & cur?* X. *alii mentonymice explicant: citatur Lambinus, & rejicitur: luci rurales religiosissimi.* XI. אשרה *idolum* XII. *probatur Scripturæ locis 2. Reg.* XXIII. 15. XIII. *Exemplo Achabi: qui* אשרה *Astartæ templum erexit.* XIV. *quod ex Plinio & Strabone describitur: firmatur a loci (Sidonis) situ.* XV. *probatur aliis locis & testimoniis Kimchii, Salomonis* XVI. *Abarbanelis.* XVII. *Zobaris &* הליכות עולם XVIII. *Paraphr. Chald. Syriaca, Arabica.*

I. HÆc est opinio recepta plurimorum interpretum, qui, quandocunque אשרה vox occurrit in sacro codice, plerumque per lucum reddunt, & Græci ἄλσος, quod cum priori, si notionem spectes (adi *Scapulæ Lex*), convenit, adhibent. Erat lucus idololatriæ exercendæ consecratus locus: ibi enim impii sacrificabant & idola sua colebant (*Ravanell. in Biblioth.* p. 128.) a cujus rei executione, sacrorum scil. animalium & victimarum immolatione & combustione lucos nomen originem suam traxisse censendum est, quod ignis sacrificia absumens ibidem luxerit, & densis arborum ramis obscurum lucum collustraverit. (v. *Joh. Gerb. Vossii Etymlog. Fungeri Etymolog. Matth. Martin. Lexicon Philologicum.*)

II. Varia autem turpitudinum & flagitiorum, quæ gravissimam Numinis indignationem mererentur, genera in lucis istis fuisse perpetrata, Autores tum sacri tum profani etiam testantur, adeo ut pia mens exhorrescat ea cogitando, & ita humanos animos infra se demitti posse ambigat. Conf. *Dict.* Antiquit. Biblic. V. T. p. 265. 275. *Cosmas Magalian.* in comment. in c. VI. Judic. *Lorin.* in Deuteron. p. 302. & Num. p. 468. *Pineda* de rebus Salom. L. V. c. IIX. p. 971. seqq.) *Ideo*, inquit Jesuita *Casp. Sanctius præcipue in lucis gentes & inter condensas arbores excitarunt altaria & suas ibi victimas immolarunt, aut aliud sacrificiorum genus obierunt, ut, postquam indulsissent ventri Diisque genialibus, Veneri sese aut turpiori traderent intemperantiæ, facile ad condensas arbores lucorumque obscuras umbras tanquam ad occulta & ideo opportuna magis libidinum diverticula transirent* &c. in comment. in IV. Reg. c. XXIII. v. 7.

III. Hanc ob causam Numen sanctissimum populo Israelitico, qui natura sibi soli fere propria ad idola gentium colenda ferebatur, Cananææ terræ possessionem suis Patribus promissam occupaturo, lucos earum confringere & funditus evertere immissis facibus, præcepit, ne his Ethnicorum superstitiosis cultibus implicarentur, & a Domino aversi in calamitates meritas inciderent: quinimmo nullos ad altare suum plane voluit plantari.

IV. Cujus interdicti rationem prudentiores Judæi hanc reddunt מפני שהוה זה הדרך עבודה זרה נוטעין אילנות בצד מזבח שלה כדי שיתקבצו שמה עם quoniam is ritus erat idololatrarum, arbores scilicet juxta altaria plantare sua, ut ibi conveniret populus. (Maimonid. hal. Abhod. sacr. c. 6. Moses Mikkotzi præcept. Negat. 44.) neque igitur Noachidi permissum sive juxta tabernaculum sive templum Hierosolymitanum, sive ut videtur, in loci, ubi adoraret ipse, qualiscunque ornatum, lucum plantare seu arborum ordines conserere. Cenfer. *Seldenum* (8) de Jure Nat. & Gent. p. m. 181. seqq. Quod ipsum tamen

men modo citatus *Maimonid.* restringit in c. IIX. עָז, &, cultus superstitiosus si abfuerit, omnino licuisse habere & plantare lucos asserit. Ceterum quod ideo prohibitos eosdem esse Talmudistæ asserant, eo quod confecti hominum manibus sint, id mihi non est veri simile.

V. Ne tibi, Lector optime, imponere, & aliquid ex meo cerebro finxisse videar, en; accipe eorum verba propria in tractat. עבודה זרה fol. 45. extantia ומפני מה אשרה אסורה מפני שיש בה תפיסת ידי אדם וכל שיש בה תפיסת ידי אדם אסול אמר רבי עקיבא אני אובין ואדון לפניך כר מקום שאתה מוצא הר גבה ונבעה נישאה ועץ רענן רע שיש שם עבודת כוכבים: *Quare lucus est probibitus? ideo, quia est in eo apprebensio manuum bominis: omne autem, in quo est apprebensio manuum bominis, probibitum est. Dixit R. Akiba: ego exponam & dijudicabo coram te: quocunque loco tu invenis montem altum & collem editum, & arborem viridem scito esse ibi idolum.* Egregia hæc esset artibus & elegans laudatio; quæ tantum abest, ut abolendæ sint & destruendæ, ut potius, cum ab ipso Deo originem acceperint, & ad conservationem humani generis pertineant, tractandæ summo studio ac peramandæ veniant.

VI. Neque etiam Johannis Cocchii, & uti jam vocatur, Cocceji (9) ratio probabilis videtur, quam de interdictis lucis in *Comment. in Jerem.* c. 17. v. 2. p. 121. profert: *Deus*, inquit, *vetuerat fieri nemus aut lucum juxto altare suum, non tam, quia gentes id faciebant, ne dissimilis earum essent, quam quod noluit apud altare suum esse voluptatem oculorum vel commentum humanum, vel potestatem bumanam.* Quid quæso de ornamentis templi & tabernaculorum fiet, si Numen nolit adesse hominibus in religionis sacro negotio occupatis aliquod delectamentum? hæc certe, quæ omni tempore, quam quæ interdum modo existebant, adeoque majorem multo voluptatem excitabant, quam luci isti, erunt etiam Coccejo ex locis istis, quæ שכינה (divina Majestas) insidebat, amovenda, si suam velit rationem esse firmam atque ratam.

VII. Manet ergo illud potius probatum, interdictos lucos esse, ne Israelitæ gentes imitati dicerentur *Gerhard.* in Comment. in Deut. c. VII. p. 461. Et si hanc aversaretur Deus oblectationem, aut veluti commentum rejiceret humanum; cur ergo piis istis heroibus, Abrahamo & reliquis concessit? Abrahamum constat plantasse lucum in Beerseba: quod vel hospitum advenientum gratia factum est, ut in ista regione solis æstu ardentissima & molestissima viatores transeuntes animum aliquantulum colligerent, ne postea oneri succumberent longitudine itineris & viarum molestia defatigati: aut ut ipse umbra tegeretur adversus nimium calorem solis, cum sacris daret operam, & quæ ad cultum Dei spectant, incolas religionis veræ, sua Majorumque culpa, plane expertes perdoceret. Conf. *Petr. Martyr.* in Genes. p. 85.

VIII. Ex his manavit postea lucorum usus superstitiosus; quem Palæstini & Ægyptii cum Abrahamo frequentissimum ob varias peregrinationes commercium habentes, in suas traduxerunt res, & sicut omnes ferme ritus, quos in colendo Deo vero credentium grex adhibuit, sic quoque hunc gentiles populi sunt imitati, vid. *Rivet.* in Genes. Exercit. CV. p. 407. Primi autem videntur illos posuisse, qui Patriarchis erant proximi. De Ægyptiis testatur illud *Lucianus* de Dea Syria: Πρῶτοι μὲν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Α'ιγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἱσασθαι καὶ τεμένεα καὶ πανηγύρεις ἀποδέξαι. *Primi bominum, quos scimus, Ægyptii dicuntur, & Deorum percepisse notitiam, & templa statuisse, ac lucos, & solemnes edidisse conventus.*

IX. A quibus (nam de illis vere asseritur, quod πολυθεότητος Gentilium authores sint, conf. *Zimmermann.* in anal. p. 50.) postea in universum orbem hæ superstitiones & vanissimi Deorum nihili (10) sunt derivati cultus. Ceterum an hæc significatio. 2. Reg. 23. v. 6. 7. votis אשרה, qua per lucum redditur, habere locum possit, id nobis maxime est dubium. *Nicolaus Lyranus* (11) non ineptus alias scripturæ interpres, quidem vult h. l., ut alibi, notari lucum, & *in atriis domus Domini fuisse positum, ut ibidem Baal colerent.* Sed quibus quæso argumentis illud nobis persuadebit, ut lucum, qui multis constitit altissimis arboribus (v. Lorin. in Deut. l. c.) angustissimis atriorum spatiis limitibusque fuisse circumclusum arbitremur? his adde, quod reliqua, quæ in textu nostro, huc non quadrent.

X. Quapropter rectius hunc locum alii metonymice explicant, & אשרה non tam lucum denotare h. l. quam quod ibidem cultum fuit idolum, asserunt. Quodsi *Lambino* habenda fides erit, qui in *Not. ad Horat.* p. scribit, lucos solius Dianæ fuisse proprios, cum tamen hic

hic de libidinosis agatur, qui sacris Cynthiæ non congruunt, sequitur, non posse אשרה mentonymice notare simulachrum, quod in luco coleretur; cum, quod non est, pro altero non poni possit; quam tamen opinionem nolo meam esse, edoctus etiam ex aliis Scriptoribus, quod cum Jovi, Junoni, tum ipsi etiam Veneri dicati luci fuerint Gentilium religiosa superstitione, conf. *Lor. l. c.* p. 268. Poeta Mantuanus de luco in urbe media plantato Deæque Jovis conjugi dicato scribit:

*Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra:*
*Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido*
*Condidit.*

De quo observandum est, quod *Pineda* l. c. habet, *lucos non urbanos, sed rurales e regione urbium vel villarum consitos fuisse atque cultos.*

XI. Optima videtur eorum omnium sententia, qui per imaginem אשרה vertunt. Etenim injustum est & plene absonum, unam tantum vocabulis alicujus significationem adstruere, cum omnia linguæ genius in una voce varias, immo interdum contrarias plane adhibeat notiones. Quocirca non dubitamus per vocem hanc intelligere simulachrum, quanquam nec alteram ejus significationem in locis aliis non pernegemus: quod erectum populus relligioso cultu venerabatur atque adorabat.

XII. Consentiunt Hebræorum Magistri; consentit textus sacer; qui quem nos sensum asseruimus, confirmat. In eodem capite (2. Reg. XXIII. v. 15.) legitur Josias combussisse אשרה, quam Jerobeam Bethele collocaverat: quod nihil aliud, quam aureus ille vitulus, quo Israelem ab invisendis abstrahebat Solymis. 1. Reg. XII. 3. 28. 32. Verum, ut objectioni occurratur, qua אשרה simulachrum tantum ligneum denotare dicas, respondemus verbis sæpius cit. *Ravanelli. Fieri potuit*, inquit, *ut vituli illi Jeroboami essent lignei, quamvis aurei dicantur, quia deaurati.*

XIII. Et quod Achabus in gratiam uxoris Sidoniæ, filiæ Etho-baalis, Sidoniis receptam superstitionem in Samariam introduxerit, procul eam dubio adhibuit, qua Summa ipsis Numina sunt culta. Sic autem in Sidoniorum Theologia invenimus in maximo honore ipsis esse Astaroth, (12) quod autem, cum Græculi homines in sua lingua ejus significationem non penetrarent, in ἀςροάρχην detorserunt, v. *Fuller.* Miscellan. Lib. I. c. 4. & Baal. His insignia etiam ædificarunt templa, quæ tanta erant pulchritudine & splendoris venustate, ut omnium oculos in se converterint, animusque hominum externi decoris cupidiorum plane suo fulgore occupaverint.

XIV. Erant quippe, *Plinio* Libr. 5. c. 19. & *Strabone* l. 16. testibus, columnæ aureæ, & stantes e smaragdo cippi: quibus addita multorum Regum anathemata & victoriarum monumenta templorum majestatem adaugebant. Hæc ergo procul dubio idola Samariæ curavit coli Achabus Rex; quæ majorum gentium, quos vocant, Deos præ se ferebant. Et si respiciamus loci situm, non ipsis adeo receptus erat lucorum usus: quippe qui quercubus, ilicibus & reliquis proceræ magnitudinis arboribus constabant; & nulla falce aut securis acie, jubente illud superstitiosissima religione, succidendi aut saltem violandi erant. Jam vero Libanus, qui urbi imminebat & ad Smyrnam per 150. stadia inde excurrebat, meras ferme habebat cedros: quæ cædebantur frequentissimæ, & ex iisdem magnifica palatia & templa struebantur. 1. Reg. 5. 6. 7. conf. *Selden. Synt.* II. *de Astharoth. p. m.* 234.

XV. Et quoties in scriptura legitur, (quod non raro fit) אשרה subter frondosa arbore & in colle excelso posito, toties habere te testimonium memineris, quod illam etiam admittat notionem, quam hactenus prolixius asseruimus. Recte itaque nos docent Hebræi, non esse vocem hanc arctis adeo limitibus includendam, sed ita potius procedendum, ut simulachri etiam notatio inferatur. Ejus est sententiæ R. David Kimchi in libro Radicum sub voce אשר apud *Selden.* l. c. p. 236. qui *omne lignum, quod colitur,* אשרה *dictum esse scribit.* Ipsissima ferme verba habet *R. Salomoh* in מכלל יופי in Exod. c. 34. quæ omnia ad c. XII. Deut. repetit. כל עץ שעובדין אותו או נוטעים אותו לכבור מי שעובדים אותו יקרא אשרה *omne lignum* (per metonymiam; ligneum simulachrum) *quod colunt aut plantant ad gloriam, ab iis ipsis, qui illud colunt,* אשרה *vocatur.*

XVI. Quibus non assensum suum subtilissimus alias & ferme unicus Judaicæ superstitionis, quanquam infelici successu, defensor Abarbanel in comm. ad c. 44. Jerem. invitet: ואני כבר הורעתיך רעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגר השמש והוא נקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגר הלבנה והיא גם כן נקראת מלכת שמים כמו שיכנה הכתיב השמש בשם מולך כן כינה הירח בשם מלכת שמים וכמו שכינה השמש בשם בעל להיותו בערך הלבנה


בבעל

כבעל הנותן טוהרו וזיוו על אישתו ככה כי נה את בשם אשרה שהיא שם הירח טנקבה כאילו היא נקברת השמש ואליו תשוקתו והוא ימשול בה: id est. *Ego antea jam edocui ſententiam meam, quod Baal, quem coluerunt, fuerit loco Solis, & hic vocetur* מולך, *quippe hic ſuper omnes fere regnat, &* אשרה, *quam coluerunt, fuerit loco lunæ, voceturque* מלכת שמים. *Etenim quemadmodum Scriptura Solem cognominat nomine* מולך, *ita etiam cognominat eadem luna nomine* מלכת שמים. *Et ut ſol vocatur* בעל, *quod in reſpectu ad lunam fit inſtar mariti, qui de ſuo ſplendore & decore eum uxore communicet, ſic etiam luna appellatur nomine* אשרה, *quod nomen eſt fœminini generis, quaſi illa ſit fœmina ſolis, & illius deſiderio tenecatur: hic autem ei dominetur.*

XVII. Huc pertinent, quæ ex *Zobare* (13) adducuntur *in Kabbal. denudata* p. *169.* אשר *vocatur maritus uxoris, ipſa autem juxta mariti nomen vocatur* אשרה. *Unde etiam* 2. *Reg.* 23. 4. *dicitur:* לבעל ולאשרה *quaſi ſenſus eſſet: marito & uxori: quicunque enim colunt ſolem, appellantur cultores Baal, & qui lunam colunt, cultores* אשרה *vocantur. Aſcherab ergo fœminæ nomen eſt ex appellatione mariti Aſcher* &c. & R. Joſua Levita in הליכות עולם p. 107. פאמרו בגמרא התם כי קא וטרי רבנן אשארא פי׳ ע״א ושור הנסקל quæ Conſtantinus L. impereur ſic vertit: *illis in Gemara dicunt, illud ſapientum abſolvere ad partem tantum, ſenſus eſt, ad mactatum idolis & bovem lapidandum referri.* Et quod non ſilentio prætereundum eſt, vox אשרה in ſua origine ſpectata talem etiam ſignificationem indicat: quæ autem non ab אשר *incedere* & in Piel *beatum prædicare*, deducenda eſt, ſed ab Arabica radice derivanda, نشر, quæ in I. & III. Conjugat. ſerra aliquid diſſecare, ut ex eo ſimulachrum aut ſimile quicquam conficiatur, notat.

XVIII. Neque diſcrepant paraphraſes, Chaldaica utut videatur in verſione admittere ſignificationem *luci* nobis hic rejectam, nihil tamen obſtat, quo minus aliquod idolum intelligamus. Textus habet אשירתא quod cum אשרה ſignificatione convenit, & terminatione tantum Chaldaica differt. Ceterum a verſionis authore per lucum reddita eſt, in quo præconcepta opinio plus valuit, quam vera ratio. Interpres Syrus (14) in cap. noſtro vel ter aut quater vocabulum hoc per idolum reddidit. Adhibuit autem ܕܚܠܬܐ quod a radice timoris notationem inferente, deducitur & idolum ſignificat, quaſi diceres terriculamentum. Arabs (15) vertit ter in noſtro capite אשרה per نسك quod non quodvis ſimulachrum aut imaginem ſignificat, ſed eam inprimis, quæ ſacrificiis variis victimiſque in divino cultu veneranda ac colenda erat. Talem quippe emphaſin ſignificatio radicis hujus نسك requirit; quippe quæ *Dei cultui vacare atque deditum eſſe, ſacrificare, bonum gratumque odorem facere* notat. Conf. *Jac. Golii Lexicon Arab.* p. 2362. Ex illis omnibus evadit ſatis manifeſtum, non fruſtra illa dici, ſed veritate eſſe firmiſſime fundata, quæ de ejus notione aſſeruimus; & res ex ſubſequentibus patebit clarior.

## CAPUT II.

*Summaria.*

I. *Aſcheræ domunculæ ex ſententia Sanctii* II. *qui refutatur.* III. *De idololatria explicatur: Quid* בתים *ex R. Salom. ſententia?* IV. *Quænam illæ mulieres? deſcribuntur ex Herodoto.* V. *ubi in templo ſederint; lege ad hæc flagitia cogebantur.* VI. *iterum deſcribuntur hæ domunculæ ex Ben Melech. earum origo ſtatuitur.* VII. *Notantur Spencerus & Marſhamus: objectiones proponuntur.* VIII. *& refelluntur.* IX. *ſententia noſtra proponitur & probatur ex Ezech.* 16. *recitantur verba Maldonati.*

I. HUic igitur אשרה ſ. idolo mulieres leguntur texuiſſe בתים domunculas. De quibus varie diſputatur. Jeſuita *Sanctius* in comm. h. l. putat, domunculas in lucis adhibendas, in templo eas texuiſſe. *Domunculas*, inquit, *luci quidam eſſe putant velamenta quædam, ex quibus tabernacula fierent, in quibus meretrices fœminæ aut pathici pueri ſuam celarent ab omnium oculis impudentiam. Neque enim, credo, ita omnes, qui in lucis ſcortabantur, pudorem profligarunt, ut iſtam turpitudinem, maxime quæ eſſet a maſcula libidine, in omnium oculis inverecunde defigerent &c. Neque ab his domunculis longe aberant funiculi illi, quibus ſua luſtra vallabant puellæ Babyloniæ ad eandem negotiationem & quæſtum. Hæc mihi magis probabilia, ſed fortaſſe domunculæ illæ ex arborum frondibus atque ramis texebantur, quales ſibi ab obvia materia conſtruunt, qui in ſylvis agunt, lociſque nemoroſis, ut ſpecies ſaltem lucorum apparet in adumbrato luco,*

-co, *quem in templo formarat Judæorum inanis & stulta religio*.

II. Ceterum quis non videt eum sibi non constare: cum paulo ante dixit, de lucis tractans, fuisse in iisdem excitata altaria & immolatis victimis & ventri præstito desiderio libidini etiam vacasse pessimæ; jam vero in cit. asserit adhibita fuisse hæc tentoria, ut objectis iis oculi averterentur adventantium: verum si in lucis hi exercebantur actus, qui arborum ramis ita obscuri ac opaci, ut solis radii non tenebras propellerent, in quem finem velamenta hæc? & si domunculæ hæc cum lustris Babylonicis congruerent; quæ in omnium oculis & vis erant posita; quomodo inter arbores condensas? genus etiam texturæ minus convenit cum significatione v. ארג, quæ in textu, quæ texturam singulari cum arte factam notat; qualis olim usurpata fuit in contexendis vestibus Pontificis & sacerdotum; quæ sane tanta fuit, ut omnium oculos in se converteret, inque admirationem raperet; ut constaret magnam esse illius majestatem, in cujus cultu occupati sint hi cincti tam artificiosis vestimentis. Nec alia censenda est, quam quæ aranearum, quæ procul dubio ab ארג ἀράχνη dicta est, telam imitetur; quæ adeo subtilis ac artificiosa est, ut nulla ars exacte eam exprimat; quo factum, ut Minervam, qua hominum industria ingeniose adumbratur, ab ea victam esse fabulati fuerint, Conf. *Braun.* de vestit. Sacerdot. Hebr. L. 1. c. 16. Deinde etiam distincta plane confundit; sunt ipsi hæ domunculæ adumbratus lucus; repugnante textus litera. Præterea hæc ipsa est opinio fundata falsa hac hypothesi; quasi אשרה lucum semper denotet; cui contrarium pluribus supra ostensum est: adde his, quod mulieres texentes operi huic non conveniant.

III. Hinc alii ut difficultatem rei fugiant, nec alios offendendo ipsi offendantur, de spirituali fornicatione locum explicant, quod eo nomine Scriptura idolorum cultum sæpius appellet (16) cum sicut mulier a viro, sic populus a Deo ad idolorum cultum conversus fuerit, quod nos non rejicimus & analogice habere locum affirmamus: modo si literalis & principalis sensus hic præcipue respiciatur, quem & intendi tot circumstantiæ docent, & corporalem etiam libidinosum actum, qui in honorem istorum putatitiorum אלהים fiebat, intelligi significant, v. Fridliebii Medull. Theol. Exeg. p. 465. R. Solom. in מכלל יופי h. l. בתים per aulæa s. יריעות exponit. statimque hæc subjungit in sequentia: יריעות היו אורגות שם והיריעות היו בתים לאשרה כמו בתים לבדים aulæa ibi texuerunt; & hæc aulæa fuerunt instar domiciliorum Ascheræ, quemadmodum hæc vox ita usurpatur Exod. 25. 27. (ut sint) domunculæ vectibus, i. e. quasi quædam receptacula, in quibus vectes isti, quibus mensa deportanda erat, quiescebant.

IV. Ut autem mentem meam explicem, verisimile est, mulieres intelligi eas, quæ concepto voto Veneri se consecraverant, gratissimum se Deæ præstituras esse arbitrantes, si omnium libidini sua corpora exponerent. Solebant autem illæ ipsæ ut plurimum in viis apud gentes considere, & quando aliquis advenientium pecuniam suppeditabat, earum una abducta, Veneri vacabat. Audi, ut Herodotus eum ritum l. 1. describat, *mulieres*, inquit, *serta s. corollam circum capita habentes ad templum Veneris sedent: & quædam quidem abeunt, aliæ vero adeunt. Nam diverticula undicunque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit eligendam*. Porro cum semel illic consederunt, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum rejecerit, & cum eadem seorsum abducta rem habuerit. Conf. *Voss.* de idol. p. 413. & *Corn. a Lapide* ad cap. 6. Baruchi. Hunc igitur ritum a gentibus institutum & adhibitum Judæi imitati intra templum admiserunt.

V. Nolo asseruisse, quasi universam domum occupaverint hi perditissimi mortalium (17); sed eam templi partem insedisse dico, quæ חיל Hebr. dicta fuit; quod omnis generis homines, mundi, immundi, gentiles, excommunicati, lugentes huc potuerint confluere. (18) Hæc enim templi pars, communiter atrium gentium, suam longitudinem ad 500. usque cubitos extendebat (19) & a reliquis atriis, quæ tria adhuc erant, sacerdotum, Israelis & Regum, per τειτέχισμα seu antemurale (20) sejungebatur. Hoc ut latissimum amplissimumque elegerant profligati pudoris homines, ne alter alteri impedimento esset. Eo autem usque processum fuit vanissima hac superstitione & iniquitate, ut latis legibus ad ista committenda vitia invitarentur. *Lege (21) sancitum fuit apud Corinthios, sicut in libro de Pindaro, scriptum reliquit Chamelæon Heracleotes, ut, quando civitas magnis de Rebus Veneri supplicat, quam plurimæ amicæ ad supplicationem capiantur, Deæque postea ipsæ nuncupentur*.

VI. Hæ ergo fœminæ non prius dimittendæ, nisi defloratæ essent, ut haberent quod interea agerent, texebant suis manibus & artificiose satis בתים, quod R. Sal. Ben Melech & Rimchius per יריעות exponunt; quorum ultimus cum citatis ex illo verbis eadem habet & sequentia adjungit. אפשר שהיו אותן יריעות תלויות סביב האשרה היה בית ומקום יפירש בעל הערוך כמו סכילתא שחם מדות: *Probabile est, quod fuerint hæc ipsa aulea suspensa circumquaque circa idolum, ut esset instar domicilii & fixæ sedis. Et explicat Author libri, qui Baal Aruch inscribitur, & commend. in Exod. allegoricus Mechiltha dictus, quod fuerint mensuræ*, i.e. velamenta longissimæ magnitudinis, ut tale ex iisdem posset confici tentorium, quale in deserto Dux Isacidum divino jussu struxerat. Ibi enim יריעה plerumque adhibetur: neque improbabile est gentilium dæmonolatriam imitatam esse relligiosam pietatem mulierum. Exod. 35. 25. quinimmo totam horum בתים structuram confectioni tentorii in deserto originem suam debere mecum asseret, qui paullo accuratius fabulas (21) gentilium ex sacris historiis desumtas & ritus profanos exinde etiam translatos mecum reputaverit.

VII. Sed nescio, quo præpostero amore atque zelo adversus impiam gentilium prudentiam abrepti quidam omnia in sacris Hebræorum usitata ritualia eorum ritibus originem debere non erubescant credere & prolixo scripto ejus etiam rei probationem conari; in quibus facile sunt principes *Johann. Spencerus & Joh. Marshamus*, uterque Anglus, quorum autem artes figmentaque delusit satis graviter ejusdem fidei *Hermannus Witsius* Prof. Trajectinus in *Ægyptiacis*. At hæc hypothesis quam falsa sit, civis licet intelligere; repugnat enim Dei O. M. prudentiæ, quæ summa est, a gentibus hos ritus a suis in cultu sacro adhibendos mutuari? At, inquis, hoc ipsum opus est div. sapientiæ, qua pertinaci populo recepta concessit, & aliena in sua transtulit objectis eorundem immutatis. Judæis dudum jam baptismus est adhibitus, & proselytos eo imbui tam necessum erat, quam circumcisionem sustinere, aut oblationem offerre; (23) quibus partibus Isagoge in Ecclesiam absolvebatur proselytorum: sed nondum tamen sacramentum fuit initiationis a Deo confirmatum; ut illud, jubente Christo, Johannis ministerio effectum est.

VIII. At multa adhuc differentia ponenda est inter ritus a Judæis & gentilibus adhibitos: illi enim vel Patriarcharum instituta sequebantur, vel fundamentum etiam habebant in Script. salt. analogicum: hi Scripturæ autem plane repugnabant. Et si gentilibus hæc usitata erant, inter quos Judæi degerant, quorsum nova visione opus, quæ Mosi omnium faciendorum תבנית (Abriß) exemplar exhibebat? Manet E. illud potius probatum, gentiles ea, quæ Hebraicis similia habuerunt ceremoniis, ab ipsis accepisse, at postmodum ad alia objecta transtulisse: quorum numero & hæc tentoria per בתים indicato merito annumeramus, in quibus hosce homines coiisse, consuetudine ab Assyriis & Phœnicibus accepta perditissima, jam diximus.

IX. Atque illud ipsum est, quod graviter adeo vituperat in populo Ezechiel cap. XVI. 15. 16. 23. fecisse eum fornicationem, & exposuisse se libidini omnium transeuntium in במות *fanis* ex velamentis multicoloribus compositis: (24) quod ut ita explicetur, tum analogia textus, tum consensus interpretum requirit. Confiteor equidem imprimis hic notari gentis cultum alienum ipsi usurpatum; *cum*, uti R. Salomo explicat, *Quotiescunque usurpetur vox* זנות id est *scortationis, & tribuatur genti Israeliticæ, intelligatur idololatria*; sed neque illud quispiam inficiabitur, locutionem istam ab isto ritu perditissimo desumtam, & ad idolorum cultum esse translatam; ut cum spiritualem, tum corporalem etiam includat fornicationem. Videtur illud (25) R. Salomon. cit. loc. agnovisse, quando פשק ita explicat: פורושו ותפתחי והוא על דרך המשגל: id est: sensus verbi פשק idem est, ac si diceret; aperuisti, ad modum fœdissimi concubitus. Recte ergo *Maldonatus*: (26) *alludit*, inquit, *Propheta ad consuetudinem prostitutarum meretricum, quæ in biviis aut triviis sedent, ut omnes prætereuntes ad libidinem invitent. Sic de Thamaro legimus more meretricum in bivio sedisse, qua Judas iturus erat*. Gen. 38. 14. (27) At si אשרה idolum Astharoth significat, ut auctor Zoharis & Abarb. nos docuit, qui ipsi sacra Veneris conveniunt? en! accipe, quæ Vossius de Idol. p. 408. & p. 449. habet: *Astarte cœli filia a Sanchuniathone* (28) *vocatur: quod lunæ optime convenit: ast illam ipsam Astartem Venerem Phœnices prædicant. Martinus de Roa* (29) Theologus Hispanus consentit nobiscum in eo; quod mulieres Veneri consecratæ fuerint hæ ipsæ; sed earundem opus hoc fuisse putat, quod lectulos texuerint, quibus incumbentes (30) more tum consueto con-

convivia agitaverint Deorum: quem autem vocabuli בתים significatio, tum textus etiam, qui, quod illæ tales fuerint domunculæ, in quibus destruendis multum operæ ponendum erat, indicat, refellit.

## CAPUT III.

I. SED nunquid ad exemplum Josiæ erunt etiam imagines in templis positæ tollendæ? sic volunt Calvinistæ, qui tum huc utuntur facto ad probationem suæ sententiæ, tum præcepto Exod. 20. 4. ex quo secundum faciunt Decalogi; & nobis nonum decimumque in unum contrahunt: quibus autem illud unicum tantum opponimus, quod quanto melior essentialis divisione accidentali sit, tanto nostra melior Calviniana, reliqua in nostris vide: *Varen.* in Exod. *Calov.* T. XI. Syst. Theol. p. 7. *Affelmann.* Synt. p. 16. f. *Balduin.* vom Bildern. p. 256. seqq. *Meisner.* in adiaphor. disp. 2. & aliis. Adversariorum sententiam continet tum *Forster.* in Thes. Catech. in quo *Marpurgenses & Anhaltinos* gravissime nos accusantes citat, tum ipse Calvin. *Rabinoldus* in coll. adversus Jesuitam *Hartum* (31) conjurationis pulverariæ reum; pag. 106. Laudant etiam summopere Ezechiæ zelum, quo incensus serpentem æneum dejecit & confregit. His addunt, quod Judæorum conversionem prohibeat imaginum usus: quorum mentem cum eleganter doceat *M. Anton. de Dominis*, (32) ipsius verba accipe. Hi (Judæi) *acriter in nos insurgunt, quod qui profitemur divinæ vet. etiam Scripturæ cognitionem & decalogi observantiam, imaginibus tamen innumeris contra præceptum pateamus.* Et quidam Judæus Lusitanus in amica disputatione A. clↄlↄ. XVIII. habita, *quo jure*, inquit, *gloriantur Christiani, quasi decalogum in pretio habeant facientes simulachra ap. Hoorna. Ex. Bull. Innoc.* VIII. *de cultu Imag. p.* 71.

II. In eo autem omnem fere rei suæ firmitatem collocant, quod in primitiva Ecclesia nullus fuerit earum usus, quingentis primis annis nullas in templis fuisse, & ideo perperam in illis collocari, affirmat *Calvinus* Lib. I. instit. c. XI. Sub. IV. seculum, sive ex contagio hæreticorum, seu superstitiosa gentium æmulatione, qui pravo insito affectu, in idola feruntur homines, cœptæ primum Imagines a Christianis haberi privatim & in domibus. Sub V. seculum publice atque in Ecclesia, sed raro usu vel ad memoriam & usum aliquem Historicum. *Hornbeck.* l. c. p. 76. conf. *Forbesium* Puritanum Instruct. Hist. Theol. Lib. IX. c. 10. Prolixior est *Rivetus* in Exod. & *Mosanus* (33) in argumento hoc tractando, sed non adeo sibi constant, ut non crebriore dissensione suæ bonitatem caussæ prodant. Urgent Patrum testimonia, quibus ea interdicta esse simulachra probant. Quid autem est, ut de his adeo glorientur, qui cum unum errorem omni virium conatu destruere anniterentur, sæpius in alterum oppositum vel deciderunt, vel quodammodo decidisse videntur? Conf. *Sixtum Senensem* Præf. Lib. V. pag. 410. Sic *Tertullianus* artifices statuarum & imaginum & omnis generis simulachra seculo intulisse diabolum arbitratus est, & cum imaginem nullam aut visam, aut auditam, in primitiva asserant Ecclesia, illi prius considerent, quæ tunc temporis rerum facies, ut opus habuerint Christiani, quocunque modo suos tegere conventus metu tyrannorum, locumque & tempus eorundem celare, tantum abest, ut in exornatis magnifice ædibus congregati fuerint. His paulisper cessantibus Ecclesiam Christianam antiquissimam, totam & universalem & summo consensu imaginibus esse usam est certissimum, conf. *M. Anton. de Dom. l. c.* §. 37. Nolo provocare imagines CHRISTI, Mariæ, & Apostolorum, quæ a Luca pictæ feruntur, teste *Niceph. l.* 2. *Hist. Eccles. c.* 43. *Edit. Front. Duc.* nolo *Metaphrastæ* assumere authoritatem, qui eadem confirmat, & ab ipso Antiochiæ relictas esse has imagines dicit, cum illæ fabularum collector dici mereatur, ut *Casaubon. in Exerc. Anti-Bar. & Philipp. Labb. de Script. Eccles. Par.* 2. *pag.* 102. hic vero Sanctorum vitis, quas ipse conscripsit, multa ex proprio ingenio addiderit, fatente *Bellarmin. de Script. Eccles.* ad Ann. 850. p. 193. seqq. illud tantum profero exemplum, ubi *Epiphanius* se velum ante Christi crucifixi imaginem dilacerasse in templo Bethlemitico, ad *Hieron.* testatur, apud *M. Anton. de Dominis l. c.* huc refero Concilium *Eliberinum* (ab Eliberide Hispaniæ civitate, in qua habitum. *Gesn. de Concil. p.* 100.) cujus Patres usum earum ex templis exterminarunt: conf. *Balth. Meisner. in adiaphor. disp.* III. *Tertull. L. de Pudic.* ipse meminit calicis, quem Pastoris imago ornabat ovem humero ferentis: quid contra hoc objiciat *Rivetus*, solidissime refellit *Dannhauver. in Iconorb. p.* 59. Sed hæc mittamus & legibus, non vero his exemplis judicemus. Præceptum hoc divinum, quod ex Exod. 20.

20. 4. hi urgent, non interdicit omnem imaginum facturam; cum alias sibi ipsi repugnaret sanctiss. Legislator, qui Pontificem & sacerdotes non unam jussit in vestibus habere imaginem variorum florum, uti exposuit cit. *Braun. de vestitu Sacerdotum*. Et quod quæso simulachra non exornabant templum; quæ non procacitate hominum, sed ipsius Jovæ jussu introducebantur? nonne simulachra boum, Cherubinorum &c. aperte satis ibidem extabant? Qui ergo legem hanc sancivit, is omnium optime mentem ejus penetrat & percipit; hic repetit in Exodo conscriptum præceptum Levit. 26. v. 1. & verbis his להשתחות עליה abusum earum prohibet, sobrium autem & civilem earundem usum permittit: si simpliciter & absolute eas vetuisset, frustra fuisset illud additum. Conf. *Chemnit. Exam. pag.* 673. *seq.* Atque hujus rei veritas tam immota stat, ut multi adversariorum eandem non potuerint inficiari. *Bucer. in Enarrat. cap.* 1. *Rom. Petr. Mart. in Loc. pag.* 214. *Beza* passim *in colloquio Mompelgart. ap. Forst. loc. cit. Amesius*; *imagines hoc loco* (*Exod.* 20. 4.) *simpliciter non prohibentur, quia civilis earundem usus est legitimus; sed imaginum usus in cultu Dei. Sciagr. catech. Christ. pag.* 155. *cum consecratio omnimoda cultusque absit & figura utcunque ejus, quod alias interdum pro Numine habetur, ornatus tamen caussa locum hic habeat, non est omnino, cur violatæ legis nostræ nomine incuser. &c. Selden. de I. N. & G. L.* 2. *c.* 7. *p. m.* 211. *De statuis* fatetur *Piscator*, apud *Danbavv. l. c. licitum esse eas erigere in memoriam alicujus beneficii divini*: quæ tamen in eorum cum imaginibus interdictionis gradu extant positæ; quæ etiam *Dionys. Vossii* in N. ad *Maim.* p. 82. est sententia. Conf. *Rainold. P.* 2. *Cens. pag.* 1362. *Nos plenius ex sacris literis & catholica antiquitate dicimus probiberi*, 11. *illo præcepto efformationem sive figurationem it. assumtionem & susceptionem cujuscunque rei, quæ per naturam non est Deus, ut religiose colendum & adorandum in honorem exemplaris vel rei significatæ.* Sunt verba cit. supra *Forbesii pag.* 340. Judæorum inhiberi conversionem illicito imaginum usu facile concedimus, de licito, quem nos historicum & memorialem dicimus, id pernegamus. Etenim illi ipsi docent; fuisse justorum imagines in templo: *Baal Hatturim in Exod. cap.* 25. שנים כרובים בגמטרי' אברהם יצחק יעקב שהיו שם כדי להזכיר זכות אבות: *Duo Cherubim per gematriam. Abraham, Isaac & Jacob, qui ibi in propitiatorio aderant ad revocandum in memoriam justitiam Patrum* ap. *Joseph. de Voisin. Theol. Jud. pag.* 91. & Magnus ille *Maimon. cap.* 8. ע״ז §. 13. *Idolum*, inquit, *quod gentiles ipsi priusquam Israelitis in manum veniret, profanum judicarunt, in usum suum convertere licet. Dictum enim est, sculptilia Deorum illorum igne exuretis: quibus verbis significatur* (*exurenda*) *si venerit in manus vestras, quo tempore iis cultus tribuebatur divinus. Nam eo desinente licita habentur*. Sed unum restat telum, quod Calvinistæ ex historia Hiskia & Josiæ Regum desumunt, qui, cum imagines in idola verterentur, destruxerunt: illorum pium esse zelum imitandum. Sed nos distinguimus inter imagines gentilium & religiosas, & inter eas historicas, prioris generis abolendas aut ita reponendas esse statuimus, ut superstitione ac metu scandali sublato in testimonium idolomaniæ Gentilium & antiquitatis historicæ monumentum essent; ut eodem fine *Theodosius* Imperator & *Theophilus* Episcopus quasdam Deorum statuas leguntur recondidisse, sicut id *Forster.* in *Thes. Catech.* enarrat. Ad Ezechiæ factum respondemus, non fuisse illum necessitate absoluta compulsum ad serpentem istum destruendum; verum quod videret populum φιλείδωλον, offendiculum hoc majoris periculi vitandi caussa sustulisse: Christianum autem Magistratum, qui in moratiores & faciliores subditos inciderit, posse simulachra ac imagines conservare, quamvis aliquantulum illicito cultu profanata fuerint; si prius tamen abusus ille auferatur, & verus usus maneat. Conf. *D. Dorschæi Theol. Moral.* quæ jam e tenebris, curante Magnifico Dno Præside, eruitur & cum literato orbe communicatur, *in Decalog.* p. 20. seqq. Cur ergo obloqui audetis *Rivete*, *Mosane* & reliqui, tantæ rei veritati; zelum vestrum contra imaginum adoratores non equidem rejicimus; quod omnes autem frangi capiatis & præliminari, hoc est, quod nos cum Gregor. I. qui idem responsum Severo Massiliæ Episcopo dedit, (34) improbamus.

Ceterum antequam finem imponamus, vindicandus est *Luth.* qui Resomatis & præsertim *Riveto* vapulat, quod in initio suorum operum videatur pictus ante crucifixi imaginem procumbens. Audit enim illa reduxisse, quæ Dei opera adjutus improbavit. Sed quæso ne mature nimis glorieris, mi Rivete: quid videtur de illo, quando Psaltes scabellum Dei adorare jubet Ps. 99 15. & Daniel versus civitatem sanctam ado-

adoraſſe legitur. Dan. vi. 10. Deinde etiam diſtinguo cum ipſorum domeſtico Scriptore, *Sixtino Amam.* l. 5. *Antib. Bibl. p. m.* 535. *inter objectum corporis adorantis & adorationis religioſæ: hujus ſolus Deus eſt. At objecta corporum & adorantium poſſunt eſſe varia: Iſraelitæ Deum adoraturi faciem verſus arcam & templum convertebant &c. Videat Rivetus, quid ad hæc reſponderit.*

# N O T Æ.

(1) *Conf.* Oleaſtr. & Malvendæ *Not. apud* Pol. in Synopſ. Criticor. *in v.* 3. *c. XXXIII. Exod. R.* Aben-Eſræ *explicationem in* Electis Targumico Rabbin. Chriſtophori Carthvvrigthi *in Exod. vid. & ad R.* Salom. Ben Melech *in Exod. p.* כר.

(2) *Quis ille fuerit, Oruſne, an Cenchris, aut alius quiſpiam, non ſatis liquet tanta rerum Ægyptiacarum paucitate & obſcuritate: placet ergo omnium optime Riveti modeſtia, qui potius abſtinet, quam ut rem incertam lectoribus obtrudat.* Nondum, *inquit*, mihi non ſolvunt Chronologi, qui cum agnoſcant ſeriem Ægyptiorum admodum turbatam eſſe, vix aliquid certi conſtitui poteſt de Regibus illis, ut nominatim cui aſſignari poſſit, quod in hac hiſtoria narretur. Itaque præſtat indefinite de Regibus iſtis, quandoquidem Moſes noluit, aut potius Spiritus S. in illo impiorum illorum Regum nomina poſteritati aperire, in Comment. Exod. p. 762. *conf.* Oſiandr. in Exod. p. 7.

(3) *Sic Rabbini notant, ſubmerſionis cauſam extitiſſe etiam idololatriam apud* Buxtorff. in Lex. Talm. Rabbin. ſub voce ירכה.

(4) *Quod a vicino populo ejuſque Rege potius, Hebræis* ארום, *quam a colore ita dicitur. Doctiſs. adi Anglum* Fuller. Miſcell. Sacr. l. 4. c. 20. p. 549. 588. Sixtin. Amam. Antib. Bibl. p. m. 286.

(5) Volunt equidem Eruditi & imprimis Rabbinorum filii, quod Iſraelitæ per modum ſemicirculi ingreſſi mare fuerint, & ad idem litus ſe receperint: ſed rationes eorum non ſunt tantæ, ut populum hunc revera mare tranſiiſſe pernegemus, Evolve, ſi lubet, *Rivetum in Exod. p.* 937. *Oſiandr.* l. c. p. 138. *Bonfrer.* in Exod. p. 417. *Ludov. de Tena* qui Complutenſis olim Theol. Profeſſor, in Comment. Hebr. p. 573. ſeqq. *Bened. Pererium* Jeſuitam Hiſpanum Romæ, ubi etiam *Anno Chriſti* MDCX. diem ſuum obiit, in collegio olim S. litteras profitentem, in Exod. p. 478. locum hujus tranſitus apud Ichthyophagos habet & deſcribit ex *Diodor. Sicul. Bochart. Phaleg.* pag. 319.

(6) Sic Rab. Salomo, quem male Jarchi nominat, notante *Rich. Simone* in Hiſtor. Crit. V. & N. T. p. 152. שחת העם לאנאמר אלא עמך ערב רב שקבלת שחת עמך מעצמך וגיירתם ולא נמלכת בי ואמרת טוב שר בקו גרים בשכינה הם שחתו והשחיתו: *Non dictum eſt, populus corrupte egit, ſed populus tuus, nempe colluvias mixta turba, quam tu ultro collegiſti, & proſelytam feciſti, me non in conſilium vocato: dixiſtique bonum eſſe, proſelytos divinæ Majeſtati adhæreſcere: illa inquam turba corrupte egit alioſque ſimul perdidit.* R. Aben-Eſræ explicationem & conſenſum vide apud Carthvvrigthum l. c.

(7) Sic R. Moſes Gerundenſis ſatis graviter de hoc conqueritur. אין לך ישראל פירענות שאין בה אנקיא מעון העגל *Non eſt tibi ultio, Iſrael, in quo non ſit unica de iniquitate vituli.* Et huic ſe adjungit R. Salomo, qui eandem adhibet ejulationem ואין פורענות באה על ישראל שאין קצת מפועין עון העגל *Nulla fuit pœna Iſraeli, quin par ejus aliqua fuerit ob pœnam iniquitatis vituli.* Neque etiam a veritate aliena ſunt, quæ habet Author בית ישראל Col. I. p. 130. אמר׳ר יצחק אין לך פורענות ופירענות שבאה לעולם שאין בה אחד מכ״ד בהכרע ליטרא של עגל הראשון שנאמר וביום פקדי ופקדתי עליהם חטאתם Dicit *R. Itzchak: Nulla unquam afflictio adhuc contigit ab eo tempore, quo Aaron effinxit vitulum, quæ non habuerit adjunctam drachman in depreſſione libræ vituli illius adorati, quia dictum eſt: Exod.* 23. quandocunque afflictiones immittam, de hoc præcipue illorum peccato eas immittam.

(8) Qui cum omnia Cromvvellianis armis atque artibus in Anglia perſtreperent, in bibliothecam ſe ſuam abdidit fœtuſque varios nobiliſſimos, quos jam poſſidemus cum maximo noſtro commodo & fructu, in publicum divulgavit. Vide *Spizel.* in fel. litterato p. 914. ſeqq.

(9) Primum ſe vocavit Cocchium, ut ex duobus titulis Talmudicis Sanhedrin & Maccoth, quos verſione & excerptis Gemaricis inſtructos edidit, apparet, poſtea Coccejum, a quo Coccejani nova inter Belgas ſecta, contra quam potiſſimum Spanheimius, Hulſius & Heidanus in ſcriptis ſuis pugnaverunt, non tamen debellare potuerunt. v. Dn. Alberti diſp. in Panegyr. Doctorali de Cartheſianiſmo & Coccejaniſmo.

(10) Hebræis אלילים: ſic Spiritus S. eos ſæpiſſime vocat. Levit. 26. 1. Pſalm. 69. 5. Eſ. 2. 8. vide omnino, quæ Eruditiſſimus *Rainoldus* habet P. 11. Cenſur. Libb. Apocr. p. 1369.

(11) A Lyta vico Normanniæ ſic dictus, genere & gente Judæus, ſed poſtmodum ad Chriſtum converſus, Franciſci ordini ſe addixit, referente *Cornel. a Lapide* in Joh. p. 249.

(12) Quod idolum an ab ovium multitudine, quæ ipſi conſecratæ, an vero, quod ad earum formam imagines hæ factæ fuerint, ut Kimchius vult: צלמים עושים בצורות עשתרת; an vero ab oppido & loco, in quo cultum, dictum fuerint, incertum, & in utramque partem diſputatur. v. *Selden.* de Diis Syr. p. 231. ſeqq.

(13) Nomen eſt commentarii allegorici & Cabaliſtici in Pentateuchum, quam vetuſtiſſimum eſſe Judæi ajunt. conſ. *Rich. Simon. Hiſt. Critic. V. & N. T.* p. 154. Membrum autem ille fuit congregationis oratorii in Gallia, qui ordo in honorem orationum, quas in diebus carnis ſuæ Salvator fudit a Petro Berullo Presbytero Pariſienſi & poſtea ob pietatem in Cardinalium numerum ab Urbano VIII. Pontifice aſſumto inſtitutus & Bulla Pauli V. Anno 1613. edita, efflagitante Regina Maria, confirmatus eſt, v. *Author. vita Joh. Morini*, p. 3.

(14) Qui quis fuerit ſuppeditabit *Hottingerus* de verſion. in lingu. Vernac. p. 164.

(15) An R. Saadias Gaon, an alius quiſpiam v. *Hotting.* l. c. p. 206.

(16) *Raimold.* P. 11. Cenſ. libb. Apocryph. p. 1155. & *Urſin.* T. II. Anal. l. 2. quæſt. 39.

(17) Emman. Saa annot. in 2. Reg. XXIII. v. 7.

(18) Otton. Lex. Philolog. Rabbin. p. 55. 60.

(19) Sic ex tr. Middoth. habet Lichtfoot. Chorogr. c. 28.

(20) Caſpar Sanctius in comm. in Lib. Sam. & Reg. p. 1480.

(21) Athen. L. 13. c. 9.

(22) Conf. *Samuel Bochart.* Phaleg & Canaan, ubi paſſim fabularum veſtigia in ſacris exhibet *Dickinſoni* Delphi Phœniciſſant. *Daniel Huet.* Demonſt. Evang. L. 1. p. 99. ſeqq.

(23) Selden. de J. N. & Gent. p. m. 139. & Buxt. in Lexic. Talm. ſub voce גר.

(24) Conf. *Hieron. Pradum* in Ezech. in h. l. p. 196. *Grot.* apud *Pol.* in Synopſi Crit. in h. l. Magnum noſtrum *Calovium* in Bibliis Illuſtr. h. l.

(25) V. cit. auth. in h. l. & adde, quæ ipſi in ordine ſequuntur.

(26) Comm. in Ezech. c. XVI. v. 25.
(27) Conf. R. Abarbanel. in h. l.
(28) Quis ille fuerit, docet accurate satis *Bochart.* Canaan p. 855. seqq. & *Huet* in Demonstrat. p. 74.
(29) In Singul. Script. p. 155.
(30) Conf. de hoc accumbendi modo *Ciaccon.* & *Hiern. Pradum* in cap. XXIII. Ezech. p. 289.
(31) Conf. de hoc colloquio *Casaub.* in ep. p. 741. & *Hoornbeek* Summ. Controv. p. 267.
(32) L. VII. De *Rep. Eccles.* c. XII.
(33) In apologet. pro invectiva Concion. *Abrahami Sculteti* in immagines Pragæ habita.
(34) Conf. L. VII. Epist. CIX. &c. in *Epist. Remonstr.* p. 866.

# GEOR. FRID. MEINHARDI
## DISSERT. PHILOLOG.
## DE
## SELENOLATRIA.

بسم الله الرحمن الرحيم.

NOli mirari, Benevole Lector, cum a me, quem neque ætas, neque ullæ ingenii & judicii vires commendant, has partes vides susceptas. Noli quoque censura iniqua hunc conatum improbare, quo memet laborem, eruditis judicioque confirmatis vendicandum, non fugere cognoscis. Amor, quo studia hæc ab ineunte ætate complexus sum, omnem & admirandi & improbandi causam tibi eximet, cum de eo, quod in deliciis nobis est, frequenter non solum cogitemus, sed & differendi & scribendi occasionem quæramur, & oblatam lætis animis amplectamus. Si ex nullo alio, tamen ex intentione, dudum omnium recte sentientium calculo approbata, ab æquis rerum censoribus veniam mihi polliceor; quippe cum nec intempestivo laudis æstu, nec immaturo de scriptis eorumque autoribus judicandi pruritu instigatus, sed, ut alia taceam, summa utilitate & jucunditate hisce laboribus conjuncta invitatus hoc, quod vides, ausus sim. Quam utrumque ex scriptorum eruditorum evolutione, & sententiarum collatione peti, agoscunt omnes, qui, quod הכל אחר המעשה, *omnia tendant ad praxin*, cum *R. Abraham* ap. *Buxtorf.* in Gram. Chal. & Syr. p. 324. agnoscunt, nec operosam praxim curiosæ theoriæ postponunt. Quid inde emolumenti sit sperandum, si in sterili regularum Grammaticarum cognitione subsistamus & consenescamus, aliisque, amplissimum Philologiæ regnum terminis adeo exiguis circumscriptum esse, persuadeamus, dudum gravissimi Philologi demonstrarunt, magnumque inde rei literariæ damnum adferri docuerunt. Præcepta sunt propter usum: hinc & talia ad usum esse transferenda, (cum scientia sine usu umbratile quiddam sit, & evanidum) &, quid valeant humeri, aut quid ferre recusent, tandem explorandum esse, omnes recte sentientes judicant, a quorum judicio neque Te, B. L. temere recessurum confido. In arce Atheniensium Athletarum vires massa ænea gravissima examinabantur, antequam ad agonem fas esset descendere. An mirum, si & ego vires meas, quamvis satis tenues, themate aliquo nobili tractando, & in præsenti מלכת השמים expendendo, explorare non sim veritus. Esto, quod talia judicio eruditorum exacto non satisfaciant: quid tum? Pro me loquuntur Arabes: لول الشجر النواة, *Principium arboris est ossiculum*. Hinc B. Lectorem conatus hosce probaturum, meliora imposterum expectaturum, & dum fructus industriæ ad maturitatem pervenerint, his se interim quasi floribus oblectaturum confido. Divinum Numen supplex veneror, ut hisce laboribus ex alto benedicat!

### CAPUT PRIMUM.

§. I.

ANtequam rem ipsam aggrediar, Textum sacrum, in cujus evolutione jam laboro, sum præmissurus, qui habetur apud *Jerem. c.* VII. *v.* 18. הבנים מלקטים

מלקטים עצים והאבות מבערים את-האש והנשים לשות בצק לעשות כונים למלכת השמים והסך נסכים לאלהים אחרים למען הכעיסני: Vulgata: *Filii colligunt ligna, & patres succedunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent*. Et cap. XLIV. v. 17. 18. 19. כי עשה נעשה את-כל-הדבר אשר-יצא מפינו לקטר למלכת השמים והסיך-לה נסכים כאשר עשינו אנחנו ואבותינו מלכינו ושרינו בערי יהודה ובחצות ירושלם ונשבע-לחם ונהיה טובים ורעה לא ראינו ומן-אז חדלנו לקטר למלכת השמים והסך-לה נסכים חסרנו כל ובחרב וברעב תמנו וכי-אנחנו מקטרים למלכת השמים ולהסך לה נסכים המבלעדי אנשינו עשינו לה כונים להעציבה והסך לה נסכים: Vulgata: *Sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, in urbibus Juda, & in plateis Jerusalem, & saturati sumus pane, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessavimus sacrificare reginæ cœli & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame consumti sumus. Quod si nos sacrificamus reginæ cœli, & libamus ei libamina: numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad colendum eam, & libandum ei libamina*. Adde ex hoc ipso capite versum 25.

II. In quo textu expendendo ut rite versemur, primum de ipso objecto cultus hic descripti, & deinde de modo illud objectum colendi tum apud Judæos tum apud alios populos recepto, videbo. Quod objectum ipsum attinet, nimium quantum discepant interpretes, & quemadmodum in ipsius vocis מלכת origine assignanda, ita quoque in objecto exprimendo non conveniunt. De altera enim voce שמים, ut hic simus sollicitii, nolla apparet causa; quippe de qua in præsenti non controvertitur; tantum de origine ejus ingenue fateor, ab eorum parte me potius stare, qui, derivationibus ex אש ומים, vel ex שם & מים, vel ex שאר & מים aliisque rejectis, potius ejusdem, uti in aliis quoque vocibus feliciter fit, natales ex Radice apud Arabes adhuc usitata سما, quæ significat *altus, sublimis fuit, eminuit, extulit*, accersunt, quam quod putem, Arabes talia themata, de quibus sermo est, occasione vocabulorum apud Hebræos occurrentium & Radice destitutorum inde derivasse. Consule hanc in rem, si placet, Vener. *Dn. Parent*. Bibl. III. Tom. I. p. 219. *Hotting*. Smegma p. 70. Lexic. Harm. & Analect. P. I. p. 145. & 258. *Pococki* not. miscell. p. 34. seq. *Dickins*. Delph. Phœn. aliosque.

III. Nos igitur potius ad vocem מלכת exponendam nos convertimus, quam alius a לאך, alius a הלך, alius a מלך deducit, ut adeo, dum, pro tali diverso assignatæ diversæ radicis significatu, diversimode etiam hanc vocem exponi videas, causam tantæ diversitatis investigare desinas. Audiamus vero primo loco eos, qui per voces, מלכת השמים, *stellas in genere, universum cœli exercitum* seu *res cœlestes* indicari autumant. Prodeat R. David Kimchi, qui in Bibl. Basil. ad c. VII. Jer. non solum hanc vocem a לאך deduci, sed etiam stellas ea intelligi asserit. Ita vero ille: למלכת השמים חסר אלף ופירושו כמו מעשה השמים כלומר לכוכבים: id est *in* מלכת השמים *deficit Aleph, & exponitur per opus cœlorum q. d. stellis*. Clarius exponitur hæc sententia, expressa etiam radice, in מכלל יופי in l. c. fol. 114. col. II. ubi hæc habentur: חסר אלף ושרשו לאך ענין מלאכה ופירושו כמו מעשה השמים כלומר לכוכבים: i. e. *Deficit aleph, & radix ejus* לאך *est, ex significatione operis, explicari autem debet per opus cœlorum q. d. stellis*. Hisce addantur ea, quæ laudatus Radak in Jer. c. XLIV. v. 17. notat: רוצה לומר למעשה השמים והם הכוכבים מלאכת האל יתברך והוא חסר האלף וכן מאחרים אשר בפרשה: id est *Vult dicere, operi cœlorum, & illud sunt stellæ, opus Dei benedicti, hoc loco autem deficit Aleph, similique modo reliqua sunt explicanda, quæ in eadem sectione leguntur*. Confer eundem quoque in Libro Radic. pag. 243. Ad hanc expositionem provocat R. Abarbanel, quando ad cap. XLIV. Jer. fol. 143. col. 2. ita scribit: חשבו המפרשים שמלכת השמים הוא שם נאמר לכל הכוכבים שהם השם ומלאכתו אשר ברא ושחסר האלף במלכת השמים: i. e. *Putant interpretes,* מלכת השמים *esse nomen de omnibus stellis usurpatum, cum illæ Dei opificium sint, & opus, quod condidit, & literam* א *deficere in* מלכת השמים. Eundem sensum quoque fovere videtur *Syrus*, quando per ܠܦܘܠܚܢ ܫܡܝܐ i. e. *militiæ cœli*, Jer. VII. 17. seqq. nec non *Arabs* & Interpretes, dum ille per: مجناحر السماء, id est *copiis cœlestibus*, Jer. VII. 17. hi ibidem per: στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ. i. e. *exercitui cœli*, reddiderunt; qui tamen in altero loco aliter, ut postea visuri sumus, hanc vocem expresserunt.

VI. Sic *Junium & Tremillium hanc vocem a* לאך *derivare, ut significet uni-ver-*

*versum cœli exercitum*, *ſeu quicquid viſibile in aſtris creatum eſt*, notat *A. Hulſemann.* Comment. in Jer. VII. 18. cum, ut ibi ſubjicitur, ipſe Propheta c. VIII. 2. quid per hanc vocem intelligatur, explicet, denominans ſcilicet Solem, Lunam, & omnem militiam cœli. Eandem quoque opinionem fovet *Sixtinus Amama*, dum in Cenſ. in Deuter. c. XI. pag. 284. in margine afferit, מלכת השמים eſſe *res cœleſtes*, Jerem. VII. *militiam cœli*, ut ibi quoque LXX. Interpretes habeant, maleque Vulgatam, Reginam cœli, reddidiſſe. Hunc in Antibarb. Bibl. ſuper h. l. clarius ſe explicantem quoque audiemus; Illic enim, poſtquam varias variorum ſententias adduxiſſet, tandem fruſtra talia diſputari monet, & hypotheſin, qua his vocibus vel Lunam, vel Solem, vel aliud quid nonnulli intelligunt, falſam dicit, cum מלכת non reginam ſignificet, ſed Hebræi מלכת השמים dicant, ut 1. *Reg.* x. hic vero eſſe מלכת, vocem in ſtatu regiminis poſitam, ab abſoluto מלאכה, quod proprie *opus*, *laborem* vel *artificium* ſigniycet. Iſiem in der Bilſche *Conferentie* Jerem. VII. 18. pag. 515. alias ſententias adducit, ſuamqee repetit: Eenighe vertalen het / den Coninginne des Hemels, daer door eenighe de Sonne / eenighe den Mane verſtaen. Soo moeſte het מלכת Malcath Zyn. Melechet is eygentlyck Werch, Gen. 2. 2. De Grieckſche Overſetters / het Heyr des Hemels. Piſc. det Werck des Hemels. Zur. het fabrijck de Hemels. Jun. de Hemelſche dingen. Als Sonne / Mane / Sterren / etc. onder 8. 2. Gen. op de cant / a l'ouurage des cieux, ofte / a l' armee des cieux. Lieſv. de Coninginne, &c. Sic *Math. Martinius* in Lex. Philol. pag. 1883. ab inuſitato Themate לאך hanc vocem deducens, eam pro מלאכת מלאכה ſcriptam eſſe, & *opus ſtelliferum*, *ſtellas*, *exercitum cœlorum* denotare credit. De quorum ſententia & rationibus infra aliquid monebitur. Huic derivationi & jam adductæ ſignificationi favet quoque *Munſter.* in Jer. VII. & XLIV. qui, ut obiter id notemus, cum ſcripſiſſet, Jonathanem מלכת 'ס vertiſſe מיעבר: opus, hinc notatur a *Cl. Polo* in Synopſ. Criticor. in Jer. VII. cum in Bibl. Polygl. ſit לכוכבת, ſtellæ, qui putat, forte exinde errorem ortum, quod Munſter. vocem præcedentem למעבר, quæ reſpondet Hebrææ voci לעשות, acceperit per errorem non levem, quaſi vocem מלכת expreſſiſſet. Conferatur B. *Friedlibius* Theol. Exeg. pag. 704. qui ſententiam de *opere cœlorum* aliis ſententiis veriorem eſſe putat, & confirmari ex cap. VIII. 2. aſſerit, ubi non Luna ſolum, verum etiam Sol & omnis exercitus cœlorum nominetur. Ita quoque *Biblia Vinarienſia* hebent: Melechet des Himmels / Sonn / Mond und Sterne. Adde quoque *Chryſoſtomum*, qui, notante Ghislerio in Jer. h. l. Tom. I. p. *656.* hic ſtellas intelligi, & talem ſplendidum titulum מלכת השמים ex mente ipſorum, quorum ex ore cultus hic deſcribitur, adhiberi credidit. Cujus verba hæc ibid. afferuntur: τὰς ἀςέρας ἐνταῦθα φησὶ, ςρατιὰν δὲ ὐρανῦ τίνος ἕνεκεν φησὶ, δεικνὺς ὅτι ὐκ ἐν αὐτοις τὸ τῆς δεσποτείας ἀξίωμα ἀλλ' ἕτερός ἐςιν ὁ βασιλεὺς· τὶ ὖν ὅταν λέγῃ τῇ βασιλίσσῃ τῦ ὐρανῦ, αὐτόθι κατὰ τὴν ὑπόνοιαν λέγει τὴν ἐκείνων, ἐκείνων γὰρ ἐςιν ἡ λαλία, i. e. *Stellas hic intelligit*, *militiam vero cœli qua ratione dicit*, *oſtendens*, *quod in ipſis nulla eſt auctoritatis dignitas*, *ſed alius eſt Rex*. *Quid ergo*, *quando reginæ cœli ait? hoc ex mente eorum profert*, *quorum illa erat locutio*.

V. Plures, quos adferre poteramus, jam allegare ſuperſedemus, & videbimus jam eos, qui voces has reddunt per *miniſterium illud ſupernum cœli*. Ita enim *Forſterus* in Lexic. ſuo p. *196.* ſeq. deducens illud ab הלך *eundo*, ait: *Exiſtimo miniſterium illud ſupernum cœli*, *quod in hæc inferiora habet*. *Et quia ſuperſtitione quadam Judæi imbuti putarunt*, *a Deo aſtra ordinata eſſe*, *ut actiones & labores gubernarent*, *factum eſt*, *ut ſacrificia inſtituerent*, *quibus ſibi propitia redderent*, *ut fortunarentur actiones ipſorum*. Hanc ipſam ſententiam iiſdem fere verbis quoque refert Mercerus, qui poſtea eidem allatæ ſubjicit, ſimplicem ſenſum eſſe, ſi de *Machina cœli*, *opere* ſeu *artificio* intelligatur, quem vide in *Pagnin. Theſaur. Lingu. Sanct.* in לאך pag. 1256. A citata ſententia haud multum diſtat *Luth.* opinio, qui, licet in ipſo textu vocem ipſam Hebræam retinuerit, ſicque Lectori liberum reliquerit judicium; tamen ad Jer. XLIV. mentem ſuam ita exponit, ( cujus verba B. *Bugenhagius* in Comment. in Jerem. Latine adducit ): Melechet heiſt Wirckung / des Himmels Wirckung iſt / daß er Regen / Thau / Schnee / Froſt / Eis / Kälte / Hiß / Liecht / Schein / unde Summa / allerley Wetter giebt. Daß Melechet wohl möchte heiſſen / Wetter oder Gewitter des Himmels; Die Jüden haben dieſen Gottesdienſt gehalten / umb gut Wetter willen / ( wie der Text saget / ) daß ſie Brodt und alle Genüge gehabt haben. Auf daß die Früchte / von Donner / Hagel / Bliß / Meelthau / und andern Ungewittern unverſehret durch gut Wetter reichlich wüchſen / und zu rechter Zeit alles wohl bekäme. Solches Melechets Stück iſt S. Urban, der ſol gut Wetter zum

Wein geben / und S. Alexius, wider den Donner und Bliß helffen / und dergleichen.

VI. Alii quoque, ut & hoc addamus, ceu laudatus *Forſterus*, *Mercerus* & *Ghisſlerius* referunt, planetas h. l. intelligunt, & ab הלך a *gradiendo* deducunt, quaſi greſſiles dicas, ſicut Aſtronomi illos errones ſtellas erraticas vocant. Quæ tamen derivatio paucos habet patronos, nec Senatus Philologorum facile eidem ſubſcribit: literam enim ה radicalem in hac voce eliſam, unde probabunt? Cum aliqua ex parte huic ſit affinis ſententia *Joh. Micrælii*, eandem etiam hic adferre juvat, qui de Regina cœli in Synt. Hiſt. p. 175. hunc in modum loquitur: *Molocho ſuccenturiabatur Regina cœli*, ſive *cęli Melechet* i. e. *integer Deorum & inprimis ſignorum & planetarum cęleſtium exercitus, quem Eſaias c.* XLV. II. *videtur Gad nominare*; ſed quod h. l. neque integer Deorum, nec ſignorum & planetarum cœleſtium exercitus intelligatur, ex infra dicendis pateſcet; an vero cit. ex Eſaia loco per Gad, id quod intendit autor, intelligatur, de eo jam non feremus ſententiam, poterit videri *Seld.* de Dis Syris, Synt. I. c. I. p. 7. b. ſeq. *Polus* Syn. Crit. T. III. p. 635. ſeq. ubi ſi omnes ſententiæ collatæ fuerint, difficile tamen forſan erit dictu: tu mihi ſola places.

VII. Poſt hos proximum locum ſibi vendicant illi, qui per מלכת השמים vel *indefinite* per ſtellam quandam magnam, quæ eſt in cœlo, exponunt, ut loquitur *Vatabl.* ad Jer. VII. quam ſententiam habet *R. Salom. Jarchi*, qui a מלך hanc vocem deducit, ad h. l. Jer. VII. ita ſcribens: כוכב גדול היו קורין מלכת השמים לשון מלכה: i. e. *ſtellam magnam vocabant Reginam cęli ex ſignificatione reginæ*: vel *definite* luminare illud magnum, Solem ſcilicet, intelligunt, quam ſententiam verbis *Kimchi* recenſere lubet, ad Jer. c. XLIV. 18. ita ſcribentis: יש מפרשים למלכת משורש מלך ומענינו כלומר כוכב גדול אשר בשמים שהוא מלך על האחרים והוא השמש: i. e. *exponunt quidam vocabulum* למלכת *ex radice* מלך, *ut ſenſus ejus ſit, q. d. ſtellæ magnæ in cęlo, quæ quaſi regnat ſuper reliquas ſtellas, quæ eſt Sol*. Eandem ita refert *Sal. ben Melech* in מכלל יופי p. 222. col. I. ad Jer. cap. XLIV. 18. יש מפרשים המם שרש לשון מלוכה לוצה לומר לכוכב גדול שבשמים והוא השמש: i. e. *exponunt quidam illud ex ſignificatione imperii, ut Mem ſit radicale*; q. d. *ſtellæ magnæ in cęlo, & illa eſt Sol*. Sic quoque Interpretum talium ſententiam citat *Abarbenel* loco ſupra cit. dicens: מהם פירשו מלכת השמים על השמש שהוא הכוכב הגדול שבשמים: i. e. *Sunt ex illis* (ſcil. interpretibus) *qui exponunt* τὸ מלכת חשמים *de Sole, quia omnium maxima ſtella ſit in cœlo*.

VIII. Cum autem hujus ſententiæ patroni, objici poſſe, facile perſpexerint; in noſtro loco non eſſe nomen Maſculini, ſed fœminini generis, huncque locum non de Sole debere intelligi; Hinc, quo ſpecioſior fiat citata ſententia, inter alios *Gatakerus*, teſte Polo, perhibet, *Solem voce fęminina connotari*, (חמם Eſa. XXIV. 23.) *alibi autem voce, quæ forma Maſculina ſit, uſu tamen fœminea*, (Nah. III. 17. ubi habetur שמש זרחה) unde putat, illud quoque hic locum obtinere. Quod etiam vult *Ant. de Guevara* in Annotationibus eruditiſſimis ad Hab. c. I. v. 79. ubi ait: *Solem Hebræi fœmineo genere dixerunt* שמש, *unde non ſemel apud Jeremiam cœli Reginam nuncupari comperimus*. Cui ſententiæ ſubſcribit quoque Vatablus, qui ſuper Jer. VII. 17. ita: למלכת השמים i. e. *ſtellæ præcipuæ, qui eſt Sol*. Et c. XLIV. addit: *Abſurdum videri non debet, quod hic per Reginam cęli Sol intelligatur; nam* שמש, *quod Solem ſignificat Hebraice, fęminini generis eſt*. Et Theod. Beza, Comment. in N. T. pag. 221. ajens: *Græci Solem (cujus impia veneratio longe antiquiſſima eſt)* ἥλιον *vocarunt, quem Hebræi idololatræ (quoniam fęminina voce Solem appellant) reginam cęli paſſim apud Prophetas nuncupant*, (cui contradicit *Serarius* in Joſ. p. 116. cujus verba infra aſferemus.) nec non *Joh. Crellius* in Lib. de Deo & Attribut. Div. c. XIII. pag. 90. *Videmus*, inquit, *maxime Iſraelitas numinis inſtar Solem adoraſſe, quem Reginam cęli, ut apud* Jeremiam *legimus, aſtricolæ appellant*. Illud ipſum quoque aſſerit *Eſtius* in Ann. Aur. p. 551. ita ſcribens: *Sunt Hebraice docti, qui retinent Reginæ ſignificationem, & per reginam cęli intelligunt Solem, idque, ut videtur, aptiſſime*. Rationes, quæ pro aſſetto confirmando proferuntur, infra videbimus & examinabimus.

IX. Tertium locum aſſignamus iis, qui per verba מלכת השמים intelligunt *Lunam*. Audiamus R. *Iſaacum Abarbenel.* in Comment. ad cap. VII. Jerem. pag. 106. c. 2. ita ſcribentem: ענין מלכת השמים ואלקים אחרים הוא שהיו שם עובדים לשמש ולירח ר״ל שהנשים היו עובדות לירח כאילו היא מלכת השמים בתוך הכוכבים והאנשים היו עובדים לשמש כי הוא היה הבעל כמו שאמר למעלה וקטר לבעל: i. e. *quod attinet voces* מלכת השמים *& cultum idolorum, ſenſus eſt, quod coluerint Solem & Lunam*, q. d.

*quod mulieres coluerint Lunam, quia illa est regina cęlorum in medio stellarum, & viri venerati fuerint Solem, quia ille est Baal, sicut supra (v. 9.) dictum est: Et suffiendo Baali.* Clare quoque mentem suam exponit postea: הנשים היו עובדות למלכת השמים שהיא הירח כאילו היא היתה מלכה גבירתם והשמש הוא הבעל ארון בעליהם: i. e. *mulieres coluerunt* מלכת השמים, *quæ est Luna, quasi illa fuerit Regina, Domina illarum. Sed Sol est* Baal, *Dominus ipsorum maritorum.* Sed quid impedit, quo minus audiamus quoque eundem *Abarbenelem* ad c. xliv. qui, adductis aliorum sententiis de stellis in genere, & Sole supra citatis, tale judicium fert: ואני כבר הודעתיך רעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגר השמש והוא הנקרא מולך כי הוא מלך על כל בני שחץ והאשרה שהיו עובדים היתה כנגד הלבנה והיא גם כן הנקראת מלכת השמים כמי שיכרח הכתוב השמש בשם מוסך כן כינה הינה בשם מלכת השמים וכמו שכינה השמש בשם בעל להיותו בערך הלבנה כבעל הנותן מהודו וזיוו על אישתו ככה כינה את הירח בשם אשרה שהיא שם לנקבה כאילו היא נקבת השמש ואליו תשוקתו: *Et ego diu ante tibi sententiam meam aperui, quod Baal, quem coluerunt, instar Solis fuerit, vocatusque sit* מולך, *quia regnet in filios iniquitatis* (*Job.* 41. 25.) & אשרה, *quam colebant, erat instar Lunæ, sicque etiam vocabatur Regina cęli. Quemadmodum Scriptura Solem cognomine regis designat, sic appellat Lunam nomine* מלכת השמים. *Et ut Sol vocatur* בעל, *quia in respectu ad Lunam sit instar mariti, qui de suo splendore & decore uxori suæ communicet, sic etiam Luna appellatur nomine* אשרה, *quod nomen est feminini generis, quasi illa sit fęmina Solis, & illius desiderio teneatur.*

X. *Olympiodorus* quoque, teste *Gislerio*, Comm. in Jer. Tom. II. p. 802. ad ista verba lxx. Interpretum, τῇ βασιλίσσῃ κλ. hæc apponit: ταύτην δὲ ἴσως τὴν καλουμένην ἀφροδίτην ὑπενόουν εἶναι, ἣν καὶ σελήνην καὶ ἑκάτην ἐκάλουν, i. e. *Hanc fortasse intelligebant, quæ Venus dicitur, quam & Lunam atque Hecatem* (hæc enim synonyma esse testantur *Euseb.* de præp. Evang. p. 113. *Turneb.* T. I. Varior. Oper. p. 358. seq. *Suidas* T. I. p. 847. *Vossius* de Idol. L. II. c. 29. *Selden.* de D. S. Synt. 2. c. 2. *Taubmann.* not. in Virg. p. 600. 609. 702. *Ed.* de Herbert. de Rel. Gent. p. 38. seq.) *vocabant*. Cui jungimus *Origenem* L. I. c. VII. p. m. 684. de Princ. scribentem: *Apud Hieremiam sane etiam Luna regina cęli esse memoratur.* Chrysostomus, licet §. IV. de stellis in genere l. ibi cit. exposuerit; Jer. xliv. tamen de Luna non obscure hunc locum intelligere videtur, quando, exprobaturus Idololatris impudentiam & impietatem, quærit: αὕτη βασίλισσα οὐρανοῦ, εἰπέ μοι; Θεὸς ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, ἀεὶ ἀκούεις συνεχῶς, καὶ ταύτην βασίλισσαν καλεῖς τὴν σελήνην; *Hæcne quæso Regina cęli? Audis assidue: Deus, qui fecit cęlum & terram: & hanc appellas Reginam, Lunam?*

XI. Ita etiam Venerandus DN. *Parens* in Paraphr. Bibl. MSS. Latin. in Jer. c. XLIV. 17. *Recte*, scribit. *Grotius Regina cœli* בעלת βῆλτις. *Luna: Sic Turcæ quoq; eam coluerunt, & hodienum colunt.* Sic celeberrimum Philologorum decus, DN. *Joh. Frischmuthius*, in Dissertatione ad Jer. XLIV. sententiam & expositionem Abarbenelis de Luna his verbis laudat: *Non displicet hac Judæi expositio, neque quicquam videmus, cur in aliam concedamus sententiam.* Conferatur quoque Compendium Gothan. Histor. Ecclesf. ubi l. II. pag. 27. asseritur: *Luna Dea erat, quam Uraniam sive cœlestem* (de qua, uti & de subsequentibus B. Lectorem ad jam citandos autores allegabo, de omnibus enim seorsim agere nec institutum nostrum, nec Lectoris patientia concedit: videantur igitur de hac *Phavorin.* in Lex. pag. 1399. *Junius* not. ad Tertull. p. 42. *Voss.* de Idol. l. 2. c. 21. 24. *Selden.* l. c. Synt. 2. c. 2. & 4. p. 287. seqq. *Fuller.* Misc. Sacr. p. 87. seq. *Edoard. Bar. de Herbert-* l. c. p. 34. seq. & alii) & *Astartem vocabant* (de qua conferri potest *Herodian.* l. V. c. 6. §. 10. & *Bœcler.* not. ad Eund. *Lucian.* de Dea Syria. T. III. p. 687. seq. *Tertull.* p. 482. *Euseb.* de Præp. Evang. p. 37. seq. *Suid.* T. I. p. 458. *Procop.* in Libr. Reg. p. 22. seq. *Phavor.* l. c. pag. 300. *Philastr.* de Hæres. p. 7. 12. *Junius* l. c. *Voss.* l. c. p. 410. seqq. *Rhodigin.* l. 23. Antiq. Lect. c. 3. *Frischmuth.* l. c. *Selden.* L. c. Synt. 2. c. 2. *Hotting.* Prim. Heidelb. p. 405. seqq. & Hist. Creat. p. 202. seq. *Faber.* L. III. Sem. c. I. p. 18. *Scalig.* de Em. Temp. in Fragm. p. 26. seqq. *Fuller.* l. c. l. I. c. 13. p. 82. seqq. *Turneb.* l. c. p. 278. *Ed. de Herbert.* l. c. p. 33. seqq. *Cluver.* L. I. Germ. Ant. c. 27. *Pfeiff.* Dub. Vex. p. 588. *Leusden.* Phil. Hebr. Mixt. p. 312. seq. *Kipping.* Ant. Rom. p. 158.) & *Baaltin* (de qua *Euseb.* l. c. p. 38. *Leunclav.* Hist. Turc. Pandect. *Voss.* l. c. p. 411. seqq. *Frischm.* l. c. *Selden.* l. c. p. 288. seqq. *Scalig.* l. c. p. 88. & alii) & *Deam Syriam* (de qua *Voss.* l. c. p. 612. *Selden.* l. c. Synt. 2. cap. 4. & alii.)

lii. ) *Nec alia Babyloniorum Mylitta* (de qua *Voss.* l. c. L. II. c. 22. p. 413. *Frischm.* l. c. *Selden.* l. c. Synt. 2. c. 2. *Bar. de Herbert.* l. c. p. 33. & alii, ) *& Melechet*, *Regina*, *Jer.* 44. 17. *& Miplæzeth* I. *Reg.* 15. 13. ( de qua *Selden.* l. c. Synt. 2. c. 5. *Vossius* l. c. L. II. c. 7. p. 338. seqq. & alii, ) *& Anaitis Persarum* ( de qua *Voss.* l. c. l. II. c. 15. p. 382. & c. 22. p. 416. *Bochartus* Geogr. Sacr. p. 222. seq. 277. *Bar. de Herb.* l. c. p. 34. ) *& Arabum Alitta sive Alilath.* ( de qua vid. *Herodot.* L. I. & 3. *Junius* l. c. *Voss.* l. c. L. II. c. 23. *Frischmuth.* l. c. *Bochart.* l. c. p. 224. seq. *Pocock.* Specim. Arab. p. 101. *Selden.* l. c. p. 253. seqq. *Scaliger.* l. c. *Fuller.* l. c. *Bar. de Herbert.* pag. 34. & alii. ) Hanc in sententiam quoque descendit B. *Dietericus*, qui in Antiquitatib. Bibl. pag. 608. arbitratur, nulli melius convenire nomen Reginæ, quam Lunæ, quia sicuti Sol sit Dominus בעל, ita Luna בלת Domina, unde græce *βῆλτης* & *Βααλτις* reddi queat, & pag. seq. appellatione מלכת השמים Lunam indicari, vix dubitandum censet. Cum quo consentit Excell. *D. Pfeifferus*, qui in Dub. Vex. p. 389. & 843. seq. prolixe de hac sententia agit. Sic quoque *Cl. Kipping.* in Recens. Antiq. Rom. p. 170. nostræ sententiæ favet. Conferatur insuper M. *Eberhard. Mulleri* Dissertat. de Baalim & Astaroth §. 137.

XII. Hanc de Luna explicationem quoque approbat *Huld. Zuvinglius*, dum in Comment. in Jer. VII. scribit: *Hieronymus Lunam intelligit, nec meo judicio temere, cum enim gentis Israeliticæ neomeniæ*, ( de quibus videatur *R. Sal. Ben Melech.* l. c. pag. 65. c. 2. *Abarbenelis* Differt. de Princip. Ann. adjecta Lib. Cosri, pag. 447. seqq. *Scaliger* l. c. prol. pag. 28. *Frischmuth.* de Agn. Pasch. §. 7. *Buxt.* Syn. Jud. c. 22. p. 471. seqq. *Lorin.* in Num. p. 1058. seq. *Mart.* Lex. Phil. p. 2199. seq. & 2291. seqq. *Drusius* in Proph. Min. p. 361. seq. ) *sacræ essent, proclive fuit Lunæ cultum assumere.* Quem sequitur *Fr. Junius* l. c. ita scribens: *Lunam servitio cinctam velut reginam appellarunt, prout regina cœli apud Jeremiam ab idololatris aliquoties dicta.* Hos excipit *Seldenus* l. c. p. 245. cujus verba, quippe magnam lucem huic negotio afferentia, integra liceat adscribere: *Ut Belus* ( de quo conferatur *Voss.* l. c. p. 322. seq. *Petitus* V. L. p. 4. ) *Jovem, ita Baaltis Junonem denotare potest, βασίλεια βῆλτις pro eadem memoratur a Megasthene apud Eusebium Scaligerianum, ubi de Nabuchodonosoro. Hanc voluit Hesychius in illo: βῆλθης ἢ Ἥρα ἢ Ἀφροδίτη, i. e. Beltes Juno sive Venus est. Terminatio est fœminina Baalis, & uti Baal-Samaim est Jupiter Olympius, ita* בעלת שמים, *Baaleth Samaim est Juno Olympia, i. e. Domina cœli seu Regina cœli, ut diserte vocatur Jerem. c.* VII. *&* XLIV. *atque alibi. Tametsi enim vertant nonnulli* מלכת השמים *Militiam cœli;* LXX. *tamen nunc στρατιὰν, nunc βασίλισσαν τῆ οὐρανῆ transferunt, quod nomen* Junonis *& Astartæ proprie convenit, nec Sol magis Rex cœli, quam Luna Regina. Sacra solennia hujus Deæ erant thymiamata & libationes, quod ex citatis Jeremiæ locis patet.* Hactenus Seldenus. Prodeat jam *Ravanella*, cui in Biblioth. Sacr. T. II. p. 444. quoque occasionem religiose colendi Lunam sumsisse Selenolatræ ex eo videntur, quia apud Judæos neomeniæ sacræ fuerint; nisi potius eam Judæi coluerint ad imitationem gentium. Et insigne talis modi literaturæ decus, G. J. *Vossius*, qui l. II. de Idol. c. XXI. p. 407. ita, *Sub patiendi autem*, inquit, *principio comprehendebant naturam, quatenus principium est passivum, inque ea Lunam, ac præterea aera sive Junonem, quæ sic sociata, Baaltidem seu Beltim, h. e. Dominam, itemque Reginam cœli nominabant.* Idem quoque clare mentem suam explicat p. 411. ad quem tamen locum, quippe nimis prolixum, Benevolum Lectorem remittere volumus. Cum quo consentit *Faber* L. III. Sem. pag. 10. *Rhodiginus* L. I. antiq. lect. c. 19. p. 44. & *Adrichom.* Theatr. Terr. Sanct. p. 245. nec non *Ed. Bar. de Herbert.* l. c. p. 32. qui, sicut Sol in oriente, ex quo omnem religiosum cultum manasse asserit, vocatus fuerit Baal seu Molech & Dominus cœli, ita Lunam h. l. dici Baaltim, Reginam cœli, arbitratur.

XIII. Post hos Reformatæ, ut vocant, religioni addictos, nonnullorum quoque Romano-Catholiorum Interpretum consensum adducturi sumus. Prodeat jam *Corn. a Lapide*; licet enim prolixe sententiam suam explicet, tamen, cum multa habeat rem præsentem exponentia, verba ejusdem allaturi sumus. Ita vero ille scribit ad Jer. VII., v. 17. *Optime Hieronymus & Thomas*, reginæ cœli, *inquiunt, i. e. Lunæ, quam Dianam seu Phœben Gentiles vocabant, quasi quæ esset Phœbi, i. e. Solis soror: cœli enim Rex est Sol vel Jupiter. Regina ergo est Luna, ob magnitudinem & splendorem, & quia præest nocti: unde & Luna dicta est a lucendo, quod sola noctu luceat, ait M. Varro, indeque Noctiluca est*

*eſt appellata*. Cum quo confer *Tirinum* in h. l. qui p. *6609*. Lunam reginam cœli vocari aſſerit ob eximiam magnitudinem, qua nobis apparet, ob ſplendorem, quo fulget, & ob dominium, quod exercet in hæc inferiora. Cui conformia habet *Maldonatus* in h. l. & ſemet ex Græcorum & Latinorum ſententia ita interpretari adfirmat. Et cum *Ghislerius* in h. l. hujus cultus objectum non ſolum Lunam fuiſſe adſerat, ſed & fundamentum ejuſdem præter alia notatu digna apponat, hinc, ſi eundem quoque adduxerimus, rem B. Lectori non ingratam nos facturos arbitramur. Ita autem in Comm. in Jer. c. VII. habet: *Si per Reginam cœli Lunam ſumamus, prout a noſtris accipitur communiter, facilis eſt iſtorum ſenſus, deſcribitur enim ratio, qua idololatriam ſpecialiter admittebant in colendo Lunam, eidemque offerendo placentas ex adipe frumenti, ſummo omnium cujuſcunque familiæ ſtudio factas, Reginam autem cœli Lunam conſueto ſibi nomine appellat Jeremias, quod Judæi, ut reliquis aſtris ad regendum in hæc inferiora potentiorem, utque majorem & ſplendidiorem ipſorum oculis, cœli regimen illam habere falſo exiſtimarunt, multoque magis & terræ. Unde infra c. 44. bona omnia ex illius cultu ſibi proveniſſe apertis proteſtantur verbis. Quanquam iſtud idololatriæ genus, falſaque iſta opinio circa Lunæ regimen viderentur mulierum peculiaria eſſe, in quo & a viris adjuvabantur, ut ex eodem cap. XLIV. colligere eſt. Neque enim tantum ignaros Judæos extitiſſe crediderim, ut Lunæ potius quam Soli regimen tribuerint cœli, majoremque in hæc inferiora potentiam, ſed & Solem pariter ut cœli Regem a viris adoratum exiſtimandum eſt*. Nec multum differt *Auguſtinus Torniellus*, qui in Annalibus Sacr. & Prof. p. *176*. inter alia ſcribit, multo probabilius ſibi videri, Lunam, quam planetam Veneris, reginam cœli vocatam fuiſſe, ut quemadmodum recte Sol Rex, ſic Luna regina, & ſtellæ militia cœli dici conſueverint; Quem in ſenſum *Lorinus* quoque T. III. Pſalm. p. 721. ſcribit: *Exponere nos oportet, in quo Sol poteſtatem diei, Luna & ſtellæ noctis habeant. Habent videlicet in hoc, ut luceat die Sol, Luna ſtellæque nocte. Philo* (de opif. mund.) *Solem ſcribit a Deo tanquam magnum Regem diei præfectum; Lunam, cum ſtellis, nocti, nempe ut Reginam cum ancillis: quo nomine Reginæ uſos de Luna loquentes, teſtis eſt Jeremias*. Confer ejuſdem Com. in Levit. p. 623. in Num. p. 1058. in Deut. Tom. I. p. 164. 165. 616. 626. Nec non *Joh. de Pineda* Comm. in Job. p. *665*. ubi, ſicut Sol cœli rector & Rex ſit, ita Lunam cœli Reginam etiam in Sacro ſermone cognominatam, & pene ab eiſdem cultam & adoratam eſſe cenſet, a quibus Sol. Cum quo conſentit *Nicol. Serarius* Joſues T. I. p. *290*. ita ſcribens: *Magna Lunæ apud Gentiles erat religio aut ſuperſtitio potius, ut ex Strabone paſſim conſtat, verbi cauſa* LXVII. *ſemel ac iterum, & Jeremia noſtro c. 7. v. 18. & c. 44. v. 19. ubi, quemadmodum apud Horatium carm. ſæcul. Regina cœli vocatur, non, ut imperite ait Beza in B. Lucæ I. v. 32. Sol*. Hiſce denique ſubjungimus *Franciſcum Carriere*, qui in Commentar. in Univ. Scriptur. pag. 459. ſcribit ita: Reginam cœli ) *Lunam. Hanc Gentiles vocabant Dianam ſeu Phœben, quaſi quæ eſſet Phœbi i. e. Soli ſoror, cœli enim regem faciebant Solem vel Jovem, & reginam Lunam ob magnitudinem & ſplendorem, & quia præeſt nocti, unde & Luna dicta eſt a lucendo, quod ſola noctu luceat*. Confer verſionem Danicam, quæ ita: p. 142.: Himmelens Dronning ) Maaneden / Diana kaldit af Hedningene Hvis Konge er Solen eller Jupiter i. e. Reginæ Cœli ) Lunæ, quæ Diana vocatur a Gentilibus, cujus Rex ( ſeu maritus ) erat Sol ſive Jupiter.

XIV. Hic tamen ſilentio non prætereundum, alios aliter hic loqui & mentem ſuam exponere: quidam enim Reginam cœli explicant per *Venerem*, de qua *Theodoretus* in Comment. in Jer. c. XLIV. p. 293. ita: *Reginam cęli vocant Venerem, nam & Græci nuncupant eam Uraniam i. e. cęleſtem*. Et *Kircherus* in Panth. p. 362. Venerem ob admirabiles effectus Reginam cœli nuncupatam aſſerit. Refer huc quoque *Cl. Seldenum*, qui poſtquam l. ſupra c. de Luna explicaſſet noſtrum locum, & p. 247. dixiſſet: *quid Cœleſtis præter Uraniam? quid Urania, niſi cęli regina, i. e. Baaleth Shamaim, Luna?* Poſtea tamen p. 312. ſubjicit: *Venus Babylonia Regina indigitabatur cęlorum. Hottingero* placet explicatio per *Junonem*, dum Prim. Heidelb. p. 406. ita *Phęnices*, inquit, *vel abſolute Aſtartem appellarunt* בעלת *Dominam; vel attributive* בעלת שמים, *Dominam cęli; Reginam cœli, Jer. c. 7. & 44. id eſt, Junonem Olympiam*. Nec deſunt, qui innui hoc loco putant, Fortunam cœli a Judæis cultam fuiſſe. Ita *Philaſtrius* in Lat. Hæreſ. num. 15. p. *6*. *Alia eſt hæreſis in Judæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cęli nuncupant, quam & cæleſtem vocant in Africa, invocabat, eique ſacrificia offerre non dubitabat*, & po-

postea: *Ex quo illi fortunæ cęli s. reginæ non sacrificant, ex eo cuncta illis mala & pericula contigisse*. Eadem quoque fere habet *Prateolus*, Elench. Alphab. L. VI. num. 12. simulque rationem cultus ex *Alex. ab Alex.* Gen. dier. L. 1. addit, quod, qui religiose illam coluerint, magnis sæpe incrementis se auctos ejus meritis fuisse; qui vero minimo cultu aut despectui habuissent, pluribus incommodis fuisse dehonestatos, crediderint. Ubi quoque illud, quod ejus cultores Jeremiæ, tam nefandæ rei repugnanti, prætexebant, affertur; Tandem *Conr. Rittershusius* h. l. ad *Salvian.* p. 351. exponit per Cœlestem s. Uraniam, dum ita scribit: *Quid aliud fuisse videtur illa Regina cęli, cui placentas factas, & sacrificatum fuisse scribit Propheta Jeremias c. 7. & 44. quam hoc ipsum Dæmonium, aliis Cęlestis, aliis Cęlestus appellatum*. De quibus sententiis jam visuri sumus.

XV. Talia igitur primo intuitu alicui diversissima videri possent, verum, si accuratius rem consideres, non adeo diversa sunt diversaque objecta denotant, ut non uni eidemque convenire possint; nam sicuti alios Deos Deasque apud gentiles variis nominibus exprimi deprehendimus, ita sane circa Lunam hoc ipsum quoque accidit. Apud *Apulejum* p. 259. Luna locuta, & hoc ipsum de sese confessa introducitur his verbis: *Numen meum unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis*. Quod ipsum & agnovit D. *Ambrosius* Ep. XXXI. dum ita scripsit: *Lunam cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt pro diversitate nominis, non pro numinis varietate*. Cum quo consentit ex recentioribus *Seldenus* l. c. p. 264. qui Minervæ, Junonis, Veneris, Lunæ nomina ita, cum ad Asiaticos Deos respexeris, confusa esse dicit, ut qui Minervam Belisamam, Junonem Belisamam, Venerem aut Lunam dixerit, idem semper ipsum dixisse affirmet. Sic & *Scaliger* not. in fragm. Græc. *Phœnicum eandem & Junonem & Venerem & Lunam* esse statuit. Confer. *Ursinus* quæst. Bibl. p. 117. Claudat hoc agmen *Antonius de Guevara* Exeg. in Habac. cap. 1. pag. 165. qui quoad hoc, quod plurima nomina eidem subjecto attributa fuerint, ita differit: *Veneris & Junonis nominibus, adde etiam, & Dianæ & Proserpinæ, Lunæ insuper & aliarum quamplurimarum unius Veneris diversos effectus veteres Physici significaverunt*. Cum quoque exempla, ubi propter unius & ejusdem ficti numinis varias & in variis locis dispersas imagines & variis ritibus cultas, variæ quoque denominationes ortæ & impositæ fuerunt, deprehendamus, nonnulla ob rei affinitatem allaturi sumus; innumeræ enim statuæ, ubique gentium, fictis a superstitiosa vetustate diis, ponebantur; quæ gentilia nomina singulæ capientes, quandoque non aliter ferme discrepabant. Sic *Belum* v. g. jam *Sidonium*, jam *Phegorium*, modo *Babylonium* dictum legimus. Sic Jovi quoque & Apollini, ut alios prætereamus, varia nomina fuerunt addita, tum ille Jupiter Olympius, Latiaris, Cretensis &c.; hic vero Clarius, Delphicus &c. fuit appellatus. Quod cum exemplo D. Mariæ illustret *Franc. Ribera* in Hos. p. 58. haud abs re fuerit, si ejus verba adduxerimus: *Eadem*, inquit Jesuita, *ratione Baal a locis diversis, ubi templis erectis colebatur, diversa nomina habebat: sicut apud Christianos (si modo in vanis licet uti exemplis religiosis) B. virgo nunc Lauretana invocatur, nunc a Monte serato; nunc ab Amne lupi, aut a Rupe Gallica, cognomen accipit. Ut Beelphegor Num. 25. dicitur, quod in monte Phegor coleretur, – & ab Accaronitis Belzebub vocatur 4. Reg. 1. a muscis, quæ ad multitudinem sacrificiorum advolabant:* Quæ ipsa Catalogum alias jamtum nimis prolixum rituum, e Gentilium sacris assumtorum, augere quodammodo poterunt.

XVI. Nunc, ut ad specialiora descendamus, primo ostendemus, Venerem & Lunam hic pro uno eodemque numine sub diverso nomine culto a multis haberi. Et cum Cl. *Bochartus* in Phaleg. l. 2. c. XIX. prolixe de hoc disserat, quædam ex ipso citabimus, qui, postquam σεληνολατρέιαν Arabum adduxerat, ita pergit: *Indicio sit oratio ab illis ad Lunam dirigi solita. Hujus hæc extat formula in Euthymii Moamethicis & in Constantino Porphyrog. de administratione imperii c. 15.* ἀλλὰ ἀλλὰ κοὐκυβὰρ ἀλλά. *Cubar* כבאר *proprie magnum est, idem quod* כביר, *unde* Κάβειροι *Dii potes: sed illi Lunam ita vocant, quanquam alii Venerem interpretantur. Euthymius ibidem:* τὸ δὲ κυβὰρ μεγάλη, ἤτοι Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. Item: καὶ ἡ μεγάλη (ἔστιν ἡ σελήνη καὶ Ἀφροδίτη) Θεός. *Lunam & Venerem pro eadem habet, quomodo vetus Poeta Philochorus in Atthide apud Macrobium Saturnal. L. 3. c. 7. Ita Phœnicum Astartem sive Uraniam Philobyblius, Cicero & alii Venerem interpretantur, & Herodianus Lunam*. Conf. *Saracenica Frid. Sylburgii* & Excell. *Frischm.* l. c. cap. 1. Audiamus hic quoque *Hottingerum* Prim. Heid. p. 407. ita scribentem:

*Est*

*Est proprie* ככר *fœmin. magnum significans, qualis erat Venus seu Luna, ( has enim promiscue sumi recte observat Bochartus.* ) Huic adstipulatur *Seldenus*, dum expresse l. c. p. 288. ait: *Lunam & Venerem deas distinguere hic non oportet*, & pag. 285. *Venus Luna Dea est. Philochorus* quoque *in Atthide*, ut laudatus autor inquit p. 284. *Is est, qui Venerem & Lunam eandem esse affirmat.* Nec dissentit Celeberrimus J. G. *Vossius*, qui merito historiæ omnis, & antiquitatis tam sacræ quam profanæ dicitur scientissimus, dum L. II. de Idol. pag. 415. ita scribit: *Existimo, eandem esse & Dianam & Venerem; puta Lunam: sed Dianam dici, quatenus illuminat terras, nec luminis ejus vis ulterius expenditur: Venerem autem, quatenus efficax est ad conceptum, generationem, partumque. Ex Horatii carmine seculari utrumque elucet. Ad Dianam pertinet, quod dicitur lucidum cœli decus. Ad Venerem illa:*

> *Diva producas sobolem, patrumque*
> *Prosperes decreta, super jugandis*
> *Fœminis, prolisque novæ feraci*
> *Lege marita.*

Conf. eund. l. c. p. 409. ubi Orienti & Venerem & Junonem sidus illud esse dicit, quod in humorem omnem imperium exerceat; id vero Lunam esse, ex iis, quæ de vi & efficacia Lunæ supra dixerit, satis cognosci adfirmat. Neque silentio prætereundus nobis *Fullerus*, Misc. Sacr. L. I. c. 13. p. 89. ita scribens: *Quare hinc liquet, sicubi Astartem legimus esse Venerem, nomen istud non astronomice accipiendum esse pro Veneris Stella inter Solem & Mercurium collocata, sed Theologice scil. pro Luna ex more gentilium Theologorum.* Et quid putes P. *Fabrum*, virum longe eruditissimum, hac de re sentire? ita ille consensum suum declarat, dum l. c. l. 3. p. 38. *sub Astartes nomine Venerem a Phœnicibus, Palæstinis, aliusque Assyriis perinde ac Lunam adoratam fuisse dicit.* Nen non *Ed. Baro* de Herbert, qui l. c. ait: *Venus etiam Lunæ nomen fuit, sed ob symbolicam virtutem.* Conf. *Plutarch.* lib. Amat. & *Strabon.* lib. 17. Geogr. p. 934.

XVII. Nunc de Junone quædam allaturi, &, an cum Luna quadam ratione conveniat, visuri sumus. De hoc nos edocere poterit *Macrobius*, qui l. I. Saturn. c. XV. p. 63. ita scribit: *Cum initium mensium majores nostri ab ortu Lunæ servaverint, jure Junoni Calendas addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes, vel quia Luna per aerem meat, unde & Græci Lunam* ἄρτεμιν *nuncupaverunt, quasi* ἀεροτόμην, *quæ aera secat, Juno autem aeris arbitra est, merito initia mensium, id est, Calendas huic consecraverunt.* Addere quoque liceat Plutarchum, qui in Quæst. Rom. p. 282. ita infit: Διὰ τί τὸν μὲν ἐνιαυτὸν τοῦ Διὸς νομίζουσι, τοὺς δὲ μῆνας, τῆς ἥρας; ἢ ὅτι τῶν μὲν ἀοράτων θεῶν καὶ νοητῶν βασιλεύουσι Ζεὺς καὶ ἥρα, τῶν δὲ ὁρατῶν, ἥλιος καὶ σελήνη; ποιεῖ δὲ ὁ μὲν ἥλιος τὸν ἐνιαυτὸν, ἡ δὲ σελήνη τοὺς μῆνας. δεῖ δὲ μὴ νομίζειν ἁπλῶς εἰκόνας ἐκείνων τούτους, ἀλλ᾽ αὐτὸν ἐν ὕλῃ δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν ἥραν ἐν ὕλῃ, τὴν σελήνην. διὸ καὶ ἴουνον ἐπονομάζουσιν τὴν ἥραν, τὸ νέον ἢ τὸ νεώτερον ἐμφαινόντος τοῦ ὀνόματος. i. e. *Cur annum Jovi, menses Junoni consecrant? An quod in Deos invisibiles & soli intelligentiæ notos regnum obtinent Jupiter & Juno: in eos, qui conspectui patent: Sol & Luna? Efficit autem Sol annum, Luna menses. Neque simpliciter censendum est hos istorum esse imagines, sed ipsum in materia Jovem esse Solem, ipsamque in materia Junonem esse Lunam, propterea etiam Heran ( s. Junonem ) vocant Junon, quo nomine juventutem significant.* Accedat quoque *Apulejus*, qui L. XI. Metam. Lunam lacrymoso vultu sic apprecatur: *Regina cœli seu Phœbi soror, quæ partu fœtarum medelis lenientibus recreato, tantos educasti populos.* Jam vero, quæ Dea alia vocatur Phœbi soror, & partui præesse dicitur, quam Juno? quæ hinc quoque vocabatur Juno Lucina, ut patet tum ex Varrone, qui L. IV. p. 19. ita: *Facta a juvando & luce juno Lucina, a quo parientes eam invocant; Luna enim nascentium dux, quod menses hujus*: tum ex *Catullo*, scribente Epigr. 35.

> *Tu Lucina dolentibus*
> *Juno dicta puerperis.*

atque *Terentio* in Andr. Act. III. Scen. I. v. 15. ubi Glycerium his verbis introducit:

> *Juno Lucina, fer opem: serva me, obsecro.*

ut & *Plauto*, in Aulular. Act. IV. Scen. VII. v. 10. 11.

> *Perii, mea nutrix. Obsecro Te, uterum dolet,*
> *Juno Lucina tuam fidem.* ——

Vid. *Cicero* L. 2. de nat. Deor. *Tertull.* Libr. de anim. c. 37. 39. *Arnob.* L. 3. *Isid.* L. 8. Epist. *Serv.* in Virg. p. 45. seq. 377. *Taubman.* in Virg. Cir. p. 51. & in Eclog. p. 42. *Idem* in Plaut. p. 186. *Plutarch.* Q. R. pag. 282. *Turneb.* in Adverf. L. 20. c. 31. *Donatus* in Terent. p. 36. Sed revertamur ad nostrum *Apulejum*,

*lejum*, qui post citatum locum Lunam ita introducit de sua appellatione loquentem: *Me Junonem alii vocant*. Nec hoc ignoravit *Servius*, qui not. ad Lib. I. Georg. p. 118. seqq. ita scribit: *Stoici dicunt, non esse nisi unum Deum, & unam Deam: eandem esse potestatem, quæ pro ratione officiorum nostrorum variis nominibus appellatur: unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Junonem, eandem Proserpinam dicunt*. Adde *Seldenum* loc. cit. pag. 248. scribentem: *Invocabant & Romæ Junonem, Lunam adloquentes ritu solenni*. Et *Vossium*, qui Lib. III. de Idol. cap. 26. prolixe probat, Lunam & Junonem eandem esse Deam. Nec locus ille *Plutarchi* est hic omittendus, ubi Q. R. loc. cit. hæc verba habentur: Λουκίναν Ἥραν καλοῦσιν, οἷον φαεινὴν ἢ φωτίζουσαν. καὶ νομίζουσιν ἐν ταῖς λοχείαις καὶ ὠδῖσι βοηθεῖν, ὥσπερ καὶ τὴν σελήνην. Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων, διά τε ὠκυτόκοιο σελάνας. εὐτοκεῖν γὰρ ἐν ταῖς πανσελήνοις μάλιστα δοκοῦσι: id est *Junonem vocant Lucinam, quasi Lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & Lunam*. (unde illud:) *per cæruleum astrorum polum, perque partus celerantem Lunam. Facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem enmiti*. Conf. *Kip. ping.* loc. cit. pag. 105. Sed hæc de illis.

XVII. Porro ordo exigit, ut, quid autores de convenientia Fortunæ & Lunæ statuant, adducamus. Audiamus *Vettium Valentem Antiochenum*, qui, citante *Seldeno* l. c. pag. 92. in Anthologiis suis, capite περὶ χρόνων διαιρέσεως ἀπὸ κλήρου τῆς τύχης καὶ δαίμονος, ita scribit: Κλῆροι τῆς τύχης καὶ τοῦ δαίμονος σημαίνουσιν ἥλιόν τε καὶ σελήνην. κοσμικῶς γὰρ ἡ σελήνη τύχη ὑπάρχουσα καὶ σῶμα καὶ πνεῦμα περιγείος οὖσα, καὶ τὴν ἀπόρροιαν εἰς ἡμᾶς πέμπουσα, τὸ ὅμοιον ἀποτελεῖ κυρία οὖσα τοῦ καθ' ἡμᾶς σώματος. Et *Claud. Salmasium* in Diatr. de annis Climact. p. 115. ita scribentem: Κλῆρος τύχης *Lunæ est locus, ut* κλῆρος δαίμονος *est Locus Solis. Unde & Locum fortunæ Ptolomæus* σεληνιακὸν ὡρόσκοπον *appellat. Sol igitur est Dæmon, ut Luna Fortuna*: & p. 128. Τύχη *simpliciter Luna est, &* κλῆρος τύχης *Fortunæ s. Lunæ locus*. Conf. p. 129. Sic *Faber* in Semest. L. 3. c. 2. p. 27. ait: *nec est, cur ipsi velim hac de re quicquam appositum præter Philastrii Brixiensis testimonium de Cœlesti Africæ, quod illa ipsa fortuna seu Regina cœli sit* (*Luna nempe*). Et G. J. *Vossius* Lib. II. cap. XLIII. de his ita scribit: *Fortuna creditur esse siderum dispositio tum præcipue Lunaris potestas*. Et postea: *Fortuna est Æther & particulatim Luna*. Nec quoque quoad hoc dissentit *Edoard. de Herbert.* pag. 61. ita scribens: *Hæc satis ostendunt Fortunam, Veteribus, cœli, tum præcipue Lunæ vim in inferiora signasse, atque eo nomine cultam fuisse*.

XIX. Nunc ultimo loco accedemus ad Uraniam, probaturi, eandem cum Luna convenire: De hac ita *Hærodian.* l. 5. c. 6. Λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν οὐρανίαν καλοῦσι, φοίνικες δὲ ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες. i. e. *Hanc* (sc. Didonem) *Afri Uraniam vocant, Phenices Astroarchen, Lunam esse affirmantes*. Nec hoc ignoravit *Vossius*, dum l. c. p. 408. inquit: *Primum de gentibus dicam Orientis, quæ Uraniam s. Lunam coluerint*. Neque dissentit *Fullerus*, ita scribens Misc. Sacr. p. 87. *At quid tandem Urania? Egone multis morer Lectorem, crediderim Junonis esse Epitheton, aut etiam Veneris (ut docuimus) pro Luna usurpatæ*. Nec contrarius est *Scaliger*, qui l. c. p. 27. ita inquit: *Herodotus* τὴν οὐρανίην *ab Arabibus Alilat dictam scribit: quod profecto Lunam corniculatam significat. Nam etiam hodie* لعلالة, ἀλιλὰτ τὸ φεγγάριον: i. e. *Lunam* μηνοειδῆ *& nascentem vocant, cum secundo die a coitu visionis suæ potestatem facit, ut loquitur Vitruvius*. Quod approbat quoque suo calculo Cl. *Seldenus* l. c. p. 289. dicens: *Luna ipsissima est Urania*. Et Fr. *Junius* not. ad Tertullianum pag. 42. hæc notans: *Lunam Aliluth, id est Deam Dearum ac velut magnam matrem, itemque Uraniam lucentem appellarunt*.

XX. Claudat agmen biga testium, πολυωνυμίαν, qua Luna gavisa fuit, egregie adstruentium, quorum unus ipsam Lunam, sese ut πολυώνυμον declarantem, introducit, qui est *Apulejus* L. XI. Metam. p. 259. *Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant, Deum Matrem; Hinc autochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam. Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam Deam Cererem; Junonem alii; Bellonam alii, Hecatem isti, Rhamnusiam illi, & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique, priscaque doctriua pollentes Ægyptii ceremoniis me* (*prorsus*) *propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Isidem*. Alter est *Kircherus*, qui apud sæpius laudatum *Frischmuth.* ita scribit: *Hoc unum ex hisce omnibus hactenus*

*nus demonstratis collige*, *Cabar illam Arabum aliam nullam esse*, *quam communem illam Venerem Asiaticam*, *Uraniam cœlestem*, *quam Ægyptii Isidem*, *Babylonii Dagon*, *Derceto*, *Atergatis*, *Phœnices Astarten*, *Græci nunc Lunam*, *nunc Hecaten*, *Lucinam*, *Dianam*, *Proserpinam*, *aut alio nomine*, *Arabes Alilath vocant*, *re eandem*, *nominibus diversitatem effectuum denotantibus diversam esse*. Et cum *Magnus Celsius* non ineptam talis variæ denominationis rationem subministret, eundem quoque sub finem audiemus: Postquam enim ille in Comput. Eccles. notarat, Scandianos in hoc cum cæteris gentibus consensisse, ut Solis ac Lunæ numina, (quorum beneficio omnia foveri, gigni & ali viderint: altero calorem & spiritum; altero humiditatem; utroque aeris, temporumque vicissitudines idoneas administrante) & vetustate prima, & naturæ benignitate optima, & evidentia operationum potentissima, eoque reliquis Diis præferenda putarint; subjicit p. 71.: *Unde factum est*, *ut non solum ille* (Sol) *Pater Deorum*, *hæc* (Luna) *magna Mater salutata sit*; *sed ad eos etiam tanquam primos fontes atque origines*, *reliquorum Deorum Dearumque nomina & religiones mystice & sub variis fabularum involucris sint relata*. Sed hæc de variis Lunæ nominibus attulisse sufficiat nobis, jam ulterius de titulo insigni, quo *Regina* audit, breviter seq. §. visuris.

XXI. Nec enim *Versio Arabica*, quippe quæ Jer. XLIV. per لملكة السماء, *Reginæ cœli*, nec lxx. qui per: τῇ βασιλίσσῃ τῦ ὀρανῦ, nec *Vulgata*, quæ per: *Reginæ cœli*, l. cit. reddiderunt, quoad denominationem nobis sunt contrariæ, utpote a מלך hanc vocem deducentes, licet lunam non expresse nominantes. Idem facit *Epiphan.* hær. 79. ita scribens: φιμέσθωσαν ὑπὸ ἱερεμίε αἱ τοιαῦται γυναῖκες, ἢ μὴ θροείτωσαν τὴν οἰκεμένην, μὴ λεγέτωσαν, τιμῶμεν τὴν βασίλισσαν τῦ ὀρανῦ, i. e. (prout exponit *Janus Cornarius*) *compescantur ab Hieremia tales mulieres*, *& ne turbent orbem terrarum*. *Ne dicant*, *honoramus reginam cœli*. Quam denominationem Lunæ assignatam fuisse tam diu putamus, quam diu nobis aliud objectum, cui talis cultus præ luna conveniat, nobis fuerit monstratum & probatum. Ubi nec hoc silentio prætereundum est, eandem apud profanos quoque Scriptores nomine Reginæ salutatam fuisse. Prodeat *Horatius*, qui Carm. secul. v. 35. 36. ita canit: *Siderum Regina bicornis audi Luna puellas*. Sic *Homerus* in Hymn. in Lun. qui vulgo eidem adscribitur: Χαῖρε ἄνασσα θεὰ λευκώλενε δῖα σελήνη, *Salve regina*, *Dea albiluna Diva Luna*. Sic quoque *Orpheus* Hymn. in Lunæ suffim. Κλῦθι θεὰ βασίλεια, φαεσφόρε δῖα σελήνη. *Audi Dea Regina*, *lucem ferens*, *diva Luna*. Ita *Apulejus* L. XI. Metam. p. 257. lacrymoso vultu apprecatur Lunam, Deam quasi præpotentem: *Regina cœli*, *sive tu Ceres alma -- seu tu cœlestis Venus -- seu Phœbi soror* &c.

XXII. Et talia de Lunæ cultu allata ex antiquitate etiam late deduci confirmarique possent, si nostri instituti ratio pateretur. Ne tamen sicco pede prorsus eundem prætereamus, paucissima in medium sumus allaturi. Antiquissimum hunc cultum esse, inter alia probare satagunt ex verbis Jobi c. XXXI. 26. seq. ubi, ceu Vulgata reddidit, legitur: *Si vidi Solem*, *cum fulgeret*, *& lunam incedentem clare*: *& lætatum est in abscondito cor meum*, *& osculatus sum manum meam ore meo &c.* Unde colligunt Viri eruditissimi, Lunam tum temporis cultam ab aliis fuisse, e quorum ordine & censu Jobus se his verbis eximat, conf. *Selden.* de D. S. in Proleg. c. 3. p. 26. *Voss.* de Idolol. l. 2. c. 3. p. 316. seqq. ubi ex h. l. non tantum vetustatem idololatrici hujus cultus, sed & ritum ejusdem indicari notat. Addatur *Beza* in h. l. *Lorin.* in Num. 28. p. 1058. *Estius* in h. l. p. 335. & præ aliis *B. Dieteric.* in Ant. Bibl. in h. l. de ritu manum deosculandi ex variis autoribus differens. Cum Jobi loco a multis ad probandam cultus talis antiquitatem cap. IV. 19. Deut. conferri, notum omnino est. Sic *Hottingerus* Hist. Orient. l. 1. c. 8. p. 177. Zabaistarum cultum, quem suis Diis & Deabus detulerint, expositurus notat, eundem vel menstruum vel diurnum fuisse. Diurnum verbis *Ali Said Vaheb* adducit, quod *diem primum sacrum fecerint* Soli: *secundum* Lunæ; *tertium* Marti &c. Menstruum ex Mic. lib. *Muhammed ben Isaac* prolixe etiam describit, & inter alia eosdem non solum die VI. mensis primi, taurum *Deæ suæ*, *Lunæ mactare*, *eumque præcipitante in occasum die*, *comedere*; sed & die XX. præter alia solemnia *tres boves admissarios*, *unum Saturno*, *alterum Marti*, *tertium Lunæ*, *mactare*, ibid. p. 178. refert. Sic *Maimonid.* hos Zabaistas Lunam coluisse, & hinc quoque dixisse, Adamum fuisse Apostolum Lunæ, vocasseque homines ad cultum Lunæ, scribit in Mor. Nev. P. III. p. 422. Nec *Diodor. Sicul.* hunc cultum, apud homines antiquissimos rece-

ceptum fuisse, prorsus ignoravit, dum apud *Dion. Vossium* in Not. ad R. Maimonid. lib. de Idolol. p. 5. scripsit: τοὺς ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι θεοὺς ἀϊδίους καὶ πρώτους, τόντε ἥλιον καὶ σελήνην. i. e. *homines antiquissimos mundum supra se contemplatos, nec absque stupore admiratos Universi naturam, existimasse esse Deos æternos & primos, Solem & Lunam*. Quod confirmat quoque *Scholiast. Aristoph.* qui p. 650. ita: οἱ βάρβαροι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην θεῶν μᾶλλον πάντων σέβουσι. Sic *Clemens Alexandr.* in Protrept. dicens: καὶ προσεκύνησαν ἥλιον ὡς ἰνδοί, καὶ σελήνην ὡς φρύγες. Idem de Persis notatur apud *Curtium*, quando l. 4. c. 6. hæc scribit: *Cæterum adfirmant Solem Græcorum, Lunam esse Persarum: quoties illa deficiat, ruinam stragemque illis gentibus portendi, veteraque exempla percensent Persidis regum, quos adversis diis pugnasse, Lunæ ostendisset defectio*. Verbis autem citatis, Lunam Persarum *non symbolum, aut insigne, aut omen, aut vaticinium*; sed *protectorem atque præsidem* fuisse, indicari notat probatque ex Herodoto *Freinshem.* in not. ad Curt. qui in Polymn. lib. VII. n. 37. responsum Magorum Xerxi datum adducturus, eos dixisse scribit: ἥλιον εἶναι Ἑλλήνων προδέκτορα, σελήνην δὲ σφέων: *Solem Græcorum: Lunam ipsorum* (Persarum) *esse præsidem*. Qui quoque l. 4. in Melp. n. 188. de Lybiæ populis hæc notat: θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μούνοισι, τούτοισι μὲν νῦν πάντες Λίβυες θύουσι, *solis autem omnium Deorum immolant Soli & Lunæ, & his quidem universi Libyes sacrificant*. Germanos quoque Lunam veneratos esse videmus ex *Jul. Cæsare*, qui lib. VI. de B. G. p. 158. de eis scribit: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt*. Quanti Lunam Romani fecerint, ex eo patet, quod Templum eidem consecrarint. Audiamus *Lipsium* not. ad *Corn. Taciti* Annal. lib. XV. p. 1053. ubi sequentia tradit: *Templum Lunæ in Aventino reperio, apud Livium L. XL. Forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino est, raptam tulit, &c. Rufus in regione XII. Templum Lunæ in Aventino magnum: Ovidius.*

> *Luna regit menses, hujus quoque tempora mensis*
> *Finis Aventino Luna colenda jugo.*

De templo Lunæ scribit quoque *Herodianus* l. 4. c. 13. §. 7. συνέβη δὲ μετ' οὐ πολὺ τῆς σκέψεως ταύτης, θελήσαι τὸν Ἀντωνῖνον, διατελοῦντα ἐν Κάῤῥαις τῆς Μεσοποταμίας, προελθεῖν τῆς βασιλείας, ἀπελθεῖν τε εἰς τὸν νεὼν τῆς Σελήνης, ἣν μάλιστα οἱ ἐπιχώριοι σέβουσιν, i. e. *Evenit autem haud multo post, quippe agens Carris, quæ est Mesopotamiæ urbs, Antoninus invisit Deæ Lunæ templum, quod in ea regione distans aliquantum ab Urbe, præcipuo honore ab incolis colitur*. Conf. Ammian. Marcellin. l. 23. p. m. 433. Sed hæc sufficiant.

XXIII. Supra adductæ de Luna explicationi merito quoque subscribimus, quippe veritati præ aliis adductis sententiis conformi. Causam vero hujus Selenolatriæ quærenti respondemus, hoc, antequam ad speciales descendatur causas, considerandum omnino esse, in cœlestium corporum venerationem maxime proclive fuisse genus humanum, eosque, qui a vero Deo defecerunt, hæc primum sibi numina animo propensissimo adscivisse. Cum enim supremum totius universi Dominum, φῶς οἰκοῦντα ἀπρόσιτον, non omnino caperent, cœlestium vero corporum imperium in omnia vitæ commoda non sine religione suspicerent, neque ab eo, quod supremo numini proprium est, impii distinguerent; divinitatem sensu metientes, ad ea objecta, quæ sensibus patuerunt, & lucis, tenebrarum, statæque noctium, dierum & annorum vicissitudinis & tempestatum aliorumque plurimorum effectuum causæ credita fuerunt, colenda impio motu ausuque dilapsi fuerunt. Si quis autem porro de ratione, homines ad cultum Lunæ specialiter impellente, solicitus eandem ex nobis quærat, dicimus, talem ex variis supra citatis autoribus jam tum patere, qui partim ob magnitudinem, splendorem, dominium & influxum in hæc inferiora; partim ex imitatione gentilium pessima; partim occasione neomeniarum, Lunam ita cultam esse autumant. Et cum causam haud postremam Selenolatræ ipsimet, talismodi cultus fructum & utilitatem prædicantes, ceu Hos. II. quoque de spiritualiter fornicante & idololatricos cultus sectante populo talis vana & impia persuasio recensetur, apertis c. 44. Jer. profiteantur & exponant verbis, nos causæ prolixius inquirendæ haud inhærendum putamus, alias non nescii, quantam vim influxui Lunæ in sublunaria rerum naturalium periti adscribant, de quo confer B. *Sperling.* Instit. Phys. lib. 3. pag. 557. B. *Scharf.* Phys. recogn. pag. 430. *Magyr.* Physiol. p. 150. *Peucer.* de divin. p. 363. *Magn. Celsium* l. cit. aliosque.

XXIV. Contra allatam vero de Luna explicationem insurgunt quidem multi, qui tamen nos a sententia nostra haud facile dimovebunt. Inprimis *Estius* vires nervosque ingenii pro Solis cultu adstruendo intendit, eumque sequentibus rationibus obtinere allaborat: *Una ratio est*, inquit, *quod Sol longe praestat Lunae, ideoque principatus Soli erat tribuendus Deinde Sol Hebraeis est foeminini generis, ideoque potius regina quam Rex appellatur. Tertio, quia Sol in Aegypto, ubi id temporis erant Judaei, erat in summa veneratione. Unde etiam civitatem ex ejus nomine aedificatam habebant, quae vocatur* ἡλιόπολις, *i. e. civitas Solis. Denique quia si Luna diceretur regina coeli, multo magis consentaneum fuit, Solem dici Regem coeli, & ut talem venerari*. Sed haec tela nobis omnino videntur obtusa: quod enim primum attinet, scire debebat Estius, eo ipso, dum Lunam h. l. intelligunt alii, non denegari Soli principatum, quod ex supra adductis abunde constat, ubi Sol & Luna inter se comparata fuerunt, vid. §. *9*. c. I. Constat quoque apud omnes, quod uti Sol diei, ita Luna nocti praesit, eaque ratione quoque principatum obtineat & probet. Et licet Sol, quippe quem instar mariti in ordine ad Lunam se habere, supra dictum fuit, multum splendoris & decoris cum Luna, tanquam uxore sua, communicet, tamen Luna ipsa, quoad influxum in sublunaria, multa sibi vendicat; eam enim a creatore suo vim in haec inferiora agendi egregiam accepisse, multa nos docent, prolixeque ostendi posset, si opus foret & instituti nostri ratio permitteret. Ut adeo Luna quasi Sol alter, licet minor, fieri dicatur, quod potius Aristotelis, quam verbis nostris, adducere lubet, qui lib. IV. de Gener. Anim. c. X. p. m. 861. ita nos docet: Ἔστιν ἡ σελήνη ἀρχή, διὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον κοινωνίαν: καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ φωτός. γίνεται γὰρ ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων. διὸ συμβάλλεται εἰς πάσας τὰς γενέσεις καὶ τελειώσεις. καὶ γὰρ θερμότητες καὶ ψύξεις μέχρι συμμετρίας τινὸς ποιοῦσι τὰς γενέσεις. μετὰ δὲ ταῦτα, τὰς φθοράς, i. e. *Luna principium est, propter Solis societatem, receptumque lucis: fit enim quasi alter Sol minor. Quamobrem conducit ad omnes generationes perfectionesque. Calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt*. Ut adeo non videamus, quomodo Estius, his stantibus, aliquid obtinere possit: nisi ostenderit, tum, quod principatus hac ratione Soli fuerit ademtus, tum quod Lunae vis in haec inferiora ab aliis alibi prolixe adstructa denegari & debeat & possit; quod tamen utrumque negamus. Ad illud autem, quod secundo loco urgetur, *cum Sol Hebraeis foeminini generis sit, hinc potius Solem reginam quam regem appellari*, respondemus de ipso genere, non adeo esse, ut de foeminino genere ita glorientur οἱ ἐξ ἐναντίας, cum vox שמש in Mascul. genere frequentissime quoque inveniatur adhibita, id quod Biblia S. evolventi patebit ad oculum; evolvantur tantum Gen. *19*. *23*. c. *28*. II. c. *32*. *31*. Lev. *22*. *7*. Jos. IO. I3. Psal. I2I. *6*. Es. I3. IO. Joel. 3. 4. Eccl. I. 5. aliaque loca plurima, & res clara erit; ut non videamus, qua ratione tam absolute, nulla adhibita limitatione, a viris eruditissimis hujus vocis genus foemineum adeo urgeri queat, acsi semper, nullisque exemplis contrariis alterumque genus probantibus, in foemineo genere haec vox occurrat; quod tamen non fieri, exempla citata aliaque plurima satis edocent. His stantibus facile apparet, quid de eo sit sentiendum, quod ex hoc asserto deductum fuit: si enim ex tam lubricis fundamentis nostra asserta luberet propugnare, rem eodem, si non meliori, jure inverteremus, & diceremus: שמש est mascul. generis, hinc potius Sol dicendus est מלך Rex, quam מלכת Regina; antecedens non poterunt negare, quippe exemplis plurimis convicti: consequens aut negabunt aut concedent; si illud: contra se ipsos disputabunt; si hoc: habebimus, quod volumus; Et ponamus, ita prius se habere; quis ἀσυλλογισίαν ita argumentantis non deprehenderet: nomen שמש est foem. generis, hinc quoque in aliis vocibus substantivis Sol foeminino genere est exprimendus; quam multis enim instantiis hoc ipsum assertum infringi queat, vident omnes rerum harum periti. Et cum eadem concludendi ratio esset Solem ob foemin. genus potius Deam quam Deum dicendum fuisse, ipsi videant, an ex hac ratione, Solem non pro Deo, sed pro Dea cultum fuisse a gentilibus, sint adstructuri. Monet autem saepius laudatus *Vossius* l. II. Idol. c. 2I. p. 4I2. Solem gentibus in Oriente non Deam, sed Deum habitum fuisse: quod expendendum quoque erat Estio. Quod autem tertio objicit. *Solem in Aegypto, ubi id temporis fuerint Judaei, in summa veneratione fuisse*, idque urbe in honorem Solis aedificata probat, dicimus primo, cum diversa sint loca & diversa tempora, quibus talis cultus describitur, hinc distincte nobis loquendum erit; quod enim Judaei,

Pro-

Prophetæ Jerem. c. 44. impie contradicentes, cultumque hunc defendentes, in Ægypto tum temporis fuerint, patet ex *συνεχείᾳ* & *συνεπείᾳ*; versu enim primo sermo Dei Prophetæ revelatus ad omnes Judæos in Ægypto habitantes directus fuisse dicitur, & vers. 17. ipsimet Selenolatræ ad cultum olim in urbibus Juda & in plateis Jerusalem factum, fructumque ceu falso putabant, insignem provocant; quod vero Jer. c. VII. Judæi quoque in Ægypto fuisse dicendi sint, nemo nobis persuaserit, textusque manifesto docet, Judæos tum temporis in urbibus Juda & plateis Jerusalem cultum Reginæ cœli exhibuisse. Hæc si considerasset, ut debebat, Estius, non ex Ægypto cultuque Solis ibidem recepto pro Sole hæc argumenta desumsisset. Si enim Judæi, antequam in Ægyptum venerunt, Reginam cœli venerati fuerunt, ut ipsi fatentur, nec demum cultum hunc in Ægyptios recepto de tali cultu ita argumentari poterat Estius? Deinde, esto, Solem in summa veneratione in Ægypto fuisse? quid inde? num Estius inde concludere vult: Ergo nullos alios Deos coluerunt: non putamus, ita procedere consequentiam: quot exemplis enim talis connexio infringi possit, videt procul dubio B. Lector, & ipsa historiarum monumenta de Idololatria clarissima nobis hic silentium injungunt. Unius positionem non esse alterius exclusionem, sciunt Logicorum tyrones: quod & hic valet. Ultimum telum haud nosmet, sed umbram potius ferit; nam Solem מלך & בעל שמים, uti Luna בעלת שמים, dictum, & ut Regem quoque cultum fuisse, non eget probatione; ubi enim rerum testimonia adsunt, non opus est verbis: præter ea, quæ supra citata sunt, testimonia, conf. *Frischm.* in h. l. c. I. §. 9. *Seld.* de D. S. *Voss.* l. c. *Fabr.* Sem. III. c. III. id quod & nos prolixius hic deducturi essemus, nisi res manifesta foret.

XXV. Nec audimus *Sixtinum Amama*, qui in Antib. B. l. c. vocem מלכת *opus, laborem vel artificium*, non autem *reginam* significare, & literam א deficere contendit. Ubi hoc quidem ei largimur, τὸ מלאכת allatam significationem obtinere, ut multa id evincunt loca, sed tum, ut Concordautiæ Hebraicæ sufficienter probant, & B. *Hulsem.* quoque in h. l. observat, litera א non eliditur, ut hinc merito cum sæpius laudato *Frischmuth.* dicamus, cum מלאכת in significatione *operis* plus quam quadragies cum א occurrat, quis fidem fecerit, in solo Jeremia, ex una eademque voce, quinquies literam excidisse? Quando igitur urget, in significatione *reginæ* מלכת שמים dicendum fuisse, nec inter omnia ista, quæ ad regulam illam pertineant, ullum esse, quod utroque modo statum regiminis formet: & nos simili jure pro nobis urgere possumus, nullum quoque locum nobis ostendi posse, ubi τὸ מלכת excluso א, in significatione *operis* occurrat. Deinde esto, τὸ מלכה, quando in regimine ponitur, formari per מלכת, ut exempla talia occurrunt; sed quid inde? an statim inferes, nullam aliam formam agnoscendam esse, sed hanc solam? non enim videmus, cur non duplicem formam quoque in hac voce, ut in גברת & גבירה בהמת & בהמה, ממשלת & ממשלה, potius admittere, quam ad defectum literæ absentis, nulla urgente necessitate, constantique lectione & usu vocabuli repugnante, recurrere debeamus: nec obstat, quod in libris, qui supersunt, absoluta forma occurrat; quot enim exempla tam in verbis quam nominibus dantur, ubi vel thema ipsum vel nomen extra statum suffixionis vel constructionis non amplius occurrit, in iis tamen quærendis & investigandis secundum regularum & analogiæ ductum opera feliciter collocatur, praxique philologorum communi approbatur: uti igitur bene in statu constr. a לאך dicitur מלאכת רעהו Exod. 22. 8. מלאכת עור, Lev. 13. 48. ut alia exempla taceamus, ita cur non a מלך simili modo מלכת השמים & hoc & illo vocabulo simili ratione in regimine posito, dicatur, non apparet: ut adeo illa ex statu regiminis utroque modo formato desumta objectio ob diversitatem vocabulorum per se cadat. Cum igitur nosmet radicem simplicissime absque ullo defectu quæramus, ipsam quoque significationem, rem ipsam, modum loquendi, consensumque eruditissimorum Virorum & Versionum præcipuarum nobis optime faventem habeamus, omnino in nostra sententia persistimus. Ne autem porro objicias, ipsum Prophetam c. VIII. se explicare, quid per hanc vocem h. l. intelligat; dicimus enim, nos illosque, qui a nostra stant parte, minime hoc velle, quasi a Judæis Idololatris tantum Luna cultu impio affecta, reliqua vero, quæ c. l. recensentur, exclusa fuerint; clarissima enim præter allatum & nostrum locum adsunt rerum testimonia; hoc autem est, quod negamus, in citato loco explicari, quid per hanc vocem præcise intelligatur: non enim repugnat, aliis in locis objectorum, quæ culta fuere, chorum adduci; in aliis vero

ro

ro determinate quoddam objectum, cultumque ejusdem peculiarem exprimi, ceu ex plurimis locis abunde constat. Sed nobis progrediendum est ad alia. Esto igitur

## CAPUT II.

### §. I.

Cum hactenus de objecto idololatriæ Judæorum actum sit, nunc de ipso cultu quædam dicenda supersunt. Uti autem præter alias causas cultus, per sacrificia Deo exhibendus, sacrificantium quoque utilitatem respiciebat, ut scilicet omnia ipsis prospere succederent, de quo *Philo* loquitur, Tom. II. pag. 1130. scribens, *causam sacrificiorum* ἑτέραν τῶν θυόντων προηγουμένην ὠφέλειαν *fuisse*, ubi subjicit: διττὴ δέ ἐστιν, ἡ μὲν ἐπὶ μετουσίᾳ ἀγαθῶν, ἡ δὲ ἐπὶ κακῶν ἀπαλλαγῇ. Conf. *Outram.* de Sacrif. p. 221. seq. Ita quoque de Gentilibus res certa est, eos etiam inter alia ob hanc causam diis suis sacrificasse. Cujus rei testis potest esse *Porphyrius*, de Abstin. l. 2. §. 24. apud *Outram.* l. c. p. 225. scribens: τιμῶμεν δὲ τοὺς θεοὺς, ἢ κακῶν μεν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητοῦντες ἢ προπεπονθότες, εὖ, ἢ ἵνα τύχωμεν ὠφελείας τινὸς κλ. i. e. *Deos autem colimus, vel petentes, ut mala avertant, & suppeditent bona, vel quod jam antea commodi aliquid ab iis percepimus, vel ut posthac consequamur* &c. & l. 2. de Sacrif. & Diis atque Dæmon. p. 305. *Tribus de causis Diis sacrificandum est, ut veneremur, ut gratiam referamus, ut necessaria ab ipsis petamus, malaque propellamus*. Hunc in sensum Judæi h. l. dicunt, se tempore Selenolatriæ hujus pane saturatos esse, idmalumque non vidisse. Sed quæris, idque merito, qua ratione cultum talem ex opinione ipsorum adeo proficuum exercuerint? describitur ille a nostro Propheta c. 44. ita, *quod sacrificarint Reginæ cœli, libarint ei libamina, & fecerint placentas ad colendam eam*. Ubi ex Authentico textu, quid per כונים, per להעציבה, perque נסך intelligatur, expendendum nobis venit.

II. Et quidem, quod originem vocabuli כונים attinet, illud alii pro primitivo habent, alii derivant a כוה, quod in Niphal significat *uri, aduri*, & collyridas ad ignem torrefactas intelligunt; sed alii ejus natales ad כון referunt, *aptavit, præparavit, disposuit*, ut ita indicetur, tale edulium a cultoribus magno studio præparatum, & ad cultum dispositum fuisse, quod agnovit etiam *Math. Martin.* dum L. P. p. 2730. emphasin hujus vocis ita explicat: *Vox Hebræa est a dispositione & paratura* ἑτοιμασία, *quod magna cura pararent. Id enim* כון *sonat*: quem in sensum quoque R. D. *Kimchi* in lib. Rad. p. 222. conjecturam hanc reliquit: ואולי קראם כונים לכוין דעתם ולבם עליהם לעשותם ולתקנם היטב׃ i. e. *forsitan vocavit eos* (cibos) כונים, *quod suas cogitationes eo referrent, quomodo illos bene conficerent & ordinarent*. Conf. *Pagnin. Schindler. Buxtorf. Huls.* aliosque. Quod vero significationem attinet, in ea exponenda variant eruditi. Eorum sententia, qua vox hæc significare dicitur *canticum quoddam* לעז i. e. ad cultum extraneum vel servitium idolorum directum, haud meretur calculum: Melius *Franc. Jun.* in c. 44. Jer. putat, *fuisse liba quedam* ἔκτυπα, *quæ quasdam formas expressas habuerint, pro ratione idolorum, quibus fuerint offerenda*, cum quo consentit *Raschi* in Jer. 7. his verbis: כונים דפוס הכוכב, per כונים *effigies sideris intelligitur*. Ut & *Buxtorfius* L. E. p. 352. ita scribens: *Erant placentæ effigiatæ, effigiem idoli habentes impressam, quod colebatur, & cui offerebantur*. Sic quoque *Grotius* ad Jer. 7. *Salomon Jarchi addit, quod verum puto, in illis libis fuisse Deorum icunculas*. Cum quo facit *Francisc. Carriere*, dum Comm. in Script. S. p. 458. ita scribit: *Faciebant placentas rotundas & stellatas, imprimentes eis figuram stellarum*. *Hulsius* quoque in Nom. Bibl. כונים per *placentas effigiatas* exponit.

III. Deinde *Chrysostomus* hanc vocem per πόπανα exponit. Quid autem per πόπανα innuatur, audiemus *Suidam*, qui ita eadem exponit: Πόπανα, πλακοῦντα πλατέα καὶ λεπτὰ καὶ περιφερῆ, i. e. *Placentulæ latæ & tenues, & rotundæ*: atque *Hesychium* p. 779. πόπανα πλακοῦντια ἀπὸ ἄρτου. Et *Scapulam* in Lex. p. 1287. πόπανον, *placentula lata, tenuis & rotunda: cujus usus maxime in Sacrificiis erat*. Vid. *Aristoph.* in Pluto & Thesmophor. *Lucian.* de Sacrif. *Polluc.* l. 1. c. 1. nec non *Joh. Scheffer.* Ind. Græc. in Ælian. scribentem ita: πόπανα, *placentarum genus orbiculare & tenue, sacrificiis dicatum*: *Bourdinus* not. in Aristoph. p. 782. de his ita scribit: τούτοις τοῖς ποπάνοις ἔθος εἶχον αἱ γυναῖκες θεσμοφοριάζουσαι ταῖς θεαῖς προθύειν τοῦ εὐπραγεῖν καὶ εὐτυχεῖν. Addamus hic conjecturam *Franc. Junii*, qui l. c. p. 705. putat, genus hoc liborum ἐκτύπων, de כונים loquitur, Romanos & Ægyptios a Græcis desumsisse, & vocasse popana, quia τῶν τύπων, i. e. Deorum effigie insignita ea fuisse cre-

credit, quibus offerebantur; ubi tamen malumus nos cum *Scapula* l. c. nomen illud deducere a πέπτω, *coquo*. Hanc derivationem adducit quidem etiam *Eustathius* l. c. pag. 152. ubi habet: πέπτω ἢ πέττω, πόπανον, & pag. 774. ἐκ τοῦ ὡς εἰκὸς, μέτου παρακειμένου πέποπα τὸ πόπανον; videtur tamen magis sequi priorem p. 437. ubi ita: ἐκ τοῦ πόπος καὶ ἄναξ, θεῶν λέξεων, ὡς προδεδήλωται, πόπανον τὸ, θεῷ ἄνακτι καθοσιούμενον & p. 774. πόπανον δοκεῖ οὕτω κληθῆναι, παρὰ τὸ πόπος, ὅ ἐστι θεὸς, καὶ τὸ ἄναξ, ἵν' ἡ πόπανον, ὡς καὶ προεῤῥέθη, τὸ πόπῳ ἄνακτι ὁσιούμενον. Adde *Mathæum Debarum*, Ind. Eustath. inquientem: πόπανον τῷ πόπῳ ἤγουν θεῷ ἄνακτι ἀφορώμενον (ἀφοσιούμενον). Nam πόποι, juxta *Scap.* l. c. pag. 1365. *Dryopum lingua dicuntur* οἱ δαίμονες, *quasi* τὰ πάντα διοπτεύοντες, *omnia dispicientes*. Id quod etiam his verbis indicat *Eustathius* p. 98. τοῖς βιαζομένοις τὸν Ὅμηρον καὶ μετάγουσι πρὸς ἑτέρους ποιητὰς τὰ ἐκείνου, ἀρέσκει λέγειν, τὸ ὦ πόποι, ἀντὶ τοῦ ὦ θεοί. Ἐπειδὴ εὕρηνται ἐν τοῖς μεθ' Ὅμηρον οἱ θεοὶ πόποι λεγόμενοι. οἱονεὶ ἔποποι κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὡς τὰ πάντα διοπτεύοντες. Et *Mathæus Debarus* ita scribens: πόποι, ὀνομαστικῶς οἱ θεοὶ οἱονεὶ ἔποποι παρὰ τὸ ἐποπτεύειν. Vid. *Plutarch.* de aud. poem. *Turneb.* l. 18. c. 5. *Martin.* l. c. p. 2791. *Hesych.* p. 779. Addimus hic merito quoque *Caroli Gerardi* conjecturam, cui not. ad *Aristoph.* Plut. p. 71. videtur, fortasse popana fuisse id, quod Homerus οὐλοχύτας subinde appellet, panes nimirum ex hordeo & sale confectos, & ante sacrificium aris infusos, de quibus vid. *Eustathium* p. 132. seq. 1476. *Debarum* l. c. & *Saubert.* de sacrif. p. 429. seq. & *Aug. Buchnerum*, Academiæ hujus decus quondam insigne, qui popanum a *Svetonio* in Vespas. c. 6. *panificium* appellati putat. *Olympiodorus* h. l. intelligit per כונים πέμματα, quod vocabulum tum in genere denotat, quicquid coquitur, tum in specie certum quoddam placentæ genus, ut notat *Scapula* l. c. *Hesychius* in Lex. pag. 746. pemmata ἐδέσματα ποικίλα significare dicit.

IV. Sed quid Rabbini hic tradunt? *Kimchius* in Libro Rad. pag. 222. hoc vocabulum ita exponit: כונים פירוש מיני מאכליה שהיו מכינים ומגישים למלכת השמים ולצלמיהם i. e. *Vox* כונים *significat species eduliorum, quæ præparabant, & offerebant* מלכת *& idolis suis*. Cum quo consentit quoad hæc R. *Abarbenel* in com. in h. l. p. 106. c. 2. ita scribens: לעשות כונים שהם מיני מאכלים מכינים ומגישים למלכת השמים: כונים: *ad faciendum* כונים: *quæ erant species eduliorum, quæ præparabant, & offerebant Reginæ cælorum*. Conf. quoque *Sal. Ben Melech* in Michl. Joph. p. 122. Quomodo autem Versiones hanc vocem exposuerint? quæris: *Arabs* vertit قرابين, *oblationes, quæ offeruntur Deo, sacrificia, victima*, ut habet *Golius* L. A. p. 1880. cujus radix est قرب quæ in II. Conjugatione, *obtulit Deo victimam*, significat. Vocabulo huic Arabico respondet Græcum κάρπωμα de quo *Suidas* T. I. p. 1377. κάρπωμα, θυσία προσφορὰ, i. e. τὸ κάρπωμα denotat *sacrificium, oblationem*, cum quo consentit *Scap.* p. 750. Audiamus de hac convenientia Excell. *Frischmuthium*, qui instar omnium nobis esse potest, in Differt. prior. de unica illa Mess. Host. c. 2. §. 15. ita scribentem: *Arabico non absimile, tum quoad literas, tum quoad significationem, videtur esse Græcum* κάρπωμα, *donum, quod ad placandum Deum offertur, i. e. sacrificium, victima*. Confer. quoque Cl. Dn. Præsidis, Fautoris atque studiorum meorum Directoris summopere colendi, Disp. I. de Corban. c. I. §. 3. *Chaldæus* reddidit per כרדוטין, quod vocabulum duplicem significationem habet; notat enim tum *pallium, amiculum*, & respondet Græco χειριδωτὸς, quod *tunicam manicatam* notat, (de qua vid. *Suid.* T. II. p. 1115. & A. *Gellium* Noct. Attic. L. VII. c. 12. pag. 293. *Turneb.* l. 22. Adv. c. 15. l. 29. 25. *Taubmann.* in Virg. p. 892. & Plaut. p. 843. *J. Meurs.* comment. in Lycophr. Cassandr. pag. 249. *Servium, Pompon. Sabin. & Donat.* in Virgil. pag. 1446. *Minell.* in eund. p. 529. & alios,) tum *placentas, liba*, & ita hoc loco. *Versio* τῶν ό hanc vocem כונים exposuit per χαυῶνας, quæ juxta *Hesychium*, & *Suidam* T. II. p. 1117. sunt ἄρτοι ἐλαίῳ ἀναφυραθέντος, i. e. ut explicat *Scap.* l. c. p. 797. *panes admixto oleo subacti, qua subactione fungosi fieri & laxi creduntur*.

V. *Forsterus* in Lex. p. 369. כונים per collyridas tortas, crustulas, placentas ad ignem torrefactas exponit, & nonnullos, figura fuisse triangulari, scribere recenset, cum quo consentit *Schindlerus* p. 847. & alii. Et cum *Turnebus* l. IV. adversf. c. I. ap. *Taubm.* in not. ad Plaut. p. 955. de Collyris prolixe agat, eum paulisper audiemus ita scribentem: *Senatus Grammaticorum statuit, Collyras videri parvulos panes mundos, sed & genus fictorum farinaceorum, quæ ut laganæ, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur, interdum ex jure comedantur, ut tabellas paniceas in sorbitiuncula plerumque esitamus. Frigi solitas* do-

*docent Gram. Græci*, *qui* εἶδος πλακοῦντος *interpretantur*, *&* κολλυρίζειν *explicant* λαλάγγας τηγανίζειν, i. e. *lagana in sartagine frigere*, *&* κολλύρια *exponunt* λαλαγχια. Conf. *Suid.* Tom. I. p. 1489. qui per εἶδος πλακοῦντος. *Hotting.* Hist. Orient. p. 226. qui per *tortam panis*, *tortilis placentæ genus*, & *Matth. Martin.* l. c. qui per *tortam placentæ*, exponunt; cum hoc consentit quoque *Scapula*, l. c. p. 826. vocemque hanc tali sensu apud LXX. Interpretes 2. Reg. VI. & XIII. occurrere ibidem notat.

VI. Tandem nonnulli magis ad speciem descendunt, & per כונים intelligunt *placentas Lunatas*, ( quales fuerunt σελῆναι), ex quorum numero est *Lyranus*, qui ad c. XLIV. Jer. ait: *offerebant panes rotundos*, *in quibus erat impressa effigies Lunæ*. Cum quo consentit *Ursinus* P. II. Anal. quæst. 22. seq. & *Christoph. de Castro* ad Jer. XLIV. hancque sententiam nec nos adeo improbabilem esse judicamus, huncque morem, figuram Lunæ placentis imprimendi, apud Græcos quoque viguisse infra docebitur: Hic tantum addimus, verisimile nonnullis videri, has placentas ad imitationem לחם הפנים i. e. panis facierum, ( de quo vid. *R. Abendan.* & *Raschi* ad Exod. 25. 30. *Tirinus* pag. 134. *Glass.* Rhet. S. pag. 104. *Hotting.* in Leg. Jur. Hebr. p. 122. seq. & alios ) factas fuisse, ut quemadmodum ille ad veri Dei, ita כונים ad idolorum cultum adhibiti fuerint.

VII. Quod porro ad vocem נסך attinet, illa duplicem agnoscit significatum, primo enim notat *tegumentum*, ut Num. 4. 7. Gen. 38. 14. sive habet ענין כסוי וחפוי, *sensum operimenti & tegumenti*, ut loquitur *R. Sal. ben Melech.* in Michl. Joph. p. 115. c. I. ad Jer. 10. & *R. D. Kimchi* in libro Rad. p. 303. Deinde, & quidem sæpissime, significat *effusionem & libamina*, sive est מענין היציקה והתכה, *ex significatione effusionis*, ut citatus *R. Salomon* loqui amat, & quidem ejus, qua libamen Deo vero vel falso effundebatur, de quo præ aliis audire juvat *Magnificum & Summe Reverendum DN. D. Gejerum*, *Susceptorem & Patronum meum omni honoris & observantiæ cultu ætatem devenerandum*, Comm. in Psalm. Part. I. p. 228. ubi ita scribit: *Verbum* נסך *& in Hiph.* הסיך *est sacrificiale*, *notatque effusionem libaminis*, *sive rei liquidæ*, *in honorem vel falsi Dei*; *ut Jer.* VII. 18. *c.* XIX. 13. XXXII. 29. XLIX. 17. *seq. vel veri Dei*, *ut Num.* XV. 5. 7. 10. XXVIII. 7. 2. *Sam.* XXIII. 16. ( *aqua Bethl.* ) 2. *Reg.* XVI. 13. *Gen.* XXXVII. 14. ( *oleum Jacobi* ). Et hunc in sensum quoque *Megalander* noster hanc vocem per Tranck-Opffer reddidit.

VIII. LXX. *Interpretes* τὸ נסך per σπονδὰς exposuisse deprehendimus, de qua voce *Hesychius* ita p. 869. σπονδὴ, ὁ ἐπιχεόμενος ταῖς θυσίαις οἶνος. *Johannes Grammaticus* quoque, teste *Rhodig.* L. A. p. 608. Comment. in Hesiodum σπονδὴν, i. e. *libationem* dicit esse *vini affusionem in id*, *quod immolatur*. Conf. *Suid.* T. II. p. 793. Solebant enim Judæi, cum sacrificia offerebant, aliquid vini, quod in patina habebant, ad basin altaris effundere, de quo vid. *Otton.* L. R. p. 677. & 143. qui mos effundendi quoque apud Græcos aliasque gentes fuit receptus; tales vero patinas, in quibus vinum afferebant, vocabant Græci σπονδεῖον, de quibus *Hesychius* pag. 859. σπονδεῖον ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις οἶνον ἐπέσπενδον. Et *Athenæus* l. 14. p. 239. σπονδεῖον ᾧ τὸν οἶνον ἐπισπένδουσιν ἱεροῖς. Conf. quoque *Suidam* T. II. p. 793. ubi hanc vocem vas, quo vinum in sacrificiis vel conviviis libarint, denotare dicit, sicut Λοιβάσιον ipsi erat vas, ᾧ ἐπισπένδουσι τὸ ἔλαιον τοῖς ἱεροῖς, ut loquitur *Athenæus* l. c. p. 239.

IX. Cæterum, ut hæc ὡς ἐν παρόδῳ moneamus, duplex erat libum, unum aridorum, ut dapium atque ciborum, de quo ita *Athenæus* l. 3. p. 63. ἑξῆς ἐπισυνήχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν ῥωμαῖοι λοῖβον καλοῦσι. Hoc libum alias vocabatur πόπανον, Latini illud simpliciter vocant *libum*. Alterum erat liquidorum, ut sicera, olei & præcipue vini, quod hic quoque locum habet, & hoc vocabatur Latinis *Libum libamen*, & simpliciter *libatio*, Græcis σπονδή. Quæ libatio erat vel religiosa vel profana. Illa iterum duplex erat, aliaque dicebatur οἰνόσπονδος, alia ἄοινος, de quibus *Stuckius* A. C. p. 269. Ita vero libare libationes religiosas apud Ethnicos, & inprimis Græcos & Latinos mos erat, ut pro re nata, vel in aram, vel in mensam sacram, vel focum sacrum, vel in mare consecratum diis marinis, aliquid vini vel aquæ, vel alius liquidæ materiæ effunderent, vid. *Turneb.* V. O. T. I. p. 329. l. II. Adv. c. 7. *Lipsius* Antiq. Lect. l. 3. interdum & sanguinis, ut testatur *Saubert.* de Sacrif. p. 658. Hæc, scil. *profana*, *libatio erat*, ut ait *Turneb.* V. O. T. I. p. 362. *qua antiqui post epulas uti solebant*. *Nam pateram*, pergit, *tenentes*, *ex ea aliquid in honorem Dei venerantes precantesque fundebant*; *deinde bibebant*, *veneratioque fiebat*, vid. p. 368. 286. Tom. II. pag. 94.

94. Videtur igitur omnino locum habere illud, quod ficuti voce כונים facrificium aridum fignificatum fuit, ita vocabulo נסך liquidum denotatum fuerit.

X. Nec ficco pede prætereundum eft verbum להעציבה, quod diverfimode exponitur. Cum autem alias hoc verbum *dolore afficere* fignificet, uti quoque nonnulli hanc interpretationem h. l. retinuerunt, R. D. *Kimchi* oppofitum eligit fenfum, & in ea fignificatione, qua *gaudio afficere* denotet, id ipfum accipit; ita enim fcribit in h. l. על דרך הכנוי ר״ל לשמחה: *per antiphrafin hoc intelligendum eft, q. d. ad exhilarandam eam*, cumque literam He raphatam pronominis vicem hic fuftinere credat, hinc Mappik, alias huic literæ imprimendum, omiffum effe afferit; Secus tamen *Ludov. de Dieu* videtur, qui abfentiam τῦ Mappik He paragogicum potius, quam affixum indicare in Animadverf. fuis in h. l. pag. 608. ftatuit, qui quoque in eo peculiarem fovet conjecturam, quod, hanc vocem ex Æthiopica lingua illuftraturus, ubi עצב in Kal fignificet *pretiofum effe*, eandem verti poffe arbitretur per: *pretiofe faciendo & libando ei libamina, i. e. pretiofa libamina ei libando*, idque phrafi Hebræa, qua *pretiofe fecit & libavit*, pro *pretiofe libavit*, dicatur. Verum quicquid fit de hac explicatione, ex Æthiopicæ linguæ collatione adducta, ex qua Philologos eruditiffimos alias Radices apud Hebræos non amplius extantes accerfere fcimus hic non fufficientem videmus rationem, quare, cum hæc vox duo fignificata admittat, & vel ראנה או עמל, *dolorem aut laborem*, vel עבודת אלילים, *cultum idolorum* denotet, ut obfervat *Buxtorf.* in Concord. Ebr. in hac voce, & *Reuchlin.* in Concord. *R. Mard. Nath.* p. 662. feq. hic pofterior fignificatio non retineri, verboque huic talis fenfus: *ad tribuendum ei honorem fimulacri*, adfcribi debeat. Sic *Buxtorf.* in Lex. vocem hanc exponit per: *idololatricum cultum exhibendo ei, vel idola effingendo: Idolorum formam offerendo ei*; honor enim talis *cum effingendo vel imaginem placentis inprimendo, tum religiofe venerando*, ab Ifraelitis huic idolo exhiberi potuit. Adde *R. Abarbenel.* Comm. in Jer. 44. ubi fignificationem cultus idololatrici hic ftatuit, dum ita: מאמר להעציבה אמרו המפרשים שהוא כנוי ועניני לשמחה ואינו נכון אבל אחשוב שהוא יקראו עצבים כאילו אמר לעברה כדרך צלם: *Verbum* להעציבה *interpretes, per antiphrafin explicantes, idem fignificare ajunt, ac ad exhilarandam eam. Hoc vero minus recte dicitur: Mea fententia fignificationem trahit ex voce* עצבים, *quia idola alias ita vocant, q. d. ad colendam eam inftar fimulacri.* Conf. R. *Sal Ben Melech*, l. c. p. 122. c. 2. ubi fcribit: להעציבה כלומר לעשות לה עצבים והם הפסילים להעציבה *q. d. ad faciendum ipfi* עצבים, *& illa funt idola.* Ita quoque Pifcator reddidit; *effigiando (ad verbum idolificando) illud.* Et Tigurina verfio: *ad effingendam eam.* Sic quoque *Corn. a Lapid. notante Ven. Dn. Parent.* in Bibl. ill. in h. l. per: *ad elaborandum idolum in eis.* Hebræum vocabulum expofuit, *quod in fuis placentis efformarint vel imprefferint effigiem idoli fui.* Quam rem concludimus verbis, quæ habet *Delrio*, in Adag. T. II. p. 115. ubi confuetudinem talem adducturus, ita fcribit: *Aquila* (in voce עצב) *attendit ad curam & artificium in idolis fundendis; fculpendis, dolandis & deafciandis, quod confirmatur* ex *Jer.* XLIV. *v.* 19.

XI. Non adeo diffimilem cultum, placentarum oblatione, apud Græcos quoque Lunæ exhibitum fuiffe, ex variis autoribus & monumentis conftat, dum eidem placentas effigiatas, quæ σελήναι vocabantur, obtuliffe leguntur. Percipiemus autem prius, quomodo tales defcribantur, quamque varie denominentur, quam, quomodo oblatæ fuerint, exponamus. De his σελήναις ita fcribit *Hefychius*, l. c. p. 832. σελήνας. πόπανον τῷ ἄςρῳ ὅμοιον πέμμα π. Et *Suidas* Tom. II. p. 726. σελῆναι πέμματα κυκλοτερῆ σελῆναι *funt placentæ planæ rotundæ*, ubi *Æmilius Portus* in verfione *Suidæ* hoc apponit: *Lunæ, placentæ Lunæ figuram & fpeciem habentes, placentæ lunatæ.* Adde quoque *Mathæum Debarum* in Ind. Euftath. ita fcribentem, σελήνη ὁμωνύμως εἶδος πέμματος πλατέος κυκλοτερῦς. Nec non magnum illud literarum lumen *If. Cafaubonum* Animadv. in Athen. lib. II. cap. 12. pag. 812. ubi ita legimus: Græci σελήνας *appellarunt non illas ftellulas, quibus ornabant τὰς φθόεις, fed liborum aliquod genus peculiare.*

XII. Ita σελῆναι vocabantur quoque πέλανοι quod vocabulum & in generali, & fpeciali acceptione occurrit. De priori teftatur *Jul. Pollux* l. 6. c. 11. p. 324. his verbis: πέλανοι κοινοὶ πᾶσι θεοῖς, κέκληνται δὲ ἀπὸ τῦ σχήματος ὥσπερ ὀβῦς: & *Suidas* T. I. p. 253. πέλανοι τὰ ἐς θεῦς πέμματα. Idem T. II. p. 476. poftquam de his fequentia notarat: Πέλανος γίνεται τινα πέμματα τοῖς θεοῖς ἐκ τῦ ἀφαρε-

ῥεθέντος σίτου ἐκ τῆς ἅλω. δίδυμος δέ φησι κυρίως εἶναι πέλανον τὸ ἐκ παιπάλης πέμμα. ἐξ ἧς ποιοῦνται πέμματα. ἢ καὶ ἀπὸ τοῦ πεπλατύνθαι. ἢ ὅτι λευκόν ἐστιν. ἢ διὰ τὸ φανὸν εἶναι, ὅ ἐστι λευκόν. i. e. Πέλανος. *Placenta. Quædam placentæ fiunt Diis ex frumento area sublato. Didymus vero dicit*, πέλανον *proprie esse placentam ex tenuissimo farinæ factam flore, ex quo placentæ fiunt. Vel etiam* πέλανον i. e. *placentam vocatam* ἀπὸ τοῦ πεπλατύνθαι, *quod sit dilatata. Vel quod sit alba. Vel quod sit* φανός id e. *candida*; subjicit: Πέμανοι· πέμματα ἐκ παιπάλης τουτέστιν ἀλεύρου λεπτοτέρου, ἐς θυσίαν ἐπιτήδεια· ὡς αὐτός φησι καρποὶ μέλιτι δεδευμένοι· διονύσιος θραξί· θεοῖς ἀπαρχαί τινες· i. e. Πέλανοι *Placentæ confectæ ex pæpale, hoc est, ex tenuissima farina, ad sacrificium aptæ. Ut ipse dicit fruges melle rigatæ. Dionysius Thracibus* πέλανοι *sunt, Diis primitiæ quædam oblatæ*. Conf. *Aristoph.* in Pluto p. 71. ubi in Scholiis Græc. modus sacrificandi pelanos describitur, ὅτι τὸν μὲν πέλανον ἐν τῷ πυρὶ ἔρριπτον, τὰ δὲ πόπανα, καὶ τοὺς πλακοῦντας καὶ τἄλλα ἐν μέρει τοῦ βωμοῦ ἐπίθεσαν, quem ita quoque ibid. *Carol. Gerardus* recenset: *Tradunt pelanos sanctificari consuevisse* ἐν τῷ πυρὶ *&* (*quod ait poeta*) ἐν ἡφαίστου φλογί. *Popana autem & alias placentas* ἐν μέρει τοῦ βωμοῦ, *in aliqua parte altaris*. In posteriori autem magisque speciali acceptione hanc vocem, πέλανος, Lunæ cultui assignatam legimus; de qua ita *Suidas*. T. II. pag. 726. scribit: ἐν ἐρεχθεῖ τοὺς σεληναίους πελάνους εἴρηκεν εὐριπίδης.

> Καί μοι πολὺν γὰρ πέλανον ἐκπέμπει δόμων
> Φράσον σεληναίοις τοὺς δὲ πυρίμους χλόης.

i. e. *In Erechtheo Euripides istas placentas lunatas vocavit pelanos: Etenim mihi multum pelanum* i. e. magnam lunatarum placentarum copiam *emittit ex ædibus. Voca Lunas istas*, istas lunatas placentas *igne meo* coctas, & confectas ex frumento Cereris cognomento *Chloes*. Ita quoque *Math. Debar.* l. c. scribit: πέλανος εἶδος πεμμάτων πλατέων κυκλομερῶν, ἃ καὶ σεληνοῖα ἐλέγοντο.

XIII. Occurrit quoque sæpe apud Græcos scriptores vox φθόϊς, & per contract. φθοῖς, qua idem cultus lunæ, vocibus jam adductis denotatus, exprimitur. De qua voce *Scholiastes Aristophanis* p. 72. ita scribit: φθοῖς, ἀττικοὶ μὲν μονοσυλλάβως οἱ φθοῖς, ὁ δὲ καλλίμαχος, φθόϊας ἀντὶ τοῦ πλακοῦντας, πέμματα. Ubi *Bisetus* inter alia addit: φθοῖς πλακοῦς ποιὸς ἐκ τυροῦ καὶ μέλιτος συσκευαζόμενος· ἄδηλον δὲ εἰ κλίνεται ἡ λέξις. Addatur & *Suidas*, cujus T. II. p. 2069. verba cum versione Latina ita se habent: φθοῖς ἐστιν ὄνομα πλακοῦντος. πέμματα ἃ τοῖς θεοῖς μετὰ τῶν σπλάγχνων ἔθυον. ἐν ἐπιγράμματι καὶ τροχιὰν ἐν κανέῳ φθοΐδας σοι παύτας ἐφ' ἅλωος ὦ δάματερ φέρω· τοὺς φθοῖς μονοσυλλάβως ἔθος λέγειν τοῖς ἀττικοῖς· id est *Phthois est placentæ nomen. Erant autem bellaria, quæ cum visceribus sacrificabant Diis. In epigrammate. Et trochiam. N. L. fortasse jam placentæ genus rotæ simile significat, i. orbiculatam placentam in canistro, & phthoidas istas i. placentas, aliud placentæ genus, in aream* (*o Ceres*) *tibi fero.* τοὺς φθοῖς *per unicam syllabam dicere solent Attici*. Conf. *Ejusd.* T. I. p. 253. & *Hesych.* l. c. His adjungimus ea, quæ de hac voce nobis tradit *Athenæus* L. XI. ubi simul de convenientia vocis hujus cum voce σελήνη loquitur: cumque locus haud parum in quibusdam Editionibus corruptus sit, hinc ex emendato Codice *Casauboni* verba sequentia citamus, quæ hæc sunt: οἱ παλαιοὶ καὶ τὰ περὶ ἥμερον τροφὴν πρῶτοι διαταξάμενοι τοῖς ἀνθρώποις πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι σφαιροειδῆ, λαμβάνοντες ἔκ τε τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ τῆς σελήνης σχήματος ἐναργεῖς φαντασίας, καὶ τὰ περὶ τὴν ἀνθρώπινον τροφὴν τῷ περιέχοντι κατὰ τὴν ἰδέαν τοῦ σχήματος ἀφομοιοῦν τράπεζαν κυκλοειδῆ κατεσκευάσαντο, καὶ τοὺς τρίποδας τοὺς τοῖς θεοῖς [καθαγιζομένους, καὶ τοὺς φθόεις κυκλοτερεῖς καὶ ἀστέρας ἔχοντας καὶ οὓς alii ἃς legunt) καλοῦσι σελήνας, quæ sic redduntur: *Veteres, & qui primi mortalibus de humano victu constituerunt, persuasi, mundum esse sphæricum, sumtis ex Solis Lunæque figura evidentibus speciebus, æquum judicabant, istorum figuræ assimilare ea, quæ ad humanum victum pertinent. Propterea mensam orbicularem, & tripodes Diis consecratas, Phthoidasque orbiculares & stellas habentes confecerunt, quas etiam Lunas seu Lunatas placentas vocabant*. Quem locum mihi suppeditavit, id quod grato animo hic refero, magnum illud Græcanicæ eruditionis decus, Dn. *Balthasar Stolbergius*, Patronus & Præceptor meus observanter ætatem devenerandus.

XIV. Sed quæris, idque merito, quomodo dictæ placentæ lunatæ oblatæ fuerint? cum hoc ipsum *Eustathius* pulcre explicet, ejus verbis, licet prolixius, rem exponere placet, qui p. 1165. ita scribit: ἱστέον δὲ πολυμαθείας χάριν, καὶ ὅτι βοῦς παρὰ τοῖς παλαιοῖς ἐλέγετο καὶ τι πέμμα-

ματος εἶδος ἀφ' ȣ̈ παροιμία τὸ, βȣ̃ς ἕβδομος, ἔχȣσα λόγον τοιῶδε. Σελῆναι πέμματα ἦσαν πλατέα κυκλοτερῆ. ἐπὶ δὲ ἓξ σελήναις τοιαύταις, βȣ̃ν φασιν ἕβδομον, ἔπεττον κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν πρωτοφυȣ̃ς σελήνης, ἔθυον μὲν ȣ̃ν ϗ ἐπὶ τέσσαρσι ποπάνοις τȣ̃τον τὸν βȣ̃ν ϗ ἐκάλȣν αὐτὸν πέμπτον βȣ̃ν, μᾶλλον μέντοι ἐπὶ ταῖς ἓξ ἔθυον αὐτὸν, ὃς ϗ ἐκαλεῖτο διὰ τȣ̃το ἕβδομος βȣ̃ς. ὁδὲ ταῦτα ἱϛορήσας Παυσανίας λέγει, ϗ ὅτι αἱ ῥηθεῖσαι σελῆναι τὰ πέμματα, ϗ πέλανοι ἐλέγοντο. i. e. *Multijugæ vero eruditionis gratia sciendum, a Veteribus etiam quoddam genus placentæ* βȣ̃ς *dictum esse, unde proverbium* (βȣ̃ς ἕβδομος) *ortum, de quo talia traduntur* Σελῆναι *erant placentæ planæ, rotundæ; post sex vero tales placentas Lunatas bovem, ut vocant, septimum confecerunt, cornua habentem ad imitationem primum nascentis vel exorientis Lunæ. Immolarunt itaque etiam post quatuor popana hunc bovem, & vocarunt eum* πεμπτὸν βȣ̃ν, *quintum bovem; magis tamen post sex immolarunt illum, qui propterea etiam dictus est septimus bos. Pausanias vero hæc narrans asserit, quod* πέμματα, *quæ* σελῆναι *dicebantur, alio nomine appellata sint* πέλανοι. Ubi inter alia quoque, ut hoc tantum addamus, subjicit, quod ἀμφιφῶντας facibus circumquaque accensis obtulerint, de quo ritu confer. *Athenæus* L. xiv. p. 319. *Jul. Pollux* L. iv. c. xi. p. 324. *Hesychius* pag. 84. *Suidas* T. i. p. 220. *Jonston.* Polyh. T. i. p. 224. *Scapul.* l. c. p. 1715. & *Stuckius* A. C. L. i. p. 83. &c. De Bove vero septimo *Pollux* l. jam cit. ita: βȣ̃ς πέμμα ἐϛὶ κέρατα ἔχων πεπηγμένα, & *Hesychius* p. 198. βȣ̃ς ἕβδομος, scribit, μνημονεύοι δὲ τȣ̃ ἑβδόμȣ βοὸς ὁ πὶ δὲ πέμμα ἐϛὶ ϗαὶ τῆς σελήνης ἱερῶν κλητοδήμος ἐν ἀπόδει φησί.

XV. Cum iis, quæ ex *Eustathio* de tali cultu adduximus, *Suidas* quoque consentit T. i. p. 253. ubi hæc notat: ἐπὶ δὲ ἓξ σελήναις βȣ̃ν ἕβδομον ἔπεπτον κέρατα κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφυȣ̃ς σελήνης. ἔθυον μὲν ȣ̃ν ϗαὶ ἐπὶ τέσσαρσι ποπάνοις τȣ̃τον τὸν βȣ̃ν, ϗαὶ ἐκάλȣν αὐτὸν πέμπτον βȣ̃ν, μᾶλλον δὲ ἐπὶ ταῖς ἓξ, i. e. ut vertit Æmil. Portus: *Post sex vero Lunas, bovem septimum pinsebant, i. e. faciebant, habentem cornua ad imitationem Lunæ primum nascentis, & primum crescentis; Immolabant tamen etiam post quatuor popana hunc bovem, & ipsum vocabant quintum bovem; Plerumque tamen post sex Lunas hunc immolabant.* Conf. eund. T. i. p. 571. & T. ii. p. 726. Nec hunc ritum silentio præteriit *Erasmus*, qui in Adag. circa supra citatum proverbium, βȣ̃ς ἕβδομος p. 267. ita scribit: *Hinc ortum esse* (sc. proverbium,) *tradunt, quod antiquitus post sextam Lunam bovis imaginem e farina pinsere consueverint, qui septimam Lunam cornibus referret.* Addatur quoque *Hadr. Junius* L. G. qui Selenas putat fuisse pemmata rotunda & lata, iisque sex ordine in struem aggestis impositum fuisse bovem septimum. De quo plura quidem addere poteramus, quæ tamen brevitatis causa jam omittimus, hoc tantum addentes, quod σελῆναι, (in similibus speciebus similis est ratio) haud incommode cum כונים a Judæis oblatis conferri possint; sicut enim hæ σελῆναι fuerunt placentæ, effigiem Lunæ habentes s. Lunatæ, ita & כונים placentas fuisse certum, & Lunæ, ceu primarii cujusdam sideris, formam gessisse, non adeo improbabile est.

XVI. Hoc ipsum, Romano-Catholici imitati fuerunt, dum hæc, ad B. Mariam, quæ secundum illos ut Luna inter ignes minores eminet, & in sanctorum choro proprietatem obtinet, transtulerunt. Prodeat præ aliis Archi-Episcopus Genuensis, *Jacobus de Voragine*, qui, citante B. *Hulsem.* Comm. in Jer. pag. 817. in Mariali suo serm. i. lit. R. his verbis de D. Mariæ cultu disserit: *Quando Rex faciem suam alicui abscondit, tunc ipsa Regina maxime suam misericordiam ostendit, quando homo ad ipsam cum vero corde & vera devotione recurrit, unde illud, quod vanæ mulieres dixerunt de Luna, nos exponamus de ista Regida: Sacrificavimus Reginæ cœli, & libavimus ei libamina, & fecimus ei placentas, & & tunc saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Debemus Reginæ nostræ sacrificare corpora nostra per mortificationem, & libare corda liquida per quandam lacrymosam compassionem, & offerre ei placentas,* id est *conscientias mundas, & tunc ab ipsa saturabimur pane,* id est *interna refectione, nec videbimus malum pœnæ æternæ, quia acquirimus bonum gratiæ & gloriæ, illi autem, qui eam non habent, penuriam gratiæ & gloriæ; consumuntu fame consolationis divinæ & gladio tentationis diabolicæ.* Ne quis autem dubius sit, num hæc Archiepiscopi sententia illis placeat, hoc ipsum Mariale cum Præfatione ad Comitem in Hohenzollern, Episcopum Osnabrugensem, & approbatione publica rursus in lucem editum est Anno 1616. qua præfatione sermones hi vocentur *tuba argentea, clangens, humanæque scien-tiæ*

*tiæ nomine celeberrimæ*, &c. Conf. Eundem in Manual. Aug. Conf. pag. 975. Cumque illi B. Mariam passim *Reginam Cœli* denominent, eamque hoc nomine deprædicent, ceu inter alia ex App. Breviar. Rom. in Offic. B. Mariæ patet, ubi pag. 90. gloriosa Regina mundi, & pag. 108. Regina Cœli vocatur. Sic & Bernhardin. de Bustis lib. VI. tit. 3. *Mariam esse Reginam cœlestis regni, ubi plenariam habeat potestatem, quicquid voluerit, imperandi* &c. ap. B. Botsacc. in Moral. Gedan. pag. 583. dicit. Et Gabr. Biel, *Deiparæ Virgini Patrem cœlestem dimidium regni sui dedisse*, ap. B. Dannh. in Coll. Decal. pag. 74. scripsit. Conf. Bellarm. Tom. IV. pag. 1187. seqq. ubi hanc denominationem tum ex eo, quod omnes beati Reges sint, tum, quia D. Maria vera mater Regis Regum sit, defendit. Ex Nostratibus B. *Chemnit.* in Conc. Trid. de Invoc. Sanct. *Botsacc.* l. c. & Max. Rev. & Excellentiss. *Dn. D. Tentzelius* in der Gründl. Rettung der Luther. Kirch. cap. IV. p. 614. aliique hanc in rem videri possunt; Hinc multi, hæc aliaque Romano-Catholicorum asserta considerantes, hujus denominationis originem quoque ex locis hisce Jeremiæ accersitam suspicantur. Ut alios taceamus, *Sixtini Am.* in Antib. Bibl. pag. 713. conjectura hæc est: *Fortassis hinc*, ex Jer. XLIV. *quoque Romano-Catholici elogium Reginæ cœli beatissimæ virgini Mariæ mutuati sunt*. Gabriel Biel in Can. Miss. lect. 8. *Confugimus primo ad B. Virginem, cœlorum Reginam, cui Rex regum dimidium regni sui dedit*.

XVII. Cum autem tempus omnino moneat, ut vela sermonis contraham, & portum respiciam, hic acquiesco, majorem in modum rogitans, ut B. Lector ea, quæ allata sunt, meliorem in partem interpretari, &, si quid minus accurate, nec pro rei & Lectoris dignitate tractatum fuerit, tum materiæ difficultati, tum teneræ ætati meæ benevole adscribere, suoque favore hos conatus imposterum quoque prosequi velit: Sit ita.



JO.

# JOHANNIS CRAUSII DISSERTATIO DE SUCCOTH BENOTH.

QUam invisi Judæis fuerint Samaritani, pluribus plures edocent, nec obscure innuit R. *Aben esra:* inquiens, כל האוכל בשר כותי כאילו אוכל בשר חזיר ואל יתגייר כותי ואין להם חלק בתחיית המתים: h. e. *Quicunque comederit carnem Cuthæi, sicuti, qui comedit carnem porcinam; Neque fiat Cuthæus proselytus; Neque sit illis pars in resurrectione mortuorum*, ceu vertit Kircherus. Quibus gemella vide apud R. *Abarbenelem* in II. Reg. XVII. Utut vero complures Vatiniani hujus odii assignari queant causæ, non ultima tamen erat detestanda illa, cui se mancipaverant Cuthæi, idolomania, & πολυθεότης, quæ describitur II. Reg. XVII. 30. 31. Omnia vero eorundem simulacra quæ fuerint dispicere impræsentiarum animus non est: sed saltim, quæ de Succoth Benoth ab Autoribus afferantur, & quid συνάφεια textus suppeditet, Christo auspice, לְעַד recensere allubescit.

I. Ante vero, quam telam texere incipiam, ipsa textus verba in scenam producam ex II. Reg. XVII. 29. 30. 31. & quæ in eum commentatur R. *Abarbenel* subjiciam. Verba θεόπνευστα hæc sunt: ויהיו עושים גוי גוי אלהיו ויניחו בבית הבמות אשר עשו השמרונים גוי גוי בעריהם אשר הם ישבים שם: ואנשי בבל עשו את סכות בנות ואנשי כות עשו את נרגל ואנשי חמת עשו את אשימה: והעוים עשו את נבחז ואת תרתק והספרוים שורפים את בניהם באש לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים: h. e. interprete Seldeno: *Fecerunt autem singulæ gentes sibi Deos suos, & reposuerunt in templis excelsorum, quæ fecerant Samaritæ, gens quæque in civitatibus suis, in quibus illæ habitant. Viri quidem Babel fecerunt Succoth Benoth, & viri Cuth fecerunt Nergal, & viri Hamath fecerunt Ashimah. Avitæ autem fecerunt Nibbaz & Tharthac, & Sepharvajim comburebant filios suos in igne τοῖς Adramelech & Anamelech Diis Sepharvajim.* Commentarius autem *Abarbenelis* ita habet: היו הגוים עובדים גוי וגוי מהם עבודת אלקי הנכר והיו מניחים ע״ז שלהם בבתי הבמות אשר עשו בני ישראל השמרונים בביותם על אדמתם בערי שמרון וספר הכתיב שמות האלוהות אשר היו עובדים אותם הגוים כי הנה אנשי בבל עם חיות שבנמן אחר היה שם עבודה זרה שלהם כל כמו שאמ׳ כרע בל קרס נבו הנה עתה עשו להם את סכות בנות וכבר כתבתי שאח״ל שהיה זה תרנגלת אחת או דמותה שהיו עובדים ופירוש סכות בנות בלשונם תרנגלת עם אפרחיה ואנשי כות שהיה עיר אחרת בארץ כשדיים שהבאי להתישב בארץ עשו להם את נרגל שהוא התרנגול הזכר ואנשי חמת עשו את אשימא ר״ל התיש הנקרא בלשון ח״ל ברחא קרחא ופירוש אשימה אימרה והעוים עשו את נבחז שהוא הכלב שנובח בעזות ואת תרתק שפירשו בו צורת חמור וכן אנשי ספרוים היו שרפי׳ את בניהם לאדרמלך וענמלך אלהיהם שהם הפרד וסוס כמו שפי׳ ח״ל כל זה בפרק ארבע מיתות הנזכר:

Quæ Paraphrasis huc redit: *Quælibet gens suum colebat Deastrum, eumque in sacellum ab Israelitis, cum etiamnum in Samaritano districtu subsisterent, excitatum deportabat. Recenset autem Scriptura nomina eorum Deorum, quos gentes istæ venerabantur. Quantumvis vero Babylonii alias coluissent Deum Bel, ceu dicitur* (Jes. XLVI. 1.) *Cecidit Bel, corruit Nebo: Impræsentiarum tamen sibi fecerunt Succoth Benoth. Jam tum autem innui, quod dicant Sapientes b. m. fuisse Gallinam quandam ejusve imaginem, quam suspexerint Babylonii: Namque in eorum lingua Succoth Benoth explicatur per gallinam cum pullis suis. Et viri Cuth, quæ erat alia civitas in terra Chaldæorum, ad incolendam regionem Samariticam adventantium fabricavere sibi Nergali, i. e. Gallum marem. Et viri Hemath fecere sibi Asima i. e. hircum, qui apud Sapientes l. m. audit caper calvus, & sic Asima idem quod pecus. Et Avitæ fecere sibi Nibhas sive canem vehementer latrantem, & Tharthac sive figuram asini. Et tandem viri Sepharvajim conbussere natos suos Adramelecho & Anamelecho Diis suis,*

qui

*qui sunt mulus & equus. Et sic explicant Sapientes b. m. omnia hæc in citato capite* ארבע מיתות.

II. Ita Abarbeneli textus explicandus videtur. Nunc ad idolum ipsum transeo. Haud abs re vero actutum in limine cum *Ampl. & Excell. Dn. Frischmuthio*, *Patrono*, *Promotore atque Præceptore longe meritissimo*, ex *Disputat. de Melechet Cœli cap.* 1. §. 2. conqueror, complures Interpretum hoc Succoth Benoth tanquam obscuræ originis idolum sicco pede transiisse. Quamvis nec Scriptores illi, qui ejus mentionem faciunt, sint ὁμόψηφοι. Quidam enim per Succoth Benot intelligunt fanum idololatricum, in quam sententiam ex Veteribus citatur *Eucherius* Lugdunensis in Gallia Episcopus in IV. Reg. cap. XXVI. Et ex Neotericis eandem suam faciunt celeberrimi isti Triumviri *Joh. Seldenus* Syntagm. 2. de Diis Syris cap. 7. pag. 308. *Gerh. Joh. Vossius* l. 2. Theol. Gent. & Physiol. Christ. cap. 22. pag. 413. & *Hugo Grotius* in h. l. Idolum vero, cujus templum sit Succoth Benoth, fertur esse Venus Assyria, quippe quæ a Babyloniis divino excipiebatur honore. Patescit id ex *Herodoto* lib. 1. qui vocatur Clio, pag. ex editione Joh. Friderici, 330. ubi fusius hoc persequitur: Ὁ δὲ δὴ, inquiens, αἴχιστος τῶν νόμων ἐστὶ τοῖσι βαβυλωνίοισι ὅδε. δεῖ πᾶσαν γυναῖκα ἐπιχωρίην ἱζομένην ἐς ἱρὸν Ἀφροδίτης ἅπαξ ἐν τῇ ζόῃ μιχθῆναι ἀνδρὶ ξείνῳ. πολλαὶ δὲ καὶ οὐκ ἀξιούμεναι ἀναμίσγεσθαι τῇσι ἄλλῃσι, οἷαι πλούτῳ ὑπερφρονέουσαι, ἐπὶ ζευγέων ἐν καμάρῃσι ἐλάσασαι, πρὸς τὸ ἱρὸν ἑστᾶσι. θεραπηίη δέ σφι ἕπεται πολλὴ ὄπισθεν. αἱ δὲ πλεῦνες πλεῦνες ποιεῦσιν ὧδε. Ἐν τεμένεϊ Ἀφροδίτης κατέαται, στέφανον περὶ τῇσι κεφαλῇσι ἔχουσαι θώμιγγος, πολλαὶ γυναῖκες. αἱ μὲν γὰρ προσέρχονται, αἱ δὲ ἀπέρχονται. χοινοτενέες δὲ διέξοδοι πάντα τρόπον ὁδῶν ἔχουσι διὰ τῶν γυναικῶν, δι' ὧν οἱ ξεῖνοι διεξιόντες ἐκλέγονται. ἔνθα ἐπεὰν ἵζηται γυνὴ, οὐ πρότερον ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία, ἤ τις οἱ ξείνων ἀργύριον ἐμβαλὼν ἐς τὰ γούνατα μιχθῇ ἔξω τοῦ ἱροῦ. ἐμβαλόντα δὲ δεῖ εἰπεῖν τοσόνδε. Ἐπικαλέω σοι τὴν θεὸν Μύλιττα. Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι. τὸ δὲ ἀργύριον μέγαθός ἐστι ὅσον ὦν. οὐ γὰρ μὴ ἀπώσηται. οὐ γάρ οἱ θέμις ἐστὶ, γίνεται γὰρ ἱρὸν τοῦτο τὸ ἀργύριον. τῷ δὲ πρώτῳ ἐμβαλόντι ἕπεται. οὐδὲ ἀποδοκιμᾷ οὐδένα. ἐπεὰν δὲ μιχθῇ, ἀποσιωσαμένη τῇ θεῷ, ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία. καὶ τὠπὸ τούτου οὐκ οὕτω μέγα τί οἱ δώσεις, ὥς μιν λάμψεαι. Ὅσαι μέν νυν εἴδεός τε ἐπαμμέναι εἰσὶ καὶ μεγάθεος, ταχὺ ἀπαλλάττονται. ὅσαι δὲ ἄμορφοι αὐτέων εἰσὶ, χρόνον πολλὸν προσμένουσι, οὐ δυνάμεναι τὸν νόμον ἐκπλῆσαι. καὶ γὰρ τελέτεα καὶ τετραέτεα τετεξέτεραι χρόνον μένουσι.

III. Collactea hisce reperias apud *Strabon. lib.* 16. *Geograph.* non procul ab initio pag. 493. ex edit. Conr. Heresbachli, Basileæ ann. 1539. excusa. *Omnibus*, inquit ibid. *Babyloniorum mulieribus mos est, ex causa quadam in aliqua re Venerea cum hospite permisceri, cum turba & cultu plurimo ad illum venientibus; quælibet nodo aliquo coronatur. Qui vero ad eam admittitur, posito super ejus genibus argento, quantum sibi videtur, coit, longe ea a fano abducta. Id argentum Veneri sacrum est.* Collineat huc etiam (vid. Plur. Rev. Dn. *Dilherrus* T. 1. Dispp. Acad. disp. 8.) tmema 43. epistolæ Jeremiæ Barucho subnexæ: Αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι χοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα, ὅταν δέ τις αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα ὑπό τινος τῶν παραπορευομένων κοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει, ὅτι οὐκ ἠξίωται ὥσπερ καὶ αὐτὴ, οὐδὲ τὸ χοινίον αὐτῆς διεῤῥάγη. Sacra hæc postmodum a Babyloniis apud Phœnices, & ab his apud Afros dicuntur propagata esse. Vid. Seld. I. d.

IV. Sunt vero alii, iique longe plurimi juxta ac antiquissimi, qui Succoth Benoth de ipso idolo accipiunt, ut hinc, si verum est, quod habetur apud *Ben Sira* in Proverbiis: סבא בביתא סימנא טבא בביתא: *Senex in domo, signum bonum in domo*, non parum probabilitatis huic sententiæ accedat. Referendi sunt in hoc album *Arabs*, qui ita reddit: أوعل نابل يعبدون ساخوت بنوت *Cives Babelis serviebant Suchoth Benoth. Syrus*, cujus hæc sunt verba: ܘܥܡܘܪܐ ܕܒܒܠ ܦܠܚܝܢ ܗܘܘ ܣܘܟܘܬ ܒܢܘܬ *Incolæ Babelis colebant Succoth Benoth. Targum Jonath*: quod ita: ואנשי בבל עבדו ית סכות בנות: *Homines Babel fecerunt Succoth Benoth*. Cum quibus etiam conveniunt ista, quæ habentur apud LXX. *Interpp.* Καὶ οἱ ἄνδρες Βαβυλῶνος ἐποίησαν τὴν Σωκχὼθ βενίθ. Iisque pariter subscribunt in suis Versionibus *Luth.* חַנִּצְּבָה, *Vulgatus*, *Fr. Vatablus*, *Xant. Pagninus*, *Ar. Montanus*, *Seb. Munsterus*, *Joh. Piscator*, *Fr. Junius*, & *Imm. Tremellius*, ac Commentatores Ebræi.

V. Quale vero fuerit idolum, id equidem a paucis rescitcas, nisi quod Hebræorum sententiam affert *Buxtorf. in Lex. Rabb. Lyranus* in h. l. *Corn. a Lap. Munsterus*, *Quistorpius* & *Abulensis* quæst 20. in h. l. Depromta vero illa est ex ipsis *Pandectis Talmudicis* ex Massechet סנהדרין

סנהדרין cap. ארבע מיתות Verba editionis Venetæ ann. 1520. a Bombergio in lucem emissæ, quæ habetur in inclytæ hujus Salanæ Bibliotheca, Tom. VI. c. pag. 63. hæc sunt : אמר רב יהודה אמ׳ רב אנשי בבל עשו את סכות בנות ומאי ניהו תרנגלת אנשי כות עשו נרגל ומאי ניהו תרנגל אנשי חמת עשו את אשימה ומאי ניהו ברחא קרחא העוים עשו את נבחז ואת תרתק ומאי ניהו כלב וחמור והספרוי שורפין את בניהן ואת בנותיהן לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים ומאי ניהו הפרד והסוס אדרמלך דאדר ליה למרי׳ בעבידתיה וענמלך דעני למריה בקרבא: *Dixit R. Juda ex ore alius Rabbini : Viri Babel fecerunt Succoth Benoth. Ecquid est illud? Gallina. Viri Cuth fecere Nergal, i. e. gallinam. Viri Hemath fecere Asima, h. e. hircum calvum. Avitæ fecere Nibbas & Tharthak sive canem & asinum. Sepharvaitæ combussere filios suos juxta cum filiabus Adramelecho & Anamelecho sive mulo & equo, ex quibus ille Adramelechi nomine venit eo, quod sit magnificus domino suo in opere: Hic vero audit Anamelech, quia mansuetus est Domino suo in prælio.*

VI. Repetuntur hæc ipsa totidem verbis in ילקוט, & adducuntur a reliquis quoque Hebræorum Magistris, cum quodam tamen discrimine. R. *Abarbenel* siquidem per gallinam istam intelligi arbitratur gallinam vivam, quæ Babyloniis fuerit loco Numinis. Elucescit hoc ex ipsis ejus verbis : Postquam enim l. d. scripsisset decem esse idolololatriæ species, & quinque earum enumerasset, de sexta porro hæc habet : המין הששי מהעבודה הוא מה שהיו עובדים בעל׳ חי אחד לחשבם שהיה בו רוחניות מהעליונים וכן היה׳ ענין העשתרות וכמו דגון שקוץ פלשתים וכמו ששעו הכשדים בתנין גדול שאח״ל שהמית דניאל והכשדים אשר באו להתישב בארץ ישראל אנשי בבל עשו את סכות בנות ואמר רב יהודה פרק ארבע מיתות שהיו עובדים תרנגלת ואנשי כות עשו את נרגל שהוא התרנגול ואנשי חמת עשו את אסימה שהוא התיש והעוים את נבחז ואת תרתק שהיו כלב וחמור כמו שזכרו ח״ל במקום הנזכר: *Sexta species idolololatriæ est, quod coluerunt animal quodpiam, eo quod opinarentur spirituale quid e supernis ipsi inesse. Et huc pertinet Astharoth, it. Dagon abominatio Philistæorum. Chaldæi etiam in hunc impegerunt lapidem, colentes Draconem ingentem, quem, Magistris b. m. testibus, interemit Daniel. Quid? quod nec illi Chaldæi, qui in territorium Israeliticum concedebant, ut inibi habitarent, ab hac labe immunes sint. Viri enim Babel fecere Succoth: Dixit R. Juda capit.* ארבע מיתות, *quod coluerint gallinam. Cuthæi fecere Nergal h. e. gallum. Et Hemathæi fecere Asima sive hircum. Avitæ autem Nibbas & Tharthak sive canem & asinum, ceu docent Sapientes nostri loco laudato.*

VII. Ita hic docet Abarbenel. In posterioribus tamen, quæ vide supr. §. I. dubitabundus gallinam ejusve imaginem innui statuit. Sociennis vero ejusd. *RR. Sal. Jarchio, & Dav. Kimchio* extra dubitationis aleam positum est, verba Talmudica de gallinæ imagine accipienda esse. Sic enim iste : סכות בנות דמות תרנגלת עם אפרחיה: *Succoth Benoth est imago gallinæ cum pullis.* Hic ita: ארץ סכות בנות כן היה שם ע״ז שהיו עובדים בארצם וראינו כי שם ע״ז של׳ בבל היה שמה׳ בל כמו שאמר הכתוב כרע בל קרס נבו זה׳ היה׳ בימי נבוכדנצר כמו שאמר הכתוב בל בשם אלהי אבל בימי מלך אשור היתה׳ ע״ז שלהם סכות בנות ובדברי ח״ל סכות בנות זה׳ תרנגלת כלומר דמות תרנגלת היו ע״ז עובדים והיה שמה סכות בנות וכמו שקורין לתרנגול סכוי כן היה׳ קורין לתרנגלת סכות ובנות פי׳ עם אפרחיה: Paraphrasis hæc Kimchiana a Kirchero ita transfertur: *Succoth Benoth, hoc fuit nomen idolo, quod colebant in terra eorum, & videmus, quod idolum Babyloniorum tempore Nabuchodonosoris Regis juxta Scripturam fuit Bel. Verum tempore Regis Assyriorum idolum habuerunt nomine Succoth Benoth. Et dicunt Rabbini nostri, memoria eorum in benedictione, quod Succoth Benoth fuit Gallina, quasi diceretur, simulacrum gallinæ colebant nomine Succoth Benoth. Nam quamadmodum gallinam appellant* סכוי *hoc est operientem: Sic appellabant gallinas* סכות *quasi fotrices & opertrices, & Benoth explicabant pullos ejus, quas fovere & operire alis solent.* An vero hæc Kircheri translatio eruditis ad palatum sit, de eo non absque ratione ambigas.

VIII. Evidens igitur est, Kimchium & Jarchium per gallinam intelligere ejus imaginem, veluti & reliqua, quæ huic Succoth Benoth in Scriptura subjunguntur, idola explicant per דמות simulacrum vel צורה figuram. Quæ explicatio salivam movet Excell. Dn. *Frischmuthio* l. c. & *Kirchero* in Oedip. Ægypt. Tom. I. Syntagm. 4. cap. 18. quippe qui & ipse Succoth Benoth contendit esse simulacrum gallinæ ejusque cœlestis, in signo Tauri nidulantis, alias Pleiadum sive Succularum (a succo juxta *Becmann.* in Origin. sic dictarum) nomine venientis, eamque a רשי & רד״ק quoque indigitari autumat. Pro apotheosi autem hujus asterismi, *eodem Kirchero*

au-

*autore*, facit, quod antiqui Ægyptiorum, Chaldæorum & Arabum Astrologi, cum frequenti cœlestium corporum inspectione ac longa observatione deprehendissent, eam Zodiaci partem, quam Tauri titulo insignivere Veteres, maxime inter cœtera δωδεκαμόεια vitalem esse, utpote in qua Sol, constitutus omnia vitali calore humoreque repleat ( Hoc enim signo terra viridi circundata veste, veluti in theatro se mortalibus spectandam exhibet, arbores luxuriantibus ramis dilatatæ, nescio quid internæ salacitatis monstrant, volucres denique atque omnia reliqua animalia Veneris agitata prurigine, prolificum meditantur conjugium ) in ea aliquid supra naturæ conditiones latere existimarint. Et quandoquidem non ignobilis Tauri istius pars sit gallina, huic potissimum ista accepta ferenda esse credidere. Quo factum, ut apud Ægyptios & Græcos insigniores quævis solennitates mense isto, quo oriuntur Plejades, celebratæ sint. Quid? quod Plutarchus tradat, sacros fuisse Ægyptiis gallos juxtim ac gallinas. Mamertini etiam ac Selinuntini Numismatibus suis figuram gallinæ imprimere non dubitarunt.

IX. Et hæc, quæ hactenus allata sunt, apud laudatos Autores sunt obvia. Nunc quid contextus suggerat, evolvendum venit. Ab eo autem propius abest eorum sententia, qui Succoth Benoth de idolo ipso explicant, quam illorum, qui de idoli saltim delubro accipiunt. Cum enim iste doceat Samaritanos sibi fecisse Deos, eosque collocasse in domo excelsorum, & extemplo hoc Succoth Benoth subjungat, duriusculum sane videtur, si Succoth Benoth de fano accipias, quippe quod in domo excelsorum collocari nequibat. Sin vero de ipso intelligas idolo, palam est, qua ratione istud in sacrarium referri potuerit, & sic sensus verborum ויניחו בבית הבמות planus erit, quod ipsum itidem urget Kircherus l. c. Deinde haud obscure innuit, Propheta, simulacrum potius, quam animal quoddam vivum intelligi per Succoth Benoth, vocatur enim versu ultimo פסיל sculptile, a rad. פסל, quæ autore *R. Nathane in Concord. Hebr.*, sumitur subinde בלשון פסלי איך שיונח quod ipsum R. *Abarbenelis* sententiæ §. *6.* productæ parum favet. Cæterum quale idolum, quibusque ritibus cultum fuerit, textus non aperit, nec in præsenti uberius inquirere vacat. Quin potius hic receptui cano verbis Eliæ Levitæ, quæ leguntur in הנה אני מפיל סיום ספר תשבי תהנתי לפני כל שמעיין זאת מבין עם תלמיד שגיאות מי יבין שאם ימצא בה איזה טעות ושיגאה שישקלני במאזני צדק:



# DANIELIS DIETZSCHII DISSERTATIO DE CULTU MOLOCHI.

Diabolum, ab initio rerum, *Dei* fuisse simiam, nulli Christiane eruditorum dubium esse potest. Nam ut taceam, superbum illum Spiritum statim post sui creationem, hoc sibi honoris, sed cum æterno suo dedecore & damno, vindicare voluisse, ut si non superiorem, æqualem tamen cum Creatore suo Majestatem obtineret; quod probabiliter Magni asserunt Theologi: oculos nostros paulisper reflectimus ad Sacra Gentilium, maximam partem ex vera populi *Dei* religione, per κακοζηλίαν quandam, Diaboli instinctu traducta. Supremi siquidem Numinis colendi rationem, ab ipso *Deo* præscriptam, aliaque a *Deo* miraculose, & a Sanctis hominibus pie, prudenterque facta, isti vel levi famæ aura percepta, vel ex scriptis forte an Mosaicis eruta, partim ad imitationem pravam, simiarum instar, traxerunt, partim fabularum involucris obscurarunt, partim pro lubitu addendo, demendo, penitus vitiarunt, ac ad alia detorserunt; quemadmodum latius hæc deducuntur & probantur apud Dilherr. Tom. 2. Disp. Philolog. de κακοζηλία Gentium. Missis igitur hisce hoc tantum impræsentiarum ponderandum propono, quam nefario modo canon iste in æterno *Dei* consilio factus, & postmodum in tempore, primum typis, deinde re ipsa morte scilicet θεανθρώπε confirmatus: *Sine sanguinis effusione non fieri posse remissionem peccatorum*, *Hebr.* 9. 22. ad cruentam, *Deo* & piis omnibus exosam, ἀνθρωποθυσίαν fuerit detortus. Factum hoc fuit præprimis in *Sacris Molochi*, ubi homines pro victimis offerebant, iratum hac ratione Numen propitiari credentes. Nec Gentes tantum hic error occupaverat; Verum ad ipsos quoque Judæos, divina deserentes mandata transivit: qui tamen, pro seculi nostri more tam parci quandoque erant in vero *Dei* cultu, ut *Deus* ex pecoribus & frugibus vix viliora & deteriora ab eis impetrare posset, Malach. 1. 8. Jam vero ubi Idolomaniæ studendum, filiis etiam & filiabus non parcunt, sed carissima conjugii pignora Dæmonibus immolant. Tam magna est idololatriæ cœcitas. Cum autem de execrando hoc *Molochi cultu* latius jam, pro ingenii modulo, disserere sit animus, deque lectorum (si metam, in re tam intricata, ubique forsan non attigero) injudicando æquitate non dubitem! Te propitiator unice, Christe *Jesu*, qui temetipsum tradendo oblationem ac victimam *Deo*, in odorem bonæ fragrantiæ, Eph. 5. 2. iram Patris placasti, devotus adoro, ut tua me gratia sustentans, laborem hunc fortunare velis, *Amen*.

§. I.

Ordine itaque ut procedam, utramque seorsim prius lustrare juvabit, antequam rem ipsam aggrediar.

II. Definitur in genere *Cultus*, quod sit honor cum nostri submissione exhibitus ei, quem magni æstimamus, Vid. Micrel. Lex: Philos. Est vero cultus talis vel *Politicus*, qui describitur per observantiam humanam; quæ in multas alias species dividi solet, ut docet Arist. l. 9. Ethic. c. 2. cum alius honor debeatur Parenti alius Principi, alius Præceptori, alius Sapienti vel eruditio &c. Vel *Religiosus*, *Deo* Trinuni soli competens; qui aut est *Verus*, in Verbo *Dei* præscriptus, aut *Falsus*, ab hominibus excogitatus, superstitionis & Idololatriæ nomine veniens. Tertiam speciem, cultum scilicet medium inter Divinum & Humanum, quem Bellarminus l. 1. de Sanct. Beatit. c. 12. p. m. 2140. cum Thoma, tres asserens *excellentias*, addit, nomine δουλείας illum insigniendo quæque iterum sit vel δουλεία stricte sic dicta, sanctis in genere competens vel ὑπερδουλεία, quæ Humanitati Christi, si seorsim consideretur, & Deiparæ debeatur, nos repudiamus, scientes, quod omnis religiosa δουλεία sit λατρεία, & omnis *excellentia* sit aut *finita*, aut *infinita*, ac proinde non triplex, sed duplex detur cultus,

tus, *Politicus* nimirum & *Religiosus*. Consul. B. Hopfn. Sax. Ev. p. 209. Cundis. nott. in Hutt. p. m. 1200. Ut autem constet, in qua significatione vocabulum *cultus* hoc loco ponatur, sciendum est, illud sumi pro *Religioso*, eoque *falso*, & ab hominibus efficto. Cumque duo sint cultus religiosi actus, *internus* & *externus*, Bald. Cas. Consc l. 2. c. 5. Rung. super verba Decal. *Non facies tibi sculptile* &c.; posteriori potissimum, non excluso tamen interno, hic notatur, utpote qui externis occupatus est operibus.

III. Jam quæritur ulterius *Cultus* Molochi *Symbolicus* ne fuerit, an *Proprius*? Est autem *Symbolicus*, cum quid colitur, non quia credatur *Deus*, sed quia *Deum* significet. *Proprius*, quando, quod colitur, proprie & in se *Deus*, esse existimatur. Respondendum itaque fuisse *Symbolicum*, *Deumque* cultum fuisse in statua ista Molochi, sive fuerit fictitius, Sol scilicet respectu Gentilium; sive verus, quod de Israelitis probabiliter asserere quis posset, adductus verbis Jer. 7. & 19. ubi *Deus* conqueritur, se tale quid (ut scilicet hoc modo coleretur) nunquam præcepisse Judæis, vana hac persuasione imbutis, ac si liberorum immolatio *Deo* non ingrata esset, utpote qui Abrahamum jussisset filium suum immolare, Gen. 22.

IV. Vocabulum *Moloch* quod spectat, illud verbum מלך, quod regnare significat, pro origine agnoscere nemo forte an dubitabit. Sic enim dicebatur hoc Idolum ob primatum inter reliqua; quemadmodum & huc respexisse lxx. Interpp. vocem Hebræam Lev. 18. reddentes per ἄρχοντα, Friedlibius in Theol. Exeg. ad l. c. opinatur.

V. Accipitur hæc vox, vel pro *statua* ista *ænea* in honorem Saturni sive Solis erecta; vel pro *re*, per statuam significata, Sole scilicet; vel pro *utroque*, *in sensu concreto*. Locum etiam, in quo peragi solebant Molochi sacrificia, Malken ab eadem radice vocari 2. Sam. 12. 31. nonnulli putant; Fridel. ad h. l. Seld. de *Dis* Syr. p. m. 175. Pagn. Thes. Quistorp. in not. adh. l. &c. Et tunc sensus esset: Davidem combussisse Ammonitas in furnis ejusmodi, in quibus liberos suos immolare alias fuerint assueti. Quamvis Masorethæ in margine *Malben* substituant, quod fumum, ad conficiendum lateres, notat; unde & lxx. πλίνθιον verterunt, quos secutus est Luth. in versione Germanica. Ex hisce autem jam recensitis acceptionibus vocis hujus penultima tantum, qua scilicet vocabulum *Moloch*, ejusque Synonyma, in sensu concreto, pro *statua* & *re* per statuam notata supponitur, huic dissertationi inserviet.

VI. Dicitur vero alias hoc Idolum in Sacris etiam *Micolm*, *Malcam*, *Malchen*, *Molech*, *Malchom* &c. ab eadem radice מלך: quandoque etiam vocatur *Baal*, Jer. 19. 5. vocabulo generaliori, quod alias *Deos* falsos in genere notat. leg. Ravan. Bibl. S. part. 2. tit. Sacrif. f. 519. Seld. l. c. it. Hulsem. Com. in Jer. 19. lxx. Interpp. interdum reddiderunt per ἄρχοντα, ut Lev. 18. interdum vocabulum Hebraicum retinuerunt, quos & Latina Vulgata, & Germanica Luth. Versio sunt secutæ. Eundem quoque esse hunc Molochum cum Diis Sepharvaitarum Adramelech, & Anamelech 2. Reg. 17. 31. cum Seldeno & Ger. Joh. Vossio de Theol. Gent. opinatur Micrælius, Synt. Hist. Eccles. f. 2. p. 312.

VII. Per Molochum hunc Saturnum intelligendum venire, multorum Philologorum est sententia, idque ideo, quia Saturnus est tempus, quod omnia absumit; ut adeo nulli Deorum convenientius potuerint immolare liberos Idololatræ, quam temporis Deo: Unde Saturnum liberos comedisse, Græci ac Romani scriptores prodidere. Ravanellus vero l. c. addit. secundæ part. tit. Malchom f. 899. pro Saturni stella accipiens, rationem reddit hanc: *quoniam Saturnus inter Planetas habens Sphæram tum altissimam, tum amplissimam, quasi Rex quidam emineat, inde factum esse, ut Populi orientales, religiosi alias astrorum cultores, Saturni stellam, propter rationem hanc ita nuncuparint*. Sic sub ejusdem Saturni nomine Molochum a Pœnis fuisse cultum, nec non a Lacedæmoniis, ex Diod. Sic. l. 22. Lactant. l. 1. instit. c. 21. & aliis constat.

VIII. Sed hæc sententia de Saturno Gerardo Joh. Vossio l. c. l. 2. c. 5. non placet, sive animale credatur Numen, puta Rex Italus, aut Jovis Cretici Pater, aut Noachus etiam, vel Adamus, quod quibusdam arridet; sive Saturni stella intelligatur, utrinque nihil solidi subesse dicit. Nec alia ratione opinionem istam de Saturno recipi posse ait nisi capiatur de *illo Orientis*: cujus populis Baal, & Moloch, ut Domini Universi hujus longe latius patuerint, quam Saturnus Romanis & Græcis. Solem itaque per Moloch innui, multis ostendere conatur indiciis; quoniam constet, Orienti Solem & Lunam in præcipuo fuisse honore: & Baal, sive Bal, vel Belum, Solem fuisse conveniat: Molech au-

autem, sive Melec, idem significet, cum nihil intersit, utrum Dominum, an vero Regem Universi dicas, Præterea idem cognosci posse ex imagine Molochi cui septem fuerint conclavia pro numero Solis, Lunæ & quinque reliquorum Planetarum. Ex his postremum proprie fuisse Solis, ut excellentissimi Numinis, & reliquorum Moderatoris: Unde & honos redierit ad Solem, in quocunque conclavi offerretur; illum tamen honorem Soli fuisse proprium, cum immolaretur homo. Quid? quod, Saturni nomine etiam venisse Solem, ex Servio docet Vossius l. c. cap. 5. dicente in lib. 1. Æneid.: *Assyrios constat Saturnum (quem eundem & Solem dicunt) Junonemque coluisse*: quæ Numina etiam apud Afros postea culta sunt.

IX. Et certe Solis cultum late admodum patuisse, omnibusque fere gentibus fuisse cummunissimum, extra dubitationis aleam ponendum videtur. Seldenus l. c. in Proleg. c. 3. affirmat, Chaldæos omnium maximum Numen, Solem, (quem & μόνον ἐρανῦ θεὸν nuncuparunt Phœnicum Theologi) æstimasse: planetis, & quæ sunt cætera sydera, velut nutum ejus observantibus. Persarum gentem in linteo depictum aliquando adorasse Solem, eruditis ignotum esse nequit. Sic eosdem Solem pro Deo uno, vel potius summo, quod habet Hesychius) venerator esse, quem Mithra dicebant cum aliis testatur Justinus Historicus l. 1. c. 10. Unde de Dario ultimo Persarum rege memoriæ prodidit Curtius, quod cum Alexandro pugnaturus *Solem Mithren, Sacrumque & æternum invocaverit ignem, ut sibi & militibus suis dignam vetere gloria, majorumque monumentis fortitudinem inspirarent* l. 4. c. 13. De Massagetis scribit Herodotus l. 1. θεῶν μόνον ἥλιον σέβονται *Ex Diis unum Solem venerantur*. Saxones veteres etiam sub nomine Hama, de quo Fabric. in Orig. Sax. p. 61. quemadmodum Cyrenaicos Amanis, vel Omanis nomine, coluisse Solem, conjectant alii, ex similitudine vocum cum Hebræo חמה, quod Solem notat Job. 30. 28. Es. 30. 26. de Ammonitis, Moabitis, Syris, Ægyptiis, Æthiopibus &c. idem constat; prout Ezechieli quoque viri quidam Judæi invisione monstrantur, dorsa habentes contra templum Domini & adorantes Solem, c. 8. 16. Solem itaque per *Moloch* intelligendum esse, non temere putat Vossius; cui, præter alios, calculum suum adjiciunt Dionysius Vossius, in not. ad R. Mosis Maimodæ de Idololatria c. 6. §. 4. & 5. Crellius in Prompt. Bibl. Sanctius in Act. cit. Botsac. in Moral. Ged. tit. Moloch; Schindlerus in Lex. Nic. Selnecc. super Ps. 106. & qui primo loco ponendus forte an R. Abarbenel super Jer. 44. cujus verba, prout citantur a Clariss. Frischmuthio, in disp. de Melechet cœli, Anno 1663. Jenæ habita, non possum non adscribere latine versa: *Opinatur Interpretes, inquit,* מלכת השמים *esse nomen, de omnibus omnino stellis usurpatum, quod illæ Dei opificium sint, quod creavit, &* א *(aleph) deficere in* מלכת השמים *Sunt ex illis, qui arbitrentur, hac voce designari Solem, qui omnium maxima stella sit in Cœlis. Cæterum ego jam ante, quid sentiam, tibi notum feci, quod nempe Baal, quem coluerunt, fuerit resqectu Solis, atque is dictus fuit Molech, quia ille est Rex super omnes filios superbiæ (Job. 41.) Aschera vero, cui serviebant, fuit respectu Lunæ, quæ & ipsa Regina Cœli vocabatur, quemadmodum Scriptura Solem nomine Moloc appellat, sic vocat Lunam nomine Reginæ Cœli. Et ut Sol respectu Lunæ Baal dicitur, quod respectu Lunæ sit instar Domini, qui de suo decore & splendore uxori suæ communicat: sic etiam Luna vocatur Aschera, quod nomen est fœminini generis, quasi illa sit feminina Solis, quia illius desiderio tenetur.*

X. Quid autem moverit gentes, ut, neglecto vero Deo, propria quadam mentis inductione uno in Sole, veri Numinis non tam effigie, quam umbra duntaxat, omnia religionis suæ studia posuerint, diversæ narrantur causæ, ex quibus potiores tantum, & breviter quidem, lustrabimus. Prima est, quod in sublimi, ipsisque cœlis spectaretur, in quibus habitare Numen arbitrabantur; quemadmodum Hesiodus, non procul ab initio Ἔργων, de Jove dicit:

Ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει, *qui Supremas ædes incolit*.

Hinc mos quoque apud Gentiles, ut orantes non vultum modo, sed & manus cœlum versus attollerent, secundum illud Horatii l. 3. Od. 23. *Cælo supinas si tuleris manus &c.* Quod etiam Israelitas Idololatras, adorantes Solem, fecisse, apparet ex Ezech. 8. 16. Nam ut Aristoteles l. 1. de cœlo cap. 3. text. 22 disserit: Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι, καὶ βάρβαροι καὶ ἕλληνες, ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι θεούς &c. *Omnes de Diis eam habent opinionem, atque omnes, qui Deos esse existimant, tam Græci, quam Barbari, supremum Diis locum attribuerunt*. Sic ex sermone Gentili idem adstruit Tertullianus, Apolog. c. 17.

*Quod Deus dederit*, *omnium vox est*. *Judicem quoque contestatur illum*, *Deus videt*; *&* *Deo commendo*; *&* *Deus mihi reddet*. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuncians hæc non ad Capitolium*, *sed ad Cœlum respicit*. *Novit enim sedem Dei vivi*: *ab illo*, *& inde descendit*. Atque hæc quidem non male. Nam & nos Christiani duce Scriptura credimus, Deum esse in Cœlis; sed cum hoc discrimine, quod nos sciamus, Deum dici quidem in Cœlis esse: non tamen ita, quasi iis sit cirumscriptus; sed ad significandam Dei Majestatem, virtutem, & potentiam ejus cœlestem, infinitam plane & summam. In hoc igitur, cum maxima Gentium pars aberraverit, eo minus mirandum, si solem vel Deum unum vel præcipuum crediderint. Altera causa est, quia lucidis illis corporibus æther nil haberet Sole excellentius. Spectatur vero excellentia ista. I. In pulcritudine ac decore illius, qui consistit partim in colore præcellentissimo, albo, scilicet; partim in figura perfectissima, rotunda. II. In magnitudine, cum ipsa terra sol multo sit grandior. III. In summa cursus velocitate, secundum communiter receptam sententiam. IV. In ejusdem vi, & efficacia, unde multiplex & infanda ferme utilitas in terras, & præcipue in genus humanum redundat. Qua de re prolixius disserit laudatus Vossius l. c. l. 2. c. 2. Hæc & alia plura commovere Gentium si non omnes, plurimos tamen, ut divinum honorem detulerint Soli, quo sensibus nostris vel conspicuum magis, vel acceptum nihil; similes hac parte tendenti ad curiam Regis, qui, volens videre Regem, credit, quoscumque bene indutos, vel in officiis constitutos, Regem esse.

XI. Nunc dispiciendum, Molochi statua qualis fuerit? De quo tamen non omnino convenit inter autores. Lapideam fuisse refert Schindlerus in Lex., cujus hæc sunt verba: *Fuit autem hujus Idoli apud Ammonitas templum in Gebal*, *in eoque simulacrum lapideum*, *auro obductum*, *& sellæ insidens*: *utrinque autem duo feminea simulacra etiam sedentia*, *ante ipsum ara*, *in qua sacrificia & suffitus fiebant*. Verum an verba hæc, quæ ex Benjaminis Itineratio transcripsit Schindlerus, de Molocho sint intelligenda, nonnihil dubitat Seldenus, l. c. Syntagm. 1. p. m. 171.

XII. Magis arridet magni nominis Authoribus sententia Lyræ, qui in Cap. 16. & 23. libri 4. Reg. statuam æneam fuisse dicit, figura Regis fabrefactam, intus concavam, cujus caput vitulum, pars vero reliqua hominem exprimens, brachia ad immolandos pueros expansa, qui, attractis Idoli brachiis, vehementi ejus calore, inter nefarios hosce complexus comburebantur. Eodem fere modo etiam describitur a Paulo Fagio ex libro Jalkut, nisi exceptis cellulis referente Buxtorff. in Lex. Hebr. sub voce גיא gei. Addit enim, septem ibi extructa fuisse sacella, ante quæ imago ista fuerit collocata. Avem, sive pullum columbinum offerentem primum sacellum introiisse: Ovem, aut agnum, secundum: Arietem, tertium: Vitulum, quartum: Juvencum quintum: bovem, sextum: qui denique filium proprium obtulerit, occupasse septimum, & hunc præbuisse osculum Moleco, juxta illud Hos. 13. 2. *Sacrificatores hominum vitulum osculantur*. Seldenum, paulo aliter hæc citantem, vid. l. c. p. m. *169*.

XIII. Sacella hæc B. Nicol. Selneccerus super Ps. 106. & alii exponunt de septem Idoli capsulis: Das küpfferne Bild hätte sieben Thüren oder Schrein gehabt/ worein man gelegt/ oder geschoben/ was ieglicher hat opffern wollen; & sic puerulus sacrificandus non impositus fuisset manibus Idoli, sed ipsi inditus; quod suo relinquitur loco, quemadmodum & illud Cyrilli, Theophylacti, atque Œcumenii, Molochum scilicet in summitate frontis, vel in corona, quod ab aliis placet, habuisse lapidem pretiosum. Quæ sententia dubio procul nititur loco 2. Sam. 12. 30. quæ verba de Deo Moloch quidam sunt interpretati.

XIV. Seldenus quidem septem ista conclavia in dubium vocat, errorem a Mithræ sacris ortum putans, cui septem sacræ fuerint portæ, planetarum numerum referentes, de quibus Celsus apud Originem l. 7. Verum, stante sententia laudati Vossii, & aliorum Molochum esse Solem, quem Persæ sub Mithræ nomine colebant, viros, fœminas & pueros mactantes, ut est in vita Athanasii apud Phot. Cod. CCLVIII. nil vetat, quin P. Fagio assensum largiri possimus. Nec adeo refragatur Seldenus, quando, nomina Solis, Jovis & Saturni in Baale & Moloch inextricabili hallucinatione confusa fuisse, ultro fatetur, l. c. prolegom. c. 3. p. m. 51. Quamvis, an statua hæc ubivis ejusdem fuerit formæ, cujuslibet judicio relinquam.

XV. Prælibatis hisce, ipse Molochi Cultus ruditer sic posset describi: quod fuerit ritus colendi Deum per traductionem & immolationem liberorum, non in-

inſtitutus Verbo Dei, ſed inſtinctu Diaboli excogitatus a Gentilibus, Lev. 18. 3. 21. 27. ſive ab Ammonitis 1. Reg. 11. 7. ſive ab aliis Idololatris, & poſtea ab Iſraelitis exemplo Gentium, contra expreſſum Dei interdictum, ad placationem Numinis, felicitatiſque acquiſitionem, adhibitus.

XVI. Cauſa igitur efficiens hujus cultus non fuit Deus, ut qui tam cruentis & crudeliſſimis liberorum cædibus non delectatur; unde Jer. 7. 31. & cap. 19. 5. dicit: *ſe numquam tale quid vel præcepiſſe, vel cogitaſſe*. Tantum enim abeſt, ut hoc mandaverit, quin potius ſeveriſſimum, de non tradendo ſemine Moloch, interdictum per Moſen promulgaverit: *De ſemine tuo*, inquiens *Lev.* 18. 2. *non dabis, ut conſecretur Idolo Moloch &c.* quod idem repetitur cap. 20. 2. Deut. 12. 31. cap. 18. v. 10.

XVII. Vera autem cauſa hujuſce cultus extitit, *partim Diabolus*, perditus ille, qui omnes vult ſecum perditos, ut loquitur Cyprianus; unde homines a vera colendi Deum via, ad pernitioſa Idololatriæ compita deducere nullo non tempore laborat. Hic juratus humanæ ſalutis hoſtis, prout eſt homicida a principio Joh. 8. 44. ſic ad ſimilia perpetranda facta filios incredulitatis pellexit: quemadmodum & Eutychius tom. 1. Annal. p. 59. teſtatur, Demonis ventriloqui juſſu homines filios immolare cœpiſſe; *Partim corrupta hominis natura*, quod vel inde patet, quoniam Idololatria; atque adeo ignorantia veri Dei, cultuſque Divini, inter opera carnis a Paulo Gal. 5. 19. refertur. Hac duce, præſtigiis Diaboli faſcinati Gentiles, nefandum hunc cultum excogitarunt.

XVIII. Impellebat eos ſiquidem ad Diabolicum iſtud opus perverſa canonis ſupra dicti: *Sine Sanguinis effuſione non fieri poſſe remiſſionem peccatorum*; quem dubio procul ex Noachi poſteris, ſed ſiniſtra capientes manu, quod Patriarcha tantum ſuis præbuerat dextra, hauſerant, perceptio. Hoc enim, cum ad Chriſtum θεάνθρωπον, ſanguinem ſuum pro totius mundi peccatis effuſurum reſpiceret, iſti peſſime de ſanguine φιλανθρώπων intellexerunt. Pertinet etiam huc, quod quibuſdam non ſine probabili ratione placet, anſam ſcilicet, inter alia, præbuiſſe gentilibus ad cædes haſce deſcendendi, quod per nebulam quaſi audiviſſent: venturum hominem, qui, ſacrificando ſe, homines cum Deo ſit reconciliaturus. Quemadmodum igitur ſacrificia Veteris Teſtamenti a Deo ordinata, pro fine habebant adumbrationem ſacrificii Meſſiæ; ita idipſum etiam crudeli hac mactatione hominum exprimere Ethnici volebant. Sic B. Brentius in Exod. 24. ſcribit: *Patriarchæ obtulerunt ſacrificia, ſignificante ſpiritu ſacrificium Chriſti futurum, cujus ſanguine peccata vere expiarentur. Sic & gentes retinuerunt ſacrificia; non quod pie ſacrificaverint, quia ſervierunt Idolis: ſed quod ſacrificia a Patriarcha Noe & filiis ejus (ab his enim humanum genus in totum orbem terrarum ſparſum eſt) veluti per manus accepta conſervaverint juxta externam ſpeciem, & amiſſa fide imitati ſint tantum opus Patriarcharum. Unde & alicubi apud Gentes Idolatras mos inoleverat ſacrificandi homines: quod, etſi fuit crudeliſſimum, & inſtinctu Satanæ factum; apparet tamen id factum eſſe hac occaſione, quod a Patriarchis prædicatum fuerat, hominem venturum, qui ſacrificio, & ſanguine ſuo placaret iram Dei, & expiaret peccata noſtra. Itaque Gentes, ut Paulus ait Rom. 1. detinuerunt veritatem in injuſtitia.* Hactenus B. Brentius. Hinc illa Gallorum aliarumque Gentium cogitata, arbitrantium, Deorum immortalium Numen placari non poſſe, niſi pro vita hominis, vita hominis reddatur.

XIX. Ne autem color tam horrendo deeſſet facto, ſeductor ille mundi, Satanas, in cordibus Gentilium, eorumque legentium veſtigia Iſraelitartum, prætexebat, Summo Deo ſummam convenire victimam, & ſacrificia de puriſſimis atque pretioſiſſimis: Jam vero quid excellentius eſt homine in mundo? quid innocentius parvulis? quid carius eſt parentibus, quam liberi? Sic igitur argumentabantur: Si Deo placerent vituli in holocauſtum, multo magis ipſi placituram oblationem liberorum in holocauſtum. Unde judicabant, non melius ſe ſummum demereri poſſe Deum, quam, ſi immolarent liberos ſuos, etiam in maximarum divitiarum ac potentiæ ſpem natos. Accedebat, confirmationis quaſi loco, exemplum Abrahæ, Iſaacum ſuum, mandante Deo, ſacrificare volentis; cujus imitationem ad ſe quoque pertinere, perverſe putabant: quod habet Apolog. Aug. Conf. ad Art. de Juſtif. p.m. 99. Quemadmodum ſuperiori ſeculo etiam Anabaptiſta quidam, Thomas Schuckerus, in urbe S. Galli, fratrem Leonhardum, in parentum conſpectu, decollavit, ad exemplum dicens, Abrahæ hoc ſibi divinitus injunctum eſſe. Factum hoc ad annum Chriſti 1527. narrat Sleidanus in Commentar. lib. 6.

XX. Sic ἀνθρωποθυσίας inter Gentes hinc inde in uſu fuiſſe plures teſtantur Hi-

Hiſtorici. De Pœnis dicit Juſtinus Hiſt. lib. 18. cap. 6. *Homines ut victimas immolabant, & impuberes aris admovebant, pacem Deorum, ſanguine eorum expoſcentes*, De Gallis, Cæſar, l. 6. Bell. Gall. *Pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium Numen placari, arbitrabantur*. Robert. Gaguin. l. 19. Hiſtor. Franc. refert Beyerl. in Theatr. lit. G. tit. Gehenna: *quod Galli olim ad Calendas Maji, tres juvenes immolare conſueverint, quos hoc fine emptos, toto anno ſaginaverant*. Apud Ægyptios, homines ruffi immolabantur Oſiridi. Diodor. ſic. l. 2. Britanni hoſpites Diis immolabant, Liv. 1. Dec.; quod idem Buſiris, Ægyptiorum Rex advenis & hoſpitibus fecit, unde Virgil. l. 3. Æneid. v. 5.

*Quis illaudati neſcit Buſiridis aras?* M. Johann. Kromeyerus tamen Indic. Hiſt. Eccleſ. p. m. 292. hoc de crudeli Pharaonis in pueros Hebræorum edicto intelligit. Albani quotannis unum e Sacerdotibus Lunæ trucidarunt, Herod. l. 4. B. D. Dorſcheus in Admir. J. C. p. 30. ſeqq. ait *Latialem Jovem adhuc Lactantii ævo ſanguine humano cultum fuiſſe; pariter & Saturnum, non quidem ut homo ad aram immolaretur, ſed ut in Tyberim de ponte milvio mitteretur* DCLVII. *demum Urbis anno, Corn. Lentulo, & Publ. Licinio Coſſ., Senatus-Conſultum Romæ factum eſſe, ne homo immolaretur*. Plura de conſuetudine Gentium, humanis hoſtiis litantium, qui legere geſtit, adeat Plutarch. de ſuperſtit. Agell. l. 2. c. 6. Macrob. Saturn. l. 1. c. 7. Tertull. Apolog. c. 9. Auguſt. de C. D. l. 18. c. 12. Euſeb. de Præpar. Evangel. l. 4. c. 16. Majoli dies Canicul. fol. 340. ſeq. & fol. 375. & alios.

XXI. Quinam vero primi Sacrorum Molochi fuerint inventores, an Ammonitæ? an vero alii? certi quid affirmare non audeo. De tempore quoque adhuc ſub judice lis eſt. In genere quidem antiquiſſimum non modo, ſed & omnibus pene gentibus, tam Iudæis, quam Ethnicis, communiſſimum fuiſſe ſacrificium ἀνθρωποθυσίαν, Stuckius, de ſacrific. Gent. p. 41. facie ſecunda, ſcribere non veretur. Sed quoad certum temporis articulum, ſententiarum eſt divortium. Quidam enim ante, quidam poſt Abrahamum hujus rei quærunt originem.

XXII. Qui poſt Abrahami tempora cultus hujus originem locant, ortum traxiſſe illum putant ex κακοζηλίᾳ Gentium, exemplum Abrahæ perverſe ſequentium. Et certe ſi fides Phœnicum annalibus habenda foret, ſententia horum non careret fundamento. Tradit enim ex iis Philo ap. Euſeb. præparat. Evangel. lib. 1. & IV. *Saturnum, quem Phœnices Iſrael nuncupabant, Regem Phœniciæ vetuſtiſſimum, ut regnum ſuum a ſummo imminentis belli periculo liberaret, ſuperoſque propitios haberet, unicum quem ex Anobreta ſuſceperat filium, regio ornatum faſtu, conſtructum ſuper aram, immolaſſe: Phœnices autem Saturnum hunc, poſt obitum, in aſtrum ejuſdem nominis conſecraſſe*. Commentum vero hoc ad Abrahamum & Iſaacum reſpicere, ex vocum ſimilitudine conjiciunt autores. Μονογενὴς ſiquidem ille appellatur a Philone Ἰεοὺδ, quod valde convenit cum Hebræo יחד, jehid, lingua enim Phœnicia Hebraicæ erat affinis. Nec mirum, quod ex ignorantia a Gentilibus, hiſtoriæ Sacræ neſciis, aut ex malitia etiam, nepos loco avi fuerit poſitus; quemadmodum Saræ nomen in Anobretam mutarunt. Sic Juſtinus, Trogi Epitomator, Moſen facit filium Joſephi, Arvam vero, (per quem dubio procul intelligit Aaronem) filium Moſis, & hiſce alia plura jungit mendacia. Ferali igitur cultui huic occaſionem iſtam dediſſe principia volunt. Sed cum parum credibile ſit Phœnices pro Deo ſummo, h. e. Moloco, ſive Saturno habuiſſe Iſraelem, parentem gentis vicinæ, maximeque exoſæ; quod ſatis ſacra teſtatur hiſtoria; ideo corruptum eſſe hunc locum Euſebii jamdudum ſuboderatus eſt Gerard. Joh. Voſſius loc. cit. Cap. 18. lib. 1. qui pro Ἰσραὴλ, legendum eſſe Ἴλ, hariolatur. Occaſionem vero præbuiſſe huic errori, quod, qui compendio literarum ſtuderent, ſæpius Ἴλ, pro Ἰσραὴλ, lineola ſuperinducta, exararent. Atqui hic nihil tale fuiſſe, quia Phœnicibus Ἴλ, qui Hebræis El. Phœnices autem Saturnum dixiſſe Ilum, probat ex Sanchoniathone, cujus verba apud eundem Euſebium, l. c. ex Philone hæc, ſunt: Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου τοῦ κρόνου, Ἐλοεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν κρόνιοι, τοῦτοι οἱ λεγόμενοι ἐπὶ κρόνου. *Socii autem Ili, qui idem Saturnus erat Eloim, quaſi Saturnios appellarunt, a Saturno*. Nil dicam, quod Clariſ. Joh. Henr. Urſinus Exerc. 3. ſect. 1. Sanchoniathonem, Sriptorem iſtum Annalium Phœnic., quorum ſupra facta mentio, ex quibus Philo, & ex Philone Euſebius, narrata refert, penitus in dubium vocet, fictum eſſe nomen aſſerens; imo duas ſacras hiſtorias ex Gen. 22. & 2. Reg. 3. 27. mentiendi ſtudio hic eſſe confuſas. Audiamus igitur & alteram opinionem, an-

ante Abrahamum hujus rei principium quærentem.

XXIII. Quemadmodum enim Idololatriam ante diluvium apud impios Caini posteros ( ut quorum Reſpublica nec ſine aliqua, nec cum vera Religione potuiſſet conſiſtere ) initium ſumſiſſe probant, qua de re vid. Seld. in proleg. de Dis Syris Cap. 3. p. m. 43. & 47. & Joh. Henr. Urſin. Exerc. 2. de Triſmegiſto p. 106. poſt diluvium autem Scheruchi & Tharæ ſeculo fuiſſe redintegratam: Sic tum temporis Satanicum hunc Molochi cultum vel cœpiſſe vel incrementa ſumſiſſe, probabiliter conjiciunt; accedente etiam teſtimonio Autoris Arabici pervetuſti, Eutychii ſcilicet, patriarchæ Alexandrini, Said aben Batrich alias dicti, qui floruit ſeculo poſt Chriſtum natum decimo, inquit Annalibus ſuis Tom. I. p. 60. interprete Pocockio, ſcribit: *Seruchi ſeculo multiplicatos fuiſſe Idololatras, qui filios ſuos & filias dæmoniis immolarent*, &c. Et p. 56. ſeq. poſt verba illa: *Tempore Scharva coluerunt homines idola, unoquoque quod ſibi alliberet colente & adorante* &c. Hæc, quæ cum libro Sapientiæ cap. 14. 15. conveniunt habet: *Dicitur etiam cultus Idolorum originem hanc fuiſſe, quod, cum moreretur apud illos quiſpiam, imaginem, ad ejus ſimilitudinem conflatam, tumulo ipſius imponerent, quo minus oblivioni traderetur memoria ipſius, ( qua ratione ) impleta eſt terra Idolis, virorum ſcilicet, fœminarum & puerorum ſimulacris. Eodemque tempore, cum mortuus eſſet vir quidam dives, filius ipſius ſtatuam ſibi, ad Patris ſimilitudinem confectam, tumulo ipſius impoſuit, collocato etiam ibi ſervo, qui ipſam coſtodiret. Cum advenientes deinde fures, quicquid filio domi ſuæ fuit, ſurripuiſſent, profectus ille ad Patris ſui tumulum, flere, & conqueri apud ſtatuam iſtam auream, quaſi apud Patrem ſuum. Allocutus ergo ipſum Diabolus e ventre ſtatuæ: Ne fleas, inquit, abi tantum, & allato filio tuo natu minimo, ipſum mihi in ſacrificium mactans, ſanguine ejus calenti te abluas; ita (fiet ut) ego omnia tibi, quæ perdideris, reſtituam. Cum ergo ille filium ſuum allatum coram idolo mactaſſet, ejuſque ſanguine ſe abluiſſet, egreſſus ex Idolo-Diabolus, hominemque illum ingreſſus, ipſum præſtigias & incantamenta edocuit: atque hinc cœperunt homines filios ſuo Diabolis mactare, & præſtigiis ( uti ) didicerunt.* Hæc ex Eutychii Annalibus, quibus non parum fidei tribuit Seldenus. Sed hæc omnia, iis, qui ab ingenii viribus, & rei librariæ ſuppellectile ſunt inſtructiores, ulterius diſcutienda relinquo, hoc tantum notato: Gentiles primos horum ſacrorum fuiſſe inventores, id quod ex interdicto Divino Lev. 18. & aliis Scripturæ S. locis ſufficienter liquet.

XXIV. Non ſufficiebat autem Satanæ, Gentes ſic laqueis ſuis irretitos tenere, niſi etiam populum Dei, Iſraelitas, eo impietatis abduxiſſet, ut Ethnicorum fierent ſequaces. Imitatos ſiquidem fuiſſe Gentes, & in ſpecie Ammonitas, ſi non univerſas populi Iſraelitici tribus, majorem tamen earum partem, una cum Regibus, Achazo, Manaſſe, Amone &c. Scriptura ſacra teſtatur, 2. Reg. 16. 3. Cap. 17. v. 17. cap. 23. v. 10. 2. Paral. 33. v. 6. & 22. Pſal. 106. v. 37. Eſa. 57. v. 5. Jer. 7. v. 31. cap. 16. v. 18. cap. 19. v. 5. cap. 32. v. 35. Ezech. 16. v. 20. 21. 36. cap. 20. v. 26. 31. 39. cap. 23. v. 37. 39. &c. & quidem non modo ſine mandato divino, quod Deus per Prophetam Jer. c. 7. 31. & c. 19. v. 5. valde urget; ſed etiam contra ſeveriſſimum Dei, ſub gravi delinquentis pœna, promulgatum ipſis interdictum. Sic etiam Divina Majeſtas Lev. 18. 21. *De ſemine tuo non dabis ut conſecretur Idolo Moloch &c.* vel ſecundum textum Hebraicum: ad tranſire faciendum למלך, ad Moloch. Quod ipſum repetitur Cap. 20. v. 2. *Si quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch* ( lammolech, ipſi Molech ) *morte moriatur, populus terræ lapidabit eum. Et ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidamque eum de medio populi ſui, eo quod dederit de ſemine ſuo Moloch, & contaminaverit ſanctuarium meum, ac polluerit ſanctum nomen meum &c.*

XXV. Progrederemur nunc ulterius, niſi negotium hic nobis faceſſeret Iſaacus Voſſius, Vir alias Præclarus, qui LXX. Interpp. Verſionem ut vulgo dicitur, defendens, de Idolo Molochi agi hoc loco, penitus negat. Sic autem LXX. illi Hebraica, ſed male verterunt: καὶ ἀπὸ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι; geminum hac ratione committentes errorem ( 1 ) quod loco proprii Moloch legerint appellativum Melech, exprimentes id per ἄρχοντι, niſi primatum hujus Idoli potius exprimere voluerint, quod placet Friedlibio, ad Lev. 18. Claſſ. 1. Theol. Exeg. ( 2 ) quod pro להעביר, expreſſerint להעביר.

XXVI. Ad hæc Voſſius Diſſert. de LXX. Interpp. Cap. 15. p. 47. hæc reponit: *Sane ſi hoc loco, inquit, Ammonitarum Deus intelligendus eſſet, utique additum fuiſſet nomen vel gentis, vel Idoli. Nunc vero cum Deus & hoc loco, &*

*& cap. 20. vetet, ne de semine suo tradant in servitutem principis, palam est, illum his verbis prohibuisse Israelitas, ne filios, filiasve servitio & libidini Principum Allophylorum consecrarent. Nolle se, ut nomen suum, & electi sui ab alienigenis polluantur, nec velle, ut extraneos agnoscant Dominos, se enim esse & Dominum & Regem ipsorum. Hic sensus cum verbis & argumento istorum capitum adprime sit conveniens, clarum est, recte vertisse Interpretes, nec audiendos esse, qui eos nugis Rabbinicis obruere conatur.* Et pag. 433. addit: *Geminum ab Interpp. LXX. errorem commissum esse putant, tum quod pro Moloch legerint Melech, tum etiam, quod pro* להעביר *expresserint* להעביר *Ego neutrum censeo. De priori diximus. In altero non peccasse, patet ex illo Hebræo codice, quo Samaritæ utuntur, qui lectionem LXX. confirmat ac vocabulum hoc exprimit per daleth, non per resch. Melech, vero, sive ἄρχον non potest accipi, nisi de principe extraneo. Quamdiu enim Israelitæ Regem non habuerunt, tamdiu vocabulum de aliarum Gentium principibus fuit acceptum. Semper itaque in libris Moysis Vox hæc regem alienigenam significat.* Huc usque Vossius. Ex quibus verbis tria notanda eveniunt. I. Vossium contra Parentem (l. 2. c. 5. de Theol. Gent. p. 328.) negare, quod Lev. 18. & cap. 20. de Molocho agatur, quia non additum sit nomen vel Gentis, vel Idoli. II. Agi autem de servitio Principum allophylorum, Deumque prohibere Israelitas, ne liberos suos Regum exterorum servitio & libidini tradant; quia scilicet sensus hic conveniat verbis & argumento istorum capitum: Melech etiam non aliter, quam de peregrino Rege accipi posse, quia Israelitis tum temporis Rex non fuerit. III. LXX. bene expressisse להעביר pro להעביר, quod ita legatur in Samaritano Codice.

XXVII. Sed respondeo ad I. Non sequi: Nomen Gentis vel Idoli non est additum, E. non agitur h. l. de Molochi sacris Siquidem & alibi, e. g. Jer. 7. 31. neque Gentis, neque Idoli nomen additum legitur, & tamen de Molochi cultu ibidem agi, apud omnes est in confesso. Sic enim illic Deus per Prophetam: *Ædificarunt excelsa Tophet, quæ est in valle filii Ennom, ut incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo.* Et præterea falso negat Vossius, non additum esse nomen Idoli, cum diserte dicatur Molech, quod proprium ejus fuit. Nomen vero Gentis addi, non erat opus, cum Idololatria hæc Israelitis forte noto esset notior. Ad II. Vossium petere principium, dum, hic de Principum allophylorum servitio agi, pro certo dicit, quod tamen nondum est probatum. Ratio ejus, sensum scilicet istum cum verbis & argumenro istorum capitum adprime convenire, videtur nulla, cum ne γρῦ quidem de Principibus allophylis extet in illis capitibus. Nec video, cur sensus hic convenientior sit argumento istorum capitum, quam noster de Molocho; cum scopus eorumdem sit, Israelitas arcere a factis & moribus Ægyptiorum & Cananæorum partim obscœnis & incestuosis, partim Idololatricis. Hinc ad nos nil pertinet, an Melech præcise hic principem notet exterum; quoniam vocabulum hoc non appellative, sed ut proprium legendum contendimus. Ad III. Vossium falsa niti hypothesi, quasi fontes sint corrupti, codexque Samaritanus sit emendatior nostris codicibus; imo LXX. Viralem Versionem, quam vulgo sic dicimus, esse θεόπνευστον, quæ verba leguntur l. c. cap. 25. p. 83. quod ipsum tamen pie eruditis nondum sufficienter probavit, aut probaturus erit. Quamvis hanc Controversiam meam non faciam, cum laborem hunc in se receperint alii Viri præclare docti. Potest etiam de LXX. virali versione, nec non de Codice Samaritano pro lubitu legi Doctissimus Anglus Jacobus Usserius, in suo, quem hac de re edidit tractatu.

XXVIII. Inconcussum itaque manet, Israelitas in funestam hanc concessisse idololatriam contra expressum Dei interdictum, Levit. 18. 20. promulgatum, id quod textus perspicuitas evincit. Repetitur hoc interdictum Deut. 12. 31. *Cave ne imiteris gentes, offerentes filios & filias, & comburentes igni;* Et cap. 18. 10. *Nec inveniatur in te, qui lustret filium, aut filiam, ducens per ignem.* Quamvis explicatio Vossii, si rem spectes, mala non sit, nisi quod falsæ superstructa est hypotesi.

XXIX. Cæterum nugas vendit R. Moses Maimonides c. 6. §. 6. de Idol. dicens: *Reum fuisse, qui filiorum aliquem, seu partem seminis obtulisset Molocho; qui vero omnes, liberum. Scripturam enim dicere: Qui de semine suo, i. e. partem, non totum dederit.* Lev. 20. Mira prorsus conclusio. Ajunt vero Hebræi, ideo hoc institutum, quia si quis unum tantum filium obtulerit, morte sua expiaret peccatum illud. At, si omnes obtulerit, gravius esse delictum, quam ut morte expiari possit. Ideoque hominem illum

illum hic quidem effugere pœnam; sed a Deo vita æterna orbari. Alias nugatorias Hebræorum rationes omitto. Magis placet sententia Abravanelis, qui existimat, eo dicere scripturam: Qui de semine suo dederit &c. quia parum verisimile foret, repertum iri quenquam, qui universam prolem suam offerret Molocho. *Tantum igitur abest*, (sunt verba Dionys. Voss. ad h. l.) *ut trium liberorum Pater, si tres obtulerit, liber sit a pęna, ut tanto magis pęnæ sit obnoxius.*

XXX. Materia hujus cultus erant liberi utriusque sexus, tam filii, quam filiæ; quod constat ex 2. Reg. 23. v. 10. Jer. 32. v. 35. &c. An vero primogenitura tantum huic cultui dicata fuerit, quærere quis poterat ex Ezech. 20. v. 26. ubi Jehovah: *Et pollui eos in muneribus suis, cum offerrent omne, quod aperit vulvam;* vel ut Pagn. & Arias Mont. reddunt: *in transire faciendo omnem apertionem vulvæ*. Sic & Michæas Propheta sub Populi idololatrici persona quærit cap. 6. v. 7. *Numquid dabo primogenitum pro scelere meo?* Nec dubitandum, hac etiam in parte Diabolum Dei fuisse simiam, adeo, ut non frustra Divina Majestas populum suum increpet, Ezech. 16. v. 20. inquiens: *Et tulisti filios tuos & filias tuas, quos generasti Mihi & immolasti eis (Idolis ad devorandum*. Et vers. 21. *Immolasti filios meos (i. e. ipsos quoque primogenitos, ut annotat Junius) dedisti illos consecrans eis.* Deo enim sacri erant primogeniti, vi legis Divinæ, Exod. 13. v. 2. Quamvis itaque Judæos primogenituram solam Molocho destinasse non facile dixerim, hoc tamen loca citata probare, diligens scrutator illorum concedat oportet primogenitorum oblationem pro nobilissimo perfectissimoque fuisse reputatam sacrificio, prout Gentiles idem factitasse constat ex Homero, & aliis, de Agamnone &c. Consecrasse eos insuper semen humanum per mollitiem, dicit Beyerlingius in Theat. qua vero fide, ipse viderit. Prostituisse quoque eos filios, addit Junius ad Levit. 18. Alia etiam animalia sacrificata fuisse Molocho, juxta diversa hujus Idoli sacella, supra fuit dictum: Stricte tamen loquendo, cultus iste Molocho non erat proprius, sed mediate tantum redibat ad eum; Unde in Sacris nullius rei, quæ ad sacrificium hoc fuerit adhibita nisi liberorum, fit mentio.

XXXI. De forma quoque non consentiunt Antiquitatis scrutatores: Quidam enim traductos tantum; quidam crematos; quidam & traductos, & crematos interdum fuisse liberos volunt. Duabus pyris extructis traductos tantum, sicque velut februatos fuisse, plerique Hebræorum sentiunt. Ita R. Salom. Jarchi, R. D. Kimchi, R. Mos. Maimonid. de Idololatria c. 6. §. 5. &c. Et hi iterum in diversas abeunt sententias, aliis ajentibus, Parentem ipsum gestando humeris traduxisse puerum, receptum a Sacerdotibus quibus antea illum solenni ritu tradiderat; aliis, Sacerdotes idipsum fecisse volentibus. Quin & R. Joseph Karo in Cap. VI. τȣ Misnah Thorah, multis hasce referens opiniones, dicit, Scripturam non loqui de combustione filiorum τῶ Moloch, sed tantum Diis Sepharvaitarum, de quibus 2. Reg. 17. vers. 31.

XXXII. Verum hæc sententia dubio procul falsa est, profanis non tantum Auctoribus, sed etiam Scriptura S. expresse, multis in locis, affirmante combustionem, Jer. 7. v. 31. Cap. 19. v. 5. Cap. 32. v. 35. Ezech. 16. v. 20. Cap. 20. v. 26. & 31. Cap. 23. v. 37. & 39. Ps. 106. v. 37. &c. Nec quicquam valet observatio; quam habet. R. Joseph Karo, de Diis Sepharvaitarum, cum istorum Dii, Anamelech & Adramelech nullibi, quam in Moloch reperiantur; Affirmantibus hoc Seldeno de *Dis* Syr. Synt. 1. c. 6. Gerard. Joh. Vossio, de Theol. Gentil. l. 2. c. 5. Micrælio Syntagm. Hist. Eccles. Sect. 2. p. 312. &c. Sunt etiam, qui dicunt, Baal liberos fuisse immolatos, Molocho traductos. Verum, Baal in Scripturis vel est generale Deorum falsorum nomen, Molochum sub se comprehendens; vel specialiter Molochum denotat.

XXXIII. Alii itaque crematos volunt, idque semper. Et Ravanellus imprimis cum Aben-Ezra urget, *traducere* hac in materia in Sacris idem esse, ac comburere, idque apparere excollatis invicem Scripturæ locis, e. g. 2. Reg. 17. n. 17. cum Ezech. 23. v. 37. Deut. 12. v. 31. cum cap. 18. v. 10. &c. Sic & Josephus l. 9. l. 9. Antiq. c. 12. in descriptione Achaz, per *holocautoma obtulit*, reddidit, quod scriptura 2. Reg. 16. v. 3. dixerat: *Consecravit filium, transferens per ignem.* Verba Josephi hæc sunt: *Achas erga Deum impiissimus omnium, & Patriarum legum desertor, ad imitationem Israeliticorum se contulit, aras Hierosolymis erigens, & in iis Idolis sacrificans, quibus & proprium filium holocautoma obtulit, ritu Cananæorum &c.* Seldenus quoque hallucinationem vocat sententiam de traductione, inde putans ortam, quod alio ritu pervetusto ignem transire soliti fuerint, qui jurassent, & illæ-

illæsi fidem dictis adstruxerint. Et quamvis de transitione luculenta etiam in scripturis sint Testimonia, ut Lev. 18. 2. *Reg. 6.* cap. 17. nil tamen obstare, quo minus etiam immolati, seu transeundo plane sacrificati fuerint.

XXXIV. Quicquid autem sit, de hactenus satis probabiliter dictis; mihi tamen, (quod pace tantorum Virorum dictum volo) magis arridet, media quasi incedens via: opinio statuentium, & traductos fuisse liberos, & crematos interdum, quamvis raro; illud obtinuisse in familiis omnibus, rebus etiam prospere fluentibus; hoc autem, scilicet vivi comburium, fuisse tantum carissimorum pignorum, ex flore populi, & quidem in magnis calamitatibus: quod Scripturæ S. utrumque affirmanti, consentaneum admodum videtur. Fovent hanc opinionem, præter cæteros, Dionys. Vossius, not. ad. Mos. Maimon. de Idolol. c. *6.* §. 5. Ger. Joh. Voss. l. c. l. 2. c. 5. p. *329.* Junius in Analyt. explicatione Deut. 18. Micrel. Synt. Hist. Eccl. Beyerl. in Theath. Raupius in Lex. Theol. voce Melchom &c. cum nemine tamen aliter sentiente, de eo contentionis ferram reciprocare volo.

XXXV. Traductionis itaque modus, ut supra dictum, erat hic: Sacerdotes faciebant duos rogos magnos, inter quos puer vel fœmella, nudis incedens pedibus, per Comaros, sive Sacerdotes, aut per Parentes, ad præscriptum Sacerdotum, vel gestabatur, vel traducebatur; atque sic adactus dundaxat ad Idolum quasi initiabatur. Quidam moriebantur, quidam superstites manebant.

XXXVI. Combustionem vero quod attinet, sic se habebat, referente Lyra ex Hebræorum monumentis, & Buxtorffio in Lex Hebr. ex libro Ialkut: Filius vel filia ante Molochum ponebatur: Molochus igne supposito succendebatur, donec candesceret, & ignitus fieret instar lucis. Tunc Parentes per sacrificulos infantem candentibus Molochi manibus inditum, incredibili crudelitate, detestandis hisce complexibus cremandum tradebant, eundem in holocaustum Molocho, Diabolica devotione, sic offerentes.

XXXVII. Finis tam nefandi cultus erat (1) Numinis propitiatio, dum aliter illud nisi morte homines, placari non posse, credebant. Quamvis autem Scriptura dicit Ps. 106. 37. *eos filios suos, ac filias suas immolasse* (*Schedim*) *Dæmoniis*; id tamen non intelligendum est de illorum præposito, sed quatenus omnis cultus religiosus ab hominibus extra & contra mandatum Dei excogitatus, bona quamvis intentione, non in honorem Dei, sed Diaboli cedit, & hac ratione vere cultus Diabolicus dicendus venit, prout & Magnif. Dn. D. Gejerus in not. ad h. l. dicit: factum hoc non esse Objective, sed terminative. Hinc David. P. *95. Omnes, inquit, Dii Gentium Dæmonia sunt*, conf. 1. Cor. 10. 20. Sacrificatores itaque isti propitiationem Dei intendebant per hoc opus; quemadmodum etiam Apologia Aug. Conf. ad Art. de Justif. p. m. *99.* & 120. dicit: *ideo eos mactasse filios, ut asperrimo ac difficillimo opere placarent iram Dei.* (2) Mali remotio. Numine siquidem propitiato, omnem simul pœnam sublatum iri sperabant. Hinc Carthaginenses ex flore populi 200. sacrificasse, ut obsidionem, & alia, quibus extreme tum temporis urgebantur, mala removerent, Autor est Diodorus Siculus l. 20. Et Euseb. l. 4. præpar. Evang. fol. 156. ex Porphyrio scribit: *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ, sacrificasse carissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum.* (3) Omnigenæ felicitatis acquisitio. Non ut tantum puerum crematum ocyus ad cœlum rapi somniabant; sed etiam persuasi erant Parentes, si unum ex liberis Molocho darent, reliquos vel fratres, vel sorores a morte ereptum iri, seque tota vita futuros prosperrimos. Quin & ex traductione liberorum nihil non felicitatis sibi promittebant. Sed deerat non modo mandatum Divinum, verum obstabat etiam interdictum, unde sibi Deum magis magisque reddebant iratum, pro benedictione, maledictionem sibi accersentes.

XXXVIII. Adstabant autem rigidi, sine gemitu, parentes, & si ingemuissent, vel illacrymati essent, pretio mulctabantur, puero nihilominus immolato. Ne igitur ejulatu & clamore liberorum ad commiserationem provocarentur, sed sine dolore eos in cœlos migrasse crederent, perstrepebant omnes circa Idolum tibiarum & tympanorum sonitu. Quin & saltasse aliquando Parentes impios, annotat B. D. Gerh. LL. de Inferno c. 1. §. 8.

XXXIX. Addita quoque fuisse oscula, quibusdam a vero non adeo videtur alienum. Ritum enim hunc obtinuisse apud Gentes, ut vel Idolum oscularentur, vel manum dextram, eminus stantes, porrigerent, eamque verenter ad os suum referrent, ac suaviarent, (unde adorandi verbum deductum, quod placet Lipsio & aliis) tenui murmure pacem & ve-

niam

niam deprecantes, ex variis constat Autoribus. Respexit dubio procul huc Ovid. *6.* Met. p. m. 145. ritu & verba precantium sic describens:

*Restitit & pavido, faveas mihi, murmure dixit,*
*Dux meus: & simili, faveas mihi, murmure dixi.*

Sic Cic. in Verr. l. 4. dicit: *apud Agrigentinos fuisse in ære* simulacrum Herculis, cujus rictus ac mentum paulo esset attritius, quod in precibus ac gratulationibus non solum id venerari verum etiam osculari solerent. Honor hic etiam hominibus postmodum per adulationem fuit exhibitus, quod *manu venerari*, dixit Tacitus l. 16. Annal. & Tranquillus in Claud. *manu salutare*, Martialis Ep. 65. Ad ritum hunc, quo Gentiles inter adorandum dextram ori admovebant, respexisse Jobum cap. 31. 2. dicentem: *Si osculatus sum manum meam ore meo* &c. vult B. Hieronymus in Ez. 8. 17. & Apologia 1. in Ruffinum. Idem etiam observatum fuisse in Molochi sacris, modo laudatus Pater cum modernis quibusdam ex Hos. 13. 2. probare vult, ubi Propheta: *Homines immolent, qui vitulos osculari cupiunt*, ut vertit B. Gesner. Vel ut Pagininus reddidit: *Sacrificiantes hominem vitulos osculentor*. Sed cum locus hic admodum sit controversus, aliis, ut Drusio, Junio &c. non de Molocho, sed vitulis Jerobeami illum capientibus, quorum postremus sic παραφράζει: *Homines, qui sacrificant, vitulos osculentor*, i. e. *quicunque Deum colere statuunt, honorem illius & cultum vitulis exhibeto, ex præscripto Jerobeami, & consilio populi*; Aliis vocabulum *osculari*, metonimice cultum divinum in genere, omniaque subjectionis officia denotare contendentibus; aliis aliud quid urgentibus, judicium meum modeste suspendere, quam aliquid certi audacter statuere malo.

XL. Locus huic Idololatriæ apud Judæos destinatus dicebatur תפת Tophet, a תפים tuphim, tympanis, quæ adhibebantur ibidem; quamvis Junius ad Es. 30. 32. ab amplitudine sic appellatum velit. Erat autem locus editior in valle filiorum Hinnom, quæ vallis sita fuit prope Hierosolymam, ad radices Montis Moriæ, contra Orientem, juxta piscinam fullonis, fontibus Siloe, ac fluxu torrentis Cedron irrigua, nec non, Hieronymo teste, amœna, nemorosa, hortorumque beata deliciis, quemadmodum hic mos apud alias etiam gentes obtinuit, ut capita fontium, & lucos rebus sacris frequenter destinaverint, quod idem & Majores nostros fecisse olim, ex hist. sufficienter liquet.

XLI. Unde nomen sortita sit hæc vallis, non eadem est Autorum sententia. Quidam dictam volunt Ben Hinnom vel ideo, quod sacrificuli adstantes dicerent liberis & Parentibus יהנה לך utile erit tibi, dulce erit tibi, condimentum erit tibi; vel a clamore & fletu puerorum, quia vox pueruli erat נהם, rugiens & gemens prout ex libro Jalkut hæc refert Buxtorf. Posteriori huic opinioni subscribunt Micræl. l. c. Munsterus ad 2. Reg. 23. Seldenus l. c. & alii. Quidam vero censent, Hinnom esse proprium viri, cujus mentio fit Jos. 18. v. 8.; quam vallem cum dictus vir jure hæreditario in liberos suos derivaret, dicta fuit vallis Ben Hinnom, id est filiorum Hinnom; quod volunt Meisn. in Hos. 13., Forst. in Es. 30., Dieter. Anal. Dom. 6. Trinit., Hulsem in fer. 71. Glass. Phil. S. l. 3. tr. 1. Bibl. vin. Ravan. Bibl. S. voc. Gehenna, Musæus in m. S. super Es. 30. &c. Quæ sententia plana admodum, veritatique consona videtur.

XLII. Diu durasse hunc cultum, tam inter Gentes, quam Israelitas, extra dubitationis aleam positum est; sed certum annorum hic ponere calculum, vix cuiquam erit possibile, cum tam origo, quam finis hujus cultus, præsertim inter Ethnicos, sit dubius. In populo quidem Dei mox post mortem Josuæ & Seniorum populi cœpisse hanc Idololatriam, confuse potest colligi ex Jud. 2. v. 7. 11. &c. & Ps. 106. v. 37.; sed certus annus nos latet. Salomon quoque ad senium vergens mulierum corruptus blanditiis, Idolo Moloch in monte offensionis, sive Mashich, erexit templum. 2. Reg. 23. v. 13. quod factum, cum annos 25. aut 6. regno transegisset, unde Ezech. 4. v. 5. principium peccatorum Israelis ducitur ab anno Salomonis 27. a quo ad excidium usque urbis & templi Jerusalem præcise numerantur 390. vid. Junii not. ad 1. Reg. 11. v. 1. Viguerunt igitur hæc Sacra in populo Dei per aliquot secula, quamvis non continuo temporum tractu, sed pio regnante Magistratu sæpius interrupto, inter Israelitas quidem usque ad captivitatem Assyriacam, inter Judæos autem ad Josiam usque strenuum illum Religionis veræ vindicem. Ille enim non modo anno Regni sui octavo, ætatis decimo sexto, incepit quærere Deum, & anno Regni duodecimo reformare cultum Idololatricum, 2. Paral. 34. v. 3. Sed etiam anno decimo octavo, postquam regnare cœpisset, Prophetia libroque legis ad hoc

hoc commotus, ex justo Zelo omnem Idololatriam penitus tandem abrogavit, & sic Molochi quoque sacra evertit, statuas conterendo, Sacerdotes ejusdem concremando, locumque polluendo, projiciens illuc cadavera, stercora, & alias sordes ex vicina urbe Hierosolima, ne amplius haberetur pro religioso, sed spurco & abominabili, quemadmodum dicitur de eo 2. Reg. 23. v. 10. *Contaminavit quoque (Josias) Tophet, quod est in Valle filii Ennom, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam suam per ignem Moloch*. Ex. v. 13. seq. *Melchom, abominationem filiorum Ammon, polluit Rex, & contrivit statuas, & succidit lucos, replevitque loca eorum ossibus mortuorum*. Et quamvis a filiis degeneribus cultum hunc quodammodo restauratum fuisse probabiliter quis colligere posset, ex 2. Reg. 23. 37. cap. 24. v. 9. Pristinas tamen vires ob catenatas Judæorum clades colligere non valuit.

XLIII. Quam abominabilis enim cultus hic fuerit in oculis Dei, vel exinde clarum evadit, quod Propheta Jeremias, in eadem valle Ben Hinnom, annunciare populo jubebatur, fore, ut locus iste non amplius Tophet, vel vallis Hinnom, verum vallis Occisionis diceretur, quoniam Deus dissipaturus sit consilium Juda & Jerusalem, in isto loco, & subversurus eos gladio, in conspectu inimicorum, & daturus cadavera eorum escam volatilibus cœli, & bestiis terræ, ideo, quod repleverint locum istum sanguine innocentum, citra culpam suam immolatorum. Et, quemadmodum Propheta conterebat vas figuli, mandato divino ad hoc emptum; sic conterendum fore ajebat, populum istum, & in Tophet sepeliendum, eo, quod non futurus sit alius sepulturæ locus. Quid? quod, ipsam urbem Jerusalem, domumque Regiam, sicut locum Tophet, futuras immundas, Jer. 7. & cap. 19. Quæ omnia ipso etiam facto postmodum fuerunt impleta. Puplica vero etiam in Tophet, vel communia fuisse sepulcra, in quibus cuilibet jus erat tumulari ut quidam ex 3. Reg. 23. v. 6. colligunt, ubi Josias pulverem combusti luci dicitur projecisse super sepulcra filiorum populi, hoc est, secundum Sanctium; ubi vulgares homines tumulari soliti, qui locus sepulcra vulgi dicebatur; non approbat Magnif. D. Gejerus, sed dicit R. Kimchi non incongrue monere, quod verba citata complenda sint ex 2. Par. 34. v. 4. ubi dicitur, sparsisse super sepulcra sacrificantium in iis, i. e. secundum eundem Rabbinum: super sepulcra istius populi, qui servierat illis dum viveret, & quidem in ignominiam ipsorum, q. d. videte quid colueritis in vita vestra! item ut corriperent hoc modo viventes. Quemadmodum & de loco Jer. 19. 11. an majoris sit roboris, ad defendendam de communibus in Tophet sepulcris sententiam, subdubitat, vid. ejusd. Tract. de Luctu Hebr. c. 6. §. 10. p. m. 129. 130. 131. Junius quoque textum Hebræum 2. Reg. 23. 6. sic vertens: *& projecit pulverem ejus super sepulcrum illorum popularium*; hæc annotat: *videlicet Idololatrarum, in detestationem idololatriæ, cui adhæserant, contaminationem sepulcrorum, in exemplum vivis*.

XLIV. Occasione hac factum fuit, ut loci istius denominatio ad damnatorum locum exprimendum paulatim adhibita fuerit, quod testatur R. Kimchi ad Ps. 27. v. 13. dicens: *judicium impiorum, sive locum, in quo æternas pœnas impii sustinebunt, dictum fuisse Gehennam*. Quamvis enim Barthol. Westhemerus, in libro de tropis Scripturæ S. p. 78. aliam vocis hujus nomenclaturam excogitaverit, deductam putans ab Hebræo ענה innah, afflixit, unde nomen ענין injan, afflictio, molestia, dictamque fuisse γεεννα pro Injan, cruciatu, præfixa litera γ. more Græcorum & Latinorum: Prior tamen sententia apud plurimos obtinuit.

XLV. Et certe non videtur dubium, significationem hanc Gehennæ jam olim communem, & vulgo notam fuisse, ut antiquissimi Judæorum libri testantur. Vid. Buxt. Lex. Hebr. voec גיא gei. it. Seld. l. c. Hinc Christus etiam, ob memoriam tam abominandæ Idololatriæ & factæ postea profanationis, hoc nomen ad infernum transferre non dubitavit, Matt. 5. v. 22. vocans γεένναν τοῦ πυρός; & ne de elementari igne hujus mundi intelligatur, dicitur πῦρ ἄσβεστον Marc. 9. 45. sicut Matth. 18. 8. πῦρ αἰώνιον: quemadmodum e contrario regnum Cœlorum, in quo animæ beatorum quiete amœnissima, tranquilitate lætissima ac felicitate sempiterna perfruuntur, vocatur Paradisus, metaphora deducta ab horto illo amœnissimo & fertilissimo, in quo, ab omni corporis & animi molestia liberi, Protophlasti ante lapsum agebant, Luc. 23. 43.

XLVI. Nervus comparationis inter utrumque potest esse hic. I. Quemadmodum Molocho, i. e. Scriptura ajente, Cacodæmoni, in valle Hinnom, liberos sacrificabant; sic & in inferno impii Diabolo tradentur proprii. II. Ut præ horribili

ribili tympanorum sonitu infantum fletus exaudiri non potuit: ita in inferno nullus precibus erit locus, nulla speranda misericordia, nulla redemtio, quod cum Origene Anabaptistæ somniant. Janua enim Cœli semel clausa, dicentibus Domine, aperi nobis; repulsam dabit Christus: *Nescio*, inquiens, *vos*, *discedite a me omnes operarii iniquitatis*, Luc. 13. 25. seq. III. Ut per ignes, crudelissimo mortis genere liberis, sic immolatis, fuit pereundum: Sic impii ἐν τῇ φλογὶ ὀδυνήσωσι, ϗ βασανισθήσονται, Luc. 16. 24. 25. IV. Ut in valle ista polluta ignis fuit perpetuus, notante R. Kimchi ad Psal. 27. 13. ad comburendum cadavera, ossa, ac reliquas sordes: ita ignis infernalis erit æternus, ad urendos damnatos, sed non comburendos. *Vermis enim eorum non morietur*, *& ignis non extinguetur*, Marc. 9. 44. V. Ut funestum hoc sacrificii genus Deo, & omnibus piis fuit abominatio: *Sic impii abominatio erunt omni carni* Es. 66. v. ult. a facie Dei in æternum abjecti.

XLVII. Vocabulum Tophet quoque tralatitie pro damnatorum loco, æternisque suppliciis quandoque usurpari, & in specie Es. 30. 33. multi insignes Viri, inter quos sunt Pagninus, Ravanellus &c. sunt persuasi. Invenias tamen alios, qui per tophet, Esa. 30. non infernum, sed locum supplicii temporalis intelligunt, non præcise quidem vallem filiorum Hinnom; sed per synechdochen speciei, pro genere, locum exitii, in quo pereundum fuerit Sennacheribo cum exercitu, perinde ut in valle Hinnom Judæorum pueri peribant, per ignem traducti atque cremati. Sed Magnif. D. Calovius in Grot. Elenchomeno ad C. 30. Es. una cum Bibl. Vin. utrumque optime connectit, dicens: *Notatur hic judicium Dei adversus Sennachæribum*, *ejusque exercitum*, *quod non tantum militibus ejus*, *sed ipsimet quoque Regi fovea exitii a Deo jam parata sit*; *quodque ipsi brevi horribili modo perituri sint*, *non temporali tantum*, *sed æterna quoque morte*.

XLVIII. Ut finem vero faciamus, notamus hic merito, quanta Diaboli sit potentia, & quomodo affectus sit erga genus humanum, si Deus ex justo judicio hominibus gratiam suam surripiat. Videlicet non solum in crimina, quæ virtutis & delectationis quandam speciem habent, homines dejicere gestit, quomodo Abnerum & Joabum impellebat, ut profusionem sanguinis innocentis pro ludo ducerent 2. Sam. 2. 14. verum etiam in flagitia, ipsi naturæ adversa, homines præcipitare, qualis erat crudelis hæc liberorum mactatio; & quod maximum est, tantum stuporem sic præcipitatis inducere, ut pertinaciter errorem defendant.




CHRI-

# CHRISTIANI SAM. ZIEGRA
## DISSERTATIO PRIMA
## DE
## CRUDELISSIMA LIBERORUM
## IMMOLATIONE MOLOCHO FACTA.

### §. I.

MAgna quidem nec ſatis deploranda clades, quam Protoplaſtorum lapſus dedit generi humano, quondam fuit, quum ex priſtino ac undiquaque beatiſſimo ſtatu in infeliciſſimum hominem transferret, ac imagine divina, qua pollebat ante, maximam partem exſtincta, miſerrimum præ cunctis creaturis redderet; ea tamen deprædicanda juxta divina bonitas erat, quod gratiam ſuam non penitus ſubtraheret Deus, ſed aliquam adhuc occaſionem relinqueret homini jam lapſo, magis magiſque Creatorem ſuum cognoſcendi. Enim vero quæ concelebrata toties in homine imago divina effulſerat, igniculos certos poſt ſe relinquebat, perinde ut favillæ quædam ex ingenti flamma poſt incendium reſtinctum, & ex magno ædificio poſt dirutionem rudera quædam ſuperſunt: nam ita, ex voluntate Dei, ſcintillæ quædam atque veſtigia poſt lapſum, notitiæ ſcilicet de Deo naturales, atque principia innata, reſidebant. Qui quidem tantis tamquam altis radicibus in animis hominum defixus erat Dei ſenſus, ut omnibus ac ſingulis ſupremum illud Numen pateret, nec ulla, M. Tullio (1) teſte, hodienum gens exiſtat, neque tam immanſueta ſit, aut fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, habendum tamen ſciat. Multos igitur tametſi reperire homines liceat, qui ſine Principe, ſine lege, ſine tecto & foco ſub dio, ferarum more, degunt; nulli tamen unquam deprehenſi, qui omni religionis ſpecie deſtituerentur, ſed quod colerent, perpetuo habuerunt, ne omni prorſus divinitatis perſuaſione carere forte apparerent. Alii, in ſocietatem redacti magis, plenius univerſi hujus Conditorem agnoverunt, ejuſdemque tum Eſſentiam tum varia Attributa ita propoſuerunt, ut, quid de Deo ſenſerint, nemo non perſpicere inde luculenter poſſit. Ariſtoteles certe ut peritiſſimus ſcientiarum erat, ita nec tantus Opifex ipſum fugiebat, verum ingenue Ἀρχὴν καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων (2) confitebatur eſſe; ſicut & alibi (3) de eodem inquit: Συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ θεὸς ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν.

Ἐςὶ μέγας ἐν ὀρανῷ
Θεὸς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει,

Sophoclis (4) ſententia eſt, Numen illud quum ceu Gubernatorem ac diſpenſatorem univerſi hujus deſcribit. Unitatem vero in Deo Gentiles pariter cognoviſſe, e plurimis eorum teſtimoniis conſtat, maxime autem Orpheus (5) id ipſum in ſequentibus docet, cum ait: εἷς ἐς αὐτοτελὴς, ἑνὸς ἔκγονα, πάντα τέτυκται, alibique; (6) ἕν ρ ά τος, εἷς δαίμων γένετο, μέγας ἄρχος ἁπάντων; quam etiam ſententiam calculo ſuo Plutarchus (7) hunc in modum probat: εἷς δὲ βασιλεὺς καὶ ἀρχὼν θεὸς, ἀρχήν τε, καὶ μέσα, καὶ τελευτὴν ἔχων τοῦ παντός. Et quæ reliqua Eſſentiæ Divinæ Attributa ſunt, quæ a Gentibus perſpecta probe, magnique momenti habita perpetuo fuerunt. In his enim atque ſimilibus mirum in modum delectati ſunr, ac pietatem univerſam veramque virtutem in hac contemplatione poſuerunt, teſte Hermete Triſmegiſto, cui (8) εὐσέβειά ἐςιν ἡ θεοῦ γνῶσις, ὃν ὁ ἐπιγνοὺς πλήρης γενόμενος πάντων τῶν ἀγαθῶν τὰς νοήσεις θείας ἴσχει, καὶ οὐ τοῖς πολλοῖς ὁμοίας; nec non Philone, cujus graviſſimo judicio (9) ἡ τοῦ θεοῦ γνῶσις σοφία ἐςὶ, καὶ ἀληθινὴ, ἡ δ' ἄνοια ἀμαθία τε καὶ κακία ἐναργής. Contra vero eos, qui agnoſcere Deos ſuos recuſabant, atque adeo ipſos Chriſtianos, deſpicatui maximo habebant, ac Atheos idcirco nominabant, prout Juſtinus Martyr (10) hiſce verbis innuit: ἔνθεν δὲ καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα, καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι. Ac teſtabantur hac ratione Gentiles luculenter, quam firmiter

ter hæc Dei notitia sibi impressa, & quam arcte hic Dei sensus animis suis sit insculptus, nec ullus hominum uspiam existat, qui non aliquam de Deo habeat existimationem.

II. Quare ut Numini isti debitum honorem quoque exhiberent, non leviter natura duce soliciti Gentiles omni tempore fuerunt, ac varia proinde excogitarunt, magnisque sumtibus sæpe instituerunt, quæ ad colendum illud Numen facere videri poterant: instituendo autem hæc omnem rationem Deum colendi depravabant, & (quod turpe dictu!) Numina proprio arbitrio sibi fingentes, in maximam idololatriam prolabebantur. Horret animus commemorare, quanto numero Deos sibi elegerint, leves ac imbecilles natura sua, Solem puta, Lunam, Canem, Bovem &c. de quibus Alexander ab Alexandro, (11) Natales Comes, (12) Curtius, (13) Tacitus, (14) Gerhardus Johannes Vossius, (15) Levius, (16) Cyprianus item, (17) Arnobius, (18) Tertullianus, (19) alii que multa memoriæ prodiderunt. Ac Augustinus quidem, *tantam*, scribit, (20) *apud Romanos ortam esse Deorum multitudinem, ut nomina eorum vix grandibus voluminibus comprehendi possent*. Plinius, *nomina alia*, inquit, (21) *aliis gentibus, & numina in iisdem innumerabilia reperta sunt; inferis quoque in genera descriptis, morbisque & multis etiam pestibus, dum esse eas placatas trepido metu cuperent*. Petronius vero salse istam superstitionem & idololatriam (22) ridet, cum, *nostra regio*, ait, *tam præsentibus plena est numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem invenire*. Unde nec mirum, maximopere etiam Gentiles a vera Deum colendi ratione aberrasse, si circa ipsam essentiam tam enormiter peccarunt, eoque tandem processisse, ut non modo singulas functiones singulis etiam Diis adscripserint, fragilitatis nempe horum memores, qui pluribus simul obeundis non sufficerent, verum & turpia quæque & flagitiosissima iisdem ausu nefario adsignarint. Nam eo nomine Xenophanes & Homerum & Hesiodum his verbis reprehendit:

> Πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν ὅμηρος θ' ἡσίοδός τε,
> Ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ,
> Κλέπτειν μοιχεύειν τε, καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

qualia nefanda etiam Neoptolemus accusat apud Sophoclem (23) ita disserentem:

> Πῶς χρὴ τίθεσθαι ταῦτα; ποῦ δ' αἰνεῖν; ὅταν
> Τὰ θεῖ' ἐπαινῶν, τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς.

utrique scilicet probe animadvertentes, quanta mala quantæque opiniones absurdissimæ inde promanarint. Posito enim, Deum aut flagitiis, aut crudelitate, aut aliis quibuscunque rebus illicitis mirum in modum delectari, varia etiam e vestigio facinora hominum animos occuparunt, cædes, truculentiæ, & quæ his similia sunt, quæ etiam in sacris peragendis occultare Gentiles non poterant, sed pessime, dum Sacrificia Diis suis offerebant, in genus proprium exercebant. Crudelissimam illam intelligo immolationem, qua Parentes, ut vel aliquid impetrarent, vel pericula averruncarent, liberos suos comburendos Dæmoni, sub Molochi specie, offerebant, eidemque consecrabant, existimantes, atrocissimo hoc facto, quo nec major unquam sævitia excogitari potuisset, sanguinis scilicet humani immolatione, omnium facillime Deos placari.

III. Autor immanissimi atque nefandi sacrificii hujus quis extiterit, & unde primam originem, de qua potissimum in hac Dissertatione soliciti erimus, ἀφορμία hæc truculenta duxerit, non æque inter se Autores conveniunt. Gregorius de Valentia, (24) naturæ instinctu ad flagitia talia committenda Gentiles compulsos fuisse, opinatur, eo quod sacrificia a naturali quadam inclinatione, recta atque bona, profecta sint, idque tum Patriarcharum tum Gentilium exemplis confirmare conatur, qui utrique sacrificarunt. Sed leve hoc argumentum est, a Gentilium sacrificiis petitum, ut ex inferius dicendis manifestum erit, adeoque & insufficiens ad demonstrandum, Immolationem istam liberorum naturam dictitasse: potius autem hæc factum istud ceu actionem crudelissimam, & quæ contra omnem humanitatem est, describit, indeque hominum sanguinem litare vetat. Eo namque ipso, quo cædem in hominem sacra faciens committit, nil agit aliud, quam ut creaturam nobilissimam extinguat, hominem puta ad imaginem divinam efformatum, tantaque præditum excellentia & majestate, ut reliquis etiam creaturis tanquam Princeps quidam præsit, quo ablato Deus quoque tali splendore privaretur. Et quam insigne damnum Respublica non sentiret, amisso tali cive, qui gubernacula sua tenere aliquando, & cum laude maxima id ipsum præstare posset, quod ex rei communis usu foret? Quid fa-

familia? quæ Patre: quid Ordo? qui Membro: quid Respublica? quæ capite: quid Ecclesia? quæ Doctore suo orbarentur. Maxime autem turpe tale homicidium foret, si vi quadam illud committeretur, atque occidens jus in vitam alterius sumeret, in quam jus nullum habet, & quæ etiam in statu communionis bonorum propria cujusque fuit: nam hoc pacto eriperet occidens summum Dei beneficium occiso, quod ei restituere nunquam posset. Qui igitur hanc Liberorum Immolationem longe crudelissimam inculcaverit natura, aut judicare humana ratio potuerit, cultum hunc Deo gratum esse, horribilem in se ac plane detestandum. Hinc multo rectius de præsenti negotio Plato (25) judicat: οὐδ' ὂν δυνατὸν εἰδέναι τῇ θνητῇ φύσει τῶν τοιούτων περί. *Non potest mortalis natura quidquam certi de his* (Sacrificiis & cultu Numinis) *cognoscere*, εἰ μὴ θεὸς ἡφηγοῖτε, *nisi Deus dux & autor fuerit*. Solidius autem Brentius (26) hanc rem exposuit, *si humanam*, inquiens, *rationem de hoc divini cultus genere consulas, alicubi tam capitale fuit, bovem necasse, quam civem. Et Solon, sapientissimus Athenienśium Legislator, bovem immolari, diserte vetuit: tantum abest, ut humana ratio potuerit judicare, hunc cultum Deo gratum esse*.

IV. Potius itaque, Crudelissimam hanc liberorum Immolationem ex mira quadam multorum imprudentium religione natam esse, autumamus, quos cœca Numinis circumvenit superstitio, atque pessima fraus Sacerdotum, qui spe forte lucri idololatriam hanc populo magis magisque commendabant ceu optimum atque sanctissimum Dei cultum, etsi nullam sanctitatis speciem præseferret, sed abominanda ac detestabilis Gentilibus etiam ipsis videretur. In quo negotio nec Dæmon procul dubio cessavit, sed in errore isto miserrime obcœcatos homines confirmavit, & nullam oppressis animis respirandi copiam fecit, ut ne quidem revolvere secum potuerint, in quibus malis jam versentur, & quam scelerata, impia & horrenda religio illa sit, quam a Doctoribus suis hausissent. Atque ut hoc eo magis obtineret, Abrahami exemplum Gentilibus proposuisse illum totius generis humani infenssissimum hostem, non improbabile apparet, Isaacum filium immolaturi, quod exemplum deinceps occasionem iis præbere quoque potuit nequissimum hunc atque cruentum Dei cultum approbandi. Percrebuerat quippe citra dubium undiquaque Abrahamum Summi Numinis mandato hujus generis ritum instituisse, ut, ceu nobile atque eximium sacrificium, Liberi Deo offerrentur atque immolarentur, idque in filio, quem tunc unicum habebat, eumque charissimum, primo omnium consummasset. Ut igitur oblationem hanc filii imitarentur Gentiles, facile hoc Patriarchæ exemplo commoveri potuerunt, quippe qui perpetuo perverso huic æmulandi studio omnibus modis dediti fuerunt, & quod a Deo rite institutum, pessime depravarunt, ceu illud variis exemplis, si nunc opus foret, ostendi, & clarissimis Scriptorum testimoniis confirmari posset, qui maxime etiam circa præsens negotium autoritate sua non exiguam sententiæ nostræ lucem affundunt.

V. Etenim ex variis illis magnoque numero adducendis Autoribus vel unicus Porphyrii consensus in præsenti nobis sufficiat; qui licet falsa quædam veris miscuerit, multa tamen scopo nostro convenientia ab Eusebio (27) adductus hunc in modum tradidit: Κρόνος, ὃν οἱ φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι βασιλεύων τῆς χώρας (φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν ἐς τὸν τοῦ κρόνου Ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρείας Νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ: ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς φοίνιξι. κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων καταληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσεν, hic est *Saturnus*, *quem Phœnices Israelem nominant*, *quemque post obitum in astrum ejusdem nominis consecrarunt*, *cum illis in locis regnaret*, *ac filium unigenam ex Nympha quadam indigena*, *nomine Anobret*, *haberet*, *quem propterea Jeoud dixere*, *vocabulo hodieque unigenam notante lingua Phœnicia*, *cumque in gravissimum belli periculum regio incidisset*, *illum ipsum regio ornatum habitu in ara ad hoc extructa immolavit*. Quorum verborum summa assertioni nostræ favere nonnihil videtur, eoque tendit, Regem Phœniciæ antiquissimum Israelem fuisse appellatum, qui filium habuerit unigenitum, Jeoud a gente sua dictum, quem filium pater postmodum immolarit. Nam hæc singula de Abrahami facto non pauci explicant, atque per hunc unigenitum Isaacum intelligunt, eo quod vocabula Isaac & Jeoud in fontibus quoad literas per omnia ferme conveniant, &, uti jactant, hæ linguæ sola dialecto a se invicem discrepent. Patrem vero pro Abrahamo habent, qui post obitum suum in cœlum lum receptus atque inter astra collocatus sit, quam etiam ob causam Phœnices

ces eum postea ceu Deum aliquem coluerint, atque Israelis nomen imposuerint, a populo Dei petitum.

VI. Nos etsi sententiæ isti haudquaquam in omnibus adstipulemus, sed plurima ficta & falsa immista veris esse agnoscamus; occasionem tamen immolationi huic liberorum Abrahami factum præbuisse, dubium non est, cum satis constet, talia facta ad gentilium aures pervenisse, quæ etiam describere non raro conati sunt, urut hæc describendo gravissime interdum errarint, sicut inter alia Jephthæ exemplum id ipsum docet, filiam suam unicam immolantis, quod exemplum ansam postea Scriptoribus dedit similia de Agamemnone & Iphigenia excogitandi. Testis est Epiphanius (28) hac de re perspicue differens, quum imitatos fuisse gentiles Jephtham, & ad ejus modum liberos immolasse (nisi eadem forte historia, quæ in Sacro Codice habetur, ac nonnihil immutata, fuerit) hunc in modum docet: ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ ποτε Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες ἔτι ταύτην τελετὴν κατ' ἔτος ἄγουσιν, i. e. *Sebaste vero, quæ olim Samaria dicebatur, Jephthæ filiam divinis honoribus consecrarunt; in cujus memoriam solemne quotannis festum celebrant*: de qua solemnitate iterum in sacro textu, & quidem Jud. XI. 40., vestigia quædam deprehendimus. Quid de Idomenei, Cretensium Regis, facto sentiendum sit, neminem latet, quippe qui in patriam e Trojano bello redux Neptuno, tempestatem immittenti, omne illud, quicquid sibi navi egresso primum obviam iret, ceu victimam immolandum vovit, ac filium deinceps natu primum sibi occurrentem huic Neptuno etiam obtulit. Hæc enim atque similia sufficienter inculcant, quam perspecta Gentiles plurima, quæ in populo Judaico subinde contigerunt, habuerint, atque ceremonias idcirco a Summo Numine ipso rite institutas, dum imitari has omni tempore tentarunt, pessime depravarint, maxime circa sacrificia, quæ crudelissima illa liberorum oblatione, sanguine scilicet hnmano, non leviter contaminarunt.

VII. Primi itaque Immolationi huic addicti Syri fuere, ob idololatriam suam maxime notabiles, apud quos, Plutarcho (29) teste, idem tibiarum & tympanorum solemnis usus obtinuit, qui pariter in offerrendis Molocho sacrificiis receptus erat, adeoque firmum aliquod suppeditabat argumentum, a Syris crudelissimam istam humani sanguinis immolationem originem cepisse. Vide & Lipsium (30) nec non Strickium, (31) qui idem confirmant. A Syris ad Phœnices cultus iste transiit, qui Molocho pariter victimas humanas mactarunt, referente Porphyrio, (32) qum ait: φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν ἔθυόν τε τῶν φιλτάτων τινα ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ sacrificabant charissimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc suffragiis addictum*. Consentit Eusebius, (33) similia his recensens: Κρόνῳ γὰρ φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων, Phœnices Saturno quotannis sacrificabant dilectissimos, ac filios unicos; nec non Athanasius, qui (34) φοίνικες, inquit, καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον. Phœnices secuti Carthaginenses sunt, de quibus Paulus Orosius (35) scribit: *Homines ut victimas immolabant, ætatemque impuberem, quæ etiam hostiam misericordiam provocaret, aris admovebant*. Minutius Felix (36) *Merito*, inquit, *ei* (Saturno) *in nonnullis Africæ partibus a parentibus infantes immolabantur blanditiis & osculo comp imente vagitum, ne flebilis hostia immoletur*. Tertullianus vero ista tradit (37) *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usqur ad Proconsulatum Tiberii, qui eosdem Sacerdotes in eisdem arboribus Templi sui obumbratricibus scelerum votivis crucibus exposuit*. Et paulo post: *Cum propriis filiis Saturnus non pepercit; extraneis utique non parcendo perseverat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, & libentes exponebant, & infantibus blandiebantur*. Ac propagatum adeo, quod in Syria cœperat, venenum hoc deinceps in totum fere terrarum orbem est, ac plurimos hominum eodem infecit, adeo, ut non abs re, *infantes sive pueri*, Seldenus (38) scribat, *erant hostiæ communes, & nefanda illa Sacra e Syria in Europam videntur migrasse, & in Africam*. Tanta vi crudelissima illa ratio Deum colendi animos hominum occupaverat, ut, cum nihil excellentius homine terra alat, nec parentibus charius quicquam liberis sit, nihil etiam Deo acceptius offerre se posse crederent, quam si liberos suos immolarent, vel in hæredum ac patriæ spem natos.

VIII. Neque vero a culpa ista immunes & excusandi Ammonitæ erant atque Moabitæ, quippe de quibus Sacer Codex perspicuis verbis memorat, obtulisse eos semen suum, vel liberos suos Molocho com-

comburendos, atque de Moabitarum præsertim Rege perhibet, quod, cum infeliciter quondam adversus Judæorum Reges pugnasset, atque prævaluisse hostes vidisset, filium suum primogenium, dignitatis regiæ hæredem, arripuerit, atque super murum obtulerit istud holocaustum. Atrox certe facinus atque stupendum, quod excusare quidam vel ad minimum extenuare omnibus viribus olim laborarunt, obvertentes, immolationem hanc, a Moabitarum Rege factam non de proprio, verum de filio Regis Edom intelligi debere. Quæ quidem sententia uti non omni plane fundamento destituta videtur, sed aliquam veritatis præ se speciem fert: ita R. David Kimchi, (39) & cum hoc alii, maxime in eo desudarunt, qui opinionem istam obtinerent quoque, indeque & locum Amos II. 1. præ cæteris urgent, in quo de Rege Moabitarum relatum legimus, quod ossa Regis Edom in calcem combusserit. Ast locus ille a scopo plane alienus est, nec facile quis credet, Prophetam ad hanc historiam respexisse. Non enim affirmat hic, quod Regis ossa combusserit; sed quod filium Regis: sicut & inconveniens est, Regem Moabitarum pueri istius recens mortui carnibus denudasse ossa, illaque ritu sacrificiali immolasse, quum & carnes in sacrificiis non excluderentur, ipseque Rex, in summo periculo vitæ constitutus, tantum otii non haberet, ut ossa spoliaret carnibus. Præterea etiam si Regis Edom filius hac ratione fuisset immolatus, crudelissimo hoc facto inflammati ursissent potius obsidionem Judæorum Reges, atque Moabitas magis adhuc, & quidem ad mortem usque, fuissent persecuti. Longe autem aliud eventus docuit, dum Sacer Textus immediate subjicit, quod Israel nefanda ista videns valde indignatus sit, statimque recesserit, ac in terram suam sit reversus. Ac licet concederemus, puerum a Moabitarum Rege immolatum filium fuisse Regis Edomitici, adhuc tamen crudelissimum sacrificium istud maneret, quod hominem Deo suo consecrarit, utut alieni, & quidem hostis filius esset, siquidem & hoc receptum inter gentiles erat, ut, si quibusdam nulli essent liberi, a pauperibus istos emerent, ac deinde mactarent. Non igitur excludi ulla ratione e tali hominum consortio vel Ammonitæ vel Moabitæ poterant, qui liberos suos aut alios quoscunque homines Diis suis immolandos igneque comburendos obtulerunt: quin potius eo jam eorundem idololatria processerat, & tanta incrementa jamjam ceperat, ut immensa esset, atque hoc turpissimo exemplo multi etiam alii una seducerentur.

IX. Enimvero postquam populus Israeliticus post longum itineris spatium in Moabitarum atque Ammonitarum tandem confinio haberet, atque consuetudine horum familiaritateque subinde uteretur, insigne hoc abominationis genus inter gentes Dei ignaras non solum constitit; sed ita Israelitarum quoque animos occupavit, ut non modo cultum hunc, Deo offensissimum, probarint, verum & ipsi talia sacrificia, cruenta tamen sanguineque humano polluta, instituere etiam in suo cœtu non vererentur. Nam eodem modo, quo reliquæ Gentes, Israelitæ quoque sacra sua postmodum adornabant, atque liberos suos comburendos offerebant, spectaculo sane tam horrendo, ut ne quidem Heinsius (40) depingere satis istud facinus audeat, aut in sequentibus commemorare:

*Illinc Gehinnæ vallis, & dirum nefas,*
*Quod caucasi pruina, quod Taurus ferox,*
*Totaque trepidus mente refugiat Scythes:*
*Fremitus cruentos inter, & tristes modos,*
*Stat execrandi conscius sacri pater,*
*Natumque lætus spectat, & torret suum.*

Tam enorme atque insigne flagitium istud erat. Quapropter & Deus, justus ille vindex, gravissimas pænas populo suo ob admissa scelera ista comminatus omni tempore fuit, serioque admonuit eos, ut talia nefanda sedulo vitarent, nec Manassis aliorumque exemplo liberos suos diabolo offerrent, prout hujus generis testimonia multa Sac[illegible] Codex subministrat.

X. De cætero vero apud reliquas ferme gentes omnes ritus hic receptus erat, atque maximam partem orbis terrarum crudelitatem hanc probaverat, eoquod, teste Grotio, (41) ubique, Deos humano sanguine placari, crederent. Græcorum si advertas ritus, eandem profecto immolationem deprehendes, quæ ibidem viguerit. Enimvero de Agraulo, vel, ut alii legunt, Aglauro, Cecropis I. secundi Atheniensium Regis, uxore literarum monumenta docent, quod Salamine Cypri, ubi templum habuit, homo ei ad Diomedis rempora usque immolatus sit. Nec latere quemquam opinor Ere-

Erechthei, septimi Atheniensium Regis factum, qui cum ab Oraculo Pythico, bello, cum Eumolpo, Thracum Rege, inter Athenienses concitato, hoc responsum tulisset, se superiorem fore, si Proserpinam, filiarum natu maximam immolaret, Athenas redux, re, cum Phrasithea uxore, communicata, paruit oraculo, adductaque ad aram filia, eam immolavit. Quanquam inter se adhuc dissentiant Autores, nec satis constare putent, utrnm natu maximam, an minimam, an duas, an plures immolaverit? an una immolata cæteræ seipsas interfecerint? & quæ his similia sunt. De Massiliensibus id præcipue memoriæ proditum est, quotiescunque pestilentia laborarent, solitos eos fuisse egenum quendam hominem publicis sumtibus alere, qui verbenis ornatus & sacris indutus vestibus per urbem duceretur cum exsecrationibus, ut in ipsum omnia civitatis mala reciderent, & sic Diis immortalibus immolaretur. Tauri legem hanc feram atque plus quam inhumanam observabant, ut omnes hospites adventantes igne consumerent, atque Dianæ immolarent: Qui ritus longo etiam temporis spatio continuatus & tanquam sacrificium aliquod insigne fuit habitus.

XI. Quid de Romanis atque Italis commemoremus? quorum peritissimus Dionysius Halicarnasseus apud Eusebium (42) Jovem Apollinem refert ob non immolatam hominum decimam, magnas iis calamitates, annonam charam, morbos, tempestates, & alia mala immisisse. Rogabant Numen incolæ, quid admisissent, aut quomodo effugere malum istud possent? quibus respondebat: quia multa pro lubitu suo impetrassent bona, neque tamen debita solvissent, infausta hæc omnia ipsis evenire: quapropter si avertere cladem istam vellent, debita prius solvi oportere. Et cum omnes primitias illas exhibitas justo tempore esse asseverarent, Senior quidam surgens, nullam tamen hominum partem oblatam esse dixit, quam merito superi nunc efflagitarent. Ne igitur omnes urbes imo tota regio perditum iret, atque tum seditionem evitarent, tum Summo Numini debita præstarent, optimos quosque adolescentum supplicio huic destinabant, quos publice deinceps immolarunt. Ac notum præterea est, quanto pretio habitum Romanis fuerit templum illud nemorale Dianæ suburbanæ, cujus simulacrum e Taurica Chersoneso, ubi hospites illi immolati, Ariciam delatum fuit, ibidemque, donec illud Spartam attigerit, varia hominum genera eidem obtulerunt. Qualia & M. Valerio Messalla, & L. Apustio Fullone Coss. evenerunt, sub quibus Pontificum ac Xuirum auctoritate, Gallum & Gallam, Græcum & Græcam ferali sacrificio, ut averterent periculum, non quidem igne cremarunt, sed in terram vivos immiserunt, prout Plutarchus (43) nec non Zonaras (44) hæc scriptis ad posteros propagarunt.

XII. Galli præterea ob hujus generis immolationem notatu digni sunt, qui, Reinesio (45) referente, nec minus hominum oblatione Hesum atque Teutatem reconciliare conati sunt, quotiescunque vel fame, vel bello, vel peste, vel aliis calamitatibus publicis premerentur, circa quæ sacra tympana pariter tibiasque adhibuerunt, ne a parentibus lamenta puerorum exaudiri possent. Ipsam immolationem Cæsar (46) accurate satis in sequentibus descripsit: *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, obque eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in prælis periculisque versantur, aut pro victimis humanis immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortelium Numen placari, arbitrantur: publiceque ejusdem generis habent instituta Sacrificia. Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur; sed quum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.* Quam etiam consuetudinem Tullius (47) in Gallis observavit, indeque ritum hunc liberos Diis suis cremandi sequenti ratione proposuit: *Galli, si quando aliquo metu adducti Deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras funestant, ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint. Quis enim ignorat, eos usque ad hunc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? Quamobrem, quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam Deos immortales arbitrentur hominum scelere & sanguine facillime posse placari!* Atque adeo non præter rem Lucanus, (48) talia perpendens, ait:

*Et quibus immitis placatur sanguine diro*
*Teutates, horrensque feris altaribus Hesus:*

respiciens scilicet ad cruorem humanum, quem Galli pariter atque supra memora-

ratæ gentes Diis suis offerebant, eodemque placari hos posse autumabant.

XIII. Progredimur a Gallis ad Germanos, quorum religio atque idololatria insignis uti cognita probe, ita & recepisse eos similem ritum atque liberos igne comburendos, hacque ratione Mercurio ceu victimam quandam offerrendos tradidisse, undiquaque constabat. Non prolixi jam in colligendis variorum Scriptorum suffragiis erimus, cum luculentum satis ejus rei testimonium Tacitus nobis præbeat, adducens non tantum Herculem, Martem atque Isidem, tanquam Germanorum Deos, quibus animalia bruta tantummodo obtulerunt, verum & præcipue Mercurium, qui ceu Supremus ex Germanorum opinione Deus peculiarem etiam atque longe præstantiorem immolationem, sanguinem scilicet humanum, exigebat. Ita namque Idololatriam atque oblationem hanc cruentam Autor modo nominatus insinuat, cum de Germanis, *Deorum*, inquit, (49) *maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem & Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat. In communi Erthum*, i. e. *terram Matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur*. Plures hujus rei testes qui desiderat, Strabonem (50) adeat, Diodorum Siculum, (51) C. Julium Cæsarem, (52) Plinium, (53) Herodotum, (54) Seldenum, (55) Schedium, (56) Cluverium, (57) & alios plures, qui uno ore affirmant, Germanos etiam perinde ut aliæ gentes hujusmodi Idololatriæ deditos fuisse, atque homines Deastris suis immolasse. Nec obstare nobis Cæsaris, pro nostra sententia modo allegati, locus quidam (58) potest, in quo, *Germani neque Druides habent*, ait, *qui divinis rebus præsint, neque sacrificiis student*: quippe cujus loci occasione insurgere in contrarium, atque Germanos ab isto etiam immolationis crimine horrendo absolvere, nonnullis libuit, dum prisca Germanorum gens rudis atque inculta potius habita semper fuit, quæ nullum unquam Deum agnoverit, atque creditum, Romanos, superato Rheno in Germaniam hanc de Deo doctrinam introduxisse primum, ac incolas ea tum temporis demum instituisse. Nam aliter paulo post mentem suam Autor noster explicat, cum addit: *Deorum numero oes solum ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem, & Vulcanum & Lunam*, quemadmodum & naturalem hanc Dei notitiam omnibus inesse, ab initio Dissertationis hujus docuimus. Unde nec hodie quidem in orbe etiam extero sive Americano quemquam a tali cognitione excludimus, imo hujusmodi etiam incolas homines sacrificasse, eorum, qui terras illas visitarunt, non pauci nobis retulerunt. Eo usque propagata hæc crudelissima Immolatio hominum fuit, quæ levem primum omnium originem duxit.

# N O T Æ.

(1) *Lib. 2. de Nat. Deorum.*
(2) *Libi 12. Metaph. cap. 8.*
(3) *Lib. 2. de Generation. & Corruption. c. 10. text. 59.*
(4) *In Electra.*
(5) *Apud Clem. Lib. 5. Strom.*
(6) *Ibid.*
(7) *In Lib. de Fuga.*
(8) *Dial. 2. p. 57.*
(9) *De prof. p. 361.*
(10) *Apolog. 2.*
(11) *Genial. Dier. c. 13.*
(12) *Mythol. L. 1. p. 14.*
(13) *Lib. 4.*
(14) *De Germ. c. 9.*
(15) *De Idololatr. p. 2. 3.*
(16) *In Hist. de Navig. Brasil. c. 16. p. 223.*
(17) *De Idol. vanit.*
(18) *Lib. 4. Advers.*
(19) *De Idol. c. 15.*
(20) *Lib. 3. de Civ. Dei, c. 12. L. 4. c. 8.*
(21) *Hist. Nat. L. 1. c. 7.*
(22) *16. Annal. c. 18.*
(23) *In Philoct. v. 452.*
(24) *Lib. 1. de Missæ Sacrif. cap. 4.*
(25) *L. L. append.*
(26) *Præfat. in Levit.*
(27) *Lib. 1. præpar. Evang.*
(28) *Hæresi 55.*
(29) *περὶ δεισιδαιμονίας.*
(30) *In Saturnal.*
(31) *Antiquit. Conviv.*
(32) *De abstinentia animal.*
(33) *Orat. in Constantini Cæsaris laudem.*
(34) *Orat. adversus Græcos.*
(35) *Lib. 4. Hist. c. 6.*
(36) *In Octavio.*
(37) *In Apolog. c. 9.*
(38) *De Diis Syris pag. 181.*
(39) *Ad 2. Reg. III. 27.*
(40) *Act. 1. Herod. Infantia.*
(41) *Lib. 2. de Rel. Christ. p. 71.*
(42) *Lib. 4. de præparat. Evangel. c. 7.*
(43) *In Marcello.*
(44) *In 2. Annal. Lib. 30. c. 1.*
(45) *Histor. Ling. Pun. c. 7.*
(46) *De Gallis Comment. 6.*
(47) *Orat. pro M. Fontejo.*
(48) *Lib. 1. Pharsal.*
(49) *Lib. de German Moribus.*
(50) *Lib. 5. de Cimbris.*
(51) *Lib. 5. Bibl.*

(52) *Lib. 6. de Bello Gall.*
(53) *Lib. 30. c. 1.*
(54) *In Melpomene.*
(55) *Syntagm. 1. c. 6.*
(56) *Syngr. 2. de Diis German. cap. 33.*
(57) *Lib. 1. Germ. Antiqu.*
(58) *Loc. cit*

# CHRISTIANI SAM. ZIEGRA
## DISSERTATIO SECUNDA
## DE
## CRUDELISSIMA LIBERORUM
## IMMOLATIONE MOLOCHO FACTA.

### §. I.

FUit hactenus *Origo* Crudeliſſimæ Liberorum Immolationis, nec non Occaſio, qua Idololatria iſta primum ceperit. Ipſa nunc juſto ordine *Deſcriptio* ſequitur, qua Immolatio talis *ſacrificium* nobis dicitur, *ex voluntate hominum depravata inſtitutum*, *atque Diis ſub Molochi ſpecie oblatum*, *eo fine*, *ut cuncta mala averterent*, *atque Numina ſua placarent*. In qua Deſcriptione quidem Nomen quod concernit, optimam illud in ſe atque origine ſua functionem notat, dum a mola derivatur, quum ſcilicet farre molito & ſale fuſam hoſtiam ſacrificamus. Hæc enim denominatio natales ſuos primæ conſuetudini ſacrificantium debet, qui ſacra peragendo victimis jam mactandis molam ſalſam inſpergere ſolebant, atque hunc in modum præparatas Summo Numini offerre. Unde nec præter rem aliis Sacrificium audit, a ſacris faciundis, & ſacrum eſt, eo quod Deo honorando fiat, eidemque exhibeatur. Græci ἱερεῖον vocant, θυσίαν item, a θύειν, quod Socrates (1) δωρεῖσθαι τοῖς θεοῖς elegantiſſime vertit. Significabatque hac ratione Immolatio iſta nihil aliud, quam actionem quandam præſtantiſſimam, ritum ſcilicet ſacrum atque præ aliis ſingularem, rei cujuſdam aut conſecutæ, aut conſequendæ ergo, in honorem Dei inſtitutum. In his enim actibus ſacrificialibus, quibus ardentiſſimæ preces atque cantica ſacra jungebantur, Patriarchæ ſanctique homines alii conſiderare atque commemorare ſolebant beneficia paſſionis & mortis Chriſti, quibus etiam ſeſe erigebant, fore, ut quemadmodum nunc victimam Deo obtuliſſent, ita & Chriſtus aliquando in ſalutem totius generis humani ceu victimam ſe Deo Patri offerret. Temporis autem ſucceſſu in crudeliſſimum hæc Immolatio degenerabat actum, quodque in hominum ſalutem conſtitutum erat, in extremam eorundem perniciem vergebat, dum animalium loco homines, ac hoſtiæ loco abominationem offerrebant, concitabantque adeo Deum, ad ineffabilia illis inferrenda malla. Ac ſicuti primum Immolatio omnis, ceu in Diſſertatione præcedenti luculenter oſtendimus, a Deo profecta, ac in ejuſdem laudem hominibus injuncta erat; ita nunc Sacrificium hoc pro arbitrio atque lubitu hominum, diaboli inſtinctu, ordinatum erat, ut Gentiles illud offerrendo Deorum voluntatem vel diſquirerent, vel ſolam animam Diis ſuis conſecrarent. Revera autem nulli alii officia illa præſtabant, quam ſoli Diabolo, qui ſub idolorum iſtorum ſpecie latebat, atque his cruentam liberorum Immolationem offerrendam quam maxime ſuadebat, exigebatque ceu neceſſarium quendam, imo longe præſtantiſſimum Dei cultum.

II. Præcipuum vero, cui talis honos exhibendus, atque præ aliis notabile potiſſimum idolum iſtud erat, quod in dicto noſtro Evangeliſta Moloch appellat, a מלך, eo quod reliquorum Deorum Rex creditum fuerit, vel regio habitu viſum. Nam ad hunc modum Lyranus (2) refert, *Idolum Moloch fuiſſe æneum capite Vitulino*, *reliquo corpore hominis forma*, *regiis inſignibus ac regio in throno conſidens*, *protendens manus*, *quibus veros in ſacrificium ſibi oblatos exci*

*ciperet, quod pyra intus accensa, (erat enim concavum) ubi totum igne incanduerat, pueros quos brachiis excipiebat, vel etiam astringebat & amplexabatur, αὐτεμάτων more concremabat, verum ne puerorum ululatus in diris hisce cruciatibus exaudirentur, atque his parentum animi ad commiserationem permoverentur, sacerdotes idoli tympana quatiebant, ac tubis clangebant*. Ali Milcom (3) audit, vel etiam Malcon, (4) Adramelech item nec non Anamelech, (5) Baal etiam, (6) Baal-Peor, (7) Baal-Zebub, (8) &c. aut, si vel gentes, vel loca respicias, in quibus hujusmodi instituebatur cultus, Deus Hamad dicebatur quoque, Arphad, Sepharvaim (9) &c. Pleraque vero nomina ista eo tendebant, ut Saturnum præcipue indigitarent, ceu Supremum Deum, quippe cui maximum etiam præ aliis honoris cultum idcirco exhibebant.

III. Enim vero si Phœnicum annales conferamus, Saturno potissimum gentem hanc sacra fecisse deprehendemus, multique Scriptores confirmant, in præcedente Dissertatione adducti, quibus & Plato non minus quam Justinus, de Carthaginensibus similia referentes, suffragantur, quorum ille (10) ait: ἡμῖν μὲν ἐ νόμος ἐςὶν ἀνθρώπες θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον. Καρχηδόνιοι δὲ θύεσι, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς· καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας: hic vero, *Cum inter cætera mala*, inquit, (11) *etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione & scelere pro remedio usi sunt: quippe homines, ut victimas, immolabant: & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam provocat) aris admovebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes, pro quorum vita dii rogari maxime solent*. Ac licet Vossius, (12) Saturnum sub Molochi specie a Phœnicibus atque Carthaginensibus veneratum fuisse, pariter admittat; probe tamen hic notandum, quod neque Regem Italum per Saturnum hic intelligamus, neque Jovis Cretici patrem, neque Adamum aut Noachum, neque etiam Saturni stellam; verum aliud quoddam Numen, multo latius, quam quidem ille vel Græcorum vel Romanorum Deus, Saturnus pari modo appellatus. Hic enim ad modum Orientalium per Saturnum, qui tunc etiam Baal, it. Bel nominatur, naturam magis cœlestem intellectam volumus, & vel ipsum Solem, præeunte nobis hac in parte Servio, qui, (13) *Assyrios*, ait, *constat Saturnum* (quem eundem ac Solem dicunt) *Junonemque coluisse, quæ nomina etiam apud Afros postea culta sunt. Unde & lingua Punica Bal Deus dicitur. Apud Assyrios Bel quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol vocatur*; atque adeo eundem, quem Soli, Saturno pariter honorem offerrebant. Quid de reliquis gentilibus censendum, qui ab his Liberorum Immolationem porro acceptam retulerunt, eaque de causa Saturno nihil minus sacrificarunt? Quid de Cretensibus? de quibus Athanasius (14) scribit: Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις ἐθρήσκευον: suntque ejus generis, atque τεκνοφόνοι τελεταί, quarum Libri Sapientiæ Scriptor (15) meminit, propter quas illos, qui terram promissam Hebræis ante Hebræos tenuere, idem Autor vocat τέκνων φονέας ἀνελεήμονας. (16) Philo autem de iisdem inquit: (17) βαρβαρικὰ δὲ ἔθνη μετὰ πολλῦ παιδοκτονίαν ὡς ὅσιον ἔργον καὶ θεοφιλὲς προσίεσθαι. Quid de Blemyis, qui inter Arabicum sinum ac Nilum colebant? Quid de Dumætiis in Arabia, aliisque pluribus, qui sane eundem ritum servant, atque Saturno liberos suos igne comburendos sistunt. Præter Saturnum vero aliis etiam, Marti puta, Jovi, aliisque hujus generis ethnicorum Diis, paria sacra subinde fieri haudquaquam negamus; potiora tamen Saturno destinata fuisse, nemo ibit inficias, siquidem hunc etiam ceu reliquorum Deorum omnium præsidem quendam agnoscebant.

IV. Atque huic Saturno Israelitas quoque, ad immanissimam hanc Deum colendi rationem seductos, immolasse, ex hactenus recensitis evidenter patet; maxime autem illud ex altero vocabulo ῥεμφὰν, in Textu occurrente, perspicue liquet, quod hic loco pariter eundem Saturnum notat. Ac licet alio nonnulli tendant, atque per Remphan Herculem intelligant, alii Martem; alii Jovem, alii stellam Veneris, referente Cornelio a Lapide, (18) qui ultimam quoque sententiam ipse tandem amplectitur; meris tamen conjecturis opiniones istæ omnes nituntur. Unde multo rectius Hottingerus (19) vocabulum hoc de Saturno exponit, gravissimis commotus argumentis, quæ longa serie eodem in loco producit, ibidemque legi possunt: qualem sententiam Seldenus (20) pariter defendit, nec non Ludovicus de Dieu, qui e Claudii Salmasii suggestione, Ægyptios Saturnum ῥηφὰν appellare, observat. (21) Nec dissimulat (22) Ludovicus de Dieu scrupulum, quo pacto Israelitæ Saturnum coluisse dici possint, atque sequentem in modum nodum istum solvit: *Quod si scrupulum cuipiam moveat, quod Saturnum in deserto coluisse*

*Israelitas queratur Deus, quum in historia Mosis solius vituli vel bovis* ( David enim שור vocat Pſ. CVI. 20. ) *fiat mentio. Reſp. bovem, arationis præcipuum actorem, retuliſſe Deum, agriculturæ autorem & præſidem: eum autem antiquis gentilibus fuiſſe Saturnum, is enim fuiſſe fertur, qui in Italia Janum vivendi rationem & agrorum cultum docuit, cui pro accepta iſta diſciplina dimidium regni ſui dederit: atque eo nomine cum conjuge ſua Rhea pro Deo fuiſſe habitum, quod in Italia plantationes, & inſitiones, & educationes omnium arborum, omniumque fructiferarum rerum culturam docuerit*. Alii nomen iſtud Remphan proprium fuiſſe putant idoli hujus, idque a certo quodam loco petitum, nempe Ῥεφαν vel Ῥεφῶν, de quo I. Maccab. V. 37. vel Raphan, uti Joſephus (23) refert, vel Rephon apud Chaldæum Paraphraſten, quod oppidum in Ammonitarum finibus ſitum, cui Deus tutelaris præfuerit Rephan vel Remphan, quo nomine hic a Stephano Judæis objiciatur cultus ejus nefarius ab Ammonitis ad ſe tranſlatus. Cui expoſitioni etiam non parum tunc favet iſte vocum poſitus: *Portaſtis Tabernaculum Moloch veſtri*, & *Baſan* aliarum *Imaginum veſtrarum*, ( ſidus quoque Deorum veſtrorum ) *quas feciſtis vobis*; ut ita conſentiant verba Lucæ: ϰὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τȣ̃ μολόχ ὑμῶν ϰὶ τὸ ἄϛρον τȣ̃ θεȣ̃ ὑμῶν *ſidus Dei veſtri*, τὰς τύπȣς, ȣ̀ς ἐποιήσατε, *figuras, quas feciſtis*. Lecticam, in qua Numinis ſui, hoc eſt, Molochi imaginem portabant, Evangeliſta noſter inſinuat per vocem σκηνὴν, quod delubrum notat, vel tentorium aliquod, in quo effiges iſta aſſervabatur. Eum namque ritum hic quidam exiſtimant fuiſſe obſervatum, qui in Æthiopia receptus erat, ut duodecim Numinum, quæ in Dioſpoli ſacrabantur, effigies, ſtatis temporibus, per Africam, duodecim dierum ſpatio vitulantes incolæ circumferrent; prout ex veterum monumentis Euſtathius luculenter tradit, ita (24) differens: Ἐν Διοσπόλει μέγιστόν ἐϛι Διὸς ἱερὸν, ἀφ᾽ ȣ̃ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον ϰὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατὰ τινὰ καιρὸν τεταγμένον περινοϛȣ̃σι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, ϰὶ πανηγυρίζȣσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ ϰαὶ τοσȣ̃τοι παρ᾽ αὐτοῖς θεοί. Similia his apud Romanos quoque obtinebant, quibus omnium Cœlitum ſimulacra Romæ quotannis ſeb æſtivo Solſtitio Alagabalum Deum pretioſiſſimo curru vectum, deducente eum ingenti pompa imperatore cognomine, in delubrum ſuburbanum comitabantur, teſte Herodiano, (25) aliiſque. Macrobius etiam Jovis Heliopolitani meminit, ex Heliopoli Ægypti in Aſſyriam traducti, culti, & ferculo vehi ſoliti, uti in pompa ludorum Cricenſium numinum ſigna, ſive, apud Antium, Fortunæ effigies. (26) Atque ad eundem modum idolum etiam Molochi in lecticis aut thenſis circumlatum videtur, omnibuſque oſtenſum, ut debita reverentia cultum ei exhiberent: quemadmodum certum ejus rei indicium nobis Lucas ſuggerit, cum, ἀνελάβετε, inquit, id eſt, *in manus ſumebatis, ut portaretis*. Quare & Servius ad illud Virgilii: (27) *Erranteſque Deos agitataque numina Trojæ*, & quidem vocem illam: *agitata*, explicans, ita ſcribit: *Aut mecum vexata ſigna ξόανα dicit, id eſt, ſimulacra brevia, quæ portabantur in Lecticis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem; quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenſes*. Et Philo (28) diſerte mentionem facit ναȣ̃ ζευγηφορȣμένȣ, hoc eſt fani portatilis magni Phœnicum Dei, quem Agrotem vocarunt; quapropter & Autor modo nominatus ſuſpicatur, ſicuti Arca teſtimenti Judæis, ita & fana ſive σκηναὶ in uſu Idololatris fuiſſe.

V. Formam igitur externam Molochi, cui talia ſacrificia cruenta offerebantur, quod jam concernit, Paulus Fagius eandem (29) ſequenti ratione deſcribit: *Fuit Moloch imago concava, habens ſeptem conclavia: unum aperiebant ſimilæ offerendæ: aliud Turturibus: tertium Ovi: quartum Arieti: quintum Vitulo: ſextum Bovi: qui vero volebat offerre filium, huic aperiebatur ſeptimum cubiculum, & facies hujus idoli erat ut facies vituli. Manus plane diſpoſitæ ad recipiendum ab adſtantibus; & ſaltabant interim, quo puer in idolo ſuccenſo igne cremabatur, percutientes tympana, ne pueri ejulatus audiretur*. Materiam autem, ex qua conſtiterit idolum hocce, æneam fuiſſe, R. Salomon (30) cenſet, & cum hoc alii, imprimis autem Vives, ut Molochum ex ære conflatum fuiſſe, obtineat, æneam ſtatuam Saturni Carthagine extitiſſe (31) tradit, qualem ſcilicet Molochi apud Cananæos fuiſſe Judæi affirmant, quæ manus habuerit ſupinas ſupra terram, ſed quibus ignis ſubeſſet, cujuſmodi ſtatuas omnes Hiſpani teſtantur repertas in illis Americæ inſulis, quæ Africam contra ſpectant, &, ut credibile eſt, inde habitatores & ritus accepere, quod aliis quoque indiciis, ſi id opus foret, poſſet confirmari. Ac tantus quidem Idoli hujus ſplendor erat, ut oculos adventantium propemodum obcœcaret, dum, Macrobio (32) teſte,

Adad

Adad ( cujus atque Molochi easdem fere effigies fuisse, & ad unum Solem exprimendum fictas, Scriptores vetusti memorant ) insigne cernebatur radiis inclinatis, quibus monstrabatur, vim cœli in radiis solaribns esse, qui in terram demittuntur. Cujus splendoris rationem Theophylactus hanc præcipue (33) reddit: Molocho scilicet fuisse λίθον διαφανῆ ἐπὶ μετώποις ἄκροις ἐς ἑωσφόρȣ τύπον, hoc est, *lapidem perlucidum in summitate frontis ad imaginem Phosphori*, qui pro Sole alias habetur.

VI. Utut vero hæc omnia rite se habeant, quæ de materia atque splendore idoli hujus modo retulimus; dubia tamen adhuc nobis circa formam ejus externam res aliquo modo videtur, præsertim cum & Seldeno traditio illa de septem conclavibus, in Molocho sitis, suspecta valde sit, ipseque Autor (34) vereatur, ex confusione quadam sacrorum Molochi cum ceremoniis Mithræ opinionem istam natam esse, quippe cui pari modo septem portas sacras, numerum Planetarum referentes, adsignarunt, de quibus plurima Celsus (35) ac imprimis, quomodo idolo isti viri pariter ac fœminæ, nec non pueri mactati sint, Photius (36) literis consignata reliquerunt. Ita namque graviter Seldenus (37) de hujus generis sacris scribit: *Mitto hic quam propria hæc omnia Soli, Regi Numinum seu stellarum conveniant; quod is procul dubio cogitabat, qui septem conclavium primam fecit, quisquis ille fuerit, mentionem. Nam totidem, uti diximus, Mithræ tribuuntur; qui toties antiquitatis, veterum maxime Inscriptionum, consensu, idem qui Sol æstimandus, unde Mithridax lapis dictus qui sole percussus coloribus micat variis, ut scribit Solinus cap. XL. Mithri autem, Mithir aut Mether Persice Dynastam & Dominum ( quod etiam est in Molochi titulis ) significat; ut docemur a magno Scaligero Lib. VI. de Emendat. Temporum.* Plura interim de his Mithræ sacris qui desiderat, Fulgentium atque Natalem Comitem (38) adeat, Dietericum (39) item, & alios plures, qui multa de his memoriæ prodiderunt. Sufficit nobis constare idolum illud, cui tantus honor exhibitus fuit, licet non adeo exacte de formatione ejus, & quomodo constructum fuerit quoad singulas partes, nobis pateat: ipsa Scriptura Sacra docet, clarissimique Scriptores confirmant, quam crudelissime in honorem ejus non gentes tantum, verum ipse quoque Dei populus liberos imo vel adultos etiam mactaverint, sanguinemque humanum ad reconciliandum Deum vel aliquid ab eodem impetrandum, immolarint.

VII. Duplicem vero Idoli hujus cultum ubique receptum fuisse Scriptores memorant, alterum, quo prolem suam per ignis flammam traducebant parentes, atque hoc pacto Numini lustrabant, qualis Idololatria, quæ & Pyromantia nominatur, Deut. XVIII. 10. interdicitur: alterum vero, quo filios filiasque crudelissime interfectos cremabant. Prioris generis originem inde forte deduxerunt, quod qui jurarent olim per ignem, duabus pyris exstructis, transiverint, ad conciliandam dictis suis fidem. Ac vestigia quidem ejusmodi ritus non in Scriptura tantum, videlicet Levit. XVIII. 2. Reg. XVI. & XVII. alibique deprehendi sententiæ hujus Patroni existimant, verum & profanos quosdam Scriptores idem docere ostendunt. Quo etiam procul dubio deinceps factum, ut plane combustionem hanc atque puerorum mactationem non pauci negarint, &, quotiescunque de combustione liberorum, Molocho facta, nonnulla occurrunt, de traductione solummodo per medium ignis ea exposuerint. Nam ad hunc modum R. Moses Maimonides, (40) *Idcirco*, inquit, *servitores ignis in tempore suo fecerunt homines scire, quod qui non traducerent filium suum vel filiam per ignem, morerentur filii vel filiæ: & sine dubio propter illud quod audiebant, quilibet festinabat illud facere, quia multum timebant super filios suos & propter facilitatem operis, quia non erat nisi traducere illos per ignem, non quod comburerent ipsos.* Atque eundem ritum, transitionem scilicet per ignem, tollere Patres in Constantinopolitana Synodo postea etiam laborarunt, quorum decretum e Græco in Latinum transpositum (41) ita habet: Qui in noviluniis a quibusdam ante officinas & domos accenduntur, rogos ( supra quos etiam antiqua quadam consuetudine transilire audent ) cessare jubemus. Ubi quidem verbis: antiqua consuetudine, designari ignem, a Manasse incensum, nonnulli autumant. Et sane si Moloch Apollo est, faverit eidem opinioni etiam Maro, ita canens: (42)

*—— Cui pineus ardor acervo*
*Pascitur, & medio freti pietate per ignem*
*Cultores multa premimus vestigia flamma.*

Non igitur crematos plane liberos fuisse putat, sed per ignem tanlummodo traductos & aliquo modo februatos esse. Vetum enim vero tametsi februatio ista at-

atque per ignem traductio, quippe multis Scripturæ Sacræ testimoniis gravissimorumque Scriptorum autoritate probe munita, in dubium vocari nulla ratione possit; non tamen ita sentiendum, ac si non præter illam etiam vivicomburium in tali cultu obtinuerit, præsertim in casibus extraordinariis, magnisque angustiis, & in certa aliqua familia; quæ in traductione non ita considerantur, ut quæ in omnibus promiscue familiis, rebus etiam sat prospere fluentibus, perpetrata sit. Scriptura Sacra certe veræ alicujas liberorum cremationis clarissima testimonia (43) præbet, nec minus Josephus de Achazo Rege: (44) ἴδιον ὡλοκαύτωσε παῖδα κατὰ τὰ Καναναίων ἔθη simili ratione talem Immolationem asseverat, pluraque suffragia ex paulo post dicendis colligenda erunt.

VIII. Singula vero hæc cruenta sacrificia eo tendebant, hocque fine instituebantur, ut quævis mala averterent, atque Deos iratos sibi reconciliarent. Enim vero huc (ut Silii Italici nunc uti verbis mihi liceat)

> *Mos fuit in populis quos condidit advena Dido*
> *Poscere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris*
> *Infandum dictu parvos imponere natos,*

magnoque numero, si nunc opus foret, probare illud possemus variis plurimorum Gentilium exemplis. Ac Phœnices quidem, quos non immerito inter primos nefandi hujus facinoris autores referimus, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινα ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ, Porphyrius (45) tradit, h. e. *in magnis cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ sacrificabant charissimorum quempiam Saturno.* De Carthaginensibus Lactantius (46) refert, eos Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse: itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse. Et Augustinus, ideo, scribit, (47) Pœnos solitos fuisse pueros Saturno immolare, quo cuncta cessarent mala. Cur Erechtheus, septimus ille Atheniensium Rex, Oraculi Pythici mandato, filiam suam immolarit, causa alia non fuit, quam ut superior prælio, cum Eumolpo, Thracum Rege, inter Athenienses concitato, discederet. Ut pestem in regione sua nimium grassantem Massilienses averterent, egenum quendam alebant, eique cuncta mala imponebant, quo tandem Diis suis reliquorum omnium nomine immolaretur. Ita quippe judicabant, vel unius sanguine reconciliari supremum Numen, hactenus offensum, posse, ut nisi vita hominis reddatur pro vita hominum, impossibile esse, Deorum immortalium Numen alia ratione placari.

IX. Atque hoc fine Romani deinceps sua etiam sacrificia offerrebant, humanum sanguinem profundentes, eo præsertim tempore, quo ludi gladiatorii initium caperent, utpote de quibus Ausonius (48) talia profert:

> *Et gladiatores funebria prælia notum,*
> *Decertasse foro: nunc sibi arena suos,*
> *Vindicat, extremo quum jam sub mense Decembri*
> *Falcigerum placant sanguine cœlicolam.*

innuens non Nemesin, uti Capitolinus quidem (49) sentit, verum Saturnum, cui aliæ quoque gentes humanum sanguinem litarunt. Qui etiam ritus in spectaculis maxime observabatur, quum in theatris passim homines a feris lacerarentur, in honorem scilicet Dei illius, cui ludi isti dicati erant, quemadmodum Tertullianus (50) refert. Quapropter & perditos istos mores Salvianus (51) graviter admodum reprehendit, quod ad colendum Deum homines crudelissime trucidentur, ac, *in spectaculis*, inquit, *primum deliciarum genus est mori homines, impleri ferarum alvos humanis carnibus, cum circumstantium voluptate, & conspicientium lætitia. Atque ut hoc fiat, orbis impendium est. Adeuntur loca abdita, lustrantur invii saltus, peragrantur sylvæ inexplicabiles, & ut devorari possint homines, non licet naturam rerum aliquid habere secretum.* Nec adeo probari omnibus modis, quæ de Romana gente Plinius tradidit, possunt, sustulisse scilicet prorsus hanc crudelissimam oblationem Romanos docens, cum inquit: *Non satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandere vero etiam saluberrimum.* Ex adductis enim aliisque documentis aliquo modo ritum istum apud Romanos viguisse, atque ut vel Deum placarent, vel ab eodem aliquid impetrarent, homines sacrificasse, constat.

X. Differebat in quibusdam ab hoc immolandi genere Gallorum ritus, qui paulo aliter sacra sua peragebant, eo tamen, ut reliquarum gentium, directa, ut averterent iis varia divinitus immissa mala. Enimvero de Gallorum religio-

gione Cæsar ista refert: *Natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus, obque eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculisque versantur, aut pro victimis humanis immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium Numen placari, arbitrantur: publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia*. Ritus vero ab aliis diversus in eo consistebat, ut Sacerdos vino vel alio liquore frontem immolandi inungeret, atque capillos deinde primores læva manu arriperet, igni libamina affunderet, preces ad Deum ablegaret, ac ipsam tandem hostiam gladio feriret, de quibus Strabo, (52) qui hac de videri potest, plura adducit. Nec aliam ob causam Germani aliique populi Diis suis immolarunt, quin potius propositum Deum placandi assiduo habuerunt, quo cederent mala, in quibus eo tempore constituti erant, & omnia fausta sibi contra evenirent.

# N O T Æ.

(1) *Apud Platonem in Eutych.*
(2) *In Cap. 18. Levit.*
(3) 1. *Reg. XI.* 5.
(4) *Soph. l.* 5.
(5) 2. *Reg. XVII.* 31.
(6) 1. *Reg. XVI.* 31.
(7) *Num. XXV.* 3.
(8) 2. *Reg. l.* 2. *seqq.*
(9) 2. *Reg. XVIII.* 34. *Esa. XXXVII.* 19. *c. XXXVII.* 13.
(10) *Minoe.*
(11) *Ex Trogo Lib. de Carthaginensibus.*
(12) *De Idolol. Lib.* 20.
(13) *In* 1. *Ænid.*
(14) *Orat. adversus Græcos.*
(15) *Cap. XIV.* 23.
(16) *Cap. XII.* 5.
(17) *Lib. de Abrahamo.*
(18) *Comment. ad Amos V. v.* 26. *p.* 302.
(19) *In primitiis Heidelberg. de Idolograph. V. Test. pag.* 392.
(20) *De Diis Syr. Syntagm.* 1. *cap.* 6.
(21) *Ad Actor. cap.* 7.
(22) *Ibid.*
(23) *Lib.* 12. *Antiquit. Jud. c.* 12.
(24) *Ad Isid.* α.
(25) *Lib.* 5.
(26) *Lib.* 1. *Saturnal. cap.* 23.
(27) *Lib. Æneid.*
(28) *Apud Eusebium Lib.* 1. *de præparat. Evangel*
(29) *Ex Libro Jalkut.*
(30) *Ad Jerem. cap. VII.*
(31) *Ex Diodoro Siculo.*
(32) *Loc. supr. all.*
(33) *Ad Actor. cap. VII.*
(34) *De Diis Syntagm.* 1. *cap.* 4. *p.* 178.
(35) *Apud Origen. Lib.* 5.
(36) *In vita Anasii cod.* 358.
(37) *Loc. cit.*
(38) *Myth. L.* 1. *c.* 17.
(39) *Antiq. Rom. pag.* 218.
(40) *More Nebochim Lib.* 3. *cap.* 38.
(41) *Can. LXV.*
(42) *XI. Æneid.*
(43) 2. *Reg. XVII.* 31. *Ps. CVI.* 37. *Jer. VII.* 31.
(44) *Lib.* 9. *cap.* 12.
(45) περὶ ἀποχῆς *Lib.* 11.
(46) *Lib.* 1. *cap.* 31.
(47) *De Civit. Dei Lib.* 7. *cap.* 19.
(48) *Idyll.* 26.
(49) *In vita Maximi & Balbini.*
(50) *De Spectaculis.*
(51) *Lib.* 4.
(52) *De Gallis Lib.* 4.

CHRI-

# CHRISTIANI SAM. ZIEGRA DISSERTATIO TERTIA DE CRUDELISSIMA LIBERORUM IMMOLATIONE MOLOCHO FACTA.

## §. I.

Bene admodum ac provide Numen Sanctiſſimum conſtituerat, ne in immolandis ſacrificiis peregrinorum quis accederet, verum certi ad functionem iſtam ordinati Sacerdotes eſſent, qui talia ſacra peragerent (1): ac ne quid ſanctitatis ritui huic decederet, ſingularem juxta præ aliis elegerat ſibi locum, (2) in quo omnis generis ſacrificia ſibi offerrentur. Imitabantur morem hunc Gentiles, qui nec hoſtias ſuas, Molocho cumprimis ſacras, ſingulis committebant, verum iis tantum Sacerdotibus, quos rite vocaverant ad talia munia obeunda, eo quidem in loco, qui hujuſmodi ſacris deſtinatus erat. De Phrygiæ matris Sacerdotibus, quinam & quales fuerint, & quo in loco ſacra ſua fecerint, res conſtat, pleniuſque de iis Strabo οἱ παραδιδόντες, (3) ſcribit, τὰ Κρητικά, καὶ τὰ φρύγια, ἱερουργίαις τισὶν ἐμπεπλεγμένοι, ταῖς μὲν μυστικαῖς, ταῖς δ᾽ ἄλλως, περί τε τὴν τοῦ Διὸς παιδοτροφίαν τὴν ἐν τῇ Κρήτῃ, καὶ τοὺς τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ὀργιασμοὺς ἐν τῇ φρυγίᾳ, καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἴδην τὸν Τρωικὴν τόποις; qualia etiam ſolennia juxta Gallum fluvium celebrata Herodianus (4) teſtatur, iſta tradens: Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ πεσινοῦντι πάλαι μὲν φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ Θεῷ τομίαι ἐρωμένοι. Cappadoces ut a Perſis Ignem ceu Deum aliquem colendum acceperant, ita ſimili ratione Sacerdotibus certis curam ejus injunxerant, ut peculiari in loco, ſacris ordinato, Ignem hunc obſervarent, Strabone denuo referente, qui (5) ἐν τῇ καππαδοκίᾳ, inquit, πολὺ ἐστι τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἱ καὶ πύραιθοι καλοῦνται. πολλὰ δὲ καὶ τῶν περσικῶν θεῶν ἱερά, ἐστὶ δὲ καὶ πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι, ἐν τούτοις μέσος βωμός, ἐκ ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. Atque ad eundem modum cum Sacerdotes tum certum etiam locum Gentiles in Arabia Soli conſecrarant, qui, ut ſupra oſtendimus, idem atque Moloch a quibuſdam fuit habitus, ut coli ſingulari quadam religione poſſit, prout de Sabæorum populo in ſpecie Theophraſtus (6) iſta commemorat: Συνάγεται πανταχόθεν ἡ σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τοῦ ἡλίου. τοῦτο δὲ εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων, ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον. τηροῦν δ᾽ ἐκεῖ τοὺς Ἄραβας ἐνόπλους.

II. Sacerdotum itaque primo loco ratio habenda, quorum equidem expreſſa mentio in dicto noſtro non fit, multo minus veſtigia, quod ſoli ſacrificarint, primo intuitu apparent, ſiquidem totius populi majores promiſcue tanquam cultui huic nefario deditos Stephanus Martyr in Apologia ſua introducit, atque ad hos omnes quaſi converſus, ἀνελάβετε, inquit, τὴν σκηνὴν τοῦ μολόχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς. Quæ res anſam deinceps permultis, maxime vero Rabbinis nonnullis, apud Voſſium (7) atque Seldenum (8) citatis, præbuit, ut non Sacerdotes cremaſſe liberos aſſererent, verum ipſos parentes, qui ritu ſolenni primum Sacerdotibus hiſce pueros tradiderint, ab iis vero redditos immolarint ipſi. In Veteri tamen Teſtamento nihilo ſecius clariſſima documenta proſtant, quæ pro Sacerdotum peculiari functione militant, atque certos Molocho Sacerdote adſignatos fuiſſe hinc inde docent, quum ſcilicet Spiritus Sanctus in iiſdem ritibus ſacrificialibus delineandis occupatus ſacrificulos hoſce כמרים nominat, quos alio vocabulo Pyrites quidam dicunt. Atque כמרים quidem a Rad. כמר, quæ ſignificat: accendit, uſſit, exarſit, eo quod officium eorum fuerit thurificare, atque Sacerdoti victimas mactanti ſubſervire, prout luculenta ſatis hujus rei veſtigia in Sacris deprehendimus, imprimis quum Joſias (9) deleviſſe dicitur Cemarim, quos poſuerunt Reges Judæ ad ſacrificandum, vel (ut vo-

vocabulum לקטר in fontibus occurrens, rite exprimatur ) ad suffimigandum & thus adolendum. Eo namque, ut Scaliger (10) suspicatur, Gentiles spectabant, quod putarent, aerem per suffitus purgatum locorum naturam aptam reddere ad Numina suscipienda, & ad cultum in horum gratiam institutum. Quæ vero ratio cum insufficiens nonnullis videatur, eo quod innumeris pene locis eodem tempore, eidemque Numini, thure & suffimentis aliis sacra fiant, citra Gentilium opinionem, qui Numen uno tempore plurimis in iocis esse, haud admittunt; statuendum potius esse crediderunt, eam ob causam gentes thura obtulisse, quod Dii cœlos incolant, & odores cœlos petant: quod item Dii Spiritus sint, & odores spiritus reficiant: vel, si nec hoc quidem placet, censendum esse autumant, nationes id traditione a piis majoribus suis, maxime autem ex patriarchalibus atque Mosaicis scriptis, accepisse.

III. Succedunt alii, qui longius tendunt, atque Cemarim quasi exustos dicunt, id est, atros, a vestitu scilicet nigro, quo induti erant, ita quidem, ut, quemadmodum Hebræorum Sacerdotes vestibus albis ad mandatum Summi Numinis ornati erant, cum victimas immolarent, vel Ægyptiorum quoque, aut in sacris Eleusiniæ Deæ constituti Sacerdotes simili ratione amicti incedebant; ita idololatrarum contra vestitus ater atque pullus appareret. Nam ita vocabulum hoc Buxtorffius exponit, *Cemarim*, (11) *sacrificuli sunt, quasi atrati dicti, quod pullis vestibus ex superstitioso ritu incederent*; Schindlerus item (12) atque Seldenus, (13) nec non Fullerus, (14) qui ultimus ad Syrum Paraphrasten provocat, qui vocabulum Græcum σκύθρωπος Matth. VI. 16. eo modo vertit, posse scilicet, innuens, vocem hanc commode in Syra paraphrasi per atratum reddi, ut atra sive pulla veste indutum notet, nosque adeo non vultum solum, sed vestitum etiam tetricitate & tristi quadam severitate spectabilem a Servatore perstringi, Paraphrastæ judicio existimemus. Alii denominationibus hujus causam reddunt, quod Sacerdotes inclusi tanquam Monachi in monasteriis suis essent, & quidem, ut hoc obtineant, nomen istud Sacerdotum Chaldaicum esse, urgent, & Sacerdotes ita dici tanquam a contrahendo, quasi contracti sint atque clausi, prout mentem sum luculenter Marin. Brixianus (15) proposuit. Alii adhuc a stigmatibus Sacerdotes Cemarim dictos esse putant, quæ in facie atque in corpore inusta gestabant, hancque sententiam suam ex aliis Scripturæ Sacræ locis (16) stabiliunt, idque ut effectum reddat Pererius, in cadavere Jojakim inventas fuisse impressas quasdam notas & quædam stigmata inusta in honorem Deorum suorum, (17) contendit. Alii ab ardore devotionis vocabulum hoc deducunt, quo accensi in sacris suis erant mendaces isti sacrificuli, qui simulata devotione cæteris sese præferebant. Atque hanc expositionem præ aliis Joh. Conradus Dietericus probat, qui, (18) *Sacrifici idololatræ Cæmarim*, inquit, *quasi ardentes, inealescentesque vocabantur, quod essent affectibus ardentibus atque inflammatis in Deum suum colendum*; Raupius item (19) &c. Sunt adhuc, qui Molochi Sacerdotes ita nominatos a Camarina fuisse censent, quæ urbs Babyloniæ erat, Eusebio teste, quum, ἐν πόλει, ait, (14) τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν οὐρίην. εἶναι δὲ μεθερμηνευομένη, χαλδαίων πόλιν. Alias opiniones, quæ circa præsens negotium adduci ulterius forte possent, libentes nunc prætermittimus.

IV. Ex his autem omnibus palmaria derivatio eaque optima videtur, quæ a sacrificandi vel thurificandi munere petitur, quocirca & Sacerdotes isti altero nomine Pyrites salutantur, a Pyra, id est, Igne, eo quod πύρ, Ignem scilicet, & quidem sacrum servarent atque foverent, additis certis precibus nec non ceremoniis, ne quando Ignis hic extingueretur. Qua quidem in parte Gentiles hi populum Judaicum denuo æmulabantur, quem Deus diu noctuque custodire jusserat, (21) quo absumi hoc victimæ assiduo atque tam mane quam vespere thymiamata incendi Deoque adoleri possent. Nam eodem modo idolorum istorum Sacerdotes Ignem suum, ut vocabant, sacrum semel accensum perpetuo nutriebant, victimas atque thura idolis incendebant, nec præterea quicquam intermittebant, quod ad ignis hujus conservationem spectaret. Atque in eo quidem ipso functiones Sacerdotum Molochi maximam partem sitæ erant, qui etiam ineffabili studio sacra hæc administrabant, atque Molocho liberos cremabant, modo in Differt. præced. allegato. Ut dubium adeo non sit, mirum in modum solicitos omni tempore Gentiles fuisse, qui arduo gravissimoque huic muneri homines idoneos præficerent.

V. Sunt, qui occasione hujus idololatriæ & diviuationi Sacerdotes hosce operam dedisse, atque ex mactatorum homi-

minum visceribus futura prædixisse putant, prout ejus rei exempla plurima Camerarius (22) consignavit. In specie vero de Celtarum Sacerdotibus Diodorus (23) similia tradit, cum de iis perspicue ait: *Hi ex auspiciis & Victimarum extis de futuris divinant: eisque plebs universa morem gerit. Imprimis ubi de magni momenti rebus consultatio incidit, mirandum & incredibilem quendam ritum observant. Hominem immolantes, supra transversum septum gladio feriunt, quo cæso prolapsoque, e casu & convulsione membrorum, simulque ex cruoris fluxu de futuro præsagiunt*. Mirum etiam, si non idem a Gallis quoque ritus fuerit receptus, utpote de quibus supra laudatus Strabo, dorsum eos feriisse ac divinasse, narrat, ita scribens (24): Ἄνθρωπον κατεσπεισμένον παίσαντες ἐς νῶτον μαχαίρᾳ ἐμαντεύοντο ἐκ τοῦ σφαδασμοῦ, hoc est, *Homines libamine perfusi, tergum gladio ferientes, ex palpitatione divinabant*. Sed de his circa finem præced. Differt. jam quædam a nobis dicta sunt, qua ratione scilicet Galli ejus generis victimas olim obtulerint.

VI. Horrendum autem dictu, atque humanitatem pene omnem superat, quod ritu isto Scriptores passim, maxime vero Cluverius, (25) commemorant, occasionem dedisse Sacerdotem hoc ritu primamque originem hujus generis hostias introduxisse humana carne vesci. Cæso enim homine Sacerdos confestim sanguinem patera exceptum flammis adfundebat, viscera deinceps sive tota, sive in partes divisa cibis destinabat, atque præparata ad comedendum quoque populo præbebat, si fides saltem Autori modo citato est habenda. Plinius certe, uti quidem alias varios Gentilium ritus atque usus observavit, ita quoque hic loci cum Cluverio sentit, eundemque humanæ carnis esum originem ab idololatrico isto horrendoque instituto primo omnium duxisse, putat, dum, qua ratione crudelissima ista hominum immolatio sublata temporis successu hinc inde fuerit, commemorat, simul etiam hunc detestandum carnium humanarum victum insinuat, quum, *Sexcentesimo*, inquit, (26) *quinquagesimo septimo demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. senatus consultum factum est, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Gallias utique possedit: & quidem ad nostram memoriam, namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem in arte Oceanum quoque transgressa, & ad naturæ inane pervecta? Britannia hodieque eam attonite celebrat, tantis ceremoniis, ut dedisse Persis videri possit. Adeo ista toto mundo consensere, quanquam discordi & sibi ignoto. Non satis æstimari potest, quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandere etiam saluberrimum*. Alibi, *aspici*, ait, (27) *humana exta nefas habetur, quid mandi? quis ista invenit ostenta? Tecum enim res erit, eversor juris humani, monstrorumque artifex, qui primus ea condidisti, credo, ne vita tui oblivisceretur. Quis invenit singula membra humana mandere? qua conjectura inductus? quam potest medicina ista originem hobuisse? quis veneficia innocentiora effecit, quam remedia? Esto. barbari externique ritus invenerint, etiamne Græci suas has artes fecere?* Quomodo vero cunque sese res habuerit; id tamen citra dubium relinquitur, impiam atque detestabilem omni studio functionem hanc Molochi Sacerdotum fuisse, quæ Supremum Numen non parum offenderit, multaque post se mala traxerit.

VII. *Locus*, in quo talia nefanda exerbantur, pro varietate populorum ipse quoque diversus erat, situ tamen ut plurimum amœnissimus, fontibus irrigatus, omnibusque delitiis abundans, &, quia editis in locis nescio quid divinitatis inesse Idololatræ autumabant, in his etiam sacra sua potissimum instituebant. *Hic enim Gentilis error*, Hieronymus inquit apud Magnif. Dn. D. Calovium (28) nec non apud Seldenum, (29) *omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium, lucosque amœnissimos victimas immolarent, & omnis pravæ superstitionis religio servaretur*. Israelitæ quidem in hoc sacrificandi genere vallem quandam elegerant, atque Molocho consecrarant, quæ Hinnom dicebatur, siquidem ejus denominationem in ipsis sacris Spiritus Sanctus perspicuis plane verbis inculcat, quum de Josia (30) ait: *Contaminavit Tophet, quod est in valle filiorum Hinnom, ne quis traduceret filium suum aut filiam suam per ignem Moloch*; nihilo tamen minus Excelsorum quoque multoties in Sacro Codice mentio fit, in quibus pariter holocausta Diis suis Israelitæ obtulerint, quos proinde, maxime vero pios nonnunquam etiam Reges vel ob excelsorum istorum tolerantiam graviter Spiritus S. reprehendit. (31) In hisce locis sacra sua instituebant, atque Deos omnium facillime reconciliari posse crede-

debant, ob amœnitatem locorum insignem, quæ vel sponte sua alios populos ad idola secum colenda invitabat.

VIII. Nec jucunditatis quicquam huic loco Johannes Ligtfootus (32) detrahit, qui pro abjecto eum, fœdissimo, atque vel solo nomine abominando habet, atque hunc in modum describit, *quod fuerit communis totius urbis sentina, quo confluxit sordes omnis, atque omnimoda spurcities. Erat*, pergit, *ut probabile est, commune urbis sepulchretum ( si modo intra tantillam ab urbe distantiam jam sepelirent. ) Sepelient in Tophet, usque dum non sit amplius aliquis locus, Jerem. VII.* 32. *Eratque illic perpetuus ignis, quo absumebantur ossa, reliquaque sordida, ne urbi essent nauseæ, aut contagioni.* Licet etiam a valle ista vocabulum γέεννα deductum postea fuerit, Matth. V. 22. 29. occurrens, ad significandas pœnas inferorum, hucque a nonnullis referantur Esaiæ verba (33): *Exibunt, & videbunt cadavera hominum in me rebellantium, quia non morietur vermis eorum, atque ignis eorum non extinguetur*; interim adhuc salva descriptio nostra amœnissimi hujus loci manet. Hieronymus certe contrarium suadet, (34) atque vallem Gehinnom amœnam potius, nemorosam omnibusque deliciarum generibus refertam fuisse docet. Alibique, (35) *hæc vallis erat*, inquit, *parva campi planities, irrigua erat, & nemorosa, plenaque delitiis, lucusque in ea idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, ut deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, & rigorem religionis delitiæ vincerent, filiosque suos dæmoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur Locus ille Gehinnom, id est, vallis filiorum Hinnom. Hoc Regum volumen & Paralipomenon, & Hieremias scribunt plenissime.* Atque hanc sententiam pariter supra citatus Magnif. Dn. D. Calovius (36) probat, quum diserte de eodem loco scribit: *Fuit alias vallis illa amœnissima, ac plena delitiis, atque ideo Judæi relicto templo sacrificia in eadem immolabant, 2. Reg. XVI. 3. 2. Paral. XXXIII. 6. Jer. VII.* 31. Irrigabat vallem, ceu hortum quendam, fons Siloe, e radice montis Sion scaturiens, & aquam suam claram, dulcem atque uberrimam, quæ cum silentio placideque fluebat, in omnes hujus terræ partes mittens, prout hunc Siloe fontem Joh. Eusebius Nierenbergius prolixe admodum (37) descripsit. Quod autem per Gehinnom denotatus postea in Novo Testamento sit infernus, & omnia in eo supplicia, ob horribilem ac detestandam idololatriam illud factum, quæ in valle ista crebro exercebatur: quocirca & locus ille Gehennam optime præfigurare potuit, & quidem ob varia comparationis media, quæ inter vallem Hinnom atque infernum intercedunt, singularique studio laudatus toties Theologus (38) congessit.

IX. Illud saltem dicendum adhuc restat, qua occasione Hinnom vallis hæc dicta fuerit, & qualem originem vocabulum hoc agnoscat. Hieronymum si consulas, vel a certo quodam homine denominationem hanc (39) deducit, Ennon dicto, a quo vallis etiam hæc dicatur Benhinnom, id est, vallis filii Ennon: vel a gratia, ut Ennon Gratiam significet, atque adeo vallem gratiæ notet. Alii ab ejulando atque rugiendo vallem hanc, tanquam vallem rugitus seu ejulatus dicunt; propter rugitum, quem infantes, dum in honorem Molochi cremabantur, edebant. Verum cum nomen antiquius sit, quam ut sacraretur idolo Moloch, certius est, prisci cujusdam nomen valli isti impositum fuisse, quamvis postea cœperit infamis haberi. In hac valle Tophet reperiebatur, quod non Idoli nomen erat, prout Theodoretus quidem (40) & cum hoc alii opinantur, sed delubri nemoris, a tympano, juxta plerosque ita dicti, quo maxime utebantur in hujusmodi sacris, ne lamenta illa atque gravissimi liberorum ejulatus a parentibus exaudirentur, verum ut ubivis locorum tympanorum pulsus personaret. Choreas etiam interdum instituebant, atque summa cum lætitia exultabant ad ejusdem generis tympanorum sonum, tibiis canebant, & quæ cætera sunt, quæ in sacris suis Molocho offerrendis Israelitarum populus ad clamorem, ne perciperetur, impediendum, observabant.

X. Similia loca cæteræ deinceps gentes eligebant sibi, atque sacris destinabant, quæ omni amœnitate fluminumque copia abundarent, in quibus Deorum delubra oculos perstringerent, jucundo foliorum susurro arbores luderent nec quicquam voluptatibus deesset. Syri certe, uti præ aliis populis dediti idololatriæ erant, ita nec tali loco, in quo sacra peragerent, & quidem amœno destituebantur; quin potius Strabo de eodem ἡ Δάφνη, scribit (41) κατοικοία μετρία μέγα δὲ καὶ συνηρεφὲς ἄλσος, διαῤῥεόμενον πηγάοις ὕδασι, i. e. *Daphne mediocris est vicus, cum luco ingenti opacoque fontanis irriguo aquis.* Carthaginensium

qua-

quale fanum fuerit, Poetarum Princeps (42) maximopere prædicat:

*Lucus in urbe fuit media lætissimus umbra.*
*Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido,*
*Condebat.*

Sicut & in communi de nemoribus aqua irrigatis idem Virgilius (43) canit:

*——lucosque sub alta*
*Consulit Albunea; nemorum quæ maxima sacro*
*Fonte sonat.*

Horatius item: (44)

*——videor pios*
*Errare per lucos, amœnæ*
*Quos & aquæ subeunt & auræ.*

Percurrere autem, si nunc liceret, hoc pacto omnes nationes possemus, atque luculenta exempla inde petere, ad demonstrandum, quanta superstitione nemora idolis suis Gentiles consecrarint, iisdemque in locis jam dictis immolaverint: profecto omnes ferme populos in hujusmodi sylvis deprehendemus fuisse occupatos. De Ægyptiis certe nemo dubitat, quippe quos palmam omnibus infidelibus circa idololatriam præripuisse, neminem fugit, Dieterico præsertim supra laudato de iis referente: (45) *Non inventa est natio sub sole, quæ tam immaniter insanierit, præ Ægyptiaca gente, quæve magis fascinarit ac quasi provocarit æstu & æstro superstitionis vicinos populos, qui maxime ab iis idololatrica sacra abstulerint*. Quid de Græcis existimandum erit? Quid de Romanis? Quid de Gallis? Quid de Slavis? aliisque, quos eidem cultui addictos fuisse, clarissima subinde vestigia occurrunt.

XI. Nec immunes plane a superstitione ista Germani nostri erant, imo præ aliis potius populis notandi, quippe qui intensissima hujus generis sacrificia offerendi cupiditate flagrabat, C. Cornelio Tacito teste, qui, *nec cohibere*, ait, (46) *parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur, lucos ac nemora consecrant; Deorumque nominibus appellent secretum illud, quod sola reverentia vident*. Saxones certe frondosis in locis ac circa fontes & flumina sacra sua instituisse, M. Adamus Bremensis autor est, a Cluverio (47) adductus, ac præterea illud sylva illa Herculi sacra confirmat, quæ trans Visurgim in Cheruscorum finibus sita, de qua Tacitus iterum (48) multa tradit. De Prussis Helmoldus similia (49) confirmat, ac ejus rei quoque vestigia haud pauca ibidem hodienum extare Dietericus supra memoratus (50) scribit, quæ & ipse, Thorunii maxime, oculis suis animadverterit. Silesiam quoque nefandis hisce ritibus implicitam fuisse, varia & oppidorum & pagorum nomina non levem conjectandi occasionem præbent: quæ etiam in aliis terris atque regionibus hinc inde reperiuntur.

XII. Sicut igitur hujusmodi ritus majora incrementa indies sumpserunt, ita & eo tandem res redacta, ut & homines in amœnissimis illis locis immolarent, humanoque sanguine effuso polluerent, quemadmodum Lucanus cædes hasce truculentissimas ingeniose admodum in sequentibus (51) proposuit:

*——hic barbara ritu*
*Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ,*
*Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.*

Existimabant quippe, sedes hasce Diis suis dignissimas esse, atque nemoribus Deos maximopere delectari, in his igitur si & præstantissimas, quæ in potestate sua essent, victimas offerrent, homines, puta, igneque consumerent, nec Deo acceptius quicquam evenire posse. Verum quemadmodum de pœnis temporalibus immittendis gravissime Deus comminatus fuerat: (52) *Ecce dies veniet, & non dicetur amplius Tophet, & vallis filii Hinnom, sed vallis interfectionis, & sepelient in Tophet, eo quod non sit locus, & erit morticinium hujus populi in cibos volucribus cœli, & bestiis terræ, & non erit, qui ambiget*; ita & æternum exitium sibimetipsis acquirebant, atque dolores immanissimos in Gehenna illa sustinendos, quorum nullus unquam erit finis.

NO-

# N O T Æ.

(1) *Num. III. 6. seqq.*
(2) *Lev. XVII. 3. seqq.*
(3) *Lib.* 10.
(4) *Lib.* 1.
(5) *Lib.* 15.
(6) *Lib. 9. Hist. Plant. cap. 4.*
(7) *De Idolatr. Lib. 2. cap. 5. pag. 329.*
(8) *De Diis Syris Syntagm. 1. cap. 6. pag. 167. sequ.*
(9) 1. *Reg. XXIII.* 5.
(10) *Adversus Cardanum Exerc. 104. sect. 4.*
(11) *Lex Min. pag. 772.*
(12) *Lex. Pentaglott. pag. 871.*
(13) *De Diis Syriis Syntagm. 1. cap. 6. pag. 172.*
(14) *Miscellan. L. 4. cap. 7. pag. 447.*
(15) *Thes. L. S.*
(16) 1. *Reg. XVIII. 18. &c.*
(17) *Lib. 1. Dan. & in Cap. 2. Paralipom. XXXVI.* 8.
(18) *Antiqu. Bibl. V. T. pag. 263. h.*
(19) *Lex. V. Camarim.*
(20) *Lib. 3. Præp. Evan. ap. 7.*
(21) *Levit. VI. p.* 13.
(22) *Hor. subcis. c.* 61.
(23) *Lib.* 5.
(24) *Lib. 4. de Gallis.*
(25) *Lib. 1. Germ. Antiq.*
(26) *Lib. 80. cap.* 1.
(27) *Lib. 28. cap.* 1.
(28) *Bibl. Illustr. Tom. 1. pag.* 579.
(29) *De Diis Syris Syntagm. 1. cap. 6. pag.* 172.
(30) 2. *Reg. XXIII.* 10.
(31) 1. *Reg. XV. 14. &c.*
(32) *Hor. Ebraic. & Talmud. Cent. Chorograph. Matth. præmiss. cap. 39. pag.* 77.
(33) *C. LXVI.* 24.
(34) *Ad cap. 7. & 32. Jerem.*
(35) *Comment. ad cap. 10. Matth.*
(36) *In Bibl. Illustr. Tom. 2. pag. 138. b.*
(37) *Hist. Nat. Lib. de Mir. & miraculos. Nat. cap. 48. pag. 471. seqq.*
(38) *Loc. cit.*
(39) *Ad Jer. cap. 7. & 19.*
(40) *Quæst. in 4. Reg. 4. 26.*
(41) *Lib. XVI.*
(42) *Lib. 1. Æneid.*
(43) *Lib. 7. Æneid.*
(44) *Lib. 3. Od. 4.*
(45) *Antiqu. Bibl. pag.* 138.
(46) *Lib. de German. cap.* 9.
(47) *Loc. cit. p.* 282.
(48) *Annal. 2. cap.* 12.
(49) *Lib. 1. Slav. c.* 1.
(50) *Loc. cit. pag.* 2051.
(51) *Lib. 3. Pharsal.*
(52) *Jer. VII.* 32.

CHRI-

# CHRIST. GEOR. MAYERI
## DISSERTATIO
## DE
## HOMINIBUS PIACULARIBUS.

### PRÆLOQUIUM.

CUM mihi propediem inclytæ huic Academiæ ſit valedicendum, in qua Dei & Superiorum favore annos circiter ſeptem exegi, hauſtis licet non exhauſtis ex ore Excellentiſſimorum Virorum divinæ & humanæ Sapientiæ oraculis, religioni omnino duxi, de abitu prius cogitare, quam promiſſo illi ſatisfactum eſſet, quo me t. t. Spectabili Dn. Decano & laudatiſſimis Philoſophicæ Facultatis Legibus obſtrictum eſſe recte adhuc memini. Et ſane, ex quo ſupremos in Philoſophia honores nactus eram, non una me cura ſollicitum hactenus tenuit, qua via me hoc nomine liberarem. Sed varia fuere ſubinde neque contemnenda ſæpe obſtacula, quæ prohibuere ſemper, quo minus maturius, ut forte decebat, officio meo ſim defunctus. Nunc vero, cum tempus abeundi magis magiſque approperare videam, eo etiam intendi curas omnes & cogitationes, ut quam primum obſervantiæ & ſtudiorum meorum aliquod ſaltim extaret teſtimonium. Deliberanti vero mihi da materia in publicum producenda, ſuppeditavit eandem D. Apoſtolus Paulus, quando I. ad Corinth. IV. 13. ſe & Collegas ſuos, inquit, a mundo haberi tanquam περικαθάρματα ϗ περιψήματα. Circa quas voces Exercitium aliquod Philologicum & quidem utriuſque tum ſacræ tum profanæ Philologiæ viſum fuit inſtituere. Placuit autem ejuſmodi materia imprimis, cum neque a ſtudiis meis, neque a tempore, quo vivimus, multum abludat, & forte cum aliqua utilitate ſit conjuncta. Inſtat ſanctiſſima illa hebdoma, in qua unicæ & maximæ illius victimæ piacularis memoriam, Chriſti ſcil. Servatoris noſtri, crucifixi in Eccleſia Dei ſumus celebraturi, qui vere περικάθαρμα & περίψημα noſtri loco factus ſuomet ſanguine nos luſtravit & expiavit. In alia omnia abeunt Gentiles. Horum tanta eſt cœcitas, tam profunda ſuperſtitio, ut variis modis, etiam Victimis humanis, quas quidem catharmata & peripſemata dixerunt, Deorum iram placari poſſe ſibi perſuaderent. Clarius hæc innoteſcent ex præſenti hocce meletemate Philologico, quod Tuo B. L. omniumque Bonorum Judicio nunc expono, ſpe fretus indubia, illud non tam exactum quam æqum & humanitate temperatum fore. Cum enim neque a me in literis hiſce mediocriter ſaltim verſo, quod omnibus, etiam doctioribus, eſt comune, citra ſtultitiæ notam alienum dicere auſim, eo certius itaque mihi polliceor, me in iis, quæ expectationi Tuæ non reſpondebunt, veniam impetraturum eſſe. Id quod etiam ea, qua par eſt, obſervantia, a Te contendo, obnixe rogitans, ut vel minimum conatum noſtrum probare, & ſi quid limæ illi adhuc deeſt, affectu Tuo prolixo abunde compenſare haud dedigneris. Atque ut ordinis conſtet ratio, quem in pertractatione hujus thematis ſumus obſervaturi, duabus Sectionibus ceu finibus omnem Diſſertationem noſtram circumſcribemus, ita ut prior illarum futura ſit *Critica*, ubi in eruenda ſignificatione utriuſque vocis erimus occupati; altera vero *Hiſtorica*, uberius explanans mentem Apoſtoli, & monſtrans ritum, quem ille duabus hiſce vocibus omni procul dubio intendit, Faxit *Deus Feliciter!* Quod dum ago accinctus itineri, ſimul etiam *Vobis*, qui Proceres illius eſtis, & quorum patrocinio, opera & ſtudio per hoc ſeptennium uti plurimum licuit. Vobis inquam valedico, publice deprædicans favorem, benevolentiam, conſilia, informationem paternam & imprimis etiam operam, qua me Academico hoc labore occupatum ex veſtro tum publico tum privato apparatu librario benigne ſublevaſtis. Grata mente iſta omnia complector, eorumque memoria ſervabo æternam. Valete, *Viri Optimi, Patroni ſummi, Præceptores & Promotores*

*res colendissimi*, & rem gerite Ecclesiæ, Reipubl. literariæ & florentissimæ hujus Universitatis quam felicissime quam diutissimeque. Vale denique Academia.

§. I.

MAgnus ille Gentium Doctor & Apostolus J. C. Paulus, ostensurus quam acerba & miserabilis sit sua & reliquorum Apostolorum imo & omnium fidelium Ecclesiæ Doctorum in his terris conditio, quam dura sint quibus premantur fata, & quam inique a Gentilibus maxime & cunctis Christianæ fidei persecutoribus haberi soleant, prolixo satis catalogo enumerat varia afflictionum genera, quæ subinde in hoc mundo sustinere cogantur. Ita enim percenset ludibria, contemtum, paupertatem, flagra, exilia, persecutiones & convitia, donec tandem ut simul & semel, quicquid malorum est, exhauriat, his verbis suam orationem concludit:

*Ὡς περικαθάρματα τȢ κόσμȢ ἐγενήθημεν,*
*Περίψημα πάντων ἕως ἄρτι.*

II. Duæ hic habentur voces, quas impræsentiarum sub Disquisitionis accuratioris in cudem vocare animus est. *Una* περικάθαρμα, *Altera* περίψημα. Neutra harum excepto hoc loco in Codice N. T. amplius invenitur, adeo ut vel eam ob causam accuratiorem mereantur observationem, nisi alias constet & ex infra dicendis patescat, singularem illarum esse Emphasin, nec sine magno Scriptoris θεοπνέυςȢ studio hoc loco adhibitas fuisse. Quod ipsum probe observavit (1) Flacius, quando Apostolum his verbis ceu grandi Epiphonemate usum fuisse scribit. De illis igitur eo quo constituimus ordine, jam quoque agemus. Esto ergo

SECTIO I.

CRITICA.

§. III.

AAtque hic notanda est ante omnia duplex utriusque Vocis significatio, *Etymologica* nempe & *specifica*. *Illa* est, quam voces istæ primo, per se & ratione originis suæ habent; *Hæc* vero, quæ ex certa impositione & usu Scriptorum iisdem competit. Distinctionem hanc ideo præmittimus, cum usus illius per totam Disputationem nostram se diffundat.

IV. Inde etiam est, quod duplicis Generis sint tum *Interpretes* tum *Commentatores*. *Quidam* enim illorum tuentur significationem horum verborum Etymologicam, ex qua deinde metaphoram deductam esse volunt pro hominibus vilissimis atque abjectissimis. *Quidam* vero specificam, uti hoc ex utriusque Vocis peculiari consideratione manifestum erit.

V. Considerari enim potest utraque Vox vel *separatim* vel *conjunctim* idque secundum utramque significationem.

VI. Separatim si spectentur, sistit se primo loco Vox περικάθαρμα, cujus hic notamus *Etymologiam*, *Variam Lectionem & Interpretationem*. Est autem Vocabulum Comp. ex præp. περὶ, quod hic loci est *circum*, *circumquaque*, & verbo καθαίρω *purgo mundo &c.* a quo descendit. Quod ipsum denuo componitur ex præp. κατὰ & αἴρω *tollo*, *aufero*, quia scil. purgatio per ablationem sordium fit. Περικαθαίρειν vero in significatione intensiva est *perpurgare*, *circumquaque purgare*. Hinc Nomen Verbale περικάθαρμα & in plurali περικαθάρματα. Lectio hæc magis recepta est, teste Henr. Stephano. (2) Idem tamen dicit, meminisse se, quod aliquando in Veteri quodam Exemplari legerit per diastolen ὥσπερ καθάρματα & nostram ex ὥσπερει καθάρματα natam suspicatur. Probat hanc lectionem Gagnejus & Erasmus Schmidius, qui nullam, inquit, hujus compositi rationem esse. Neque præpositionem περὶ ex opinione Bezæ pondus addere. Ita quoque legisse Ambrosium, Budæum & alios idem Henr. Stephanus docet. Nos Lectionem magis communem, licet altera videatur sententiæ nostræ magis favere, nihilominus retinemus. Pro Synonymis itaque habemus περικαθάρματα & καθάρματα. Sicuti enim περικαθαίρειν idem quod καθαίρειν Deut. XVIII. 10. Ita περικάθαρμα idem quod κάθαρμα. Interpretatio varia est. Ad verbum sonat *circumpurgamentum*, ut Dietericus; ut alii, *sordes circumquaque everrendo collectas & expurgandas*. Omnes vero, quotquot consulere quidem licuit tum Interpretes tum Commentatores, Vocabulum hoc alii *de re sordida & abjecta quæ expurgatur*; alii vero *de instrumento*, *verriculo nempe aliquo* interpretantur. Versiones conspirant in eo, dum pro re abjecta & sordida habent fere omnes. Antiquissima illa Versio Syriaca utitur voce ܣܚܦܐ quam Interpretatio Latin. in Bibliis Polyglott. sicuti & vocem Arabicam *cakomamati* reddit velut *quisquilias*. Æthiopica aliquantum recedit, quando *pilam* vertit, quæ tamen ad res abje-

abjectas etiam refertur. Vulgatus autem & qui illum sequitur Arias Moutanus, Santes Pagninus ut & Beza transferunt *purgamentum*, Erasmus, *Excrementum*. Biblia antiqua Germ. 1530. ein Kehricht. Dietenb. Wir sind als ein Kehrsal (oder Bemistb) Batav. *vvy zijn gevvorden als uyt vaegbsels. Dat is*, (in notis adjectis) *als vuylighcyt*. Commentatores autem, sicuti dictum, variant. Juxta illos, qui de re abjecta hanc vocem intelligi volunt, περικαθάρματα sunt, quod Græci ἀποσαρώματα, ἀποψήγματα, ἀποφιλοκαλήματα adde περικορήματα καὶ σκύβαλα vocant. Ita namque Oecumenius in expositione hujus loci hæc tanquam Synonyma affert. Theophylactus (3) itidem Scholiastes Græcus reddit per τὸ ἀποσπόγγισμα, quando quærit: Τί ἐςι τὸ περικάθαρμα; τὸ λεγόμενον ἀποσπόγγισμα. Ὅταν γὰρ ῥυπαρόν τι ἀποσπογγίσῃ τις, περικάθαρμα λέγεται τὸ ἀποσπόγγισμα ἐκεῖνο. Quæ verba Montanus Latine ita: *Quid vero est purgamentum? Sordes quæ spongia absterguntur. Cum enim quis sordidum quid abstergit, purgamentum dicuntur sordes illæ, quæ absterguntur*. Ulpianus (4) in genere definit περικάθαρμα τὸ καθαιρόμενον καὶ ὃ ἂν ἀποσείσαιτό τις, *quod expurgatur & quod quis a se amolitur*. Hoc autem diversi generis est. Unde alii explicant per *excrementa*, *fæces* & *sordes quæ ex re quadam lurida repurgantur, denique quicquid inutile relinquitur re quapiam repurgata*, ut Cornel. a Lap. Tirin. Menoch. & Justin. Flacio (5) περικάθαρμα dicitur, quicquid de re immunda, ut ea fiat pura, separatur, ut sunt in metallis scoriæ, in vino aut oleo fæces. Prucknerus (6) appellat purgamenta, quæ mare & littus diversis temporibus ejiciunt, de quibus Plinius. (7) Ex illis vero, qui de instrumento s. verriculo quodam hoc vocabulum intellectum volunt, pauci sunt. Est inter illos Erasmus Schmidius (8) qui τὸ καθάρμα id proprie esse dicit, *quo aliquid expurgamus*, & alii qui *currum stercorarium* significare volunt, cui quilibet injicit sordes & quisquilias suas, ut animadvertit Leighius. (9)

VII. Περίψημα altera vox est separatim spectata in sensu quidem Etymologico. (10) Ubi similiter occurrit Etylogia cum variis Interpretationibus. Derivatur autem a verbo περιψάω, quod est idem ac καταμάσσειν *abstergere* & pari modo componitur ex præp. περὶ, quæ, ut supra, hic quoque significat, *circum*, *circumquaque*. Simplex est ψάω, ῶ, quod Latinis dicitur *tergo*, *abstergo*, *abrado*. Nunc περιψάω magis aliquid notat, scil. *circumquaque detergo*, *abrado*. Et inde nostrum quoque περίψημα. Vulgatus relinquit ἀερμμένδλτον, quod fecit etiam Tertullianus citans hunc locum: Miratur hoc Valla (11) *Miror*, inquit, *cur hoc nomen non transfert Interpres; si minus per unum vocabulum, certe per plura. Non enim Nomen est, quod pro Latino acceptum sit, cujus significatio sit aperta, cum præsertim scribi Latine non possit, ac ne pronunciari quidem forte suo accentu*. Heinsius (12) vero ut *efficaciorem*, quam putetur vulgo, servatam fuisse existimat. Ad Verbum περιψήματα sunt *abstersiones*, Estius, (13) *Detersiones sive sordes detersæ*, Beza (14). Unde D. Erasmus Schmidius loco supra dicto, sind jedermanns Schabab worden/ vel ut Emserus reddidit: Jedermans Abschabe worden. Et quidem pro re detergenda Versiones rursus tantum non omnes, quæ supra. Sic Syrus ܚܘܣܝܐ, quam vocem Interpr. in Opere Polyglotto *vertit purgamentum*. Aliam tamen ejus significationem vide infra. Arabs, *sub omnium pedibus projecti*. Bexa & Santes Pagninus, *ramentum*. Erasmus *rejectamentum*. Batav. *eene affrhrapsel*. Commentatorum vero hic eadem se offert discrepantia, quæ circa vocab. περικάθαρμα fuit: *aliis* hanc vocem pro *detersorio* exponentibus; *aliis* pro *ipsa re sordida quam abstergimus*. Qui pro re detergenda habent, iterum variant. Aliis enim περίψημα est *scobs*, *scoria*, *ramentum & quicquid limando deteritur*, quod Græcis περίψηγμα est. Ita Chrysostom. Theophyl. Anshel. & Theod. Observat tamen CL. Heinsius confundi περίψημα & περίψηγμα. Nam ψῆγμα ramentum esse, ut metalli. A quo vero aliud περίψημα, quod erudite Eustathius idem fere, quod λῦμα esse voluerit. Recte hic, quod dicat *fere*. Siquidem Eustathius ipse περίψημα ait ἀφελέςερον τȣ̃ λύματος esse, i. e. vilius quid quam λῦμα esse. Vult autem esse σπόγγισμα καὶ ἀπόνιμμα. Sunt alias λύματα quæ in mare abjiciuntur, ut navis sit incolumnis. Aliis περίψημα dicitur *soleæ suppactum corium*, aliis *pulvis*, *quem calcamus*. Hinc etiam Versio Arabica, *matruchina tachta ack dàmi'l culli*, projecti sub pedibus omnium. Id quod etiam Vallæ placet, qui in supra citato loco vocem hanc *pulvis vestigiorum* verti potuisse censet. Videtur respexisse ad Hesychium (15) qui utrumque vocis hujus significatum agnoscens dicit, Περιψήματα esse περικατάγματα, αντίλυτρα, ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων *aut quæ sub vestigiis omnium*. Hieronymo Grotio & Castalioni sunt *quisquiliæ*; Heinsio re-

*retrimentum aut purgamentum*. Flacio, *amota cuticula, qualis eſt in piris, pomis & rapis*. Aliis aliud. Eraſmus quaſi in Compendio: *Videtur omnino peripſema apud Græcos quiddam eſſe tale, quale apud nos eſt nauci, quiſquiliæ, ſterquilinium*. Pro deterſorio accipiunt ſcholia Græca Oecumenii, qui ad hunc locum Περίψημα, inquit, λέγεται τὸ σάβανον, ὁ τοὺς ἱδρῶτας τοῦ κάμνοντος ἀποψήχει *Peripſema dicitur Sabanum* (Latine quoque dictum & Lexicographis eſt pannus aſperior exſiccandis corporibus inſerviens) *quod ſudores laborantis abſtergit*. Germ. Ein Håartuch. Alii tamen malunt pro penicillo extergendis veſtibus vel calceis idoneo. Sunt qui utrovis modo accipinnt. Ita D. Selnecc. (16) Flacius. (17) Ex Pontif. Bened. (18) Juſtin. (19) & alii.

VIII. Atque ſic ſeparatim conſideravimus utramque vocem & quidem ſecundum ſignificationem quam habent Etymologicam. Jam in eadem ſignificatione ſpectabimus quoque illas conjunctim. Et huc pertinet arctiſſima illa cognatio, quæ inter utramque ratione ſenſus Etymologici intercedit. Eſt quidem aliqua, uti Nicolaus Hemmingus annotat, & ex modo dictis apparet inter illas differentia, cum περικάθαρμα proprie dicatur id, quod de re lurida abraditur & abjicitur, περίψημα vero, quicquid limando deteritur & abraditur: conveniunt tamen in genere. Utraque enim rem abjectam, vilem & ſordidam deſignat, quæ non modo nullius prorſus eſt pretii, ſed etiam quam omnes averſari & abjicere ſolent. Teſtatur hoc Theophylactus loco ſupra adducto, ubi: Περίψημα τὸ αὐτὸ δηλοῖ ſcil. quod περικάθαρμα. Neque Chryſoſtomus facit diſcrimen. Pro Synonymis etiam habent Flacius, Eſtius & alii. Juſtinianus ait, unum per alterum explicari. Quare etiam verba iſta ſimul ſumta per metaphoram dicta volunt ab Apoſtolo, qui ſenſum eorundem Etymologicum defendunt. Ita Græci, quos ſumma contumelia afficere volebant, καθάρματα appellabant. Turnebus. (20) Et Curtius (21) videtur hoc vocabulum in mente habuiſſe, cum dixit purgamenta ſervorum. Eodem modo ſe res habet cum voce περίψημα, quæ itidem per metaphoram de homine contemto & deſpecto dici conſuevit. Declarat hoc Heinſius laudatus, ubi dicit περίψημά τινος χοπικῶς ſ. relative illud dici, quod comparatione alterius pro nihilo ſit habendum. Refert huc Tob. V. 26. ubi Anna: Ἀργύριον τῷ ἀργυρίῳ μὴ φθάσαι, ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδὸς ἡμῶν γένοιτο. Quæ verba Piſc. Wolte GOtt/daß dieſem Geld kein Geld zuvor kommen wåre/ſondern nur die Schabes unſerem Kind zu theil wurden. Luth. Ich wolte daß Geld nie geweſen wåre. Senſum autem hunc eſſe: *Utinam fœnus nunquam curæ nobis, ſed præ filio noſtro* Περίψημα *rejectaneum fuiſſet!* Sic recenſet Dietericus (22) inſigne Monachalis humilitatis exemplum de Monacho quodam, qui hoc nomine ſe vocavit, Ratberto Paſchaſio: Hic præfationem ad Thren. Jerem. Odilmanno alii Monacho nuncupatam ita inſcripſit: *Paſchaſius Ratbertus* (col. 1307.) *Monachorum omnium peripſema Seni Odilmanno Severo plurimam & ſempiternam ſalutem*. Idem ad alium ſui ordinis hominem ſcribens pari ſubmiſſione Epiſtolam de Corp. & Sangv. Domini (col. 1619.) hac ἐπιγραφῇ ſignat: *Dilectiſſimo Fratri & Commilitoni Frudegardo Paſchaſius Senex tuus & Monachorum omnium peripſema plurimam & ſempiternam ſalutem*. Conſtat ex his luculenter, quis juxta Interpp. hoſce Verborum Paulinorum ſenſus ſit. *Confert nimirum Apoſtolus ſe cum iis, quæ non modo nullius penitus ſunt pretii, ſed etiam, quæ omnes a ſe quam longiſſime abeſſe volunt*, ut Beza; Vel ut Eſtius: *Reputamur velut ſordes, fæces, colluvies, excrementa humani generis; contemtiſſimi & abjectiſſimi ſumus omnium hominum ac digni habiti, qui ex hominum conſortio procul ejiciamur*.

IX. Prius vero quam conſiderationem harum Vocum Etymologicam plane faciamus miſſam, neceſſe eſt, ut conferamus adhuc locum illum, quem tanquam parallelum non pauci ex Interpp. jam adductis afferunt & ad illuſtrandum præſentem locum non parum facere volunt. Habetur ille Thren. III. 45. Ubi in fontibus ita: סחי ומאוס תשימני בקרב העמים Quæ verba Trem. *Purgamentum & rejectamentum ſtatuis nos in medio populorum*. Luth. Du haſt uns zu Koth und Unflath gemacht unter den Volckern. lxx. hæc verba סחי ומאוס plane omittunt. Targum vero טלטולין ורטושין *ejectos & deſertos* reddit. Nimirum duæ etiam hic voces ſunt. Altera סחי a rad. סחה in Kal. inuſitata; in Pih. vero סחה *expurgavit, abraſit*. Ezechiel. XXVI. 4. Unde סחי abraſio, purgamentum, ſordes & res viliſſimæ, quæ nauſeam movent ſpectatori ſcopiſque verruntur. Aben Eſra ad hanc vocem: סחי בטעם טלטול *ſechi in ſignificatu ejectionis*. Raſchi ita explicat: הוא ניע בלשון משנה כיחו *Hoc eſt mucus* וניעו שנכח מתוך הריאה ויצא דרך הגרון (*excrementum narium*) *ſecundum ſtylum Miſchnæ. Spuntum* (*exſcreatio craſſa*,

*ſa, qualis per tuſſim & בכוח cum vi ejicitur.) & mucus ejus, qui evellitur e medio pulmonis, & procedit via gutturis.* Altera eſt מאוס derivata a מאס *reprobavit, reſpuit, abjecit & averſatus eſt*. Hinc כסף נמאס argentum reprobum Jer. VI. 30. & מאוס præſens, quod rejectamentum ſonat, & quicquid vilipenditur & abjicitur. Utramque Echa Rabbata vertit מאסייא ופסילייא f. שז ita etiam exponit Mathanot Kehunna, ſcil. rejectamenta & quicquid reprobum eſt, ut ſunt fæces, furfures, ſcoriæ & ſimilia, quæ non ſunt כשר ut loquuntur Hebræi. Omnia iſta ad ſenſum Etymolog. horum verborum apprime quadrantia. Sunt itaque tum ex noſtris tum ex Romano-Catholicis & Reformatis, qui verba illa parallela faciunt huic præſenti loco noſtro. Ex noſtris quidem (23) D. Forſterus, (24) Prucknerus, Rungius (25) & alii *Locus ille procul dubio alludit ad Thren.* III. Inquit Flacius. (26) Jubet etiam eundem conferri Glaſſius. (27) Ex Romano-Catholicis Interpp. Franciſc. Haræus (28) & Cornel. a Lap. inter Reformatos imprimis eſt Beza, qui l. c. ait: *Paulus certe hæc deſumſit ex Jerem. Lament.* III. 45. Volunt autem vocem סחי reſpondere Græco περίψημα & vocem מאוס æquipollere vocabulo περικάθαρμα. Invertit hoc Cornel. a Lap. & dicit, Apoſtolum סחי per vocabulum περικάθαρμα, מאוס vero per περίψημα expreſſiſſe. Rectius tamen priori modo exponas. Atque ita omnino parallelismum utriusque loci quoad ſenſum Etymol. cum ſupra memoratis Interpretibus admittimus.

X. Oſtenſa itaque ſignificatione horum Verborum Etymologica progredimur jam ad ſpecificam. Eſt autem illa, uti ſupra monitum, quam voces iſtæ ex uſu peculiari Autorum & Scriptorum Græcorum ſibi vendicant. Ubi eandem quoque ordinem tenebimus, quem modo ſecuti ſumus, cum Etymologice illas conſideraremus, ita nimirum, ut de utraque etiam tum *ſeparatim* tum *conjunctim* agamus.

XI. Et ſecundum hanc ſignificationem Catharmata dicebantur homines piaculares (i. e. pro patriæ luſtratione devoti) quorum videlicet capite omnia Civitatis aut gentis alicujus ſcelera luebantur, & qui ad avertendam Deorum iram & plagas devovebantur. Sic Ariſtophanes (29)

> Γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτον, ὦ καθάρματε,
> Ἐπ' αὐτοφώρῳ δεινὰ δρῶντ' εἰλημμένω.
>
> *Etiamne audetis hiſcere, vos piacula,*
> *In ipſo deprehenſi facinore peſſimo?*

Ad quæ verba Scholiaſtes: Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος, ἢ τινος ἑτέρας νόσου, θυόμενοι τοῖς θεοῖς. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπεκράτησε. *Catharmata vocabantur, qui in expiatione peſtis aut alterius cujuſdam morbi Diis mactabantur. Qui mos etiam apud Romanos obtinuit.* Et in Equites (30) ubi Scholiaſtes idem: Δημοσίους δὲ τοὺς λεγομένους φαρμακοὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῷ ἑαυτῶν φόνῳ, ἢ τοὺς δημοσίᾳ καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους. Ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους, καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω ἢ τοιούτου τινὸς ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, οὓς καὶ ἐπωνόμαζον καθάρματα — *Publicos autem & qui dicebantur pharmaci, quique nece ſua luſtrabant urbes, aut qui publice a civitate educabantur. Alebant enim Athenienſes quosdam valde ignobiles & inutiles & tempore calamitatis cujuſdam urbi ingruentis peſtis ſcil. aut id genus mactabant illos ad expiandum ſcelus, quos etiam Catharmata appellabant.* Conſentit Suidas: (31) ὑπὲρ δὲ καθαρμοῦ πόλεως ἀνῄρουν ἐστολισμένον τινά, ὃν ἐκάλουν κάθαρμα. Secundum interpretationem Æmilii Porti: *Pro Civitatis luſtratione quendam ſtola indutum occidebant, quem vocabant catharma.* Demoſtheni (32) κάθαρμα eſt, ᾧ μηδεμία μετουσία ἀρετῆς. Ita enim ille: Σὺ δὲ ἀρετῆς, ὦ κάθαρμα, ἢ τοῖς σοῖς μετουσία, ἢ καλῶν ἢ μὴ τοιούτων. *Quæ tibi Virtutis, o ſcelus, aut tuis participatio, aut bonorum, niſi talium.* Ita etiam Æſchines, (33) ἃ δὲ σὺ λέξεις, εἴποι ἂν κάθαρμα ζηλοτυπῶν ἀρετήν. *Quid autem tu dices? an homo ſceleſtus æmulabitur virtutem?* Quod ad piaculares pulchre quadrat. Siquidem, ut infra audiemus, duum generum ſunt, ſontes & inſontes; quorum illi ſunt, qui maximis & nefandis ſceleribus iram Deorum acciviſſe credebantur. Herodotus (34) καθαρμὸν maſculino genere dixit, appellans hominem piacularem καθαρμὸν τῆς χώρης. Sic etiam Euſtathius p. 1935. 16. Ed. Venetæ urbium expiatores eodem nomine vocatos fuiſſe tradit. Eſt autem κάθαρμα pro καθαρτήριος figurate, ut Comici ſcelus pro ſceleſto & pernicioſo. Idem nomen impoſitum quoque fuit porcellis, quos & καθάρσια vocabant, quibus cœtus & conciones Athenis luſtrare ſolebant. Vid. Ariſtoph. (35) & Heſych. Obſervat tamen Ammonius (36) diſcrimen aliquod inter καθάρσια & καθάρματα. Illa dicit

eſſe

esse τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἄλλα, οἷς καθαίρονται. Hæc vero τὰ μετὰ τὸ καθαρθῆναι ἀποῤῥιπτόμενα *quæ post lustrationem sunt projecta*. Nota: significatum hunc specificum tribuit etiam ipsi primitivo scil. verbo καθαίρειν & καθαίρεσθαι Eustathius. Sic enim expresse, p. 105. 39. Καθαίρεσθαι ἐστιν ἀπολυμαίνεσθαι καὶ ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς αὕτη κυριωτάτη λέξις ἐν ταῖς ἐπὶ θυσία καθάρσεσι. Καθαίρεσθαι *est lustrari. Et erat antiquis hæc vox præcipua in purgationibus per sacrificium factis*. Et alibi: Καθαίρειν ἐστὶ θεία λέξις παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Καθαίρειν *est vox aliquid divini significans apud Veteres*, p. 1057. 23. Hæc de catharmatis.

XII. Idem sunt peripsemata hoc sensu accepta. Unde similiter Suidas vocem hanc interpretatus est ἀπολύτρωσιν *redemptionem*. De qua in Lexico ita: Περίψημα, ἡ ὑπὸ τὰ ἴχνη ἀπολύτρωσις. οὕτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν. Περίψημα ἡμῶν γενοῦ, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Interp. Περίψημα, κάταγμα *purgamentum, quicquid spongia purgatum excipitur. Ipsa sub vestigiis existens i. jam præsens redemptio. Sic acclamabant illi de malis ac sceleratis hominibus* ( *uni* ) *qui quotannis comprehensus detinebatur & Reipubl. malorum lustralis hostia destinabatur*. Addit idem, ita vocari solere hominem jugibus obnoxium malis. Eodem quoque digitum intendit Hesychius, l. c. quando περίψημα dicit ἀντίλυτρον pretium, quo redimitur vita cujuspiam & ἀντίψυχον, ubi pro multis animabus certi homines vel jumenta solebant in victimam dari.

XIII. Sequitur ut easdem consideremus *conjunctim*. Ubi nemo non videt, quanta etiam sic inter utramque vocem specifice sumtam intercedat conjunctio. *Peripsemata enim olim vocabant, quos & catharmata & contra, tales videlicet homines, quibus deletis felicitas rebus humanis restituta videtur*, ita Lucas Osiander. (37) Et Melanchthon: (38) Κάθαρμα & περίψημα *significant idem, quod piaculum Latinis*. Levis est differentia, quam observant Autores, quæ est ratione loci, in quo piaculares istiusmodi homines neci dabantur. Qui enim super terram interfecti fuere, καθάρματα dictos fuisse; qui vero in mare præcipitati περιψήματα volunt. Mens itaque Apostoli hoc sensu acceptis vocibus illis hæc est: Nos æque detestabiles & infensi sumus mundo, atque hi morti addicti homines, qui immolabantur per modum publicæ Expiationis. Vel ut Flacius: (39) *In summa, quid opus est multis? tam tristis & misera est nostra sors, tam etiam omnibus odio sumus ac execrationi, ut omnes sentiant nos esse veluti communes quasdam pestes: qui si diris exemplis tolleremur, orbis terrarum esset melius habiturus*.

XIV. Neque etiam hoc loco prætereunda est pulcherrima illa Convenientia, quæ utrobique occurrit. Siquidem significatio Etymologica fundamenti loco stat & cum specifica utriusque vocis suavissime conspirat. *Illa* extremum contemtum notat, qualis est rerum vilissimarum, quas περικαθάρματα & περιψήματα esse supra audivimus; *Hæc* viles & abjectos homines ad id adhibitos fuisse tradit, sicut infra dicemus. *Illa* notat res, quæ nauseam movent & horrorem aspectantibus, purgamenta scil. & excrementa. *Hæc* piaculares istiusmodi, qui omnibus fuere abominabiles. *Illa*, quæ loca contaminant & inficiunt; *Hæc* eadem piaculares facere docet, qui sint contaminatissimi & integras urbes & gentes polluant. *Illa* insuper sordes expurgandas & scopis evertendas dicit; Hæc tale notat hominum genus, quibus sublatis Gentiles terram purgasse credebant. Hinc etiam sunt, qui utramque hoc loco conjungendam esse censent; Inter quos ex nostris B. Selnecc. Ex Reformatis Marloratus, Ravanellus & alii ad h. l.

XV. Cum vero juxta regulam generalem Hermeneuticam unius vocis in una propositione unicus tantum per se & primo intentus sensus sit, recte hic quæstio movetur, quem vocibus hisce Apostolus intenderit, num Etymologicum, num vero specificum? Et respondemus, specificum.

XVI. Ut clarius evadat quæ sit sententia nostra, dicimus; Paulum duabus hisce vocibus respexisse ad certum lustrationis sive expiationis ritum inter Gentiles cumprimis Græcos observatum, qui certos homines ad expiandas urbes & regiones devovebant, eosque omnium peccatis & pœnis oneratos Diis Manibus sacrabant, ut illorum capite omnia Civitatis aut gentis scelera luerentur, & ira Deorum averteretur. Hi sunt, quos Apostolus per περικαθάρματα, quos per περιψήματα intelligit.

XVII. Probamus sententiam nostram partim *Rationibus*, partim *auctoritate*. Illarum desumitur.

XVIII. (I.) *Ex Pauli intentione*. Paulus non modo contemtissimos, sed etiam pessimos ac sceleratissimos quosque mortalium describit, eosque homines hoc loco designat, qui omnium malorum causa essent, & propter quos scil. Deus varias calamitates, bella, incendia, steri-

rilitates, feditiones, ruinam imperii, clades, peftes, fames & omnis generis mala immittat. Tales autem habebantur, qui catharmata & peripfemata dicti fuere. Sic enim mundus immundus judicabat de Apoftolis, & fic etiam ex opinione mundi in ifto loco Paulus loquitur. (II.) *Ex Pauli confuetudine*. Nemini enim ignotum effe poteft, qui vel minimam ftyli Paulini cognitionem habet, hanc fanctiffimi illius Scriptoris effe confuetudinem, ut dogmata fua adducendo Gentilium ritus haud raro illuftret, ingenio fcil. eorum fe accommodaturus, quibus cum converfabatur. Sic utitur vocabulis agonifticis & gymnafticis, qualia funt πυκτεύειν 1. Cor. IX. 26. a pugilibus; πάλη Eph. VI. 12. a luctatoribus accerfita. Multa verba etiam transfert a ludis & fpectaculis Gentilium, ut funt στάδιον l. c. ad Corinth. v. 24. ἄθλησις παθημάτων Hebr. x. 32. ἀγών & ἀγωνίζομαι, quod paffim. Sic etiam a coronis & præmiis vincentium in Certaminibus Olympicis, Ifthmiis & aliis ludis Corinthi celebratis. Huc referantur βραβεύειν Col. III. 15. βραβεῖον & στέφανος 1. Cor. IX. 24. 25. στεφανοῦσθαι 2. Tim. II. 5. & a triumphis etiam Victorum θριαμβεύειν 2. Cor. II. 14. & alia. Imo etiam a ludicris fæpe & horrendis rebus loquendi formulas mutuatur, ut vox κυβείας Eph. IV. 14. ab aleatoribus; & θηριομαχίας 1. Cor. XV. 32. a gladiatoribus cum beftiis congredientibus. Vide B. Dilherrum, (40) Petrum Fabrum, (41) Holsvvorthum (42) & D. Hammondum. (43)

XIX. Deinde probamus etiam authoritate Virorum antiquitate & Eruditione celebrium. Nam refpicit hanc interpretationem Syrus in antiquiffima fua Verfione, ex mente D. Gutbierii, qui Græcum περίψημα reddidit ܟܘܒܪܐ, quam vocem fupra Interpres ad latus pofitus in Bibliis Polyglottis Etymologice expofuit *purgamentum*; Laudatus v. D. Gutbierius in Lexico fuo N. T. Syriaco adjecto *piaculum* vertere maluit. Clarius adhuc Æthiopica, quæ per *redemptionem* explicat. Hæc cum illis, quæ §. 12. dicta funt, apprime conveniunt. Facit etiam huc Interpretatio Ambrofii, (44) qui Græcum utrumque per *luftramentum* expofuit. Sunt autem luftramenta purgationes non fimpliciter, fed factæ per facrificia. Germ. Gegopffer. Quare eam ob caufam Eftius quoque explicationem hanc Ambrofii reprehendit, fiquidem neutrius Græci vocabuli fignificatum exprimat. Quod tamen de fignificatu fpecifico horum verborum falfum, ut hactenus demonftravimus. Neque obftat, quod idem Ambrofius luftramenta mox interpretetur purgamenta. Sunt enim ἀνάστροφα, non ἀντιστρέφοντα. Ex Philologis, qui fententiam noftram tuentur, inftar omnium eft Guilielmus Budæus, Vir teftimonio Bezæ doctiffimus. De quo etiam Ludov. Vives: (45) *Quo Viro Gallia, acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentia, majore Eruditione, nullum unquam produxit. Nihil eft ufquam vel Græcorum vel Latinorum Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excufferit. Græca & Latina juxta & fumme callet. Tam facile utraque lingua loquitur, quam Gallica, quæ eft ei vernacula; haud fcio, an etiam facilius*. Et Buchananus tali eum Elogio mactat:

*Gallia quod Græca eft, quod Græcia*
*Barbara non eft,*
*Utraque Budæo debet utrumque*
*fuo.*

Hic, (46) pofteaquam utriufque vocabuli fenfum Etymol. enarraverat, ita pergit: Quæ fignificationes in eo loco Apoftoli non conveniunt: altior eft enim quidam fenfus verborum, nifi me fallit opinio: Ad cujus intelligentiam id jam dictis addemus, quod antiqui urbium expiationem anniverfariam facientes, cum facros illos homines aluerant, in victimarum morem redimitos ex loco præcipiti in mare dejiciebant Neptuno immolantes: interque dejiciendum folennia verba effari folebant: περίψημα ἡμῶν γενοῦ: fis pro nobis peripfema. Ac fi dixiffent: Sis pro nobis piaculum, efto luitio noftra & fervatrix urbis victima. Allegat etiam Suidam, ex quo hæc jam fupra adduximus pergitque; Sententia igitur Pauli eft hæc: Nos tanquam piacula mundi facti fumus & fuccidaneæ pro populo victimæ, ac fi diceret: Non minus apud gentium vulgus deteftabiles fumus, quam illi, qui diris execrationibus obruti pro falute publica abjici folent. *Hæc Budeus*. Idem quoque mavult utrumque Græcum ἀνερμήνευτον retinere; quod inculpatius ipfi videtur, eo fcil. quod Vulgatus fecit, qui poftremam faltem vocem Græco idiomate fcriptam reliquit. Ratio fine dubio eadem erit, quam fupra circa περίψημα Cl. Heinfius annotavit. Præterea fententia etiam hæc eam ob caufam nobis vel maxime arridet, quia inter noftros Dd. & Interpretes non paucos eofque non incelebris famæ Viros Phil. Melanchthonem, Lucam Ofiandrum, Hemmingum ll. cc. aliofque, & qui nuper magno Ecclefiæ luctu fatis conceffit, magni nominis Theo-

Theologum B. D. Calovium in Bibl. Illustr. ad h. l. habet consentientes. Imo quod maximum est, cum Versione Luth. imprimis congruit, quæ sicuti omnium Germ. merito dicitur perfectissima, ita etiam eandem libenter tenemus, nec facile ab illa sine prægnanti ratione nos dimovere patimur. Ita autem Luth.: Wir sind stets als ein Fluch der Welt und ein Fegopfer aller Leute. Confer marginalia, ubi egregia de hoc ritu.

XX. Objiciunt vero contra hanc sententiam nonnulla Beza imprimis & Erasmus, quos Etymolog. sensum horum verborum sequi supra audivimus. *Ille* I. Non esse verisimile, communem illam consuetudinem fuisse passim Græcis notam. II. Paulum ad eam non respexisse tanquam ad impiam & nefariam consuetudinem, quod etiam opponit Bened. Justin. & qui sequentia Erasmus. Hic enim III. Nullum Veterum Interpretum hunc sensum attigisse. IV. Videri ipsum hoc pacto plus sibi arrogasse quam Apostolicam modestiam deceat, adde quod etiam Christianæ veritati sit consentaneum, dum se pretium redemtionis & expiationem mundi vocet. V. Neque hunc ritum fuisse perpetuum apud eos, quibus scripserit Apostolus. VI. Paulum se non vocare κάθαρμα, quo nomine tantum Græcis Scriptoribus homines piaculares veniebant, sed in Comp. περικάθαρμα, quod semper sordes & purgamenta, per metaphoram vero res viles & projectas significet.

XXI. Respondemus ad singula. Ad I. Notissimam omnino fuisse. Ecquid enim fieri potuisset, ut ritus ejusmodi publicus & non sine solennitate aliqua peractus non innotuisset, urbi præsertim totius Græciæ celeberrimæ, qualis tum Corinthus erat. Ad II. supra in probatione §. XVIII. audivimus, Paulum etiam quandoque a rebus impiis & horrendis similitudines desumere. Tertium modo hic attendendum, quod est gravitatem & fœditatem rei indicare, & miserabilem Apostolorum & Ministrorum Dei statum luculentius declarare. Vide ibi dicta. Quibus adde etiam vocabulum θέατρον paulo ante voces nostras positum. Ubi dicit Apostolus, se & Collegas suos theatrum factos esse mundo, Angelis & hominibus. Quo ipso haud dubie alludit ad crudelem & immanem illum Gentilium morem, qui homines quosdam morti addictos, sæpe etiam innocentes, quales fuere Christiani, Leonibus objecerunt. Ad III. probavimus contrarium §. XIX. ex Syriaca & Æthiopica versione nec non ex interpretatione Ambrosii. Unde semel dicta jam non repetimus, sed B. L. eo remissum volumus. Ad IV. Aliud est *esse*, aliud *videri*. Non dicit Apostolus se & sui similes hostias esse, quibus mundi peccata expientur. Hæc enim gloria soli Servatori nostro debetur, quam ipsi in Scriptis suis toties quoties vindicat, sed solum pro ejusmodi se haberi. Unde non absolute loquitur περικαθάρματα ἐγενήθημεν, sed cum addita similitudinis nota ὡς περικαθάρματα tanquam piacula. Ad V. Si modo inter Gentiles Græcos scil. aliquando obtinuerit; licet perpetuus fuerit nec ne, nihil ad rem. Jam potuit esse Auditoribus cognitum, quid sibi verba Doctoris sui velint. Ad VI. Apostolo sunt Synonyma. Neque enim hic præpositio περὶ sensum mutat, sed rei fœditatem auget & pondus addit verbis. Imo Apostolus, quod vult Marloratus & P. Martyr, hoc ipso ritum hunc piacularem addendo præp. περὶ clarius exprimit, quod scil. miseri illi homines diris devoti, per vicos & plateas circumducebantur, ut quicquid esset in angulis omnibus mali, secum auferrent, quo plenior foret lustratio. De quo in sequentibus.

XXII. Nam ut clarius adhuc elucescat mens & sententia Apostoli, merito nunc etiam subjungimus historiam, in qua ritum istum, ac quæ circa illum sunt observanda, plenius planiusque exponemus. Sequitur ergo jam

## SECTIO II.

## HISTORICA.

### §. XXIII.

Sciendum autem hic est, varia lustrationis genera apud Gentiles quondam obtinuisse. Nam quoniam vel personis vel rebus quocunque modo pollutis & contaminatis credebant Deos sibi adversos esse, idcirco personarum rerumve lustratione sive purgatione eosdem rursus placare atque propitios sibi reddere studebant. Factum autem hoc est variis modis. Vel enim per ignem, vel per aquam, vel per plantas, sæpe etiam animalia, neque illa tantum rationis expertia, sed etiam capacia, ut sunt homines, lustrationes suas peragere solebant. De quibus vide (47) Stuckium, Saubertum, (48) Vossium (49) & imprimis Joh. Lomejerum, qui ex professe de hac materia scripsit in Tract. quem *de Lustrationibus Veterum Gentilium* inscripsit.

XXIV.

XXIV. Nos potiſſimum agemus de Luſtrationibus per homines, quos vocant piaculares, peractis, ita quidem, ut ordine recenſeamus illorum *Nomina*, *perſonas*, *ceremonias ſpeciales circa illos adhibitas*, *pœnarum & mortis genera*, *Originem & finem hujus ritus*.

XXV. Nomina piacularium ſunt vel *Græca* vel *Latina*. Græca magno numero hinc inde apud Autores inveniuntur. Nam præter illa, quibus in titulo Diſputationis noſtræ inſigniuntur, adhuc plura ſunt. Dicuntur enim φαρμακοὶ *pharmaci*; cujus appellationis duplicem rationem affert Leonicus. (50) Vel enim ita dictos ait, quia illorum morte ſalutaris urbi medela repræſentari exiſtimabatur, vel ab alio quodam hujus nominis, qui temporibus Trojanis ex Apollinis ſacrario aurea vaſa furatus erat; quam rationem adducit Etymologicum magnum. Et Euſtath. (51) de hoc ipſo nomine: Καὶ μάλιςα οἱ τὰς πόλεις καθαίροντες φαρμακοὶ ἀττικῶς ἐλέγοντο. *Ac maxime illi, qui Civitates purgabant, Athenienſium more Pharmaci dicebant*. Idem allegat etiam Demoſthenem. Herodotus (52) ἔντομα vocavit, quæ *inſectiones* interpres dixit. Præcipuas appellationes, quibus apud Græcos piaculum & homo piacularis exprimitur, ſequentes verſiculi continent:

> Ἄγος, ἐναγὴς, κῆλις, κάθαρμα, φάρμακος,
> Μίασμα, προστρόπαιος, ἔνοχος, ἄθεος,
> Ἀραῖος, ἐξάγιστος, ἀνόσιος, ἀρά τε
> Κάθαρμα, ἀποτρόπαιος, ἀνάθεμα, ἔξαγος
> Ἐπάρατος, κατάρατος, τ᾽ ἀλιτήριος,
> Καθάρσιον, παλιμναῖος, ἀπερριμμένος
> Βδέλυγμα καὶ περίψημα, ἀλάςωρ, ὄλος
> Μιαρὸς, προώλης καὶ πανώλης, ὄλεθρος,
> Ἄνθρωπος ἀποφρὰς, ἐχθρότατος, θεῶ βροτὸς,
> Ἀνέςιος, τ᾽ ἀθέμιστος, ἀφρήτωρ, βρότος.

Latinis dicuntur *homines ſacri* i. e. execrandi & deteſtandi. Quale illud Virg. *Auri ſacra fames*. De qua appellatione conf. Budæum, (53) Servium, (54) Cæl. Rhodiginum (55) Macrob. Feſtum (56) & Catullum cum Comment. Mureti; *piacula* ſubſtantive & *piaculares*. Hinc Plautus (57) Epidic.

> *Men' piacularem oportet fieri propter ſtultitiam tuam,*
> *Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?*



Et Plinius in panegyr. *piaculares publicæ ſollicitudinis victimas dixit; Devoti* ſcil. pro ſalute communi & diris onerati. Habet enim hæc vox utramque ſignificationem apud Autores; *Vicarii*, non tantum, quia in aliorum commodum & ſalutem, ſed quod hic maxime conſiderandum, quia in aliorum vicem exitio deſtinabantur, *Sacrani* porro & *Vernæ*, quod verbum olim pro execrabili & maledicto, ut ait Nonnus (58) habebatur.

XXVI. Hæc Nomina fuere. Si perſonas reſpicimus, piaculares iſti conſiderari poſſunt (1.) *ratione gentis* & ſunt vel ignobiles, pauperes & abjecti, vel etiam quandoque conditionis honoratioris. Ita Ariſtophanes (59) queritur, peregrinos, ſervos, peſſimumpue hominum genus Rempubl. gerere; eos denique, οἷσιν ἡ πόλις πρὸ τοῦ οὐδὲ φαρμακοῖσιν εἰκῆ ῥᾳδίως ἐχρήσατ᾽ ἄν. Interp. *quibus Civitas nequidem uſa fuiſſet pro unguentariis*. Verum Scholiaſtes: φαρμακοῖσιν δὲ τοῖς λεγομένοις καθάρμασιν, hoc eſt, *quibus Civitas non facile uſa fuiſſet piacularibus*. Idem videre eſt apud Papin. Statium, (60) ubi mater Menæcei:

> *Luſtralemne feris? ego te, puer improbe, Thebis*
> *Devotumque caput vilis ceu mater alebam.*

Ad quem locum Scholiaſtes: Luſtrare Civitatem Gallicus mos eſt. Nam aliquis de egentiſſimis pelliciebatur præmiis, ut ſe ad hoc venderet. Sic etiam Plinius: (61) *Verebamur ne potentiſſimi viliſſimo quoque, quaſi piaculari dato, alienis pœnis elaberentur*. Neque Athenienſes, apud quos iſte ritus imprimis vigebat, luſtraturi Civitatem diſquirebant hominem in ea turpiſſimum, ſicuti teſtatur Leonicus. (62) Idem quoque Maſſilienſes fecerunt, ut eſt in Petronii fragm. Hinc factum, teſte Euſtathio, (63) ut καθάρματα dicerentur οἱ ῥυπαροὶ καὶ ἀπόβλητοι viles & abjecti homines. De iis, qui loco & conditione nobiliore fuerunt, dicemus poſtea.

XXVII. Conſiderari etiam poſſunt (2) ratione *mentis*. Hoc modo ſunt vel *nocentes & facinoroſi*, vel *innocentes ſcelerumque puri*. Illi ſunt, non qui quovis peccato ſe contaminarunt, ſed qui enormi aliquo facinore Deum ita læſerunt, ut toti alicui regioni ſeu nationi & integro ſæpe hominum cœtui ejus iram atque indignationem acciverint, adeo ut prius placari non potuerit, quam καθάρματα ſeu piacula ejuſmodi e medio tollerentur. Cum ergo talem hominem e vita ſuſtuliſſent, certa ſpes fuit, jam ma-

maledictum ſublatum & terram expiatam ac purgatam eſſe. Hic locum habet illud Heſiodi: (64)

> πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
> ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται,
> *Sæpe univerſa Civitas malum ob virum punitur,*
> *Qui peccat, & iniqua machinatur.*

Hujus generis peccata Gentilibus erant ſacrilegium, inceſtus, parricidium &c. Talia piacula fuerunt Oedipus, qui occiſo patre matrem duxit uxorem: Adraſtus & alii, qui tanquam ἀλάστωρες apud gentes habiti fuerunt. Et in Hiſtoria ſacra Achan ſacrilegus, quo ſublato Deus populo ſuo reconciliatus fuit Joſ. VII. 26. ſeptem filii Saulis, quibus in crucem actis terra expiata eſt 2. Sam. XXI. 3. Jonas Propheta, quo tanquam peripſemate in mare projecto tempeſtas ſedata erat. Jon. I. 2. Quales etiam Chriſtiani in primitiva Eccleſia ab Ethnicis habebantur omnes, quibus neſanda quæque ſcelera affingebant. Huc enim illud Gentilium ſolenne: *Tolle magos, tolle impios, tolle ſacrilegos*. Et illud: *Chriſtianus ad Leonem*. Si enim Tiberis aſcendebat in mœnia, ſi Nilus non aſcendebat in arva, ſi cœlum ſteterat, ſi terra moverat, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianus ad Leonem acclamabatur. De quibus vide Euſebium, (65) Tertullianum, (66) Juſtinum Martyrem & reliquos Scriptores Apologeticos citatos in Diſp. non ita pridem a Dn. M. Gleitſmanno ſub præſidio Dn. L. Rechenbergii de Apologiis Veterum habita. Quod ſane revera erat περικάθαρμα fieri pro aliorum flagitiis. Innocentes ſunt, qui honeſtam cæteroquin vitam agentes creſcentibus tamen calamitatibus publicis piaculi loco occidebantur. Nota. Tales potiſſimum in luſtrationibus ſuis adhibebant, non ignorantes videlicet, Diis victimas ejuſmodi gratiores eſſe. Atque hi duplicis iterum generis ſunt: *Vel enim ſponte ad expiationem ſe offerebant, vel ab aliis ad hanc deſtinabantur*.

XXVIII. Eorum, qui ſponte ſe piaculi loco obtulerunt, tum in Græca tum in Romana hiſtoria clariſſima proſtant Exempla. Sic inter Græcos eſt Codrus (67) Rex Athenienſium, cujus factum memorabile merito aliquanto plenius enarrare licebit. Cum enim Dorienſes, alii Lacedæmonii volunt, cum Athenienſibus de finibus agrorum bella gererent, premerenturque Athenienſes, ut hoſtibus reſiſtere non poſſent, viribus ſuis diffiſi ad divinam opem confugerunt. Legatis itaque ad conſulendum Apolinem Delphicum miſſis, reſponſum tulere: Non aliter bellum finiri & patriam obſidione liberari poſſe, quam ſi Codrus occideretur ab hoſtibus. Quod oraculum ad hoſtes quoque pervenit. Itaque a Dorienſibus edictum eſt, ne quis Codrum Regem vulneraret. Ille vero, ut fato ſuo patriæ ſuccurreret ſumto militari ſagulo & lignorum faſce cum falce, tanquam lignatum profectus, caſtra hoſtium petiit, & quem primum obvium habuit, graviter increpuit. Orta deinde contentione multis illum convitiis onerans, in ſui cædem provocavit. Nam iratus miles, illum ignarus quiſnam eſſet, occidit. Cratinus etiam Athenienſis, (68) qui pro patria ultro ſe devovit interficiendumque obtulit, & Ariſtodemus ejus amator, quorum interitu terra expiata eſt. Pro Thebarum ſalute ſponte ſe devovit Menæceus, de quo Statius, (69) ubi loquentem ſic inducit:

> *Armorum ſuperi, tuque, o, qui funere tanto*
> *Indulges mihi, Pnœbe, mori, date gaudia Thebis,*
> *Quæ pepigi & toto quæ ſanguine prodigus emi.*

Et paulo poſt:

> *Sic ait, inſignemque animam mucrone coruſco,*
> *Dedignantem artus pridem, mœſtamque teneri,*
> *Arripit, inque uno quæſitam vulnere rumpit.*
> *Sanguine tunc ſpargit turres & mœnia luſtrat.*

Idem apud Euripidem. (70)

> Α'λλ' εἶμι καὶ στὰς ἐξ ἐπάλξεων ἄκρων
> Σφάξας ἐμαυτὸν σηκὸν ἐς μελαμβαθῆ
> Δράκοντος, ἔνθ' ὁ μάντις ἐξηγήσατο:
> Ε'λευθερώσω γαῖαν. εἴρηται λόγος.
> *Sed abeo, & ſtans extra mœnia*
> *Interficiens me ad atrum ſpecum*
> *Draconis, ubi Vates dixit:*
> *Liberabo terram. Dixi ſententiam.*

Idem fecit Agraulus: Cum enim Athenienſibus diuturno bello preſſis oraculum redditum fuiſſet, fore ut belli mala tandem deſinerent, ſi quis ſeipſum pro urae interfeciſſet; Agraulus hoc audito, ſua ſponte e muro in præceps corpus vitamque abjecit & ſtatim belli ſtetit rabies. Recenſet hanc hiſtoriam Scholiaſt. Demoſtheniis. (71) Neque defuerunt in ſequiore ſexu, quæ pro patriæ ſalute ſemetipſas piaculares fecerunt. Celebratur imprimis Macaria Herculis filia, quæ pro incolumitate ſuorum ſe devoverat, cujus etiam meminit Plutarchus-

chus. (72) Imitatæ hanc sunt plures aliæ, quarum mentionem facit Tullius, (73) D. Franzius (74) & Tiraquellus J. C. (75) Inter Romanos quid gestum sit, quid Decius uterque Pater & Filius: quid Curtius egerit, quis est qui ignorat? De Patre sic Livius (76). „ Sicut verbis nuncupavi, ita pro populo Romano Quiritum exercitu, legionibus, auxiliis, populi Rom. Quiritium, legiones auxiliaque hostium mecum Diis Manibus Tellurique devoveo. Deinde incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiliit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab utraque acie aliquanto augustior humano visu, sicut cœlo missus, *piaculum* omnis Deorum iræ, qui pestem a suis aversam in hostes ferret. " Idem, (77) de filio, qui in bello Gallico, paria fecit. Præsertim vero notabile est factum Curtii Equitis Roman., & dignum, quod hoc loco a nobis commemoretur, cum inter Exempla hic ducta sit clarissimum adeoque primas facile teneat. „ De illo autem idem lacteus „ Autor (78) tradit sequentia: Eodem anno, seu motu terræ seu qua vi alia, forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur: neque eam voraginem conjectu terræ, quam pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam Deorum monitu quæri cœptum, quo plurimum populo Rom. posset. Id enim illi loco dicandum Vates canebant, si Rempublicam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium Juvenem bello egregium castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque essent. Silentio facto templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentem se devovisse. Equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem, armatum se in specum immisisse. " Hi pro salute populi ipsi piaculo esse volebant. Sic etiam pro salute Principis fuere, qui semetipsos devoverunt, quales illi, qui pro salute Caligulæ hoc faciebant, quos etiam serio perire ipse voluit. *Suet.* in vita *Calig.* (79)

XXIX. Ab aliis ad piaculum destinati vel ab Oraculo ipso exposcebantur, vel a populo inconsulto etiam Oraculo statuebantur. Illorum jam aliqua in præcedentibus in medium adduximus; quibus illustre illud adhuc adjici potest, quod in Sinone suo eleganter repræsentavit Maro:

*Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit*
*Ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.*

Et paulo post, ubi Sinon recitat sententiam Oraculi per Calchantem Sacerdotem prolatam:

*Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,*
*Composito rumpit vocem & me destinat aræ.*
*Assensere omnes: & quæ quisque timebat,*
*Unius in miseri exitium conversa tulere.*

En descriptionem hominis piacularis! Pari tyrannide Apollo hostis generis humani ac vere homicida, qualis semper Diabolus fuit, plura adhuc piacula sibi offerenda curavit. Talia præ cæteris multis fuere Virgines quædam, filia Creontis, Erechtei, Aristodemi & aliorum, de quibus Cœl. Rhodigin. (81) & Pausanias. (82) In consulto vero oraculo plures populi certos homines eligebant, quos piaculares esse voluerunt. Sic Temessenses quotannis virginem devoverunt formosissimam, ut refert Pausan. (83) Ælianus (84) Eundem Massiliensium fuisse morem, supra diximus. Ut plura taceamus.

XXX. Hoc quod personas piacularium monuisse sufficiat. Nunc ceremonias & ritus speciales adducamus, qui circa piaculares istiusmodi observati fuerunt. Atque hic Græci & Athenienses præ ceteris imprimis fuere studiosi, imo, quod verius, superstitiosi.

XXXI. Est inter illas piaculi separatio & sustentatio. Nam Athenienses, ut refert Leonicus (85) duos quotannis homines expiandorum lustrandorumque civium gratia jugulabant, unum duntaxat pro maribus, pro fœminis alterum, quos custodia publica asservatos præclareque enutritos Thargeliis suis, quæ certa erant sacra Apollini & Dianæ celebrata, cum solenni pomparum religione deducebant & Pharmacos appellabant. Execratio & malorum omnium imprecatio. Inter diras autem id piaculis hisce precabantur, ut si quid mali populi cervicibus impenderet, illud omne in eorum capita verteretur. Inde ἀνάθεμα homo devotus & piacularis idem Hesychio, qui ἐπάρατος execrabilis dicitur. Certam moris hujus notitiam ab ævo prisco derivatam debemus Herodoto, (86) qui de Ægyptiis loquens, a quibus postea Græci acceperunt, καταρέονται inquit, τάδε λέγοντες περὶ κε-

κεφαλῇσι, ἔιτε μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι, ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συμπάσῃ κακὸν γενέσθαι, ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι. *Execrantur victimarum capita in hæc verba: Si quid mali vel ipsis immolantibus, aut Ægypto toti futurum sit, id in hoc caput convertatur*. Idem testatur Plutarchus: (87) διὸ τῇ μὲν κεφαλῇ τοῦ ἱερέως καταρασάμενοι, καὶ ἀποκόψαντες, εἰς τὸν ποταμὸν ἐρρίπτουν πάλαι. *Itaque in caput victimæ exsecrati amputatum in flumen abjiciebant antiquitus.* Diras, quibus se devoverunt Decii vide ll. cc. Talis imprecandi formula Græcis usitata est illa, quam supra ex Suida adduximus, ubi ad piaculum tale dici solebat: περίψημα ἡμῶν γενοῦ *Esto nostrum peripsema, nostra expiatio & redemtio*. Cum qua convenit lepida illa Judæorum imprecandi formula, (88) quando de Gallo gallinaceo, quem in festo כפורים Expiationis diris devotum mactant, dicere solent: זה חלפתי, זה תחתי, זה כפרתי *hic Gallus sit permutatio pro me, hic in locum meum succedat, hic sit expiatio pro me*. Sunt & alia. Fuerunt enim istiusmodi homines verbenis vestibusque sacris induti, ἐστολισμένοι ut Suidas, & more victimarum redimiti per urbem circumducebantur, similes reliquis victimis, quæ ante immolationem vittis, infulis atque coronis ornabantur. De quo ritu conf. Carolum Paschalium (89) Bernartium (90) Saubertum (91) & Interpp. (92) Idem etiam deducebantur ad tibiæ cantum, cujus modulus κραδίης νόμος dicebatur. Hesychius: νόμον τινὰ ἐπαυλοῦσι τοῖς ἐκπεμπομένοις φαρμάκοις. *Melos cantant pharmacis, qui expelluntur*. Pertinet etiam huc illud, quod Helladius (93) meminit: ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις φαρμακοὺς ἄγειν δύο, τὸν μὲν ὑπὲρ ἀνδρῶν, τὸν δὲ ὑπὲρ γυναικῶν, πρὸς τὸν καθαρμόν. καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν, μελαίνας ἰσχάδας περὶ τὸν τράχηλον εἶχε, λευκὰς δ' ἅτερος. *Mori erat Athenis Pharmacos agere duos, unum pro viris alterum pro fœminis, ad lustrationem. Et ille quidem, qui pro viris, nigras in collo gestabat caricas; qui pro feminis, albas*. Joh. Tzezes (94) addit adhuc alias ceremonias, & universum ritum lustrationis solennis Athenarum sequentibus versibus comprehendit:

> Ὁ φάρμακος, τὸ κάθαρμα, τοιοῦτον ἦν τὸ πάλαι,
> Ἂν συμφορὰ κατέλαβε πόλιν θεομηνίᾳ
> Εἴτ' οὖν λιμὸς εἴτε λοιμὸς εἴτε καὶ βλάβος ἄλλο
> Τῶν πάντων ἀμορφότερον ἦγον, ὡς πρὸς θυσίαν,
> Εἰς καθαρμὸν καὶ φάρμακον πόλεως τῆς νοσούσης,
> Εἰς τόπον δὲ τὸν πρόσφορον στήσαντες τὴν θυσίαν.
> Τυρόν τε δόντες τῇ χειρὶ, καὶ μᾶζαν καὶ ἰσχάδας,
> Ἑπτάκις καὶ ῥαπίσαντες, ἐκεῖνον εἰς τὸ τότε
> Σκίλλαις, συκαῖς ἀγρίαις τε καὶ ἄλλοις τῶν ἀγρίων.
> Τέλος πυρὶ κατέκαιον ἐν ξύλοις τοῖς ἀγρίοις,
> Καὶ τὴν σποδὸν εἰς θάλασσαν ἔρραινον εἰς εἰς ἀνέμους
> Ἐς καθαρμὸν τῆς πόλεως, ὡς ἔφην τῆς νοσούσης.

Quæ verba apud Leonicum sæpe citatum Latine ita. Moris fuit antiquissimi, cum Civitas aliqua fame aut pestilentia aut aliqua enormi calamitate laboraret, disquirere hominem in ea turpissimum, quem Catharma & Pharmacum appellabant, eumque ad locum sacrificio destinatum deducebant manu tenentem caseum cum placenta & ficus, quem postea septies caprifico & scylla agresti aliisque virgultis sylvestribus, partes pudendas verberatum, scrobe eo loci facta, confectumque cinerem pro urbis illius expurgatione & piaculo in mare projiciebant. Cujus rei & Hiponax (95) & Lycophron (96) meminere, ex quibus hic collegit. Vide etiam Fernandium Cordova (97) & imprimis Meursium. (98)

XXXII. Quæ mortis genera sint, quibus piaculares istiusmodi homines sublati fuerunt, ex dictis aliqua ex parte constat. Fuit nempe ut plurimum præcipitatio de rupe vel monte quodam. Facit huc testimonium Luciani. Ille varios sacrificandi ritus Deæ Syriæ (99) Sacerdotibus usurpatos referens, est, inquit, & alius quidam sacrificandi ritus, talis: Postquam animalia immolationi destinata coronarunt, a templi vestibulis ea demittunt: τὰ δὲ κατενεχθέντα, πίπτοντα θνήσκουσι, *illa vero præcipitata, ex casu moriuntur*. Ita memorat Strabo, (100) Leucadios in Apollinis sacro quotannis hominem piacularem de montis specula dejecisse & in mare præcipitem egisse. Hinc prov. apud Euripid. θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. *mare abluit omnia hominum mala*. Apud Tauros etiam servatum erat, ut iræ Deorum avertendæ gratia hominis caput clava ferirent & truncum corpus ex ingenti rupe in præceps darent. (101) Nonnunquam illos lapidibus obruebant. Ita Ephesiorum urbem peste laborantem ab Apollonio expiatam obruto lapidibus seniculo quodam, autor est Philostratus. (102) Sic etiam Abderæ Thessaliæ civitatis incolas statis diebus devotum hominem lapidibus incessere solitos, testis est Ovid. (103)

Aut

*Aut te devoveat certis Abdera diebus,*
*Saxaque devotum grandine plura petant.*

Idem fecere Galli, qui piaculares suos extra urbis pomæria eductos saxis occidebant. Scholiastes. (104) Neque tamen putandum ritum hunc lustrationis semper morte piacularium esse celebratum. Piaculares enim etiam illi erant, qui aliorum scelera & pœnas luebant flagris & cruciatibus, quales fuere Sacerdotes Cybeles, brachia & lacertos ferro cruentantes. Vid. Saubert. (105) ac Lomeier (106) & exilio; quorsum spectat Rom. Ver sacrum, quppe quo similiter Deos expiare solebant. Quale quid apud Græcos etiam obtinuisse, testatur Creon apud Sophoclem in Oedipo Tyranno, ubi hæc leguntur verba:

Ἄνωγεν ἡμᾶς φοῖβος ἐμφανῶς ἄναξ
Μίασμα χώρας, ὡς τεθραμμένον χθονὶ
Ἐν τῇ δ' ἐλαύνειν, μηδ' ἀνήκεστον τρέφειν
Οἰ. ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς συμφορᾶς;
Κρ. Ἀνδρηλατοῦντας, ἢ φόνῳ φόνον πάλιν
Λύοντας, ὡ τοδ' αἷμα χειμάζον πόλιν.

*Phœbus Rex clare mandavit nobis piaculum regionis, ut in hac terra educatum, expellere, neque inexpiabilem nutrire. Oed. Qua expiatione? quæ ratio calamitatis? Cr. Si in exilium ejiciatur, aut cæde rursus luatur, quoniam hic sanguis quasi tempestate aliqua vexat civitatem.* Huc pertinent etiam, quæ Thucyd. (107) refert & ex Homero probat de ejusmodi piaculis, quæ exilio suo lustrabant insulam Delum.

XXXIII. Origo hujus ritus eadem est, quæ reliquorum cultuum apud Ethnicos frequentatorum, nempe profunda superstitio, qua sibi Gentiles a Diabolo fascinati persuadebant substitutione ejusmodi piaculorum Deos iratos expiari & quæcunque mala averruncari posse. In specie tamen elucet hic frequens illa Gentilium κακοζηλία. Quis enim non videt æmulatos esse ipsos victimam piacularem geminam illam, de qua Levitic. XVI. Constat enim ibi, duos fuisse hircos ex singulari præcepto divino in piaculum ordinatos & sorte constitutos. Alter erat Deo offerendus & mactandus, alter vero in desertum abigendus; qui Ebræis עזאזל Græcis & in specie LXX. τράγος ἀποπομπαῖος ἀπερχόμενος, Latinis *hircus emissarius* dicitur. Circa utrumque certæ erant ceremoniæ observandæ & imprimis circa Emissarium illum. Huic enim Sacerdos manus imponebat translatis in eum totius populi peccatis & pœnis promeritis, eoque ipso hircum devovebat, ut in illius caput recideret, quicquid mali ipsis impenderet. Idem postea in desertum abigebatur, ut huc illuc oberrare & quo vellet, abire posset. Hisce adhuc alias successu temporis prisci Ebræorum Magistri adjungebant. Illi enim vittas, corollas vel nænias coccineas e lana factas hirci piacularis capiti alligabant, לשון של זהורית *linguam coccini dixerunt*. Abeuntem porro probris & contumeliis omnibus onerabant. Nam cum aliqui stimulis urgebant, alii pilos ei vellicabant, alii frequenti sputo eum insectabantur, alii cum execrationibus eum dimiserunt, ut in illius caput mala gentis omnia verterentur. Id quod etiam Veterum testimonio illustratur Tertulliani (108) imprimis, & Hieronymi. (109) His accedit, quod etiam de prærupto quodam monte eum præcipitare soliti sint. De omnibus hisce vid. Cod. Jom. (110) cum Not. R. Sheringham. Ursini Anal. S. lib. I. c. 28. 29. imprimis CL. Frischmuthi Profess. in Academia Jenens. celebratissimi Disput. priorem de Hirco Emissario A. 1664. Jenæ habitam, ubi plura in hanc rem ex Rabb. Dd. affert. Omnia ista simia illa Diabolus inter Gentiles maxime Græcos imitatus est. Habuerunt illi piacula sua, quorum morte & interitu expiationem fieri credebant. Habuerunt sua animalia ἀποπομπαῖα, ut ipsi vocarunt ζῶα ἄφετα. Quod testatur Macrobius (111) qui dicit, Veteres quodvis animal Numini alicui devotum ad fines & sedes illius Numinis amandasse. Sic Strabo (112) de Leucadiis supra memoratis narrat, eos piaculares & sacros suos homines ita dimisisse. Applicuerunt illis pennas & aves multas, quibus potuerunt levari, ut saltus illorum, quem præcipitati dabant, in volatum fuerit conversus. Adfuerunt etiam multi qui cadentes exceperunt naviculis, & si potuerunt, conservatos extra fines patrios emiserunt superstites. Quomodo eadem piacula sua ornarint, indignis modis exagitarint, diris devoverint & tandem de rupe vel monte deturbaverint, dictum est §. 3. Invertit hæc omnia J. Spencerus Scriptor Anglus, (113) & in specie etiam de Hirco isto piaculari tradit, accepisse Judæos ritum istum a Gentilibus, id quod etiam magno labore & studio probare satagit. Nituntur tamen omnia, ut

ut ipſe ſæpius fatetur, conjecturis potius quam certis rationibus. Nos aliis excutienda iſta relinquimus. Vide interim, qui de Κακοζηλία Gentilium ſcripſere Dan. Claſen. in Theol. Gentili, Joh. Fabricium, Dietericum & Gerardum Voſſium paſſim. Quod vero in prava æmulatione ſua etiam circa hunc ritum eo proceſſerint crudelitatis Gentiles, ut homines quandoque piacula facere, nonnunquam anathemata eoſque diris omnibus ad necem uſque proſequi non dubitarent, ſine dubio diaboli fraude & malitia factum eſt erga genus humanum, qui miſeris illis hominibus in mentem dedit, bruta pretii vilioris hoſtias eſſe nec a Deo magni æſtimari, hominem autem utpote digniſſimum animalium, piaculum Deo gratiſſimum eſſe, eumque munere tam eximio donatum iram depoſiturum & in gratiam cum offerentibus certo rediturum. Opportunum hic Plutarchi (114) teſtimonium, qui Gallos & Scythas crediſſe refert, Θεὺς ἔιναι χαίροντας ἀνθρώπων σφαττομένων ἅιματι ϗ ταύτην τελεωτάτην θυσίαν. *Deos mactatorum hominum ſanguine delectari & perfectiſſimum eſſe hoc ſacrificium.*

XXXIV. Reſtat finis, quem piacularibus hiſce ſacris intendebant. Ille autem ex dictis maximam partem jam eluxit. Habebant enim perſuaſiſſimum Deos ſuos hominum peccatis ad iram provocari, & ex ira illa calamitates qua publicas qua privatas omnes oriri. Hinc peccati, conſcientia, tot prodigiis, ominibus, terribilibus Deorum formis vel triſtibus ideis iræ divinæ vel mali alicujus impendentis aut præſentis perterrefacti, illico ad καθάρσια ſacra luſtralia, februa & conſuetas ejuſmodi ceremonias convolabant, certa ſpe freti, hoc pacto peccata deleri & quævis mala averti. Neque illa tantum brutorum & aliarum rerum, ſed hominum oblatione ac devotione peragebant. Præcipue vero in magnis publiciſque calamitatibus ad luſtrationes ejuſmodi per piacula humana faciendas properabant, quales ſunt peſtis, bellum, annonæ caritas & ſimilia, ut hactenus hiſtoria docuit.

XXXV. Tantum de catharmatis ac peripſematis. Plura qui deſiderat, legat Autores, qui de ἀνθρωποθυσίᾳ & Victimis humanis in genere ſcripſerunt, & præter Stuckium. Joh. Lomejerum, Gerard. Voſſium, ſupra citatos, evolvat etiam Serarium (115) & quos ille citat, Schedium de Diis Germ. (116) Seldenum de Diis Syris, (117) Lilium Gyraldum, (118) Alexandrum ab Alexandro, (119) Juſtinum, (120) Majolum, (121) Suetonium, (122) Julium Cæſarem (123) & plures alios. Noſtri enim inſtituti non fuit in tam ſpatioſum campum evagari, quibus id unice propoſitum fuit ritum luſtralem per piacula humana, quæ catharmata & peripſemata dixerunt, apud Græcos maxime frequentatum, ex verbis Pauli potiſſimum oſtendere, probare & exemplis tum domeſticis tum alienis etiam illuſtrare. Nos vero tanquam Chriſtiani, meliora docti claudimus verbis D. Apoſtoli Johannis Apoc. I. v. 5. 6.

Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς ϗ λὐσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τ῀ ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ ἅιματι αὐτȣ̃. ϗ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς ϗ ἱερεῖς, τῷ Θεῷ ϗ Πατρὶ αὐτȣ̃· Αὐτῷ ἡ δόξα ϗ τὸ κράτος εἰς τὺς αἰῶνας τ῀ αἰώνων· Ἀμήν.

# NOTÆ.

(1) *In Clar. ad vocab.* ἀνάθ.
(2) *In Theſ. Lingu. Gr.*
(3) *In Schol. ad h. l.*
(4) *In Orat. Demoſth. de ſalſ. Legat.*
(5) *In Gloſſ. compend. in N. T.*
(6) *Vindic. ad h. l.*
(7) *H. N. lib. XXXII.*
(8) *In Annot. ad h. l.*
(9) *In Crit. S. N. V.*
(10) *Libr. de Pudic.*
(11) *De Collat. N. T.*
(12) *Exercit. Sacr. ad N. T.*
(13) *In Comment. ad h. l.*
(14) *In Annot. ad N. T.*
(15) *In Lexic.*
(16) *In Comm. ad h. l.*
(17) *In Gloſſ.*
(18) *In Comm. ad h. l.*
(19) *In Not. ad h. l.*
(20) *In Adverſ.*
(21) *Lib. VI. c. 2.*
(22) *In Antiquit. Bibl.*
(23) *In Lex. p. 542.*
(24) *Loc. cit.*
(25) *In Vol. Diſpp. ſuper Epiſtolas ad Corinth.*
(26) *In Clav.*
(27) *In Philolog. S. lib. V. T. I. c. X. p. 179.*
(28) *In Schol. ad Bibl. Vulg.*
(29) *In Plut. p. 48.*
(30) *P. 153.*
(31) *In Lexic.*
(32) *In Orat. pro Coron. c. Med.*
(33) *In Cteſiph.*
(34) *In Polymn.*
(35) *In Acharn. p. 373.*
(36) *De ſimil. & diverſ. vocibus.*
(37) *In Id eſt.*
(38) *In Not. ad I. c.*
(39) *In Clav.*
(40) *Tom. I. Diſpp. Acad. p. 254.*
(41) *In Agoniſticis.*
(42) *In Præl. Theol. Lect. VI.*

(43) *In Annot. ad N. T.*
(44) *In Serm. IIX. ad ps. CXVIII. Beati immaculati juxta nos CXIX.*
(45) *In Augustin. de Civ. D. Lib. II. c. 17.*
(46) *In Annot. ad Pand. de poen.*
(47) *De Sacrif. p. 79. 148. 149.*
(48) *De Sacrif. c. XI. p. 148. seqq.*
(49) *Lib. II. Idol.*
(50) *Var. Histor. Lib. III. c. XXXIII.*
(51) *Odyss. X. p. 1935. 16.*
(52) *Hist. Lib. VII.*
(53) *In Annot. ad Pand.*
(54) *Ad lib. d. & III. Æn.*
(55) *Lib. L. A. Lib. XII. c. 12.*
(56) *Voce Sacer.*
(57) *Act. I. Sc. II. c. 1.*
(58) *Sub nom. Vernas. c. 1.*
(59) *Ran. Act. II. Sc. VI.*
(60) *Thebaid. X.*
(61) *Lib. III. Epist. IX.*
(62) *L. c. cap. CVI.*
(63) *P. 1935. 16. Ed. Ven.*
(64) *O. D. A. 238. 236.*
(65) *H. E. Lib. IV. c. 8. lib. V. c. 5.*
(66) *In Apol. c. XXVII. XXXVI. XLV.*
(67) *Val. Max. lib. V. cap. 6.*
(68) *Athen. dipnos. lib. XIII.*
(69) *L. c.*
(70) *In Phæssis.*
(71) *In Orat. de fals. Legat. ex Philochoro.*
(72) *Pelop. p. m. 462.*
(73) *Pro P. Sextio p. m. 657. & l. III. de N. D.*
(74) *De Sacrif. Disp. IX. th. 42.*
(75) *Oper. T. I. de J. Primig. Qu. XVII. Opin. I.*
(76) *Lib. IIX. c. IX.*
(77) *Lib. X. 28. Val. Max. lib. V. c. VI. numer. 5. 6.*
(78) *Lib. VII. cap. VI. Val. Max. l. c. & Joh. Zonaras Annal. Tom. II. p. 63.*
(79) *Cap. 27.*
(80) *Lib. II. vs. 120. 128. sqq.*
(81) *Ap. Cæl. Rhod. A. L. Lib. VI. c. 12.*
(82) *L. 4. Messen. p. 152.*
(83) *Lib. VI.*
(84) *Var. Hist. lib. IIX. cap. 18.*
(85) *L. c.*
(86) *Lib. II. c. 39.*
(87) *De Iside & Osiride.*
(88) *Ap. Clar. Buxtorf. Synag. c. XXV.*
(89) *De Canon. lib. IV.*
(90) *Not. in lib. II. Thebaid.*
(91) *De Sacrif. c. XVIII. p. 439.*
(92) *Ad Act. XIV. 13.*
(93) *Crestomach. Lib. III. apud Photium in Bibliotheca.*
(94) *Chil. V. c. 23.*
(95) *In Jambis.*
(96) *In Loeride.*
(97) *Didasc. c. XVIII.*
(98) *Lib. IV. c. 22. Lect. Ant.*
(99) *De Dea Syr. p. 1076.*
(100) *Geogr. lib. X.*
(101) *Alex. ab Alex. D. G. Lib. VI. cap. 26.*
(102) *In vit. Apoll. lib. IV.*
(103) *Carm. in Ibim.*
(104) *Ad supr. cit. loc. Statii.*
(105) *De Sacrif. c. XXVII.*
(106) *De Lustr. V. G. c. XXII. p. 206.*
(107) *Lib. III. Bell. Pelop.*
(107) *Lib. III. cont. Marcion. p. 71.*
(109) *T. II. Serm. de Resurr. p. m. 91. D.*
(110) *C. IV. §. 2. VI. §. 4.*
(111) *Saturnal. l. III. c. 7.*
(112) *L. c.*
(113) *De Legibus Hebræorum Ritualibus Dissert. VIII. cap. I. II. & sqq.*
(114) περὶ δεισιδαιμ.
(115) *In Judic. c. XI. qu. XVII.*
(116) *Syntagm. II. c. 31. sqq.*
(117) *Synt. I. c. VI. Synt. II. c. I.*
(118) *Hist. Deor. Syntagm. XVII.*
(119) *D. G. l. VI. c. 26.*
(120) *P. II. Colloq. 1. p. 41.*
(121) *L. XXIX. c. 1. EXVI. 1.*
(122) *Calig. c. XIV. XXVII.*
(123) *Lib. VI. de B. G. c. XVI.*

THEO-

# THEOPHILI ROSER DISSERTATIO DE DAGONE PHILISTEORUM IDOLO.

IDola, quæ variis a SS. Scriptura nominibus celebrantur, non infrequens est, ut vocentur אלילים Quod verius de ipsis testatur nomen, ac persuasi esse eorum cultores solent. אלילים enim *vanitates* sive *nullitates* significare, præterquam quod Vossio de orig. & prog. Idololat. l. I. c. 3. placuit, non alienum est a Buxtorffio, qui ad eum significatum verba Apostoli ( I. Cor. VIII. 5. ὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ ) accommodat. Nec obscure huic favet, quod celebris Judæorum biga, רלב״ג & רדק, ille ad Job. XIV. 4. hic ad Jerem. XIV. 14. ea de voce traditum reliquerunt. Ita enim Levi: אליל מלה נגזר מן אל וענינה הבל *Vox* אליל *descendit ab* אל, ne vel non, *& significat vanitatem*. Kimchius vero: אליל הוא דבר שאינו i. e. אליל *notat rem nobili*, sive quæ non est, aut futura non est, qualiter esse vel futura putatur. Jam idola res ejusmodi vanas ac nihili, neque, ut laudatus Vossius loquitur, *Numina esse, aut vim Numinis habere*, insigniter prodidit, hæc de illis fatus, Psalmista ( Ps. CXV. ) עצביהם כסף וזהב מעשה ידי אדם פה להם ולא ידברו עינים להם ולא יראו אזנים להם ולא ישמעו אף להם ולא יריחון ידיהם ולא ימישון רגליהם ולא יהלכו לא יהגו בגרונם: Sane si miserabilem illam Dagonis cladem, quam perpessus ob arcam Domini fuit, perpendas, magnam omnino deprehendes vanitatem. Vanitatis est, quod sede sua decidens, reverti ad illam non potuit: quod a suis admiratoribus ipsi redditus iterum terram petiit, capite manibusque avulsis. Quæ posteriora erudite Sanctius in I. Reg. s. Sam. V. descripta dedit: *Manet igitur*, inquiens, *Dagon truncus ante arcam in templo, sicut hostis captivus, & armis atque ornamentis exutus ante victorem Dominum. Ornamenta & arma ducis, ac principis caput sunt, & manus; illud enim corona redimitur; hæ arma tractant, utrisque spoliatus jacet in terra. Et dum seorsum spectas caput, & manus, id plane doceris, nihilo in illo esse, quod suspicias & ames; nihil quod timeas, aut etiam speres ab eo, qui manus non habet, neque caput*. Hunc ipsum Dagonem brevi dissertatione ad institutum persequuturus, nonnulla ἐκ θεοπνεύστων producam. Continentur autem I. Sam. V. versf. 2. 3. 4. ויקחו פלשתים את-ארון האלהים ויבאו אתו בית דגון ויציגו אתו אצל דגון וישכימו אשדודים ממחרת והנה דגון נפל לפניו ארצה לפני ארון יהוה ויקחו את-דגון וישבו אתו למקומו וישכימו בבקר ממחרת והנה דגון נפל לפניו ארצה לפני ארון יהוה וראש ושתי כפות ידיו כרתות אל המפתן רק דגון נשאר עליו: V. V. *Tuleruntque Philistiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini, & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant supra limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo*.

## §. I.

QUI de Dagone scripserunt Auctores; id præcipue egerunt, ut Nominis primo origiuem, deinde simulacrum ejus inquirerent. Horum & ego vestigiis insistam, & quæ cum de nomine, tum figura Dagonis habeantur, afferam ante, quam cladem ipsius, qua caput ac manus factam, incipiam exponere. Duæ vero de nomine se opiniones offerunt: una, qua Dagon explicatur per Σιτών ex Hebr. דגן quod *frumentum* significat; propterea, quod frumenti & aratri repertor, ejusque præses creditus fuerit. In qua sententia citatur Eusebius a Corn. a Lapide, Philo a Seldeno, Synt. de D. S. 2. cap. 3. nec non Vossio d. l. I. cap. 22. ab iisdemque deseritur, concedentibus in alteram, quæ Dagon a דג, *piscem* notante, ar-

cessit.

cessit. Sed enim difficile videtur in alterutra harum ἐτυμολογιῶν consentire, nisi de simulacro ipso prius constiterit.

II. Rabbini in adsignanda huic Idolo figura non eodem modo procedunt, ceu Athanasius etiam Kircherus Tom. I. Oedip. Æg. synt. IV. cap. 16. §. 1. observavit. Nam R. Levi humanam ipsi tribuit, sic scribens: והנה הביאו הפלשתים ארון האלהים בבית ע״ז שלהם שהיה בהם צלם ע״ל צורת בן אדם שהיו קורין אותו דגון: *Et ecce duxerunt Philistæi arcam Dei in domum idoli sui*, ( Kircherus reddidit: *in domum servitutis alienæ*; minus congrue ) *quod erat penes illos* ( iterum Kircherus legit בה pro בהם sensu parum idoneo ) *imago formam filii hominis referens, quam vocabant Dagon*. R. Salomo ad vocem דגון ita commentatur: צלם עשוי בדמות דג *esse imaginem ad similitudinem piscis factam*. Aliam quoque figuram adfert R. Abarbenel comm. ad h. l. אחז״ל שדגון היה צורת דג מן הטבור ולמעלה והיו ידיו ורגליו כצורת אדם: *Dixerunt*, inquit, *sapientes b. m. Dagonem habuisse formam piscis ab umbilico, qua superiora, & qua manus ac pedes humanam*. Tandem R. D. Kimchius, quem præ cæteris optime sentire Kircherus autumat, hæc de simulacro Dagonis exhibet: אמרו כי דגון מטבורו ולמטה היה צורת דג לפיכך נקרא דגון ומטבורו למעלה צורת אדם כמו אומר ושתי כפות ידיו כרותו׳ אל המפתן: *Ajunt, Dagoni infra ab umbilico suo fuisse formam piscis, propterea vocatur Dagon; & supra ab umbilico suo formam hominis; quemadmodum dicitur, & ambæ manuum ejus palmæ abscissæ super limine.*

III. Utut vero nullius harum sententiarum præ alterius adseri ex Scriptura probabilitas queat, quippe quæ *capitis* duntaxat ac *manuum* idoli meminit, quale fuerit caput, reticens; eam tamen, quam Kimchius laudavit, profani Scriptores, similia de Derceto sive Atergatide ( unius Deæ nomina dico. Vid. Strabo apud Seldenum & Kircherum ) perhibentes, probabiliorem reddunt. Isthanc scilicet, Phœniciæ & Babyloniæ Deam semiferam puellam, sive ut Græci vocant, μιξοπάρθενον fuisse, testatur αὐτόπτης Lucianus apud Seldenum modo allegatum: ἡμισέη, inquiens, μὲν γυνὴ, τὸ δὲ, ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος ἀποτείνεται. A quo non omnino dissentit Diodorus Siculus, ubi de statua ejus in Ascalone sacrata agens: τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος, scribit. Cum qua eumdem esse Dagonem, vel ipsa convenientia nominum videtur evincere. Atergatis enim ac Derceto pro vocabulis corruptis, ab אדיר דג Adirdag, quod *piscem* sonat *magnificum*, Seldeno & Kirchero habentur, Dagonemque ita dictum existimatur, non secus, ac Moloch a Sepharvaitis *Adramelech* sit vocatus. Quæ ratio etiam suadeat, ut malis Dagonem a דג nuncupatum. Cornelius quidem a Lap. Josephum, scribit, asseruisse, Dagon esse Dercetam; sed unde ille hauserit, nescio, cum ejus ne vestigium quidem apud Josephum, quem adduxerat, l. VI. Ἰουδ. ἀρχ. c. 1. appareat. Videri tamen potest loco Josephi Anton. Nebrissensis apud B. D. Glassium, Phil. S. l. V. tr. 1. cap. 16.

IV. Probabiliter itaque Seldenus, Kircherus, & cum illis a Lapide, Sanctius, Vossius tenent, Dagonem fuisse mixtæ speciei idolum, ex homine & pisci compositum, ad instar Nereidum ac Tritonum, formamque superne hominis obtinentem, in piscem desiisse. Quamvis Seldenus & Kircherus pedes caudæ adnectant: qualem in modum expressus apud hunc habetur. Addunt aliqui præterea, Dagonem nullum fuisse alium Deum, nisi Venerem: quod insinuasse videtur Herodotus, lib. 1. ubi tradit. Veneris templum apud Ascalonios omnium antiquissimum esse. Verba ejus integra adscribam, una cum interpretatione Vallæ: οἱ δὲ ἐπεί τε ἀναχωρέοντες ὀπίσω, ἐγένοντο τῆς Συρίης ἐν Ἀσκάλωνι πόλει, τῶν πλεόνων Σκυθέων παρεξελθόντων ἀσινέων, ὀλίγοι τινὲς αὐτῶν ὑπολειφθέντες, ἐσύλησαν τῆς οὐρανίης Ἀφροδίτης τὸ ἱρόν. ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἱρὸν ( ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω ) πάντων ἀρχαιότατον ἱρῶν, ὅσα ταύτης τῆς θεοῦ. Καὶ γὰρ τὸ ἐν Κύπρῳ ἱρὸν ἐντεῦθεν ἐγένετο, ὡς αὐτοὶ λέγουσι Κύπριοι. *Scythæ, ubi retrocedentes in urbe essent Palæstinæ Ascalone, bonaque parte Scytharum nullam injuriam inferente, pauci aliquot relicti Veneris Uraniæ fanum depecularunt, inter cætera ( quantum equidem scio ) vetustissimum. Siquidem quæ in Cypro est ejusdem Deæ ædes, ex hoc quod etiam ipsi Cyprii referunt*. Causa vero, cur Venus sub specie piscis culta, Cornelio hæc est: quod pisces instar Veneris luxurient, & mire prolificent, unde & ipsa dicatur e mari orta. Cujus ego aliis enarrationem relinquam.

V. Nunc enim, quid Dagoni acciderit, videndum. Advehi jusserant Israelitæ, ut eo alacrius cum hostibus, Philistæis, inire certamina, ac pugnare felicius possent, arcam Domini. Hujus licet præsentia territi, hostes arma tantum abest, ut projiciant, ut potius manu tractent ferventiori. Dimicant, cædunt Israelitas: arcam, nobilissimum il-

lud Israelitarum cimelium, sive, ut Abarb. vocat, עטרת ראשם *coronam capitis eorum*, Sacerdotibus interfectis, capiunt. Deferunt Asdodum in domum idoli sui, Dagonis, ipsique ὥσπερ τι λάφυρον, sicut Josephus loquitur, adponunt; sive, ut vult Abarbenel: היה זה בחשבם שהיו מכבדים את הארון: *cogitando, se arcam hoc ipso honoraturos*. Qua in re videas nonnulla vastissimo Philistæorum giganti, Goliatho soli a Chaldæo adscribi, verba ejus, quibus Israelem provocans seipsum extollit, 1. Sam. XVII. 8. הלא אנכי הפלשתי inquiens ita exponente: אנא הוא גלית פלשתאה דמן גת דקטליה תרין בני עלי כהני חפני ופנחס ושביתי ית ארון קימא דיי ואובילית יתיה לבית דגון טעותי: *Ego sum Goliath Philistæus ille oriundus ex Gath, qui occidi filios duos Eli, Sacerdotes, Hophni & Pineba, ac cepi capptivam arcam fœderis Domini, & portavi eam in domum Dagonis idoli mei*. Cum postero die ad templum suum revertuntur, inveniunt Dagonem: נפל לפניו ארצה לפני ארון יהוה ac velut Josephus ait, κατὰ τῆ προσκυνοῦντος τὴν κιβωτὸν σχῆμα κείμενον. Quia, ut Abarbenel loquitur, לא רצה האלוה ית׳ שיהיה הבעל אצל ארון הקדש: *nolebat Deus, ut Baal esset cum arca Sancta*. Ubi nolis participium נפל de *actu* accipere, ne sensus sit, tum cecidisse Dagonem, cum Asdodim venissent; sed potius de *termino actus*. Verbum namque Substantivum היה, quod hic deest, sub intellectum non necessario per *fuit*, vel *erat* vertendum est, sed optime *plusquam perfecti* significationem admittit. Chaldæus Paraphrastes non infeliciter expressit per רמי על אפוהי *projectus in faciem suam*; eumque sequutus Syrus, in Opere Biblico Anglicano, hunc in modum extulit: ܘܐܫܟܚܘܗܝ ܠܕܓܘܢ ܕܪܡܐ ܥܠ ܐܦܘܗܝ: & *invenerunt Dagonem projectum in faciem suam*; ejus procul dubio memores, quod non cecidisset forte fortuna, sed Deo auctore terræ jussus esset oscula figere. Asdodim autem, arbitrati fortassis, ut scribit Gersonides, שכבר היה זה על דרך המקרה לא מאת השי׳: accipiunt Dagonem, & in locum suum restituunt.

VI. Sequenti mane templum repetentes, iterum Dagonem לפניו ea corporis parte, qua facies vertebatur, ad terram coram arca prolapsum deprehendunt: וראש ושתי כפות ידיו כרתות אל המפתן רק דגון נשאר עליו: *capite manuumque palmis abscissis super limine positis, & Dagone solum coram ea (arca) relicto*. שלא inquit Abarbenel, יחשבו עוד שהיה במקרה היה מהנס: *Adeoque ne cogitarent amplius, id factum esse ex accidenti, ex hoc signo habuerunt*. Sanctius putat, e gravi collisione a trunco resiliisse manus & caput extra templum. Verum nihil hac opus est conjectatione, quum totum negotium divinæ subjacuisse actioni sciamus. Illud potius monendum, cum dicitur: וראש וגו׳ עד אל המפתן particulam אל per על exponi debere, qualiter etiam a Chald. Paraph. factum. Etenim frequentissime in Sacris hæ particulæ permutantur. Locum ex omnibus unum adducam, Jerem. LI. v. 12. אל־חמות בבל שאו־נס: Ubi Kimchius adnotat: במו על וכמוהו כתבנו רבים בזה הספר: *Idem valet* (nempe אל) *quod* על, & *huic similia multa notavimus in libro isthoc*. מפתן vero heic loci denotare האסקופ׳ התחתונ׳ ut Kimchi vocat, *inferius limen*, exinde palam fit, quando, ut Abarbenel ex vers. 6. scribit: על כן נשאר המנהג שלא היו דורכים כהני דגון על המפתן: *Propterea mansit consuetudo illa Sacerdotibus Dagon, ut non calcarent limen istud*. LXX. præter caput ac manuum palmas καὶ ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα, dicunt: quorum verborum ne ἴχνος quidem est in Hebræo advertere.

VII. Cur vero dictum demum sit, רק דגון נשאר עליו *tantum Dagonem coram arca sive ad arcam relictum fuisse*; varie iterum in explicando se gerunt Interpretes. Et Kimchius quidem, postquam de simulacro Dagonis disseruisset, ceu antea vidimus, subjicit; וזהו פירושו רק דגון נשאר עליו צורת דג נשאר עליו: *ac ita explicanda sunt verba*, Tantum Dagon &c. *tantum forma piscis relicta est*. Similiter Abarbanel: שזהו פירושו רק דגון נשאר עליו שנשאר עליו צורת דג: Qui tamen, vereor, ne sibi ipsi adversetur propter eam, quam recensuit, Dagonis formam. B. autem D. Glass. l. c. ad Synecdochen pertinere docet, qua Dagon pro parte ejus idoli sumatur. Cujus doctrinam commendant Chaldæus, Syrus & Arabs ita παραφράζοντες: לחוד גופיה אשתאר עלוהי: *tantum corpus ejus relictus est*. ܘܦܓܪܗ ܕܕܓܘܢ ܐܫܬܒܩ: & *corpus Dagonis relictum est*: وبقي جسمه & وحده في موضعه & *reliquum fuit corpus ejus solum in loco suo*. R. quoque Levi eamdem videtur amplexus, dum hæc verba explicaturus ait: רק הנשאר מדגון היה נשאר אצל ארון: *Tantummodo id, quod de Dagone remansit, relictum est apud arcam Domini*. Neque tamen spretum illud Kimchii interpretamentum volue-

luerim, quippe quod causam adhibitæ vobis רגנן haud improbabilem adsignat, nec a B. Dn. Glassio fuit posthabitum.

## ADDITAMENTA.

I. Quod in aliis Philistæorum urbibus reliqui etiam Dii præter eum, qui Asdodi erat, eadem vel simili pœna sint adfecti, Cornel. a Lap. ex 1. Sam. VI. 5. probat: unde tamen vix quidquam probari posse videtur.

II. Utrum Abarbenelis ad petitionem Elisæi 2. Reg. II. 9. commentatio genuina sit, non abs re suspiceris. Ita enim eam explicaturus ait: נראה שאלישע לא שאל מאליהו כפלים מרוחו לא בנסים ולא בנבואה לא ממנו ולא משאר הנביאים כי היה זה ביד השם ית׳ והוא יהב חכמתא לחכימין ולא היה ביד אליהו לשיבקש עליו אלישע ממנו וגם כי היה זה אליו עזות גדול ומצח אשה זונה היה בחיותו מבקש מרבו מעלה עליו אבל ענין המאמרים ובקשת הנביא היה בדבר אחר והוא שאין ספק שאלישע עזב את אביו ואת עשרו והלך אחרי אליהו וישרתהו כי היה בעיניו דברי אליהו נחמדים מזהב ומפז רב וכאשר אליהו הודיעו שהשם ית׳ היה לוקח אותו מעליו ולא יראהו עוד נגע לו ראלישע עד נפש והיה נפשו מרה לו על אבדת חברת אליהו ועל העדר שמיעת דברי האלקיים ולזה אמר לו אליהו כדי לנחמו שאל מה אעשה לך בטרם אלקח מעמך ר״ל האם תרצה שאשים פי על פיך ועיני על עיניך ומה אעשה לך להתנחם על פרידת אהבתך ואלישע אמר ויהי נא פי שנים ברוחך אלי ר״ל עד עתה היינו אני ואתה יחידים והיינו מדברים תמיד בדברי תורה ובדברי אלהות וחכמה רבה ואיש אין אתנו כי אם שנינו אנחנו בשם והיה זה אלי בחמה גדולה ומעלה נפלאה ועתה איכה אעשה לעצמי בהפרדך יהי נא חסדך שאותו פי שנים שהיה בינינו במא שהיינו מדברים עד עתה אני ואתה יה׳ה מכאן והלאה ברוחך אלי שרוחך טובה בחלום חזיון לילה או בהקיץ ידבר עמי ונדבר שנינו אנחנו כאשר בתחלה וזהו ויהי נא ר״ל עתה אחרי לקיחתך יהי נא פי שנים ר״ל השנים שהיינו עד עתה מדברים מפה אל פה יהיה מכאן והלאה ברוחך שיבא רוחך לדבר עמי פעמים כאשר היית אתה מדבר עד כה: *Videtur, quod Elisa non petierit ab Elia duplicia de Spiritu ejus, nec in prodigiis, nec in Prophetia, neque præ ipso, neque præ aliis Prophetis, quia id fuit in potestate Dei benedicti, qui dat sapientibus sapientiam* (Dan. II. 21.) *Secus vero in potestate Eliæ fuit, ut propter hoc sollicitaret eum Elisa. Accedit, quod incurrisset in magnam impudentiam, notamque frontis meretriciæ, si postulasset a Magistro suo, in quo ipsum antecelleret. Verum in alio versatur sermo ac petitio Prophetæ, eoque hoc: quia extra dubium est, quod Elisa reliquerit Patrem suum, ac divitias suas, & secutus sit Eliam, ipsique famulatus, cum verba ejus pretiora coram eo essent, quam &c.* (Ps. XIX. v. 11.) *Posteaquam autem Elias ipsi manifestavit, Deum benedictum se ablaturum esse ab illo, ne amplius videat, tetigit ipsi animam, & contristata fuit acerbe anima ejus ob amissionem consortii Eliæ, & carentiam auditionis rerum divinarum. Idque propter ipsi dixit Elias, quasi consolaturus eum; pete, quid faciam tibi, antequam a te auferar. q. d. an vis, ut ponam os meum supes os tuum, & oculos meos super oculos tuos; Quid faciam tibi, quo solari teipsum possis super amicitiæ tuæ distractione? Atque Elisa respondit, sit quæso &c. q. d. hucusque ego & tu fuimus soli, colloquuti assidue de rebus Legis, de divinis, & sapientia magna, fuitque nemo nobiscum nisi nos ambo in nomine Domini. Quod mihi insigne solatium attulit, ac miram conciliavit dignitatem. Jam vero qui me geram, dum separaris? Fiat quæso gratia tua, ut istud os duorum, quod inter nos fuit, quando colloquuti sumus ego & tu hucusque, deinceps amplius per spiritum tuum mihi obtingat, ut spiritus tuus bonus in somnio visione nocturna, aut si vigilavero, loquatur mecum, & colloquamur ambo, sicut ab initio. Ac illud est, sit quæso, q. d. nunc post ablationem tui sit quæso os duorum q. d. duo illi, qui fuimus in hoc usque tempus coram colloquuti, continuetur quoque deinceps, ut veniat spiritus tuus locuturus quandoque mecum, quemadmodum hactenus locutus fuisti.*

III. Non propterea, quod Persona in conceptu suo dicit incommunicabilitatem, excludi potest a tatione Universalis.

IV. Si ens per accidens est, *quod resultat ex duobus entibus completis;* quid dicendum, ubi *plura duobus* adsunt?

V. Minus bene Keckermannus (Comp. Syst. Met. c. 8. p. 56.) *Male*, inquit, *Metaphysici causam ab initio statim dividunt in 4. genera, nempe in efficientem, materialem, formalem & finalem, cum materia & forma non sint causæ generales omnis entis, sed tantum certi entis, nempe corporei. Oportet itaque præmittere causam producentem, sive efficientem, & causam determinantem, sive finalem, tanquam causas competentes omni enti, qua ens est.* Simili modo possemus concludere: efficiens non est causa generalis omnis entis. E. male etiam causa divi-

ditur in efficientem; nisi Kekermannus per omne ens intelligeret entia creata. Etenim pag. 58. Deum *ex ordine entium* eximit. Verum posito per impossibile, Deum in numero entium non contineri: posito quoque, ut scribit pag. 54. *de causa in Metaphysicis tractari, quatenus sit ordo inter ens & ens, adeoque quatenus sit proprietas & modus entis*; nihil tamen consequentiæ obtinebit. Scilicet ex eo enarratam divisionem judicat *malam*, quod quædam membra dividentia, materialiter accepta, utpote causa materialis & formalis, non ita se habent, ut reliqua, materialiter itidem accepta, causa videlicet efficiens & finalis. Ast neque illud requirebatur, ut sic divideretur causa. Quod enim *causa efficiens ac finalis omni enti* (i. e. tam spiritui creato, quam corpori. Loquor ex hypothesi Auctoris) *competunt*, hoc nihil ad materiam & formam, prout illæ in divisione causæ spectantur: nihil ad causam in communi, *quam efficiens ac finis omni enti competentia*, ut sic, non dividunt.

# SALOMONIS DEYLINGII DISSERTATIO DE FLETU SUPER THAMMUZ.

I. Gentes divinioribus sacris non initiatas multa cum selecto Dei populo communia habuisse, extra dubium esse arbitror. Plurima enim ex sacris monimentis desumserunt, & in suas, quas vane excogitaverunt, fabulas transtulerunt. Quod eo minus mirandum est, quo plura cum cœtu diviniori colloquia, mutuaque commercia habuerunt. Miraculorum certe celebritas, quæ terrarum orbem percrebuit, neminem latere poterat. Nec mirum, si ab ipso Cacodæmone callido nugarum architecto quædam acceperunt. Nihil etenim majori molimine agit, quam ut veritati nebulas offundat, cœlestemque doctrinam suspectam reddat atque exosam. Hinc veteres rudem & indigestam creationis molem tot involucris atque figmentis immerserunt, ut alii chaos, alii noctem, alii abyssum, alii tenebras, alii aliter appellarent. Quantis fabulis Paradisum involverint, ex campis Elysiis, horto Adonidis, aurea ætate & sexcentis aliis, quæ Poetarum carminibus pervulgata sunt, apparet. (1) De septenarii dierum cycli origine & observatione, quæ πάνδημος καὶ τῦ κόσμυ γενέσιος fuit, multa dicere possem, nisi tam multa ab eruditissimis viris disputata essent. (2) Ex sacris literis desumta sunt, quæ Lucianus (3) de magna Deucalionis arca commemorat, quam ex omnium animantium genere ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα, bina quæque introivisse tradit. Totam ferme Noachi historiam Bacchi figmentis involutam videas. Mandatum de mactando Isaaco abominandam τεκνοθυσίαν peperisse videtur. Josuam Israelitarum Principem sub nomine Apollinis & Pythonis latere, & quidquid apud Delphos de tripode, oraculo, vel ipso templo illustre erat, ab Hebræis fuisse desumtum Edmundus (4) Dickinson demonstravit. Quid Jupiter nisi Jovispiter, id est Ιαὼ πατὴρ, sive ιαὺ πατὴρ, Jehova Pater? Pertinet huc Apollinis Clarii oraculum:

> Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεναι
> Ιαώ.

Græci quippe יהוה per ιαὺ & ιαὼ itemque per ιὲ, ιευὼ, ιαυὲ & per ΠΙΠΙ exprimebant, qua de re Bochartus (5) & Dickinson (6) peregregie disputant. Ex eodem fonte suum ἰάζ & ιαὼθ eos hausisse Seldenus (7) arbitratur. Musæus apud Justinum Martyrem diserte affirmat, verbo Dei, quod Αὐδὴν appellat, cœlum, terram, omniaque esse effecta. Dei nomen אהיה אשר אהיה, quod Græci exprimunt per ὢν, Plato cognovisse videtur,

tur, quia Deum, si Justino Martyri (8) credimus, τὸ ὢν appellavit. Quemadmodum cœtus divinior כהן גדול summum Pontificem, & כהנים הדיוטים inferioris ordinis sacerdotes, quales fuerunt omnes בני אהרון filii Aaronis, habebat: ita aliæ gentes sacra hæc imitantes sacerdotem summum & inferioris ordinis sacerdotes, quorum alii *παραβώμιοι*, alii *πυρφόροι*, alii *σπονδὴν φορέοντες* a muniis appellabantur, sibi constituebant. Summus apud Ægyptios Pontifex de collo imaginem ex sapphiro ΑΛΗΘΕΙΑΝ dictam gestabat, quam caussas cognoscendi auspicium fuisse ex Æliano & Diodoro Siculo Spencerus (9) atque Witsius (10) tradunt. Inter diversas inferiorum sacerdotum τάξεις erant *προφῆται*, *ἱεροστολισταὶ*, *ἱερογραμματεῖς*, *ὡρολόγοι*, *νεωκόροι*. Unicuique symbolum erat ejus ordinis, quem obtinebat. Dii Deæque gentilium, non secus ac verus Deus Israelis sua habuerunt tabernacula & fana. Sicut tabernaculum Dei *ἱερὸν φορητικὸν* & portatile fuit, ita gentiles *σκιάσματα* & *ναοὺς ζευγηφορουμένους* habuisse ex Philone Byblio apud Eusebium Joannes Braunius (11) docet. Ex celebri illo Jacobi de Christo vaticinio & voce שילה, quam Servatori tribuit Patriarcha, Sileni fabulam detortam esse, eruditissimi Viri Bochartus (12) & Huetius (13) solerter atque acute viderunt. Ex quibus patet, τοῖς ἔξω plurima ex sacris literis desumsisse.

II. Quot gentiles ritus e purioribus Judæorum sacris suffurati sunt, tot *βδελύγματα* impiosque Deorum alienorum cultus & cerimonias ex gentilium sacris desumserunt Judæi. Mirandum omnino est, gentem præ ceteris a Deo dilectam, innumerisque beneficiis ornatam, eo dementiæ prolabi & tam fœdis ritibus immergi potuisse? Israelitæ enim ex Ægypto egressi & in locis desertis per quadraginta annos coelitus nutriti in terram omni abundantia affluentem deducti sunt. Luculenta hic denuo divini amoris documenta ipsis fuerunt exhibita. Quemadmodum autem hæc gens contumax, & non raro extra omnes humanitatis leges projecta erat, ita recta Deum colendi ratione abjecta, ad falsos Deos, quos Scriptura divinior גלילים *stercoreos* passim appellat, & ad ritus ab ingenio excogitatos deficiebat. Argumento sunt vituli aurei ab Aarone primum *εἰδωλομανοῦντος* populi jussu, deinde a Jeroboamo conflati. Ab Ægyptiis procul dubio didicerant, a quibus Apidem atque Mnevim sacros boves pro Diis cultos fuisse, Strabo (14) memoriæ prodidit. Quod veritati tanto magis est consentaneum, quanto facilius aliarum gentium mores induisse. Israelitæ commemorantur. Detestabilis mos erat apud populos extra cœtum diviniorem constitutos, ut homines Diis immolarent. Qui *ἀνθρωποθυσίας* & *παιδοκτονίας* ritus tametsi ab omni humanitatis ac honestatis lege alienissimus erat a Judæis tamen recipiebatur, qui liberos Molocho non februandos, uti Maimonides (15) aliique existimant, sed comburendos dabant. (16) Nam per ignem transire & per ignem comburi, idem esse, ex Jeremiæ cap. VII. 31. collato cum capite XXXII. 35. patet, ubi להעביר & לשרוף inter se permutantur. Crudelissimam impietatem hanc ex Philone Byblio, Sanchuniathone, Porphyrio, Sophocle, Curtio, Platone, Plutarcho aliisque amplissime probavit Grotius. (17) Idoli imaginem Kircherus (18) atque Braunius (19) exhibent. De cultu Baalis, Astharoth, Remphan nihil subjungimus, quia ex iis, quæ commemoravimus, satis intelligi potest, Israelitas insuper habito Dei præcepto *τοῖς εἰδωλολατρείας βόθροις*, ut Cyrillus Alex. (20) loquitur, in crassæ idololatriæ voragines se præcipitasse, nec pauca ex superstitione gentilium imitatos esse.

III. Assertioni impræsens fidem faciemus ex pervulgata illa Judæorum impietate & planctu super Thammuz. Celebris ille & vexatissimus apud Ezechielem (21) locus, ita se habet: ויבא אתי אל פתח שער בית יהוה אשר אל הצפונה והנה שם הנשים ישבות מבכות את התמוז׃

*Jonathanis interpretatio.*

ואעיל יתי במעלנא דתרע בית מקדשא דיי דפתיח לצפונא תמן נשיא יתבן מבכן ית תמוזא.

*Versio Syriaca.*

ܘܐܥܠܢܝ ܠܡܥܠܢܐ ܕܬܪܥܐ ܕܒܝܬܗ
ܕܡܪܝܐ ܕܠܓܪܒܝܐ. ܘܗܐ ܬܡܢ ܢܫܐ
ܝܬܒܢ ܗܘܝ ܘܒܟܝܢ ܠܬܡܘܙܐ.

*Versio LXX. Interpretum.*

Καὶ εἰσήγαγέ με ἐπὶ τὰ πρόθυρα τῆς πύλης οἴκου κυρίου τῆς βλεπούσης πρὸς Βορρᾶν. καὶ ἰδοὺ ἐκεῖ γυναῖκες καθήμεναι θρηνοῦσαι τὸν θαμμοῦζ.

Vul-

*Vulgata.*

ET introduxit me ad ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem.

IV. Ante omnia exponemus, quomodo cum verbis quæ antecedunt, comma hoc cohæreat. Toto autem capite impiæ Ægyptiorum superstitiones describuntur, quas hoc cumprimis tempore ob rationes politicas suamque utilitatem Judæi avide amplectebantur. Et primo quidem Deus כמראה אש & sub ignis symbolo apparuit v. 1. 2. quo tum ardentissimus ejus in pios amor, tum fervidissimus in impios furor indicatur. Recensentur deinceps Judæorum flagitia & superstitiones, quibus sanctissimam Dei domum conspurcarunt. Ostendebatur enim Prophetæ סמל הקנאה המקנה simulacrum æmulationis, quo velut adulterio spirituali ad æmulationem & zelotypiam Deus provocabatur. Ubi illud admiratione dignum est, quod ipsi Seniores in populo, זקני בית ישראל v. 12. septuaginta viri magni synedrii impiis ritibus dediti, cultum vero Deo debitum idolis exhibuerunt. Sed levia hæc videri possunt præ illis abominationibus, quæ paullo post Vati fuere ostensæ. Sedebant enim mulieres & flebant Thammuz. Quis תמוז fuerit in sequentibus declarabitur. In præsens circumstantias tantum adnotabimus. Gesta hæc sunt ad portam בית יהוה nempe in templo Hierosolymitano & ad illam quidem portam אשר אל הצפונה quæ septentrionem spectabat nec ita procul ab altari aberat, ubi sacrificia mactabantur, & victimarum sanguis ut plurimum effundebatur. Sedebant non in atrio suo, hoc namque ad orientem templi erat, sed ad portam aquilonarem mulieres istæ, מבכות flentes, qua voce luctus ob defunctum, & ἐπικήδεια καὶ ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν indicantur, quales lamentationes ob Regum magnorumque Principum obitum fieri solebant, quemadmodum id threni in mortem Regis Josiæ compositi, ut a mulieribus lamentatricibus atque præficis decantarentur, satis superque declarant. Conf. 2. *Chron.* XXXV. 25.

V. Quid Thammuz sit explicatu perdifficile est. Dissentiunt inter se interpretes, plurimique ex iis rem per se satis obscuram involuunt magis, quam explicant. Opus certe est periculi æque ac laboris plenissimum, altius paullo rem totam repetere, eandemque uti par est, ex rerum monimentis eruere velle. Requiritur enim, ut quis doctrinæ Ægyptiorum & superstitionis Græcorum atque Phœnicum apprime sit gnarus, & in promtu habeat illorum temporum historias & ritus circa sacra, ut videlicet omnibus præsidiis ex antiquitate studiose collectis solidi aliquid & veri concludere possit. Neque existimandum est, laborem qui rebus hisce investigandis & perquirendis impenditur, inutilem esse planeque sterilem. Quo altius etenim omnis disputatio arcessitur, hoc incundior & utilior esse debet, vel ideo, quia una eademque opera illustris & difficillimus Scripturæ divinioris locus explanatur.

VI. In enucleanda voce, cujus scriptio valde ambigua est, primo omnium occupabimur. Scribitur תמוז a LXX. Interpretibus Θαμμοῦζ, ab aliis Θαμύζ, Herodotus & Plutarchus legunt Ἀμμοῦν, nonnulli teste Hottingero, (22) Thamur & Thamut. Apud Platonem scribitur Θαμοῦ, s vel z omisso. In definienda nominis origine magis adhuc inter se dissentiunt eruditi. Græculi vehementer errant, quando voci Ἀμμοῦν articulum τὸ additum esse fingunt, ut Thammuz quasi τὸ Ἀμμοῦς, id est εἴδωλον, vel δαιμόνιον sit. Nihil enim תמוז cum græco sermone commune habet, nec ortum Græciæ debet. Majori veritatis specie a verbo תמד *perpetuus fuit* derivari posset. Nam exinde est תמיד *semper*, & sacrificia singulis diebus in templo Hierosolymitano offerri solita תמידים jugia & perpetua appellabantur. Ut de pervulgata literarum ד & ז permutatione nihil subjungam. Qua ratione תמוז Deum æternum & perpetuum denotaret. Reinesius (23) Thammuz idem nomen ac Σαλαμβὼ vel Σαλάμβας esse putat. Nobilissimus Marshamus (24) Thammuz dici existimat a Chamo, mutato χ in θ, cum vetustissimus Ægyptiorum Rex & Deus fuerit חם Chamus filius Noæ, unde Jupiter Hamon apud Ægyptios, & ipsa Ægyptus Χημία *terra Chami* dicta videtur. Ad confirmandam sententiam ad locum Platonis in Phœdro provocat. Nos in Ægypto vocis originem quærendam esse arbitramur. Fuit in Ægypto familia nomine Thammuz nota usque ad tempora Imperatoris Tiberii, uti ex Plutarcho de oraculorum defectu constat. Discimus insuper ex Platone, (25) Thammus regem totius Ægypti fuisse: Βασιλέως τότε ὄντος Αἰγύπτου ὅλης ΘΑΜΟῦ περὶ τὴν μεγάλην πόλιν τοῦ ἄνω τόπου, ὃν οἱ Ἕλληνες Αἰγυπτίας Θήβας καλοῦσι καὶ τὸν Θεὸν Ἄμμωνα. Non commemorabo, quod nonnulli existiment, Pharaonem qui in mari

ri rubro periit, Thammuz fuisse dictum. Reges Ægyptiorum alios Tethmosis & Temosis dictos, imo ipsum Mosen Tethmosin appellatum fuisse, Huetius (26) observavit. Nos in pervestiganda nominis origine prolixo verborum circuitu non utemur, sed Manethonis (27) Sebennitæ, qui & Ægyptius fuit, & Ægyptiorum linguam ignorare non potuit, auctoritatem sequuti, Αμοῦν ab occultando dici suspicamur. Μανεθὼς ὁ Γεβεννίτης τὸ κεκρυμμένον οἴηται, καὶ τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς. *Manethos Sebennita existimat hanc vocem notare absconditum & occultum*. Nam in scala magna linguæ Copticæ a *K*irchero edita ταμετ notat absconsionem, & ἐφσταμηετ Coptis est *absconderunt*. Accedit Hecatæi Abderitæ suffragium apud eundem Plutarchum, (28) qui πρῶτον Θεὸν *principem Deum* ἀφανῆ καὶ κεκρυμμένον invocatum fuisse adfirmat. (29)

VII. Quæ derivandi ratio quo magis cum Ægyptiorum sacris convenit, hoc minus est rejicienda. Pleraque enim fabulis occultabant, Plutarcho (30) teste, καὶ λόγοις ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν, *sermonibus obscura veritatis indicia & argumenta habentibus proponebant*. Ante delubra sphingas constituebant, innuentes αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς Θεολογίας, sacra sua perplexa esse, & sapientia sub involucris latente constare. Quin etiam Poetas δι᾽ ὑπονοίας *per arcana sensa*, sive ἀλληγορίας, ut Plutarchus in libro quomodo legendi sint Poetæ interpretatur, philosophari & Ægyptiorum consuetudinem sequi, Clemens Alex. (31) auctor est. Isidis fanum hanc habebat inscriptionem: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον. καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Ego sum omne quod existit, est, & erit: meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit*. Quam belle hæc cum sacris literis conveniant, ubi Deo vero talia attribuuntur, facile apparet ex I. Reg. VIII. 12. Exod. XXXIV. V. 20. Es. XLIV. 6. & XLV. 15. I. Tim. VI. 16. Pseudo Athenagoras Deum fuisse dictum ΚΝΕΦΑΙΟΝ diserte adfirmat, quia nec oculis videri, nec animo comprehendi posset. Quæ vox tametsi obscurum & tenebricosum significat, nolumus tamen in eorum discedere sententiam, qui in Græcia ejus originem quærunt, & vel a κενὸς φάους, vel a νη privativa particula & φάος cum Hesychio derivant. Ex Ægypto potius vocis natales arcessendos esse existimamus, ubi Cneph immortalem Deum ortusque expertem significabat. Hinc Thebaidos incolæ non mortalem Deum, sed κνηφαγένητον καὶ ἀθάνατον, ortus atque interitus expertem coluisse leguntur. Ægyptii vero ut multa alia, ita hanc etiam denominationem ab Hebræis didicerunt, quibus כנף alam & umbellam notat. Nam quia in sacris literis umbræ alarum & tegminis alarum sæpe fit mentio, Deoque vero σκιάδια ejusmodi atque πτερά, ut Græci appellant, attribuuntur, Ægyptii Cnephum suum pingebant supra caput habentem πτερὸν βασίλειον *alam*, vel ut Huetius (32) interpretatur, *umbellam regiam*. (33) Symbolum enim hoc erat, ut apud Eusebium (34) est, λόγου δυσευρέτου καὶ κεκρυμμένου καὶ οὐ φανοῦ, mentis cognitu difficilis, nec palam apparentis. In tabulis hieroglyphicis a Pignorio editis Dii plerique alato capite pinguntur. Pervulgata olim fuit hæc de Dei obscuritate opinio. Junonem in templo Hierapolitano τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέειν, caput radiis habuisse cinctum, Lucianus (35) commemorat. Ex antiquissimis Philosophis Acmon et Hermes apud Justinum Martyrem fatentur, obscura esse, quæ de Deo traduntur. Quorum ille Deum πάγκρυφον vocat: hic vero plane aperteque testatur, χαλεπὸν εἶναι Θεὸν νοῆσαι, φράσαι δὲ ἀδύνατον, Deum intelligere perdifficile esse, fieri autem plane non posse, ut enuncietur vel exprimatur.

VIII. Quemadmodum Thammuzi nomen, ita ipsemet idoli cultus in Ægypto est quærendus. Nemo ex eruditis ignorat, quam multa Hebræi ab Ægyptiis mutuati, & quanta κακοζηλίᾳ pessimos hujus populi mores & sacra imitati fuerint. Hoc Spencerus (36) & firmis rationibus & veterum suffragiis abunde probavit. Nec diffiteri id audet Maimonides, (37) sed diserte testatur: במצרים חזרו ללמד מעשיהם ולעבוד ע״ז, *In Ægypto redierunt* (Israelitæ) *ad discendos Ægyptiorum mores & idola exemplo eorum colenda*. Nam in eo consentiunt auctores tantum non omnes, Ægyptios τεχνουργοὺς τῶν ἰδίων Θεῶν fuisse, & primos excogitasse falsos Deorum cultus, aliisque gentibus tradidisse. Luculentum est Luciani (38) testimonium: πρῶτοι ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται Θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι, καὶ τεμένεα καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι. Cyrillus Alex. (39) adfirmat, quod Ægyptiis τοὺς ἄλλους ἅπαντας πότε πρὸς τὰ τῆς εἰδωλολατρείας ἐγκλήματα vicerint. Testatur Clem. Alex. (40) quod κωμηδὸν, καὶ κατὰ πόλεις τὰ ἄλογα τῶν ζώων coluerint. Sed boum præcipue cultus tam antiquus apud Ægyptios (41) fuit, ut populi divini exitum antecessisse recte existimetur. Argumento est Mosis atque Aaronis responsio, Pharaone dicente: *Ite sacrificate Deo vestro in hac terra;* (42)

Non

*Non convenit*, inquiebant, *ita facere*, *quia abominationem Ægyptiorum*, nempe חועבת מצרים, LXX. βδελύγματα, idola Ægypti, *ſacrificaremus Domino Deo noſtro* (43). *Ecce ſi ſacrificaremus abominationem Ægyptiorum ante eorum oculos, ecce lapidarent nos* Iſraelitæ boves ſacrificarunt, qui Ægyptiorum abominatio dicuntur, quia talia ſacrificia Ægyptii abominantur, non paſſuri, ut animalia, quæ adorabant, immolarentur (44). Hanc interpretationem confirmat Onkelos: ארי בעירא דמצראי דחלין ליה מניה אנחנא נסבין לדבחא קדם יי' אלהנא: *quoniam animal quod Ægyptii* (45) *colunt, nos accepturi ſumus, ut ſacrificemus coram Domino*. (46) Conſentientem præterea habemus Syrum:

ܐܠܘ ܕܒܚܝܢ ܕܚܠܬܐ ܕܡܨܪܝܐ ܠܥܝܢܝܗܘܢ ܪܓܡܝܢ ܠܢ *Et ſi ſacrificaremus Deos Ægyptiorum ipſis cernentibus, lapidarent nos*. Eandem ob cauſam Ægyptii averſabantur paſtores, quippe qui pecora non ſolum paſcere, ſed & mactare ſolebant, לפי שהן להן אלוהות quæ ut Rabbi Salomo inquit ad Gen. XLVI. 34. Ægyptiis numinum loco erant. Expreſſe Plutarchus: (47) βῶν Οσίριδος εἰκόνα νομίζουσι. Ex Ægypto igitur omnis impietatis ſentina & fœcundiſſima falſorum rituum matre in Judæam (48) procul dubio dimanavit Thammuzi cultus, quemadmodum multa alia Iſraelitas inde accepiſſe certum eſt.

IX. Diſſentimus tamen a (49) Spencero, Outramo (50) atque Marshamo, (51) qui Hebræorum ritus, ſacra etiam & myſteria ab Ægyptiis derivant. Exiſtimant viri eruditiſſimi Ægyptios ut πολιτεία, ita & religione gentes ceteras anteceſſiſſe, & ritus eorum ut ab aliis populis, ita ab Hebræis cumprimis non ſine emendatione forſan receptos eſſe. Deum enim noluiſſe populum Ægyptiorum ritibus atque ſacris innutritum uno impetu a moribus receptis abducere, ſed hanc potius iniiſſe rationem, ut idolorum cultu ſub capitis pœna illi interdiceret, & ritus alios non paucos, quos ineptias norat magis tolerabiles & ad myſterium aliquod adumbrandum aptiores in ſacrorum album paullulum emendatos tranſcriberet, & per συγκατάβασιν illam Iſraelitas a gentium idolis & ceremoniis ſenſim & ſuaviter avocaret, quos ſtatim & cum violentia quadam avellere non poterat. Multa atque elegantiſſima ex recondita antiquitate argumenta Viri iſti collegerunt, quibus ſuam ſententiam confirmare conati ſunt. Nobis tamen nondum perſuadent, tantam ſimilitudinem Ægyptiorum inter & Hebræorum ſacra fuiſſe, quantam doctiſſimi Viri prædicant. Nec continuo concludendum eſt, Hebræos ab Ægyptiis ritus iſtos, in quibus utraque gens convenit, accepiſſe, ſed Ægyptios potius ab Abrahamo, Joſepho, Moſe & Salomone Iſraelitarum ſacra aliqua ex parte didiciſſe, varieque interpolaſſe, veri magis ſit ſimile. Nam omnes, quos diſſentientes in ſubſidium vocant auctores, Moſe multo ſunt recentiores. Legendus eſt Hermannus Witſius, (52) qui Marshami atque Spenceri rationes erudite confutavit. Nec negligenda ſunt quæ Nehemias Grevv (53) contra Spencerum non ita pridem erudite diſputavit.

X. Ratio inſtituti poſtulat, ut varias interpretum de Thammmuzo, & oraculi hujus explicatione ſententias recenſeamus. A Judæis facturi ſumus initium. Maimonides (54) ex fabuloſo quodam Zabiorum libro, cui titulus העבורה הנבטייה hæc refert: היה איש מנביאי עבודה זרה ושמו תמוז וקרא למלך אחד וצוהו לעבור שבעה כוכבי לכת ושנים עשר מזלות והמיתהו המלך ההוא מיתה משונה ובליל מותו התקבצו כל הצלמים מקצות הארץ אל היכל בבל לצלם הזהב שהוה צלם השמש והיה זה הצלם תלוי בין שמים וארץ ונפל בתוך ההיכל וכל הצלמים סביבו והיה מספר להם מה שאירע לתמוז והצלמים בוכים וסופדים כל הלילה וכאשר היה בבקר עפפו כל הצלמים להיכליהם בקצות הארץ והיה זה להם לחק עולם בתחלת יום ראשון מחדש תמוז בכל שנה יספדו ויבכו על התמוז: *Fuit aliquis ex Prophetis idololatricis nomine Thammuz, cum prædicaret cuidam Regi, ut ſerviret ſeptem ſtellis & ſignis duodecim, præcepit Rex eum interfici gravi morte. Nocte vero mortis iſtius convenerunt omnes imagines ab extremis terræ in palatio Babylonis* (*ſeu templo*) *ad imaginem auream, quæ ſcilicet erat imago Solis; & pendebat inter cœlum & terram, & proſtravit ſe in medio palatii, & omnes imagines circumquaque, & narravit eis quidquid contigerat* Thammuz. *Imagines vero flebant & lamentabantur per totam noctem: mane autem facto evolarunt omnes imagines ad palatia ſua uſque ad extremum terræ. Et conſuetum eſt quotannis in principio diei menſis* Thammuz *lamentari & flere ſuper* Thammuz. Tametſi quædam ex CL. Braunii (55) etiam judicio in hac narratione ſunt, quæ cum Ægyptiorum aliiſque gentilium ſacris conveniunt: plurima tamen in iſta deprehenduntur, quæ, quoniam in hiſtoriis nullum fundamentum habent, non immerito pro falſis & ab ingenio vane excogitatis commentis haberi debent. Maimonidi ſubjungimus Jarchium, qui dum locum hunc exponit, rem

rem ita enarrat: צלם אחד שמחממות אותו מבפנים והיו עיניו של עופרת והם נתוכין מחום החיסק ונראה כאלו בוכה ואומרות תקרוב הוא שואל: *Est quædam imago quam intus calefaciunt, oculi ejus intus sunt plumbei, qui calore liquefacti videntur plorare. Dicunt autem* (mulieres) *petit munus*. Sed fabula hæc larchii ad exponendum Prophetæ oraculum parum adjumenti adfert. Vates enim divinior non dicit ipsum Thammuzum lamentatum esse & plorasse, sed de fœminis, quæ idolum plorarunt, loquitur. Nec felicius rem expedivit Kimchius: יש מפרשים כי מבכות הוא כנוי רצה לומר משמחות את התמוז בירח תמוז היו עושים חג לעבודה זרה וחיו הושים באות לשמחו וי״מ שהיו עושים בתחבולות שיבאו המים לעיני עבודה זרה הנקראת תמוז והיה בוכה לומר שהיה שואל שיעברוהו וי״מ התמוז השרוף מן למזא לאתונא רצה לומר שהיו בוכות על אותו שהיה שרוף שהיו שורפים בניהם ובנותיהם באש והנשים היו בוכות אותם: *Sunt qui exponunt* מבכות *per antiphrasin, quasi diceret lætificantes Thammuz in mense Thammuz, quo tempore faciebant festum idolo: tunc enim mulieres accedebant, ut exhilararent. Sunt qui exponunt, quod aliqua solertia aquam attulerint ad oculos idoli, quod Thammuz dictum fuit, ut lacrymaretur, quibus lacrymis peteret, ut coleretur. Sunt etiam qui exponunt per combustum ex dicto*: Dan. III. 19. *succendere fornacem, quasi diceres, quod florent eum, quia combustus fuit, cum igne comburerentur filii atque filiæ eorum*. Sed ex hac Kimchii interpretatione parum lucis vexatissimus Ezechielis locus accipit. Ben Melech nihil certi definit: התמוז שם צלם או שם איש או שם חיה שהיו עובדים אותה: *Thammuz nomen imaginis, aut nomen viri aut nomen bestiæ fuit, quam coluerunt*. Longe meliorem sententiam adfert Cyrillus Alex. (56) qui per תמוז Adonidem intelligit: διερμηνεύεται ὁ Θαμμὺζ ὁ Ἄδωνις. Consentit Hieronymus, (57) & ad oraculum nostrum ita commentatur: *Quem nos Adonidem interpretati sumus, & Hebræus & Syrus sermo* תמוז *vocat, unde quia juxta gentilium fabulam, in mense Junio amasius Veneris & pulcherrimus juvenis occisus & deinceps revixisse narratur, eundem Junium mensem, eodem appellabant nomine: & anniversariam ei celebrant solennitatem, in qua plangitur a mulieribus, quasi mortuus, & postea reviviscens canitur atque laudatur*. Eandem sententiam amplexi sunt celeberrimi Viri Junius, Gyraldus, Seldenus, Marshamus, Witsius, Braunius aliique plures.

XI. Inter eruditos constat, quod uni sæpius Deo apud diversas gentes diversa imposita sint nomina. Jupiter unus erat in se, distinguebatur tamen in Capitolinum, Cretensem, & Hammoniacum. Luna Astarte appellabatur ab עשתרת, I. Reg. XI. 5. & 43. græce Ἀστάρτη, vel ut Auctor Chronici Alex. habet ἐυστάρτη. Hoc tamen non impediebat, quo minus diceretur בעלת השמים Jer. VII. & XLIV. item Diana, Lucina, Urania apud Seldenum, (58) qui legi meretur. Assyrii nominabant Mylitam, cujus vocis originem nemo alibi nisi in Syria quærere debet. Est enim ܡܘܠܕܬܐ quod a ܝܠܕ genuit] notissima Syris voce derivatur & γενέτειραν sive genitricem denotat. Judæis vocatur לילית a לילה nox & per noctilucam vel nocturnum Dæmonem exponi debet. Legitur apud Es. XXXIV. 14. quam vocem LXX. reddunt ὀνοκενταύρους, Chaldæus לילין lemures, Syrus ܠܠܝܬܐ uterque fictis vocibus ad Hebrææ similitudinem, uti incomparabilis Bochartus (59) erudite observat. Hæc fortasse causa est, quod Juno apud Lucianum (60) varie pingebatur, nec unius speciei formam sed πολυειδέα μορφὴν præ se ferebat. Non dissimiliter apud diversas gentes diversas appellationes acceperat Thammuz. Dicebatur Adonis, Osiris, Serapis, Bacchus, Pluto, Mercurius & Baal. Huc pertinet illud Ausonii: (61)

*Ogygia me Bacchum vocat*
*Osirim Ægyptus putat*
*Mysi Phanacem nominant*
*Dionyson Indi existimant*
*Romana sacra Liberum*
*Arabica gens Idoneum*
*Lucaniacus Pantheum.*

XII. Ex quo patet, quod tanta non fuerit πολυθεότης gentium, quanta fuit Deorum πολυωνυμία. Ejusdem Dei pro patriis institutis sæpe diversus erat cultus, diversæ appellationes, quemadmodum ipsi summo ac æterno Deo in Scripturis plurima nomina data sunt. Nam propter varias Dei virtutes & beneficia, varias veteres excogitarunt denominationes; quæ simplicioribus ansam dederunt innumerabilem credendi & confingendi Deorum multitudinem. Erudite, ut solet, hæc confirmavit Huetius, (62) quocum Braunius (63) quoque sentit. Sapientiores tamen insita notitia adiuti non nisi unum agnoverunt Deum. Testes laudamus Senecam & Antoninum Imperatorem, quorum verba Witsius (64) exhibet. Socrates om-

omnium ſui temporis judicatus ſapientiſſimus, dum in carcerem ducitur, aperte confitetur μόνον Θεὸν εἶναι qui res humanas cognoſcat & moderetur. (65) Inde eſt, quod ſacra facturi Deo alicui, non eum modo ſeorſum ſed omnes pariter Deos Deaſque cierent. (66) Inſpiciatur Smyrnæorum & Magnetum jusjurandum, quod in eorum fœdere extat, & a Seldeno cum notis eſt editum. (67)

XIII. Sed redeamus eo, unde dilapſi ſumus. Thammuz communi eruditorum ſententia fuit Adonis. Recte auctor Chronici Alex. Θαμμὺζ, ὅπερ ἑρμηνεύεται Ἄδωνις. Errant qui in Græcia vocis hujus natales quærunt, & ἀπὸ τοῦ ἀδεῖν τοῖς ἀνθρώποις, vel ab ἡδοδυνὴς cum Villalpando (68) derivant. Rectius ab ארון deducitur, quod ſupremum omnium Dominum ſignificat & in Scriptura diviniori ארוני legitur, ut hac ratione idem eſſe ac אלוהים & tres in divinitate perſonas indicare, Braunio (69) videatur. Adonis δεσπότης ὑπὸ φοινίκων dicitur, uti Heſychius Auctor eſt, & a Lacedæmonibus Κίρις, id eſt Κύριος eodem Heſychio teſte, appellabatur. Bene Suidas: Ἄδωνις ὄνομα κύριον. Accedit quod בעל qui idem eſt ac Adonis, Dominum notet, & Oſiris, qui cum Thammuz convenit, κύριος καὶ βασιλεὺς apud Plutarchum vocetur. Perſæi a Perſa urbe ad Euphratem ſita ita dicti, Abobam vocabant. Heſychius: Ἄβωβας ὁ Ἄδωνις ὑπὸ περσαίων. (70) Quæ vox an ab אבא ſit, alii diſpiciant. Operæ pretium facturi ſumus, ſi exponamus, quis Adonis fuerit. Fuit filius Cyneræ pervetuſti apud Byblum Regis, qui ex Smyrna conjuge Adonim puerum formoſiſſimum ſuſcepit. Unde Ovidio Cynirejus heros appellatur. Quoniam in Cypro natus eſſe traditur, Cyprius ſalutatur, & noſtra ſententia ab Ægyptio & Byblio nihil differt, quia plures populi eum ſibi vendicare conati ſunt. Quemadmodum autem invenis fuit eximia pulcritudine conſpicuus, ita puerum adhuc valde amavit Venus, & clam Deis arca incluſum Proſerpinæ tradidit, ne Diis innoteſceret, ſibique invidiam conciliaret. Sed Proſerpina ejus amore capta eum retinuit. Inde lites exortæ ſunt, quas Jupiter hac lege compoſuiſſe dicitur, ut Adonis tertiam anni partem apud ſe remaneret, tertiam apud Venerem, & tamdiu quoque apud Proſerpinam commoraretur. Quam ob cauſam τρίφιλητος a tribus amatus, vel ut alii interpretantur, πολυφίλητος dictus eſt. Ex aliorum ſententia ſex menſes apud Proſerpinam & tamdiu apud Venerem manſit. Philoſophus fuit inſignis, ut Auctor Chronici Alex. & Cedrenus tradunt. φιλέρημον fuiſſe Orpheus docet. Ceterum in venatione ab Apro occiſus eſt, ut Lucianus in Libro ſæpius laudato de Dea Syria refert. Sed ex mortuis ſuſcitatus ad vivos rediiſſe fingitur. Plura dabunt Huetius (71) & Meurſius. (72)

XIV. Ordo rerum poſtulat, ut ἀδωνιασμὸν & Adonis ſacra, Ἀδώνεια dicta ex græca cumprimis antiquitate recenſeamus. Tria in iſtis obſervatu digna ſunt, ἀφανισμὸς, ζήτησις & εὕρεσις. Ἄφαντος factus eſt, cum dente apri percuſſus interiit. Hunc ἀφανισμὸν anxia ſequebatur Adonidis ζήτησις. Mulieres enim ἀδωνιάζουσαι lamentabantur & γίγγρᾳ *fiſtula* ingratum ac lugubrem ſonum edebant, tantis ob interitum Adonidis fuſis lacrymis, ut ideo ab Orpheo δακρυόπμος diceretur. Ut dictis fidem faciamus, teſtimonia auctorum in medium proferemus. Primo loco commemorandus eſt Lucianus, (73) cujus fides atque auctoritas hoc minus vocari poteſt in dubium, quo magis conſtat, quod & Aſſyrius fuerit, & ritus hos ipſe coram cognoverit. Ita autem inquit: Εἶδον καὶ ἐν Βίβλῳ μέγα ἱερὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης ἐν τῷ, καὶ τὰ ὄργια ἐς Ἄδωνιν ἐπιτελέουσι. Ἐδάην καὶ τὰ ὄργια. Λέγουσι γὰρ δή ὦ τὸ ἔργον τὸ ἐς Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ σύος ἐν τῇ σφετέρῃ γενέσθαι, καὶ μνήμην τοῦ πάθεος τύπτονταί τε ἑκάστου ἔτεος, θρηνέουσι καὶ τὰ ὄργια ἐπιτελέουσι, καὶ σφίσι μεγάλα πένθεα ἀνὰ τὴν χώρην ἵσαται. Ἐπεὰν δέ ἀποτύψωνταί τε καὶ ἀποκλαύσονται, πρῶτα μὲν καταγίζουσι τῷ Ἀδώνιδι, ὅκως ἐόντι νέκυϊ. μετὰ δὲ τῇ ἑτέρῃ ἡμέρᾳ ζώειν τέ μιν μυθολογέουσι, καὶ ἐς τὸν ἠέρα πέμπουσι, καὶ τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι, ἀποθανόντος Ἄπιος. Plutarchus (74) Adonia Athenis celebrata ita deſcribit: (75) εἴδωλα πολλαχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξὶ, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι καὶ θρήνους ᾖδον, *Species paſſim mortuis, qui efferuntur ſimiles, exponebant fœminæ, & exſequias planctibus repræſentabant, cantileniſque lugubribus.* Eodem ferme modo alibi deſcribit: Ἀδώνεια εἶχον αἱ γυναῖκες τότε, καὶ προὔκειτο πολλαχόσε τῆς πόλεως εἴδωλα καὶ ταφαὶ περὶ αὐτὰ καὶ κοπετοὶ γυναικῶν ἦσαν. Unde apparet, præter ululabiles planctus & lugubres ſonitus mulierum, ſimulacra, quæ ſpeciem mortuorum referebant, expoſita & elata eſſe. Conſentit Ammianus Marcellinus, (76) qui diſſerte affirmat, *quod in ſolemnibus Adonidis ſacris vecta fuerint figmento hominum mortuorum, ita accurate pollincta, ut imagines eſſent corporibus ſimiles jam ſepultis.* (77) Longo autem poſt Servatoris adventum tempore hæc Ἀδώνια durarunt. Provocamus ad **Cyrillum Alex.** (78)

qui

qui teſtatur, quod ad ſuam uſque ætatem in Alexandrinis delubris τὸ παίγνιον τοῦτο *ludricum hoc* τοῦ ἀδωνιασμοῦ ſit peraɛtum. Inde apparet, quod Ἀδωνιασμὸς ὁ ἐπὶ τῷ Ἄδωνι θρῆνος *lamentatio ob Adonidem* fuerit. Quoniam vero Adonis Thammuz fuit, ad ſacra hæc Adonidis procul dubio reſpexit Ezechiel, & הנשים מבכות *mulieres flentes*, ſive Bacchæ, uti Bochartus (79) interpretatur, aliæ non ſunt, quam ἀδωνιάζουσαι, quæ ἀδωνιάζειν, id eſt, Ἄδωνι θρῆνον dicere, lugere & plorare certo anni tempore ſolebant. Alias Thyades a חעה & Mimallonides, quaſi ממלל חעה garrulæ & loquaces appellari ſolebant.

XV. Poſtquam multis lacrymis quæſiverunt Adonidem mulierculæ, tandem inveniunt. Nam ex mortuis reſurgere & ad vivos redire credebatur. Hunc reditum εὕρεσιν dicebant. Indicat illud tum Lucianus loco a nobis commemorato, tum Cyrillus Alexandrinus. (80) προσεποιοῦντο λοιπουμένῃ τῇ Ἀφροδίτῃ διὰ τὸ τεθνάναι τὸν Ἄδωνιν, συνολοφύρεσθαι καὶ θρηνεῖν. ἀνελθούσης δὲ ἐξ ᾅδου, καὶ μὴν καὶ εὑρῆσθαι λεγούσης τὸν ζητούμενον, συνήδεσθαι καὶ ἀνασκιρτᾶν. Hanc Adonidis εὕρεσιν admirando prorſus modo Ægyptii, quibus primum apparuit, Bybliis indicarunt. Alexandrini enim eo ipſo die, quo Adonia celebrabant Biblienſes, literas vaſe incluſas, peraɛtis quibuſdam ceremoniis, in mare quotannis mittebant, quæ ſponte ventis divinitus præparatis Byblum ferebantur, & Adonidem repertum eſſe ſignificabant. Byblienſes mulieres vaſe accepto, & de Adonidis εὑρέσει certiores factæ miſſo luɛtu exultabant, & quod reliquum erat feſti gaudiis atque tripudiis tranſigebant. Id docet Lucianus: (81) Εἰσὶ δὲ ἔνιοι Βυβλίων οἱ λέγουσι παρὰ σφίσι τεθάφθαι τὸν Αἰγύπτιον. καὶ τὰ πένθεα καὶ τὰ ὄργια οὐκ ἐς τὸν Ἄδωνιν, ἀλλ᾽ ἐς τὸν Ὄσιριν πάντα πρήσσεσθαι. ἐρέω δὲ ὁκόθεν καὶ τάδε πιστὰ δοκέουσι. Κεφαλὴ ἑκάστου ἔτεος ἐξ Αἰγύπτου ἐς τὴν Βύβλον ἀπικνέεται πλώουσα τὸν μεταξὺ πλόον ἑπτὰ ἡμερέων. καί μιν οἱ ἄνεμοι φορέουσι θείῃ ναυτιλίῃ· τρέπεται δὲ οὐδαμᾶ, ἀλλ᾽ ἐς μούνην τὴν Βύβλον ἀπικνέεται, καὶ ἔστι τὸ σύμπαν θῶυμα. Καὶ τοῦτο ἑκάστου ἔτεος γίγνεται, τὸ καὶ ἐμεῦ παρεόντος ἐν Βύβλῳ ἐγένετο, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐθηησάμην βυβλίνην. Idem tradunt Cyrillus Alexandrinus (82) atque Procopius. (83) Verba ipſa adponerem, niſi tam prolixa eſſent, & cum Luciani ſententia conſentirent. Conferantur Seldenus (84) atque Braunius. (85) De hoc ritu locum Eſ. XVIII. 2. interpretamur cum multis veteris Eccleſiæ Doɛtoribus & viris noſtri temporis eruditiſſimis: השולח בים צירים ובכלי גומא על פני מים: *Mittentes in mare imagines in vaſis papyraceis ſuper aquas.* Sunt qui צירים per legatos, nos autem cum Bocharto (86) per *imagines* explicamus a צור quod eſt *formare*, ſicuti Eſ. XLV. v. 16. חרשי צירים ſunt *fabri imaginum*. Nam ארץ צלצל כנפים αἰνιγματωδῶς Ægyptum ſignificat, eaque vere erat *terra cymbali orarum*, quæ κύμβαλον ſive ſiſtrum marginatum in ſacris Iſidis uſurpabat. Per terram Chus autem, cujus vates divinior mentionem injicit, non intelligitur Æthyopia, uti vulgus interpretum arbitratur, ſed Arabia Chuſæa, cujus flumina erant Beſor, Rhinocoruræ torrens & Trajanus amnis. In Ægypto igitu, Alexandriæ nempe, uti ex Luciano audivimus, Oſiridis caput in mare injeɛtum Diabolica vi Byblum deferebatur. כלי גמא *vaſa papyracea* ſunt Ægyptiaca navigia, quæ ex papyro conficiebantur. Vas illud κέραμον appellat Cyrillus Alex. & ἐπιστολὰς βιβλίνας injeɛtas fuiſſe teſtatur. Lucianus autem κεφαλὴν βιβλίνην vocat, hanc fortaſſe ob cauſſam, quia humani vel bovini capitis figuram habuit. Alias ex Plutarcho (87) conſtat, quod Ægyptii veɛti ſint ἐν παπυρίνοις σκάφεσι *in papyrinis navigiis*, quemadmodum apud eundem Iſis βάρειδι παπυρίνῃ *lembo papyraceo* paludes pernavigaſſe dicitur. Nam in Ægypro ἡ βίβλος ſive πάπυρος magna copia proveniebat, & ad varios uſus Theophraſto teſte apud Bochartum, (88) adhibebatur: αὐτὸς δὲ ὁ πάπυρος πρὸς πλεῖστα χρήσιμος, καὶ γὰρ πλοῖα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῆς βίβλου ἱστία πλέκουσι, καὶ ψιάθους. (89) Præterea ὑποδήματα βύβλου *calceamenta ex papyro faɛta* Pythagoræos geſtaſſe & Indi accolas Joannes Schefferus (90) probat. Ubi obſervandum, quod גמא, סוף ἡ βίβλος & ὁ πάπυρος idem notent. Ita Eſ. XIX. 6. in vaticinio contra Ægyptum סוף Græci πάπυρον reddunt, Syrus ܦܦܝܪܐ unde פיפירא *cophini papyracei*, Chaldæus גמא *papyrum* interpretatus eſt. Et Exod. II. 2. Jonathan habet בגו גמיא *in medio papyrorum* pro בסוף. (91) Ipſa Moſis arca fuit חבת גמא *papyracea* & Græci θίβην παπύρου, Joſephus πλέγμα βύβλινον, Suidas κιβώτιον ἐκ βίβλου λεπτὸν ὡς κοφινῶδες, Clemens Alexandrinus ἐκ βίβλου τῆς ἐπιχωρίου σκεῦος nominant.

XVI. Satis de Adonide ejuſdemque ſacris diximus. Sed quid iu Julio Polluce ſit Ἀδωνιμαοιδὸς, nondum conſentiunt eruditi. Erudita eſt incomparabilis Bocharti (92) conjeɛtura, qui exiſtimat, nomen eſſe ruſticæ cantilenæ & ſic incepiſſe: ארוני מורים אנחנו לך *Adoni laudamus te*, quæ ipſiſſima fere ſunt verba hymni Davidici, I. Paral. XXIX. 13. Nos ad in-

institutum nostrum revertimur. Quem Phœnices patria voce Adonidem appellarunt, ille Ægyptiis Osiris fuit. Id probant eædem in sacris ceremoniæ, (93) ἀφανισμὸς: ζήτησις atque εὕρεσις, idem mensis utrique dicatus. Cyprii nomen utrumque conjungebant: ἀμαθῦς πόλις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, ἐν ῇ Ἄδωνις-Ὄσιρις ἐτιμᾶτο. ὃν Αἰγύπτιον ὄντα Κύπριοι καὶ φοίνικες ἰδιοποιοῦντο. Adde illud Suidæ, (94) qui scribit simulacrum quoddam communi Osiridis & Adonidis nomine ab Alexandrinis fuisse cultum. Ausonius: (95)

*Osirim me Ægyptus putat.*

Unde vox descendat, & quid significet, perobscurum est. Thomas Hyde (96) a חור *circumire*, derivat, ut Osiris sit quasi חוזר *circuitor*, ideo quod sit Sol, qui orbem circumit. Doctissimus Vossius (97) ex מצרים vocem ortam esse putat. Non examinabimus impræsens eorum sententiam, qui πολυόφθαλμον, ἀγαθοποιὸν aut simile quid Osirim significare existimarunt. Eruditissimi viri Plutarchus, (98) Seldenus, (99) Salmasius, (100) Huetius (101) vocem compositam & articulum ὁ præpositum esse putant. Inde Osiris multis est quasi ὁ Σείριος, quia priscis Solem significabat. Hesychius: Σείριος ὁ ἥλιος, καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. Suidas: Σεὶρ, σειρὸς, ὁ ἥλιος καὶ Σείριος. Præterea Huetius aliorum vestigiis insistens Osiridem derivat a שיחור, quæ vox nigrorem & Nilum denotat, ob colorem nigrum, quem habebat, qui eandem ob caussam παρὰ τὸ μέλας Melo etiam appellabatur. Ipsa certe Ægyptus Ἀερία *nigricans* & μελάμβωλος ac μελάγγειος olim dicebatur. Joannes Braunius (102) Vir Doctissimus aliam excogitavit derivandi rationem, atque originem ex ipsa vocis natura arcessere instituit. Et quia nemo ignorat Osiridem apud Ægyptios bovem fuisse, ab Hebræorum השור, quod bovem significat, desumtam esse vocem arbitratur. Nos ex recensitis eruditissimorum Virorum sententiis nullam pro indubia amplectimur, sed cum Salmasio (103) affirmamus, vocis originem in Ægypto quærendam esse, quoniam Ægyptiorum Deum Osiridem fuisse constat.

XVII. Simulac natus est, vox audiebatur ex templo Jovis Thebano: μέγας βασιλεὺς εὐεργέτης Ὄσιρις γέγονε, *Osiris magnus Rex & beneficus natus est*. Uxor ei fuit Isis, ab אשה fortasse vel ab עסיס terræ succo Solis calore impraegnato, ita dicta. Vir justus potens & prudentissimus Osiris fuit, quem oculo & sceptro pictis significabant Ægyptii, oculo πρόνοιαν, sceptro δύναμιν indicante. Colebatur sub bovis symbolo. Et quemadmodum Ægyptus distincta fuit in superiorem, cujus caput Memphis, & inferiorem, cujus metropolis Heliopolis erat: ita duos habebat boves, Apim apud Memphitas, Mnevim vero apud Heliopolitas. Uterque pro Deo habebatur. Strabo: (104) τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερὰ, καθάπερ ὁ Ἄπις ἐν Μέμφει. ἐν ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. οὗτοι μὲν οὖν θεοὶ νομίζονται. (105) Hi boves indicabant Osiridem. Plutarchus (106) auctor est, Apim τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς εἴδωλον fuisse. Ipsi sacrorum Antistites εὔμορφον εἰκόνα τῆς Ὀσίριδος ψυχῆς εἶναι τὸν Ἄπιν, & eundem esse Osiridem atque Apim, eodem Plutarcho (107) teste, docebant. Bos ille διάχρυσος erat, ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ vestitus, variisque notis distinctus. Apidis imago in mensa Isiaca a Pignorio edita, nec non apud Braunium (108) depicta exstat. Plura dabunt Plinius, Solinus, Suidas, Plutarchus & alii.

XVIII. Apidis sacra, quæ in Ægypto (109) didicerant, in desertis imitati sunt Israelitæ, quidquid etiam in contrarium adferat Moncæjus. (110) Id testatur Stephanus Protomartyr Act. VII. 39. dicens: ἐστράφησαν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἰς Ἄιγυπτον, *Aaroni dicentes, fac nobis Deos, qui nobis præeant*, καὶ ἐμοσχοποίησαν, *vitulum fecerunt per illos dies & obtulerunt sacrificium idolo*. Sancte affirmat Ezechiel c. XX. v. 8. ואת גלולי מצרים לא עזבו *stercoreos Ægypti Deos non reliquerunt*. Confirmant hanc sententiam alia argumenta. Nomen עגל pro quo Græci μόσχος habent convenit cum illo Herodoti: ὁ μόσχος ὁ Ἄπις καλεόμενος. Huc pertinet illud Eusebii: Μόσχος θεοποιηθεὶς Ἄπις ἐκλήθη. Vocatur etiam bos Psalm. CVI. 20. & quidem שור אכל עשב *bos herbam comedens*. Nam עגל & שור promiscue sæpe sumuntur, id quod ex Chaldaica paraphrasi Jonathanis (111) intelligi posse, Seldenus putat, cum עגלים Ose. XIII. 2. Chaldæus explicaverit תוריא *boves*. Quando porro dicitur Exod. XXXII. 4. 5. ויצר אותו בחרט, LXX. ἔπλασεν ἐν τῇ γραφίδι, *graphio figuravit*, intelliguntur Apidis notæ, quas Aaron insculpsit, sicut bene observarunt Seldenus, (112) Witsius (113) & Braunius: (114) Miratus igitur valde sum, quod eruditissimus Bochartus (115) *ad multa incommoda* ut ait *evitanda* verba Scripturæ ita exposuerit: *& ligavit seu recondidit illud in marsupio*. Contradixit Onkeloso, LXX. Interpretibus, Kimchio, Pagnino, Drusio aliisque. Recte Suidas: Ἄπιδες θεοὶ ἦσαν τιμώμενοι παρ' Αἰγυπτίοις σημεῖον ἔχοντες περὶ τὴν οὐρὰν καὶ τὴν γλῶσσαν. Accedit, quod comessationes & choreas instituerint Israelitæ, quæ in Apidis solemnia apprime conveniunt, in cujus festo πανδαισία erat, & lautissima con-

convivia instituebantur. Ejusdem plane originis fuisse vitulos a Jeroboamo erectos & Ægyptiorum Ἄπιν atque Μνεῦιν repræsentasse, rerum argumentis confirmati arbitramur.

XIX. Ad Osiridem redimus, qui a fratre Typhone occisus, multas in partes velut ab Apro discerptus & arca tandem inclusus in Nilum conjectus est. De sepulcro ejus multæ fuerunt controversiæ. Tandem in vitam redire credebatur. Hanc ob caussam in sacris Osiridis non secus ac in Adoniis ἀφανισμὸς, ζήτησις & εὕρεσις occurrunt. Quid hæc significent, ex antiquitatum monimentis breviter interpretabimur. Si Plutarcho credimus, quatuor cum primis per ἀφανισμὸν intelligebantur & ab Ægyptiis lugebantur. Nilus ἀπολείπων *deficiens* atque recedens. Deinde ἀπογύμνωσις τῆς γῆς *denudatio terræ*, quando arbores folia demittunt. Porro septentrionales flatus, qui invalescentibus Austrinis ventis ferme silent. Demum etiam, quod dies propter Solis recessum minor fit nocte. Ita enim Plutarchus: (116) quando nox fit longior, tenebræ crescunt, lucisque superatur & tabescit vis, tunc οἱ ἱερεῖς δρῶσι σκυθρωπὰ καὶ βοῦν διάχρυσον ἱματίῳ μέλανι βυσσίνῳ περιβάλλοντες ἐπὶ πένθει τοῦ Θεοῦ δεικνύουσι. Suidas luctum hunc μέγα πένθος appellat. Sequitur ζήτησις & solicita inquisitio. *Decima nona mensis die noctu ad mare descendebatur &* ἱερὰν κίστην *sacram cistam stolistæ una cum sacerdotibus efferebant, in qua erat aurea arcula, cui infunditur ab iis aqua potabilis & clamor tollitur ab his qui adsunt, vociferantibus* ὡς εὑρημένου τοῦ Ὀσίριδος, *Osiridem esse inventum*. Ubi obiter notamus, sacram cistam, quam in Osiridis sacris adhibuisse leguntur Ægyptii, arcæ fœderis in populo Dei originem haud dedisse, quemadmodum Joannes Spencerus (117) Grotii (118) auctoritate nixus in Dissertatione de origine arcæ speciosis argumentis probare conatus est. Nos potius existimamus, Ægyptios Hebræorum exemplum secutos sacratiorem ejusmodi cistam sibi fabricasse. Contraria argumenta in conflictu examinabuntur. Invento autem Osiride ingens gaudium oriebatur. Isidis atque Osiridis imagines vide apud Joann. Braunium. (119)

XX. Silentio prætereundum non est, Osiridem Σέραπιν vel Σάραπιν appellatum esse. Id affirmat Plutarchus, & (120) vocem hanc εὐφροσύνην καὶ χαρμοσύνην *gaudium & lætitiam* proprie significare existimat, hanc addens rationem, ὅτι τὴν ἑορτὴν Αἰγύπτιοι τὰ χαρμόσυνα ΣΑΙΡΕΙ καλοῦσι *quoniam festum seu lætitias Ægyptii* Sairei *vocant*. Doctissimus Huetius (121) a שרף *incendit*, unde & שרפים dicti, quod reddit Dionysius ἐμπρηστὰς, θερμαίνοντας, Gregorius *incendentes*, *ardentes*, Serapin derivari putat. Confirmat hanc sententiam Ptolomæi Lagidæ somnio, quod refert Tacitus, (122) oblatum ei esse secundum quietem Serapidem, visum in cœlum igne plurimo attolli. Non rejiceremus hanc derivandi rationem, si certi essemus ante Ptolomæum Serapidis nomen haud fuisse notum. Sunt qui existimant apud Spencerum, (123) quod Serapis dictus fuerit quasi Σορὸς Ἄπις, i. e. arca vel loculus in quo sepultus est Apis. Veri magis est simile, vocem conflatam esse ex שור *bos* & אבא *Pater*, ut Serapis fuerit שור אבא *bos Patris*. Probat hanc sententiam tum consueta istarum vocalium permutatio, tum res ipsa. Serapis enim aut ipse bos fuit, aut sub bove certe cultus est, ideo ab antiquis cum capite bovino depingitur apud Kircherum (124) & Braunium. (125)

XXI. Serapis & Pluto duo sunt unius rei nomina. Ceterum quomodo Plutonis colossus a Ptolomæo Sotere Sinopa ablatus & Alexandriam translatus, ibidemque Serapidis nomen indeptus fuerit, Plutarchus (126) in libro sæpius laudato docet. Celebre illud quod edidisse traditur oraculum de Trinitatis mysterio, procul dubio ὑποβολιμαῖον & a Christiano subjectum est:

> Πρῶτα Θεὸς, μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς
> Σύμφυτα, δὴ τρία πάντα, καὶ εἰς ἓν ἰόντα.

Serapis egregie depictus exstat apud Vaillantium. (127) Barbatus, cornutus & capite radiato conspicitur quoque apud Chifletium. (128) Gemma apud Pignorium (129) exstat, ubi Serapis & Isis eleganti stant forma. Elegantissimam gemmam ex Gorlæo exhibuit Joan. Braunius, (130) ubi uterque Serapis & Isis capiti impositum habet calathum, cum situla, Serapis in manu dextra, Isis in sinistra. In medio stat Harpocrates cum calatho quoque capiti imposito. De calumnia Hadriani Imperatoris, quasi Christiani in Ægypto viventes Serapim colerent, videri potest Christianus Kortholtus. (131)

XXII. Thammuz præter enumerata a nobis nomina Bacchus quoque dictus est. Id Diodorus Siculus (132) docet: Τὸν Ὄσιριν οἱ μὲν Σέραπιν, οἱ δὲ Διόνυσον, οἱ δὲ Πλούτωνα, οἱ δὲ Ἄμμωνα, τινὲς δὴ Δία, πολλοὶ δὲ Πᾶνα νενομίκασι. Consentit Eusebius. (133) Suidas: Ὄσιριν λέγουσιν εἶναι τὸν Διόνυσον. Idem confirmat Ausonii (134) epigramma supra a nobis laudatum. Hoc ex veterum mo-

monimentis facile evinceremus, ab Osiride Bacchum haud differre. Nam Plutarchi (135) auctoritate fulti affirmare possumus, sacra Apidis & Osiridis a Bacchi sacrificiis nil diversi habuisse. Qui Apidis cadaver sepeliebant, iisdem utebantur clamoribus, quibus Bacchico furore correpti, dum origa peragunt. Græcorum plerique Bacchi simulacra faciebant tauri forma, & ipse Bacchus ταυρόμορφος itemque βȣγενὴς, ταυρῶπος & ταυροκέφαλος appellabatur. Hederam Græci Baccho consecrant, quæ ab Ægyptiis χενόσιρις *planta Osiridis* nominari dicitur. Propter has igitur οἰκειότητας & sacrorum similitudines Osiridem atque Bacchum unum eumdemque *Deum* esse arbitramur. Hoc vero quo est certius, hoc minus dubitari potest, Thammuzum Bacchum quoque appellatum fuisse. Ceterum quod vocis originem attinet, nostra sententia vehementer errant vel a βία *vi* & ἰάχω *vociferor*, vel a נוה vel a יהוה vel a בר כוש Bacchum derivant, cum longe commodior derivandi ratio in promtu sit, qua a בכה *ploravit* deducitur. Nam sacra Bacchica magno fletu, ploratu & ejulatu celebrari solebant. Erudite Hesychius, ut omnia: Βάκχον κλαυθμὸν φοίνικες, *Bacchum Phœnices vocant ploratum*. De ἀφανισμῷ, ζητήσει & εὑρέσει nihil subjungo, quia auctores a nobis laudati sacra ista prolixe satis & accurate iam tum exposuerunt.

XXIII. Thammuz qui πολυώνυμος fuit ab Hebræorum בעל & quod inde excluso y oritur Chaldæorum בל non differebat. Nam nomen hoc commune erat, & pluribus idolis imponebatur, quod Syrorum Baal-Peor, Baal-Zebub satis superque declarant. Celeb. Seldenus (136) existimat, *summum & ineffabilem omnium rerum creatorem hoc nomine primum designatum esse*. Sed merito dubitat Hottingerus, (137) & negat ab initio illud vero *Deo* proprium fuisse. Nusquam enim *Deus* se ita nominat, nec Vir θεόπνευστος eum sic appellavit. Etenim vocis usus apud eos tantum invaluit, quibus multi erant בעלים & qui verum *Deum* non agnoscebant. Oraculum illud Ose. II., 18. תקראי אישי ולא תקראי לי עוד בעלי, *vocabis me* maritus meus *& non vocabis me ultra Baali, Baal meus*, ἀπροσδιόνυσος est, & nihil probat. Nam בעלי cui respondet איש de marito exponi debet. Id dubio caret, Solem qui μόνος ȣ̓ρανȣ̃ Θεὸς Phœniciis erat, בעל appellatum esse, qui præterea *Molech* quoque dicebatur. Hinc *Baal* & *Molech* idem Numen. Id docet Abarbanel: (138) ואני כבר מודעתיך דעתי שהבעל שהיו עובדים היה כנגד השמש והוא הנקרא מולך כי הוה מלך על כל בני שחץ: *Ego autem te docui sententiam meam, quod Baal quem volunt, habeant pro Sole: Is autem dicitur Molech, quoniam imperat omnibus hominibus protervis*. Consentiunt sacræ litteræ, quod ex Jer. c. XXXII. 35. luculentissime patet: ויבנו את במות הבעל אשר בגיא בן הנם להעביר את בניהם ואת בנותיהם למלך: *Et ædificaverunt loca alta Baalo, qui est in valle filiorum Hinnom, ut traducerent* (comburerent,) *filios suos & filias suas Molecho*. Conf. Jer. XIX., 5. Id obiter hoc loco addimus, quod Gazæorum Marnas magnam convenientiam & similitudinem cum Baale habere videatur. Nam מר & מרן est Baal & Dominus. Marnas igitur ܡܪܢܐ seu ܡܪܢܫܐ *Dominus hominum* est & πατὴρ ἀνδρῶν, quemadmodum Scaliger & Seldenus erudite observarunt.

XXIV. Thammuzi sacra, quæ ab Adoniis nihil differebant accurate satis intelliguntur, si ea cognovimus, quæ ibi & in Osiridis, Apidis, Bacchique cerimoniis observata fuisse Auctores tradiderunt. Nam Ezechielis נשים מבכות את התמוז sunt ipsæ ἀδωνιάζȣσαι & impudicæ Isidis sacerdotes, quæ vestibus lineis indutæ cum pueris, Osiridis administris, publica lupanaria incolebant & phallos gestare solebant. Φάλλȣς vero Lucianus (139) fuisse dicit: ἄνδρας μικρὰς ἐκ ξύλȣ πεποιημένȣς μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας. Bochartus (140) phallum exponit per מפלצת, David de Pomis apud eumdem per צורה חבר מכוער *pudendi virilis imaginem*. Ex quo intelligitur per quam obscœna fuisse Osiridis & Adonidis sacra. Tralatitium erat, longoque usu receptum, ut mulieres, quæ ritibus istis intererant, tonderentur, quæcumque autem tonderi nolebant, talem exsolvebant pœnam. Unum diem ad quæstum corpore faciendum prostabant. Illud forum solis peregrinis exhibebatur, & quod inde mercedis auferebant, Veneri dabatnr in sacrificium, quemadmodum hæc Lucianus (141) αὐτόπτης in libro sæpius laudato enarrat. Hanc impietatem *Deus* abominatus est, eamque severe prohibuit, Deuter. XXIII. 18. לא אביא אתנן זונה ומחיר כלב בית יהוה: *Non adferes mercedem meretricis, neque pretium canis in domum Domini*. Non recensebo impræsens φαλληφόρια & Pamylia: hæc enim maxima ex parte conveniunt, in quibus penis imago usurpabatur. *Præstat enim enormia illa non sacra sed scelera, non cerimonias, sed iniquitates; sacra inquam ignominiosissima, veras Diaboli ad animas in omne genus vitiorum præcipitandas adinventiones,* æter-

*æternis tenebris damnare*, *quam illis recitandis castis auribus officere*, elegans est Kircheri (142) judicium, cum de rebus hisce differere vellet. Ceterum legi potest Plutarchus. (143) Impios hos, obscœnos & exsecrandos gentium ritus imitabantur Israelitarum mulieres, & abominationes istas in templo *Deo* consecrato impune exercebant, additis procul dubio sacrificiis, quia in porta Septentrionali, quæ non multum ab altari aberat, sedisse, a Propheta commemorantur. (144)

XXV. Nunc exponemus, quo anni tempore Thammuzi festum celebrari consueverit. Maimonides, (145) ut supra audivimus, ad primum mensis Thammuzi diem solemnia hæc refert: והיה זה להם לחק עולם בתחלת יום ראשון מחדש תמוז בכל שנה יספרו ויבכו על התמוז *Et hic erat mos perpetuus*, *ut initio mensis* Thammuz *cum lugerent atque plorarent filii hominum*. Consentit fere Kimchius: (146) יש מפרשים מבכות משמחות את בירח תמוז היו עושים חג לעבודה זרה *Sunt qui exponunt* מבכות (flentes) *quasi lætificantes Thammuz in mense Thammuz*, *quo tempore faciebant festum idolo*. Hinc ipse mensis, quo sacra hæc celebrata sunt, Thammuz, & Solis in cancrum introitus תקופת התמוז *revolutio seu periodus Thammuz* appellatur. S. Hieronymus (147) existimavit, anniversaria ista solemnia mense Junio celebrata, & hanc ob causam ipsum mensem Thammuz appellatum esse. Consentiunt Viri doctissimi H. Valesius, Buxtorffius, Villalpandus, Seldenus, aliique. Ab hac vero sententia discedit *Norisius* (148) Purpuratorum eruditissimus, qui pro Junio Julium substituendum esse putat, & Syros mensem Julium Thammuz, Junium vero Haziram appellasse, multis in medium allatis argumentis probat. Tota controversia ab hac quæstione pendet, cui videlicet ex Romanis mensibus Thammuz respondeat, in quo Adonidis & Thammuzi sacra celebrata fuisse constat? num Junio an vero Julio? Illustris Norisius contendit, Thammuz Syrorum Romanorum Julio exacte respondere. Ut sententiam confirmet, provocat ad auctoritatem Albategnii & Vlug Beghi citra ultraque Gangem Principis & magni Tamerlani nepotis librum de *Epochis insignioribus* Persice conscriptum, Latina vero civitate donatum a Joanne Gravio & editum Londini A.C. 1650. (149) Cujus sententiæ nos etiam rerum argumentis confirmati subscribimus. Bybliensibus lugendi tempus indicabatur a fluvio quodam, cui nomen Adonis, qui ex Libano monte defluens aliquot infra urbem miliaribus in mare se exonerabat. Numum exhibet Norisius (150) cum inscriptione: ΒΥΒΟΥ ΙΕΡΣ *Bybli sacræ*. Visitur ibi intra templum tetrastylum genius urbis Bybli capite velato ac turrito, cum imagine fluminis Adonis per Bybliorum agrum decurrentis. Hic fluvius cruore sive rubeo colore quotannis inficiebatur. Nam exorientes certo anni tempore venti, terram pulverulentam & minio maxime similem in eum conjiciebant, & rubore tingebant, quod Bybliensibus lugendi tempus indicabat. Plus difficultatis est in definiendo tempore, quando Ægyptii Osiridis sacra celebrarunt, propter annum Ægyptiorum vagum, quo fasta omnes menses & dies anni Juliani transibant. Mense *Athyr* solemnia illa peragi consuevisse ex Plutarcho (151) discimus, qui post annum Nabonassareum ab Augusto fixum, longe a Julio abest, & in Novembrem Julianum incidit. Vetus Romanorum Calendarium in Novembri *Heuresin* festum habet, repertum Osiridem denotans. Hac de re eleganter & erudite differentem vide Seldenum. (152)

XXVI. Ratio instituti postulat, ut etiam explicemus, quid Thammuz physice significarit. Quemadmodum Thammuz, Adonis, Osiris, Bacchus, Baal unius rei diversa tantum sunt nomina: ita sub singulis intelligebatur Sol. Vetustissima est ἡλιολατρεία & cum ipso falsorum Deorum cultu orta. Ejus antiquitatem ex Deut. IV. 19. & Job. XXXI. 26. 27. G.I. Vossius (153) colligit. De ejus origine sequentem in modum differit Maimonides: (154) בני האדם אמרו האל ברא כוכבים אלו וגלגלים להנהיג את העולם ונתנם במרום וחלק להם כבוד והם שמשים המשמשים לפניו ראויים הם לשבחם ולפארם ולחלוק להם כבוד: Hæc Dionysius Vossius ita interpretatus est: *Homines dicebant*, *Deus creavit stellas ac sphæras istas ad regendum mundum*, *easque in sublimi posuit & honoris participes fecit*, *& illis ministris utitur*, *merito profecto laudemus eas atque extollamus & honorem iis impertiamur*. Veteres equidem non facile simulacra solis constituebant. Hinc in Templo Hierapolitano *θρόνος ἠελίου Solis tantum thronus* conspiciebatur. Cujus rei hanc rationem se didicisse Lucianus (155) refert: λέγουσι τοῖσι μὲν ἄλλοισι θεοῖσι ὅσιον ἔμμεναι ξόανα ποιέεσθαι· οὐ γὰρ σφέων ἐμφέων ἐμφανέα πάντεσι τὰ εἴδεα. ἠέλιος δὲ καὶ σεληναίη πάμπαν ἐναργέες, καὶ σφέας πάντες ὁρέουσι, κοίη ὦν αἰτίη ξοανουργίης τοῖσι ἐν τῷ ἠέρι φαινομένοισι; Plutarchus (156) autem in Libro sæpius a nobis laudato testatur, quod fuerint, qui Osiridem Solem esse diserte affirmarent. De Adonide & Baa-

le

le res extra dubium est. De Thammuzo quin solem significaverit, nemo dubitabit, qui secum expendit, nihil apud Israelitas usitatius fuisse, quam siderum cultum. (157) Quoties commemorantur כל צבא השמים LXX. πᾶσαν δύναμιν τοῦ οὐρανοῦ coluisse? Coluerunt בעלת חמים *Dominam & reginam cœli* itemque הלכת השמים βασίλισσαν τοῦ οὐρανοῦ, quam nos lunam interpretamur, quæ alias Astarte ab אשתרות nominari censetur. Lucianus: (158) Ἀστάρτην ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι. Obiter hoc loco noto, quod Beelsamen nihil aliud sit, quam בעל השמים κύριος οὐρανοῦ & ipse Sol. Neque illud negligendum videtur, quod שמים Hebræorum Magistris Deum notet. Pervulgatum est illud apud Talmudicos: הכל לשם שמים *omnia ad cœlum*, vel ut Kimchius alicubi effert, מעשיך יהיו לשם שמים *Omnes actiones tuæ sint in nomine cœli*. Ita ארם ירא שמים *homo timens cœli* de eo qui Deum timet, dicitur. Ipsæ sacræ literæ cœli vocem sæpe de Deo usurpant. Psalm. LXXIII. 9. שתו בשמים פיהם ולשונם תהלך בארץ, *opponunt cœlis os suum & lingua eorum pervadit terram*. Consentiunt interpretes per שמים Deum intelligendum esse. Illustris & evidens apud Danielem locus est Dan. IV. 23. מן די תנדע די שליטין שמיא: *ut cognoscas quod dominentur cœli*, hoc est, ut commate antecedente explicavit: די שליט עליא *quod dominetur altissimus*. Eodem sensu οὐρανὸς in N. T. aliquoties sumitur, Luc. XV. 21. Πάτερ ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανόν, Syrus habet ܚܛܝܬ ܒܫܡܝܐ *peccavi in cœlum* id est in Deum, perinde ut alibi Joannis Baptismus ἐξ οὐρανοῦ & a Deo fuisse traditur. De ἡλιολατρείᾳ, cujus pagani primos Christianos accusarunt, legi potest Christianus Kortholtus, (159) qui occasionem etiam & caussas hujus convicii ex antiquitate demonstrat. (160)

XXVII. Quid Thammuz φυσικῶς significet, declaravimus. Jam nil restat amplius, quam ut ἱστορικῶς eum interpretemur, & ex veterum monimentis, unde fabula originem habeat, expediamus. Displicet nobis Davidis Flud a Giffen sententia, qui hieroglyphice omnia exponit in epistola superioribus annis de *Fletu Tammuz* in lucem edita, quam Joanni Braunio inscripsit. Nos arbitramur a viro celebri, prudente, regia majestate pollente, fortissimo Heroe & benefico, a quo fortasse plurima beneficia populus accepit, ansam fabulandi desumtam esse. Id enim constat Principibus fortibus divinum sæpe honorem delatum esse. Ipsi heroes Diis se genitos iisdemque honore pares esse jactarunt. De Alexandro res nota est. Ejus in regno successores divinam Majestatem cum imperandi jure in se devolutam esse credebant. Hinc plurimi Principum Græciæ numi ad posteritatis memoriam excusi superbo hoc titulo oppleti sunt: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ. Ipsius Dei nomen sibi imponere non erubescebant. Legimus in numis. (161) ΘΕΟΣ ΝΙΚΑΤΟΡ, ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ, *Antiochus Deus Epiphanes*, ΘΕΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ, *Deus Philopater*. Quem fastum Romanorum αὐτοκράτορες, penes quos summa Imperii erat, imitati sunt. Numis inscriptum legimus: ΘΕΟΣ. ΝΕΡΩΝ, *Deus Nero*, ΘΕΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΘΕΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Conf. Vaillant, Spanhemius, atque Goltzius. Unde patet, usu apud antiquos receptum fuisse, ut Reges rerum gestarum gloria inclyti, vel fastu tumidi divinum nomen adsumerent & cives etiam Principibus bonis divinum honorem attribuerent. Bene Horatius: (162)

> *Romulus & Liber Pater & cum Castore Pollux*
> *Post ingentia facta Deorum in templa recepti.*

De Germanis diserte adfirmat Tacitus, (163) quod heroibus suis nomina Deorum dederint. Ea enim humani ingenii ratio est, ut ei a quo beneficia vel damna accipit & terretur, divinitatis quid in esse credat. De Ægyptiis & Phœniciis id testatur Philo Byblius apud Vossium. (164) Ita ex Polemone Clemens Alex. refert, (165) homines circa Troadem habitantes, mures coluisse, quos σμίνθους appellabant, ὅτι τὰς νευρὰς τῶν πολεμίων διέτρωγον τῶν τόξων, *quoniam arrodebant chordas arcuum suorum hostium*. Ab istis muribus Sminthii Apollinis nomen dimanavit. Testatur Plutarchus, (166) Ægyptios narrasse, Mercurium, Typhonem, Osirim τῇ φύσει ἀνθρώπους exstitisse. Quare existimamus Thammuz & Osiridem illustrem magnumque Virum in Ægypto fuisse, quem & Deum appellarunt, & ut Deum coluerunt.

XXVIII. Quis autem fuerit fortissimus ille heros & illustris vir, a quo fabula & sacri ritus orti sunt, dissentiunt inter se eruditi. Huetius (167) Thammuz & Osiridem, aliosque veterum Deos, qui ab his non differunt, Mosen fuisse multis gravissimisque in medium allatis argumetis evincere conatur. Ab hac sententia discessit Joannes Braunius, (168) &, editis de hoc argumento ante aliquot annos Dissertationibus, pro Mose Josephum substituendum esse demonstrare an-

annisus est. Nos nec Huetio nec Braunio viris longe Doctissimis temere contradicturi in expedienda hac controversia sequenti nitemur fundamento. Ipse Braunius (169) confitetur *ex uno Deo veteres gentiles plures fecisse, & plures Principes habuisse nomen ejusdem Dei*, quod nos pro verissimo admittimus & fundamenti loco supponimus. Consentit Huetius, (170) quando docet *eidem fabulari personæ sæpe duorum hominum facta veteres affinxisse*. Et quoniam *Nomen Numenque Osiridis plurium gesta & cultus complectebatur* ex Vossii (171) judicio, rerum argumentis confirmati existimamus, multa & potiora quidem in Mosem convenire, nonnulla contra de Josepho interpretanda esse. Josephi quippe historia & res a Mose gestæ lapsu temporis coaluisse nobis videntur, ita ut utrique non solum eadem sacra facta, idem delatus cultus, sed ambo etiam rerum gestarum memoria commixta pro uno tantum Deo sint habiti. Quapropter discedimus in Huetii sententiam, quatenus affirmat per Thammuzum Mosen intelligendum esse, in eo autem dissentimus, quando Vir summus putat, omnia quæ de Thammuzo dicuntur, soli Mosi prætereaque nemini competere. Braunii sententiam, qui Josephum intelligit, aliqua ex parte amplectimur, quia persuasi convictique sumus, nonnulla in Thammuzi Osiridisque sacris deprehendi, quæ vix ulla idonea ratione Mosi attribui possunt. Illud vero Braunii institutum nobis displicet, quod novandi studio abreptus omnia ad solum Josephum accommodare voluit, & eruditissimorum virorum, totiusque antiquitatis rationes, quæ pro Mose pugnant, temere neglexit.

XXIX. Recensendæ sunt rationes, quibus Thammuzum Mosen fuisse probari potest. Nos תמוז ab Ægyptiorum voce τκμὰτ deduximus, quæ absconsionem significat. (172) Absconditus, fuit Moses quando abjectus in carectis delituisse dicitur. Josephum Thammuz appellatum esse, quia in fovea & carcere absconditus fuit, ut Braunius arbitratur, nobis non fit verisimile. (173) Nec obstat Josephi nomen, quando צפנת פענח *occultorum revelator* vel ut Onkelos habet גברא דמטירן גלין ליה *vir cui occulta revelata sunt*, a Pharaone appellatus est. Nam Moses etiam occulta revelavit, & ut vates divino afflatu excitatus futura prædixit. Mosen certe ab Ægyptiis pro Deo fuisse habitum Huetius (174) veterum testimoniis egregie probat. (175) Et in Exodo (176) diserte dicitur: האיש משה גדל מאד בארץ מצרים בעיני עבדי פרעה ובעיני העם, *fuit Moses vir magnus valde in terra Ægypti coram servis Pharaonis & omni populo*. Forte Ægyptiis innotuit, quod Deus ad Mosen dixerit: ראה נתתיך לפרעה לאלהים *Ecce dedi te Deum Pharaoni*. (177) Nec a sententia nos dimovebunt, quæ a Bocharto & Braunio (178) in contrarium afferri solent, Mosen Ægyptiis invisum fuisse. Quid enim obstat, quo minus, quem vivum oderant, mortuum amarent, meritisque honoribus colerent? Et recte respondit Huetius: (179) *Primos in orbe Deos fecit timor*. Et apud Chaldæo-Syros ܕܚܠܐ & דחלא σέβασμα atque idolum a דחל *a metuendo* dicitur, quod homines illud ceu Deum metuant. Præterea Adonidem Mosen fuisse constat. Dicebatur Adonis φιλέρημος & deserti sectator. Quis ignorat maximam vitæ partem Mosen in desertis exegisse? Prudentiæ laude Adonis celebratur. Moses rebus præclare gestis summam gloriam consecutus est, dum populum multitudine fere innumerabilem prudentissime gubernavit, eapropter νομοθετικός, τακτικός, στρατηγικός, πολιτικός, φιλόσοφος a Clem. Alex. appellatus. (180) Accedit quod ex Stephani Proto-Martyris testimonio ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων. ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἐν ἔργοις. (181)

*Et formosus oves ad flumina pavit Adonis*. (182)

Easdem pavit Moses in Arabia. In Adonidem adhuc puerum amore commota fuit Venus, quæ clam Diis omnibus in arca eum occuluisse & Proserpinæ tradidisse dicitur. Hæc ex S. literis desumserunt isti fabularum architecti. Jocabed enim filio aucta perquamformoso, tribus mensibus eum abscondit, cumque celare amplius non posset, sumsit fiscellam scirpeam, & infantulum intus positum in carecta abjecit, mortique sive Proserpinæ tradidit. Adonidem mulieres ἀδωνιάζουσαι stato tempore quotannis deflebant. Hebræi dies triginta Mosen luxerunt. De hortis Adonidis, quorum mentionem iniicit Theocriti Scholiastes, (183) nihil subjungo. Videri possunt Vossius, (184) Herbertus, (185) & Huetius. (186) Nunc probabimus Osiridem fuisse Mosen. Non exscribemus quæ pervulgata & ab eruditissimis Viris jam tum observata sunt. Ea tantum adferemus, quæ ex auctorum lectione de hoc argumento nosmetipsi enotavimus. Narratur a Plutarcho, (187) Osirim inclusum arcæ *clavis liquidoque plumbo* obfirmatæ ad Nilum delatum esse. (188) Idem

de Mose S. literæ affirmant: ותקח חיבת גמא ותחמרה בחמר ובזפת ותשם בה את הילד *Et sumsit* (Mosis mater) *fiscellam scirpeam & obduxit pice atque bitumine & intus posuit infantem*. (189) Arca Osiridis apud Byblum ejecta ericæ cuidam molliter insedisse & ab ea occultata fuisse scribitur. (190) Arca Mosis בסוף על שפת היאר *in alga* Nilotica *juxta fluvii ripam* deposita, & Moses revera ἐν τῇ βίβλῳ in papyrione & ἐν θίβῃ ἐκ βίβλȣ *in arca byblina seu papyracea* repertus fuit. Illius arcam Isis invenisse & infantem nutrivisse commemoratur. Idem plane de Pharaonis filia, quæ Mosen educare jussit, affirmant diviniores literæ. Isis puerum istum, quem Anubin appellavit, custodem & comitem secum habuit. Thermutis Pharaonis filia Mosi nomen imposuit, & in filium adoptavit. Anubis iste τȣ̀ς Θεȣ̀ς φρȣρεῖν καὶ τῶν Θεῶν ὑπηρέτης credebatur. Moses Dei servus Deum frequenter adibat, & Dominus cum eo loquebatur פנים אל פנים *de ore ad os*, eum plane ad modum, quo cum amico quis loquitur. (191) Rex & Dominus Osiris erat. Moses in sua non solum gente, sed apud Ægyptios etiam auctoritate plurimum valebat. Osiridis imagini ἀμπεχόνην φλογοειδῆ *velamen flammeum* circumponere solebant. Moses splendorem vultus sui amiculo obducto occuluit. (192) Ægyptii ἀληθινὸν τάφον Osiridis nesciverunt. (193) Non dissimiliter Mosis ignoratum fuit sepulcrum. Hæc aliaque, quæ magno numero afferri possunt, evidenter probant, fabulam Osiridis in Mosis historia latere.

XXX. Josephi contra memoria non diu admodum in Ægypto durasse videtur. (194) Nam mortuo Pharaone dicitur surrexisse Rex alius אשר לא ידע את יוסף *qui Josephum non noverat* & qui nulla meritorum habita ratione in Israelitas sæviebat, gravissimamque tyrannidem exercebat. Conferri possunt Heydeggerus (195) & Bochartus. (196) Pleraque Braunii argumenta, quæ pro Josepho conquisivit, magni ponderis non sunt. Laudat celeberrimos Viros, Julium Firmicum, Ruffinum, Suidam, G. I. Vossium, Baronium atque Bonfrerium suæ sententiæ suffragatores. Sed nos horum Virorum auctoritati aliorum eruditissimorum virorum auctoritatem opponimus & majori quidem numero, qui una omnes sententia pro Mose pronunciant. Deinde facile largimur, quædam in Josephum convenire & res quasdam ab eo gestas fabulæ immistas esse, sed hoc negamus, quod omnia & singula, quæ in Thammuzi Sacris deprehenduntur, a solo Josepho habeant originem. Objicit, Bacchum, qui idem est ac Thammuz, appellari a בכה *flevit*, & per hunc Josephum, qui a Patre ploratus est, intelligendum esse. Sed respondemus, non solus Josephus, sed Moses etiam cum quando expositus, tum quando mortuus est, ploratus fuit. Porro dicit Braunius, Josephum a summa, qua in aula Pharaonis valebat, potestate ארון *Dominum* & inde Adonidem appellatum esse. Nos contra existimamus, titulum hunc majori jure Mosi tribui debere, qui ab ipso Deo designatus Dux populo multitudine innumerabili præfuit. Osiridem, qui Plutarcho teste, Ἄρσαφις etiam dicebatur, abjectis & immutatis literis, Josephum esse, valde est incertum. Nec firmiora sunt argumenta, quæ Braunius addit. Adonis Osiris & Bacchus rara pulcritudine celebres fuerunt, ideo per eos Josephus intelligi debet, quippe qui erat (197) יפה מאר ויפה מראה LXX. καλὸς τῷ εἴδει καὶ ὡραῖος τῇ ὄψει σφόδρα, *pulcher specie & adspectu valde ornatus*. Respondemus Josephum non solum, sed Mosen etiam a rara formæ elegantia laudari. Nam Exod. 2. (198) legitur ותרא אותו כי טוב הוא *& vidit eum esse pulchrum*, Aquila interpretatus est ἀγαθὸν, sed LXX. melius ἀστεῖον, Symmachus καλὸν, Syrus ܫܦܝܪ, Jonathan בר קיומי *filium procerum*. Stephanus Act. VII. 20. Mosen appellat ἀστεῖον τῷ Θεῷ, *venustum Deo*, id est maxime venustum, ut Jonæ I. 2. Ninive erat urbs גדולה לאלהים *magna Deo* id est maxima vid. Glassius (199) & Bochartus. (200) Philo (201) de vita Mosis ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν ἢ κατ' ἰδιώτην, *speciem præ se ferre venustiorem visus, quam plebeii homines*. Et paulo post addit, Regis filiam eum a capite ad calcem contemplatam τήν τε εὐμορφίαν, καὶ εὐεξίαν ἀποδέχεσθαι *ejus formam & bonam corporis habitudinem probasse*. Quæ de Thammuzi prudentia justitia, Philosophiæ cognitione Braunius disserit, illa omnia in Mose cumulatissime inveniuntur, nec Josephum intelligi debere probant. Ex Plutarcho tandem tradit, Osiridem arca plumbea inclusum in Nilum abjectum: Mosen vero non in plumbea sed arca scirpea bitumine duntaxat & pice oblita, ad Nili ripam expositum esse. Sed fallitur Braunius, quando arcam Osiridis plumbeam fuisse existimat. Plutarchus (202) enim, ad quem temere provocat, docet, illam clavis tantum extrinsecus & liquido plumbo obfirmatam & oblitam fuisse. Hac ratione

a S.

a S. literis, quæ de Mose talia tradunt, Plutarchus vix differit. Sed hæc adnotasse sufficiant, ad reliqua respondebimus in conflictu.

XXX. Quod reliquum est, haud difficulter Doctissimo Braunio (203) concedimus, ante Mosis tempora alios isto honore cultos fuisse ita profanus hic ritus ante Mosem ortus, in Mose vero ad ἀκμὴν perductus videatur. Sive autem מצרים Chami filius, ut Vossius putat, sive Josephus primus fuerit, non satis liquet. A Josepho de tota Ægypto præclare merito fabulandi ansam desumtam esse veri fit simile. Expendantur hoc loco illa antiquitatum monumenta, quæ Cl. Braunius Jo. Spencerum, (204) ut opinamur, sequtus cumulate in medium adfert. Hæc tamen non impediunt, quo minus totam ferme superstitionem a Mose & rebus ab eo gestis derivemus, cum Josephi historia, quæ antiquior fuit, oblivioni tradita, vel certe cum Mose confusa a rudi plebe videatur. Plura de arduo hoc multisque difficultatibus involuto argumento dicere in præsens haud potuimus. Quæ restant & explicata satis non sunt in aliud tempus reservamus.

# N O T Æ.

(1) *Conf. Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. e III. p.* 114. *Quæst. Alnet. L. II. c. XI. p. m.* 172.
(2) *Lucianus de Dea Syr. p. m.* 410.
(3) *Edm. Dickinson in Delphis Phœniz.*
(4) *Bochartus in Hierozo. P. I. L. II. c.* 18. *f. m.* 226.
(5) *Dickinson. l. c.*
(6) *Seldenus de Dis Syr. Synt. II. c.* 1. *p. m.* 203.
(7) *Justin. Martyr. in Paræn. f. m.* 21.
(8) *Joan. Spencerus de Leg. Ebr. ritual. L. III. Diss. VII. c.* 4. *f.* 923.
(9) *H. Witsius in Ægypt. L. I. c. VI. p. m.* 28.
(10) *Joan. Braunius in Selden. sacr. L. IV. c. X. p. m.* 498.
(11) *Sam. Bochartus in Chan. L.* 1. *c.* 18. *p. m.* 482.
(12) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. c. X. p. m.* 260.
(13) *Strabo L. XVII.*
(14) *Maimon. de Idol. c. VI.* §. 5.
(15) *Conf. Ezech. XXIII.* 47.
(16) *H. Grotius ad Deuter. c. XVIII.* 10.
(17) *Kircherus in Oedipo Ægypt. Synt. IV. c. XV.*
(18) *Braunius in Sel. sacr. L. IV. c. IIX. p. m.* 476.
(19) *Cyrill. Alex. in Es. L. II. T. II. f. m.* 214.
(20) *Ezech. VIII. v.* 14.
(21) *Hotting. in primitiis Heidelb. p. m.* 393.
(22) *Reinesius in Diss. de Deo Endovellico.*
(23) *Marsham. in Canone Chron. sec. I.*
(24) *Plato in Phœdro.*
(25) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. c.* 3. §. 4. *p. m.* 120.
(26) *Manethos ap. Plut. de Is. & Osir. f. m.* 354.
(27) *Plutarch. de Isid. & Osir. f. m.* 354.
(28) *Conf. Braunius in Sel. Sacr. L. IV. c. V. p. m.* 414.
(29) *Plut. l. c. f.* 354.
(30) *Clem. Alex. L. V. Stromat. p.* 409.
(31) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. c.* 4. §. 8. *p. m.* 143.
(32) *Conf. Quæst. Alnetan. L. II. c.* 2. §. 14. *p. m.* 110.
(33) *Euseb. de Præp. Ev. c. X. L. I.*
(34) *Lucian. de Dea Syr. f. m.* 417.
(35) *Justin. Mart. in Orat. Paræneт. ad gentes f. m.* 29.
(36) *Spencer. de Leg. Ebr. ritual. L. I. c.* 1. *f. m.* 22. 23.
(37) *Maimon. de Idol. c.* 1. §. *X.*
(38) *Lucian. de Dea Syria.*



(39) *Cyr. Alex. in Es. L. II. Tom. IV. f. m.* 280.
(40) *Clem. Alex. Protrept. f. m.* 25.
(41) *Conf. Witsius in Ægypt. L. II. c.* 2. *p. m.* 62.
(42) *Marshamus in Can. Chr. p. m.* 34.
(43) *Conf. Diod. Siculus L.* 1. *p.* 31.
(44) *Juvenal. Satyr. XV.*
(45) *Exod. XXIV.* 5.
(46) *Exod. IIX.* 22.
(47) *Plut. de Isid. & Osir. f. m.* 366.
(48) *Conf. Bochartus in Hieroz. P. I. L. II. c.* 53. *f. m.* 644.
(49) *Joan. Spencerus de Legibus Ebr. ritual. L.* 1. *c.* 1. *f.* 25. *item. Libr. III. Præf. f. m.* 520. *& L. III. c. XI. f.* 626. *Edit. Cantabrig.*
(50) *Guliel. Outramus de sacrificiis.*
(51) *Marshamus in Canone Chron. p. m.* 189.
(52) *H. Witsius in Ægypt. L. II. c.* 1. *p. m.* 58.
(53) *Neh. Grevv. in Cosmol. Sacra. L. IV. c.* 7.
(54) *Maimonid. More Nevoch. P. III. c. XXIX.*
(55) *Braunius in Sel. Sacr. L. IV. c.* 2. *p. m.* 374.
(56) *Cyrill. Alex. in Es. XIIX. Tom. III. L. II. f. m.* 275.
(57) *Hieronym. ad h. l.*
(58) *Seldenus de Dis Syr. p. m.* 244.
(59) *Bochartus in Hieroz. P. II. L. VI. c.* 9. *f. m.* 831.
(60) *Lucianus de Dea Syr. f. m.* 417.
(61) *Auson. Epigr. XXX.*
(62) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. e X. p m.* 240. 241.
(63) *Braunius in Sel. Sacr. L. IV. c.* 11. *p. m.* 376.
(64) *Wisius in Diatr. de Legione fulminat. Christian.* §. *LXX.*
(65) *Seneca de Benef. LIV. c. VII.*
(66) *Vossius in Theol. Gentili L. I. c.* 2. *p. m.* 9.
(67) *Villalpandus in Ez. ad h. l. f. m.* 124.
(68) *Braun. in Sel. Sacr. l. c. p. m.* 377.
(69) *Conf. Hotting. in Prim. Heidelb. p. m.* 395.
(70) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. c.* 3. *p. m.* 102.
(71) *Joan. Meursius in Græcia feriata ad* Ἀδώνια.
(72) *Lucianus de Dea Syria.*
(73) *Plutarch. in Alcibiade f. m.* 200. *B.*
(74) *Plut. in Nicia f. m.* 532. *B.*
(75) *Ammianus Marcell. L. XIX. c.* 2.
(76) *Conf. L.* XXII. *c.* 24. *& H. Valesius in notis.*
(77) *Cyrill. Alex. in Esa. XIIX. L. II. Tom. III. f. m.* 275.



(78) *Bo-*

(78) *Bochartus in Chanaan. L. 1. c. 18. p. m.* 484.
(79) *Cyrillus Alex. l. c.*
(80) *Lucianus de Dea Syria.*
(81) *Cyrill. Alex. l. c. f. m.* 276.
(82) *Procopius in Es. ad c.* 18.
(83) *Seldenus de Dis Syr. Synt. II. c. 11. p. m.* 334.
(84) *Braunius in Sel. Sacr. L. IV. c. 2. p. m.* 381. 382.
(85) *Bochartus in Phaleg. L. IV. c. 2. p. m.* 240.
(86) *Plutarch. de Isid. & Osir. f. m.* 358.
(87) *Bochartus l. c.*
(88) *Conf. Hieroz. P. I. L. II. c. 34. f. m.* 342.
(89) *Scheff. de Phil. Ital. p. m.* 153.
(90) *Conf. Witsius in Ægypt. L. III. c. 4. p. m.* 218.
(91) *Bochartus in Chanaane L. II. c. 11. p. m.* 818.
(92) *Stephanus in* Αμαθὸς.
(93) *Suidas in* ἡράσκοι.
(94) *Ausonius Epigr. XXX.*
(95) *Thomas Hyde in notis ad itinerarium mundi Peritsoli p. m.* 46.
(96) *Vossius de Idol. L. I. c.* 27.
(97) *Plutarch. l. c.*
(98) *Selden. de Dis Syr. p. m.* 149.
(99) *Salmasius de annis Climact. p. m.* 566.
(100) *Huetius in Demonstr. Ev. Prop. IV. c.* 8. *p. m.* 188.
(101) *Braunius in Sel. Sacr. L. IV. cap. 3. p. m.* 386.
(102) *Salmasius l. c.*
(103) *Strabo Libr. XVII.*
(104) *Conf. Plinius LVIII. c.* 46.
(105) *Plutarch. de Isid. & Osir. f. m.* 359.
(106) *Plut. l. c. f.* 362.
(107) *Braun. l. c. p. m.* 405.
(107) *Conf. Kircheri Oedip. Ægypt. T. I. Syntagm. IV. c.* 10.
(109) *Spencerus Leg. Hebr. Rit. L. I. c. 1. f.* 23.
(110) *Hammond. notis ad 1. Cor. X.* 7.
(111) *Selden. de Dis Syr. p.* 127.
(112) *Seldenus l. c. p. m.* 138.
(113) *Witsius in Ægypt. L. II. c. 11. p. m.* 65.
(114) *Braunius l. c. cap. 8. p. m.* 453.
(115) *Bochartus in Hieroz. P. I. L. II. c. 34. f. m.* 334.
(116) *Plutarch. l. c. f. m.* 366.
(117) *Jo. Spencerus de Leg. Hebræorum ritual. L. III. Diss. V. f. 745. & 761. Edit. Cantabr.*
(118) *Grotius ad Hebræos c. IX. v.* 4.
(119) *Braun. in Sel. Sacr. p. m.* 390.
(120) *Plut. de Is. & Osir. f.* 362.
(121) *Huetius in Dem. Ev. Prop. IV. c. 4. p. m.* 139.
(122) *Tacitus in Hist. L. IV. c.* 83. 84.
(123) *Spencer. L. III. LL. Ritual. Ebr. Diss. V. c. 8. sect. II. f.* 805.
(124) *Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntagm. l. c.*
(125) *Braun. l. c. p. m.* 394.
(126) *Plutarch. l. c. f. m.* 361. 362.
(127) *Vaillant in nummis Selectior. p.* 69.
(128) *Chifletius in Abraxa Proteo, seu gemmis Basilidianis Tab. 26. & 27.*
(129) *Pignorius in mensa Isiaca.*
(130) *Braun. l. c. p. m.* 398. 399.
(131) *Kortholt. in Pagano Obtrect. p. m.* 324.
(132) *Diod. Sic. L. I. p.* 15.
(133) *Euseb. Præp. Ev. L. I. c.* 1.
(134) *Auson. Epigr. XXX.*
(135) *Plutarch. l. c. f. m.* 364.
(136) *Selden. de Dis. Syr. p. m.* 195.
(137) *Hotting. in primit. Heidelb. p. m.* 385.
(138) *R. Abarbanel. ad Jer. XLIV.* 17.
(139) *Lucianus de Dea Syr. f.* 414.
(140) *Bochart. in Chana: L. 1. 18. p. m.* 484.
(141) *Lucian. de Dea Syr.*
(142) *Kircherus in Oedip. Æg. T. I. Synt. III. c.* 4.
(143) *Plutarch. de Is. & Os. f. m.* 355.
(144) *Conf. Braunius l. c. p. m.* 369.
(145) *Maim. Mor. Nevoch. P. III. c.* 29.
(146) *Kimchius ad h. l.*
(147) *Hieronym. in h. l.*
(148) *Norisius de Epochis Syro-Maced. Dissert. III. c. 6. p. m.* 238.
(149) *Lucian. de Dea Syr.*
(150) *Noris. l. c. Diss. IV. c. 5. §. 8. p. m.* 469.
(151) *Plutarch. l. c. f.* 356. & *f.* 366.
(152) *Seldenus de Dis Syr. Synt. II. c. 11. p. m.* 335. 336.
(153) *Vossius in Theolog. Gent. L. II. c. 3. p. m.* 316. 317.
(154) *Maimon. de Idol. c.* 1.
(155) *Lucian. de Dea Syr. f.* 417.
(156) *Plut. l. c. f.* 372.
(157) 2. *Reg. XXIII.* 5. 11.
(158) *Lucian. l. c.*
(159) *Kortolt. in pagano obtrect. p. m.* 280.
(160) *G. I. Vossius in Theol. Gen. L. II. c. 3. p. m.* 320.
(161) *Vid. La Science des medailles p. m.* 112. 116. 120.
(162) *Horat. L. II. Ep. I. v.* 5.
(163) *Tacitus de moribus Germ.*
(164) *Vossius in Theol. Gentili L. I. c. 22, p. m.* 164.
(165) *Clem. Alex. Protr. f. m. 25. D.*
(166) *Plut. l. c.*
(167) *Huetius in Dem. Eu. Prop. IV. c.* 4. §. 3. *p.* 133.
(168) *Joan. Braunius in Sel. Sacr. L. IV. p. m.* 364.
(169) *Braun. l. c. p. m.* 423. 424.
(170) *Huetius l. c. p. m.* 139.
(171) *Vossius in Theol. Gent. L. I. c. 27. p. m.* 198.
(172) *Exod. II.* 2.
(173) *Gen. XLI.* 45.
(174) *Huet. Dem. Eu. Prop. IV. c. 4. n. X. p. m.* 147.
(176) *Exod. XI.* 3.
(177) *Exod. VII.* 1.
(177) *Bochart. in Hieroz. P. I. L. II. c. 34. f. m.* 343.
(178) *Braun. l. c. cap. VI. p. m.* 426.
(176) *Huet. l. c.*
(180) *Clem. Alex. L. I. Strom.*
(181) *Act. VII.* 22.
(182) *Virg. Ecl. X.*
(183) *Scholiastes Theocriti ad Idill. XV. v.* 112.
(184) *G. I. Vossius in Theol. Gent. L. II. c. 4. p. m.* 327.
(185) *Herbertus de relig. Gen. p.* 25.
(186) *Huetius l. c. p. m.* 119.
(187) *Plut. de Is. & Os. f. m.* 356.
(188) *Exod. II.* 3.
(189) *Plut. l. c. f.* 357.
(190) *Conf. Bochartus P. I. Hieroz. L. II. c. 34. f.* 342.
(191) *Exod. XXXIII.* 11.
(192) *Conf. Plut. l. c. f.* 358.
(193) *Huetius l. c. p. m.* 133.
(194) *Exod. I.* 8.
(195) *Heydegg. in Hist. Patriarch. Tom. post. Exerc. XX.*
(196) *Bochart in Hieroz. P. I. L. II. c. 34. f. m.* 338.
(197) *Exod. XXXIX.* 6.
(198) *Exod. II.* 2.
(199) *Glassius in Phil. Sacr. L. III. Tr. I. p. m.* 67.
(200) *Bochart. l. c. f. m.* 342.
(201) *Philo de vita Mosis L. I.*
(202) *Plut. l. c. f. m.* 356.
(203) *Braun. Sel. S. L. IV. c. 6. p. m.* 427.
(204) *Jo. Spencer. Leg. Ebr. Rit. L. III. Diss. V. c. 8. sect. 2. fol.* 805. 806.

THEO-

# THEODORI HASÆI
# DIATRIBE
## DE VERA ORIGINE, ET SIGNIFICATIONE VOCIS ASTARTES.

### ARGUMENTUM.

Occasio scriptionis §. 1. Conjecturæ de ἐτυμῳ vocis *Astartes*. *Verelii*, *Musbardi* §. 2. *Huetii* §. 3. *Hilleri*, *Hydii*, *Fungeri*, *Juriæi* §. 4. Nostra sententia. Astarte notat *stellam*, & descendit a voce סרר vel שהר. Tria in etymologiis sunt observanda; *forma*, *materia*, *analogia*. §. 5. Nostra sententia probatur, quia (A) hic retinetur vocis *formale*. שהר apud Arabes est *fulgere*, *splendere*. Germanicum & Belgarum Schittern §. 6. Hinc est סררים *luminaria* Quam vocem ita vertendam esse Job. X. 22. non *ordines* probatur ex natura oppositorum, §. 7. 8. An סהר *sidus* notet Joh. XXXI. 27. §. 9. Ab illa radice multæ proveniunt voces, quæ ad *astra* spectant: v. gr. Chaldæorum אסתהר, sol & סהרא *luna*; §. 10. Persarum *Stara* & *Ester* §. 11. Unde dicta est *Esthera* §. 12. sc. ob pulchritudinem & virtutem. Propter quas homines vocabant *stellas*. Ita & vocabant Amasias. §. 13. An & eadem vox lateat in voce *Zoroastres*. Variæ de hac voce sententiæ, §. 14. Latet in omnibus fere vocibus, quibus Europæ *stellam* significant, v. gr. ἄϛηρ, ἄϛρον, ϛέρεα. *Astrum*; Stern/gesteen/ starre, *starne*, *stierne*, *stierna*, *steorra*, *sidus*, *sidera*. §. 15. Σέρ, σείελος notat omnes stellas. Τέρεα, *stellas*, Ἀϛράβη, Ἀϛέροεν §. 16. *Stella*: *Estoile*, *Eostor*, *astre*, i. e. focus §. 17. Simili modo *Astarte* foemata est; א & ע sæpe præponuntur vocibus §. 18. Quia (B) *materiale* idem confirmat. Astarte enim fuit stella, quod ostenditur *generatim* quia fundamentum omnis Idololatriæ erat cultus stellarum §. 19. Speciatim. Unde toties Astrum vocatur; Et id innuunt ejus epitheta Astroarches, Ἀϛράρχη, Regina cœli, Belisama, Cœlestis. Οὐρανία §. 20. Unde numero plurali Astaroth. Quare caput bubalum illi adscribitur §. 21. Accedit (C) *Analogia*. Simili enim modo alii, quos *astra* credebant, dicti *Astaea*; Jupiter *Asterius*, *Astræus*, *Astrataea*; §. 22. Inprimis autem *Saturnus*, quæ vox ejusdem & significationis & originis est cum Astarte. Ridiculæ ejus etymologiæ. §. 23. Est a סהר, qua notat *lucere*, *splendere*. Convenit rursus *forma*, nam est idem, quod Stern; *Materia*. Est enim *stella*, cœli *lumen*, cœli filius. §. 24. *Analogia*; Simili enim modo dicitur a *luce* ΦΛΙΝΩΝ, ΛΑΜΠΩΝ, ΗΑ. Stellæ dictæ τὰ φαινόμενα. §. 25. Idem prorsus significat ΚΡΟΝΟΣ, ita dictus non a χρόνῳ, sed a קרן, quod *lucere*, *micare* notat. In Saturnalibus luminum & cereorum erat usus. §. 26. Astartem ab astris dictam notarunt Suidas, Etymologus, Phavorinus §. 27.

I. Qui hunc proxime anteit fasciculi capite *sexto* pag. 475. ubi data mihi fuerat occasio, de Ostera, patrum nostrorum idolo sententiam meam exponendi, pollicitus fui me quam primum in natales illius vocis, quæ non alia est ab Astarte, antiquissimo juxta & famosissimo non Phœnices solum, sed & totius pæne terrarum orbis Deastro, quæ in sacris עשתרת vel עשתרות dicitur, inquisiturum. Ne malum nomen sim, illud promissum nunc exuam, posteaquam uberrimum jam conjecturarum de nominis illius ἐτυμῳ adesse proventum monuero. Neque tamen eas heic coacervabo, quod id haud indiligenter factum est a Synoride perinsignium Philologorum Jo. Frischmutho, & Augusto Pfeiffero, ab *illo* in dissertatione de מלכת השמים ad locum Jer. XLIV. 17. 18. 19. (1) ab *hoc* in *dubiis*

*biis vexatis* S. S. Cent. II. l. 55. quæ ſcripta in omnium verſantur manibus. Quibus addi poſſunt ea, quæ in hanc rem, ſupra pag. 462. ſeqq. diſputata leguntur. Ut tamen eo liquidius ex collatione mutua variarum ſententiarum inſtitui queat de re iſthac Judicium, addam alias quaſdam hariolationes, quæ ad illorum Virorum notitiam non pervenerunt.

II. *Olaus Verelius* in N. ad Gothrici & Rolfonis Weſtrogothorum (2) RR. hiſt. p. 53. *Aſtharoth* explicat, quaſi *amoris dominium*, quia *amor* Gothis ſit *Aſt*, cujus caſus obliquus *aſtar* conjunctqm ſit cum vocula *ad*, quod notet *poſſeſſionem* ſive *dominium*. Acute, lepide, belle, ut nihil ſupra! Vicina huic quidem eſt, ſed dubito an melior *Lunebergii Muſhardi*, cujus de *Oſtera Saxonum* diſſertationem ſupra p. 460. laudavimus. Originem putat petendam in Hebræorum עש quo arcturum illi ſignificant, & unde Latinorum *aſtrum* ſit ortum, quodque conveniat cum Germanorum *As*, *Hes*, *Hæs*, *Es*, quem quidem alias interpretari Martem, ſe vero unicum & ſummum Deum eſſe arbitrari pronunciat. Deinde obſervat *Aſt* eſſe amorem, & in caſu ſecundo *Aſtar* & *Oſter*. Illi additum eſſe Gothicum *At*, quod eſt, pater, ut Græcorum ἄττα, &c. & inde factum *Aſtarat*, vel *Aſtaroth*. Sed non eſt, quod verear, ne multos iſta ſententia nanciſcatur aſſenſores.

III. Neque ſane condigna eſt Huetio ſententia, quam P. D. Huetius protulit in Dem. Eu. prop. IV. cap. 10. §. 3. ubi Sephoram, ſive Zipporam Moſis uxorem non aliam, eſſe ab Aſtarte aſſerit. Recte A. Pfeifferus allegato loco eam *nullis idoneis rationibus ſubnixam* eſſe pronuntiat. Iis enim eam argumentis adſtruit, quibus ſi res confici poſſit, quavis pœna me dignum deputavero, ſi non ex Aſtarte ſimili ratione & Evam, & Saram, & Rebeccam, &, quidquid illuſtrium in ſacro codice feminarum memoratur, efformaverim. Sane illuſtrem virum ſui oportet eſſe oblitum, quando ex Sephora effingit Aſtartem, cujus jam longe ante tempora Moſis mentio exſtat, &, quam jam Abrahami temporibus innotuiſſe ex Geneſeos libro apparet. Sed audiamus quomodo Huetius ex origine nominis, ſuæ opinioni pondus addat. *Aſtarte*, ita ſcribit, *nomen habet ab* עשתרות, *quod* greges *ſonat, utpote uxor Moſis viri pecuariæ rei dediti, de genere Iſraelitarum, qui erant Viri paſtores ovium, curamque habebant alendorum gregum*. En cor Zenodoti, en jecur Cratetis! Seu hujus commatis multa habet Abrincenſis præſul, quæ ut ſuam potius oſtentaret eruditionem, ſcripſiſſe videtur, quam quod ipſe de iis apud animum ſuum perſuaſus eſſet, quæque librum illum *Conjecturarum* potius, quam *Demonſtrationis* titulo dignum eſſe, arguunt.

IV. *Matthæus Hillerus*, qui nuper tanto ſuo bono, quanto literarum ſacrarum damno rebus humanis exemtus eſt, in ſynt. Hermen. Loco III. c. 5. p. 200. Aſtarten derivat ex עשר divitiæ, & quod cum hac voce idem eſt, עתרת ubertas, quaſi *aſtaroth* & *Aſtharim* ſint a plurali עתרות & עשרים vel עשר עתתות addit. *Figuram ſi Hebræos audiamus Veneri ſuæ Philiſtæi & Sidonii oves tribuerunt, quoniam & ovium greges Aſtharoth Phœnicum lingua dicuntur, lucroque & fœcunditati notandæ aptiſſimum ſymbolum ovis fuit, utpote, quod animal bis parit in anno*. Paulo aliter mentem ſuam explicat p. 205. עשתרות, *Abundantiæ & divitiarum Numen Jud.* II. 11. *Compoſitum ex* עשר *vel* עתר *vel* עתרת *abundantia, unde etiam, quod poſſeſſorem ditare ſolent ovium greges appellat* עשתרות, & rurſus pag. 332. עשתרות i. e. *divitiæ largæ & immenſæ*. עתרות *flexum a maſculino* עתר *abundantia. Ovium quoque greges ita vocantur*: שמעשרות את בעליהן *quod ditant Dominos ſuos: ut legitur tract. Talm. Cholin fol.* 84. 2. Ita ſecunda radicalis, litera ת in עשתריה eſſet epenthetica, quod tamen ſine exemplo eſſe adeoque non admittendum obſervat Bochartus in Hier. p. I. L. II. c. 43. Haud ita pridem Thomas Hydius in L. de religione Perſarum c. V. p. 131. illis acceſſit, qui vocem illam a עשתרה grex deducunt, *quod Arabibus & aliis paſtoralem vitam agentibus pronum eſſet inter pecudes & ſtellas collationem inſtituere, & inde rei paſtorali accommodata nomina imponere ſtellis*. Et ita confert Sepharvaitarum Deum ſeu aſtrum ענמלך, *Anamelech*, quaſi id eſſet *pecus Rex* ab ענא Ana ſive עז *an*, quod ſemper collective pecudes minores notet. Joh. Fungerus in Etymol. rei aliquantum propius accedit, compoſitum eſſe hoc nomen ſcribens ab עש *ſtellarum* congregatione vel conſtellatione, & תור, quæ vox & luſtrare & certam diſpoſitionem ſignificet. *Aſch* quidem eſſe Arcturum, & *Tor* ordinem gyrantem. Petrus tandem Jurieu in hiſt. *dogm. & cultuum eccl.* P. IV. tr. V. c. 1. Aſtaroth ſine ulla fere mutatione putat deſcendere a עשתה ארות, *Aſta oroth*, quod ſignificet, *facit lumina*.

V. Quod

V. Quod ſi & his ſymbolam adjicere noſtram licuerit, in eam ingreſsus ſum opinionem, vocem illam primario ſenſu ſignificare *ſtellam*, ſive *aſtrum*, porro numen illud, quod ſub Aſtartes nomine cultum fuit, nihil aliud fuiſſe, quam tale ſidus, utrumque autem denominationem ſuam a radice quidem deperdita, cujus tamen veſtigia nondum prorſus exſtincta ſunt, videlicet, שחר vel סדר, quod notionem *luminis* ſive *ſplendoris* habet, traxiſse. Ante autem, quam id oſtenſum eo, vellem a Lectore harum rerum gnaro obſervari, tres potiſſimum eſse ſive notas, ſive regulas, ex quibus, num vox aliqua ab alia deſcenderit, cognoſcas, quas quidem nunc verbulo tango, uberius de illis forſan alias locuturus. Sunt autem illæ ſequentes. *Primo* ſi literæ, ex quibus vox compoſita, inter ſe conveniant. *Deinde*, ſi ſignificatio utriuſque vocis, & matris & filiæ, hoc eſt, & ejus, quæ radix eſt, & illarum, quæ ex ea derivantur, ſit eadem. *Denique*, ſi ſimilem in modum etiam aliæ ejuſdem generis voces vel in eadem lingua, vel etiam in aliis derivata deprehendantur. Priorem ſoleo vocare convenientiam *formalem*, *materialem* alteram, tertiam *analogicam*. Si una alterave harum adſit, poteſt illa tibi obrepere cogitatio, unam alteri ſuam dediſse originem. Si vero omnes tres concurrant ſimul, parum abeſt, quin cum aliqua confidentia id aſserueris. Id itaque nunc mihi negotii datum eſſe exiſtimabo, ut palam faciam *primo* loco dari vocem, quæ, ſecundum literas non diſcrepans ab illa, quam tractamus, *lucis* habeat notionem & *aſtri*. *Porro* hanc quoque primariam ſignificationem eſſe vocis Aſtarte. Quibus *tandem* id addetur, parili modo etiam alia eorumdem locorum idola ſua appellationem ab eadem radice ſortita eſſe. Quibus præſtitis benevoli Lectoris erit, num rem acu tetigerim cognoſcere.

VI. Vox itaque, a qua Aſtarte noſtra tanquam e radice pullulavit, eſt סדר, vel ex longe frequentiſſima literarum cognatarum commutatione; שחר, quæ notionem Luminis & Fulgoris habet. In Hebraico ſermone, quo ſacer codex eſt exaratus, non memini eo ſenſu eam occurrere, ſed heic matri auxilio eſſe oportet gnatas, i. e. ex Arabica, aliiſque linguis repetatur, quod non amplius in Hebraica ſupereſt. Audiamus magnum Arabiſmi Doctorem Albertum Schultens, qui animadverſionibus ad Jum p. 29. hæc habet. " Arabice „ سدر *præſtrictos habere oculos ex nimia* „ Claritate aut Fulgore. Hinc סדר eſt „ magnum Lumen, Summa, Claritas, „ Serenitas. Eodem modo ut זהב etiam „ pro *claritate cœli* uſurpatur Job. XXXVII. „ 21. a radice זהב *oculos præſtrictos ha-* „ *bere*, proprie ex *auri fulgore*. " Hæc ille. Golius سدر explicat commotus *fuit & viſu præſtrictus* ſc. ex nimio fulgore, Camelus. Hinc originem trahere putem nomen Shider vel Schitzer, quod inter cognomina eſt, quibus veteres Perſæ Deum inſigniviſſe leguntur apud Hydium, (3) quod Deus ſit lux & luminis omnis fonſque paterque. Et cognatum cum his eſt Germanorum meorum & Belgarum, Schiddern/ Schitteren/ id eſt, *micans fulgidumque lumen more* radiorum ſolis & fulguris ſpargere.

VII. Deliteſcit eadem ſignificatio in derivatis, v. gr. in voce סדרים apud Jobum, X. 22. quam ibi per *lumina* vel *luminaria* omnino vertendam exiſtimo. Deſcribit ibi vel ſepulcrum, vel mortuorum quemcunque ſtatum ſub ſymboli tenebrioſi, & lucis expertis loci, id quod paſſim eadem ratione cum a ſacris, tum a τοῖς ἔξω ſcriptoribus fieri ſolet, quando ita loquitur. *Antequam abeam & non redeam* (4) *ad terram* tenebrarum, *&* umbræ *mortis*; *ad terram* obſcuritatis, *ubi* Caligo *&* umbra *mortis & non* סדרים, Sedarim ſunt, *ubi vel lux eſt*, *ſicut* Tenebræ; Hic quæritur, qui ſibi illi סדרים velint. In eo fere Interpretes conſpirant, quod illam vocem interpretantur *Ordines*. Mirum dictu autem eſt, quomodo ſe torqueant, quando, quid per illos Ordines intelligendum ſit, explicandum eſt. Quot tum viri, tot ſententiæ. Non hujus loci eſt eas omnes, ut plurimum ad rem parum facientes adducere. Inquirat, qui volet. Sebaſtianus Schmidius, eas cum recenſuiſſet rejeciſſet, ita pergit. *Mihi videtur maxime adtendenda* Oppoſitio *& ſcopus Jobi*. Recte quidem, &, ut tantum interpretum decet! Neque tamen illam regulam ſatis videtur ipſemet ſecutus eſſe, quando per סדרים intellit *diſpoſitionem ordinatiſſimam rerum in hoc mundo, quæ in morte non amplius eſt*. Neque enim talis directe & proprie opponitur tenebris & caligini.

VIII. Quod ſi itaque genuinum ſenſum illius vocis deſideras, faciendum eſt, quod in inveſtigatione omnium obſcuriorum & ἅπαξ λεγομένων verborum fieri debet, adtendendumque, quæ vel rebus, quibus tribuuntur, vel contrariis, *quibus* opponuntur, vel finitimis, quibus *adjunguntur*, *vel iis quibus explicantur*,

*tur*, competant, ſignificationes. Quæ quidem Antonii Schori circa Latinam linguam obſervatio aurea, & ſupra, quam dici poteſt, egregii uſus eſt in eruderandis genuinis obſcuriorum linguæ ſanctæ verborum ſignificantiis. (5) Cum itaque natura oppoſitorum exigit, ut voces utrinque oppoſitæ oppoſitas etiam ſignificationes obtineant, proclive eſt intelligere, quid ſint סררים, ſi modo, quod iis oppoſitum ſit, notetur probe. Jam, cum *tenebris*, *caligini*, *umbræ*, *obſcuritati* contraria unice ſint Lumina, ſive Luminaria, inter ea autem præcipue ſint *ſol*, *luna*, *ſtellæ*, κατ' ἐξοχὴν quoque Luminaria dicta, inde concludo ea etiam heic utique intelligenda eſſe. Ita ut deſcribatur locus tenebricoſus, *triſtis ſine ſole domus*, *quæ Luce vacet ſemper*, *caligine ſemper abundet*; Da ut Germani noſtri dicunt, iemand weder Sonnt noch Mond beſcheinet. Sicut eadem oppoſitio etiam occurrit ſequenti membro, cum legitur; והפע כמו אפל; Ubi prior vox הפע *lux* opponitur אפל, *caligini*, ut ſenſus ſit, nihil adeſſe, niſi meras tenebras, ita ut id, quod vel lucidiſſimum videri poſſit, mera caligo, quemadmodum ejuſcemodi oppoſitiones millenis aliis in locis occurrunt. Vide inter alia Pſ. CXXXIX. 11. 12. Atque ita interpretare illud סררים, Lumina, ſive, ſi mavis, eaſdem etiam in Latino ſermone literas retinere; Sidera. Sane de ſideribus jam cogitavit AbenEſra, quod videret Judæorum perſpicaciſſimus pæne neceſſarium eſſe, in hoc loco, ut ita intelligatur, quamquam non tam ad notionem luminis, quam *ordinis* reſpexit, & expoſuit de *Ordinibus ſtellarum*, quum tamen, quod ſciam, ſtellæ nunquam abſolute ita appellentur. Tametſi itaque interpretum, qui recentiorum ſæculorum ſunt, non tamen omnium omnino, neque iis contemnendis deſtituor ſuffragationibus. Gaudeo enim eos, qui ab urbe Aexandria nomen tulerunt, adeoque antiquiſſimos, & Hebraici ſermonis præ aliis gnaros haud aliter explicaſſe, qui verba, quæ tractamus, vertunt, Εἰς γῆ σκότυς αἰωνίυ, ὐ ὐκ ἐςι ΦΕΓΓΟΣ *in terram* TENEBRARUM *æternarum*, *ubi non eſt* Lux ſive *ſplendor*. Rectiſſime ſane meo judicio, & ſcopo loquentis, verborumque vi convenienter.

IX. Parum abeſt, quin huc quoque referam locum ejuſdem Jobi XXXI. 27. ubi a ſe amoliturus aſtrorum cultum v. 26. dicit *ſe non vidiſſe* (אור) *lucem ſplendentem*, *neque lunam pulchre incedentem*, & tum addit, ויפת בסתר לבי, quod vulgo vertitur; *& non ſeduxit ſe in occulto cor meum*, ſed quid obſtat, quo minus ita vertamus? *Et non ſeductum* vel *pellectum eſt ad* Sidus (ſc. colendum) *cor meum*. Ratio hujus verſionis eſt, quod ita cum præcedente eo conſpirant verba magis; Totus cœleſtium luminarium chorus vel ſol eſt, vel luna, vel aſtra reliqua; Cum itaque *ſolis* mentionem feciſſet ſub nomine אור, ut recte Chaldæus interpretatus eſt, & *lunæ*, par atque æquum videri poſſet, ſtellarum memoriam non fuiſſe negligendam, quarum partes in veterum cultu ſane non minoris erant, quam vel ſolis vel lunæ. Ne nunc dicam, illud כסתר alias videri cuiquam poſſe aliquid ſuperflui, cum ſi cor allicitur, illud fieri non poteſt, niſi in occulto. Neque quidquam eſt, quod tranſlationi huic opponi poſſit. Judicent tamen peritiores.

X. Ab his autem vocibus, quæ lucis notionem inferunt, appellationes ſuas nacta ſunt magna illa cœli terræque Luminaria, *ſol*, *luna*, & inprimis *ſtellæ*, κατ' ἐξοχὴν ita dicta cum paſſim alibi tum Gen. I. 14. Jer. XXXI. 31. Ita Sol ille luminum pater, aſtrorum dux, Chaldæis dictus eſt אסתהר. (6) Ita enim vertit אור i. e. *ſolem* Targumiſta in allegato Job. XXXI. 26. loco, ſtve ita vim vocis τῆ אור, i. e. lucem voluerit explicare, ſive ſolem nomine *aſtri*, quod ipſiſſimum אסתהר eſt, deſignare, ſicuti & alias ita ſol dicitur, uti Schol. Pindari docet ad Olymp. I. 9. Ὁ δὲ ἥλιος ΑΣΤΗΡ, cujus rei plura exempla notavit præceptor meus P. Burmannus ad Petron. p. 549. Præterea Lunam ita appellatam fuiſſe ex ſequentibus, quando Aſtartem ſub eo detuliſſe nomine monebitur, manifeſtum fiet. Perpendendum quoque harum peritis offero, anne vox סהר, vel סהרא quæ Chaldæis *lunam* denotat, unde סהרונין lunulas in veſtibus ſignificant, huc pertineat, eademque ſit cum סהר. Sane, cum perpendo, quam frequens in diverſis dialectis linguarum occurrat literarum tranſpoſitio, epentheſis, ellipſis, mutatio, nihil in eo inſulſi deprehendo. Et ſi in אסתהר *ſol* ה inſertum, quidni in סהר *luna* potuit ת omitti? Quibus accedit, quod & eodem modo hinc Σεῤ factum eſt, uti *aſtra* appellata fuiſſe mox palam fiet.

XI. Clarius autem, & vel ſole, lunaque & ſtellis fulgidius id apparet in variis vocibus; quibus ſtellæ illæ cœli מאורות, inſigniuntur, extra omnem controverſiam hinc deducendis. אסתר eſſe Stellam agnovere, confeſſique ſunt

ſunt Judæorum magiſtri, iique vetuſtiſſimi, qui inde venuſtiſſimam puellam, quam Ahas verus deperibat, ſuum inde nomen traxiſſe ſibi perſuaſerunt. Ita Targum ad Eſth. II. 7. איתקרו שמה אסתר על שם כוכב נוגהא יונית אשתירא *Vocatum eſt nomen ejus* Eſther *a nomine ſtellæ Veneris, quæ Græce dicitur Eſthera*. Pariter in Middraſch Jalkuth in Eſtheræ hiſtoriam hæc leguntur: נקרח שמא אסתר שהיו אומות העולם קורין אותו כוכב הנונח על שם אסתר *Vocatum eſt nomen ejus Eſther, quia populi mundi ita vocant ſtellam Veneris Eſther*. Id jam vidit R. Nehemias in tractatu Talmudico Megilla f. 13. 1. (7) & Moſes Alſchech Comm. ad Eſt. f. 9. col. 3. & ſeq. Recte quidem Judæi Eſtheræ nomen a ſtella deducunt, ſed, quod illam vocem vel ad Græcorum Ἀϛὴρ, vel Sidoniorum עשתרת, uti iis fuit ſtella Veneris, appellabatur, referunt, in eo minus accurati ſunt. Vivebat enim in regia Perſiæ aula, inque ea nomen illius gentilium Hadaſſæ commutatum erat in Perſicum Eſther. Perſarum autem ſermone ستاره, סתארה, ſignificat *ſtellam*. (8) Inde ſtellas fixas vocant ستاره ثوابة & palantes ستاره سياره.

XII. Atque inde Eſther dicta eſt, quaſi Stella, quod nomen etiam aliis apud Perſas datum eſt, quo pertinere videntur שתר unus ex ſeptem cubiculariis Perſarum regis Eſth. I. 10. & alius ejuſdem nominis ex ſeptem Perſarum Principibus Eſth. I. 14. & inde natum nomen dicas Satrapæ regis Cyri in Eſræ libro c. VI. 6. שתר בוזני Sethar-Buzanes, quod ipſe Hillerus (9) Aſtrum *magnum* explicat. Ita ut non opus ſit ad ridiculum confugere Judæorum εὕρημα quando in Medrash Jalkut fol. 171. col. 1. ſcribunt, למא נקרא שמה אסתר שמסתרת את דבריה *Quare vocatur nomen ejus* Eſther? *quia occultabat verba ſua, ut dicit ſcriptura* Eſth. II. 20. אין אסתר מגדת מולדתה *Non indicabat Eſther natalia ſua*. Idem innuitur quoque a R. Juda in citata Maſſ. Megilla f. 13. 1. & in Targum priore. Eadem ſane elegantia a סתר, qua *occultare, latere* notat, derivatur Eſther, qua Saturnus, ut ſtatim videbitur. Neque conjecturæ Iſaaci f. Moſis Jarchi in Captor Vapherach f. 742. & R. Elieſeris Germani in *Joſeph lekach* Comm. in Eſth. f. 241. 1. (quos Pfeifferus l. c. adducit) indigemus, qui ita dictam, quaſi *Myrtum* arborem a Chaldaico אסא vel אסתא putant, quos ſecutus eſt præſtantiſſimus Philologus Matth. *Hillerus* in Onomaſtico pag. 621. qui tamen duas voces conjungit, *Aſch myrtus* & *thera* nigra, quaſi *myrtum nigrum* diceres.

XIII. Neque ſane inepte Eſtheræ id nominis impertitum eſt, quod Orientales populi homines & forma & virtute egregios, uti cum ſole, & luna, ita & cum reliquis ſideribus comparare lubenter ſolent. Vide quæ in hanc rem notavit Vir doctus Emo Lucius Urienoet in diſſert. de *Schilo* C. V. p. 124. 125. Perſis ſtellam eſſe ſymbolum magnitudinis animi vel ex eo loco patet quem jam ex Musladini Sadi roſario allegavit l. c. Pfeifferus. In ſacris literis tales appellationes non ſunt inſolitæ. Sic Meſſias vocatur *ſtella* a Bileamo Num. XXIV. 17. De eccleſia ſimilem phraſin habes Cant. VI. 10. Confer etiam Dan. XII. 3. & præcipue Siracidem L. 7. ubi Simon dicitur Ἀϛὴρ ἑωθινὸς ἐν μέσῳ νεφελῶν. Id quoque pervulgatum eſt apud ſcriptores exoticos. Sic Apollonius Rhodius L. I. verſ. 774. Jaſonem deſcribit φαεινῷ Ἀϛέρι ἶσον. Vide eundem L. II. verſ. 41. 42. ſic Horatius Auguſtum vocat Julium *Sidus* Od. L. I. 11. 47. & populum Romanum Bruti ſocios ſtellas vocaviſſe idem poeta docet L. I. Sat. VII. verſ. 24.

*Solem Aſiæ Brutum appellat, Stellaſque ſalubres*
*Appellat comites* - - -

Plura hujus rei exempla qui deſiderat, evolvat, qui nobis heic otia fecere, Lud. de la Cerda in comm. ad Virg. Aen. VIII. verſ. 587. C. Barthium in notis ad Muſæum verſ. 22. p. 41. ut & in Claudianum ad III. Conſ. Honorii verſ. 130. pariter ad L. de nupt. Hon. verſ. 1. Jo. *Weitzium* ad Flaccum L. V. verſ. 466. & ad eundem L. V. verſ. 366. Lamp. Alardum, qui Barthium impudenter exſcripſit. Inprimis aſtrum ſymbolum fuit pulchritudinis. Hinc formoſiſſimus apud Hor. Od. L. III. c. 9. verſ. 21. vocatur Sidere Pulchrior. Et Claud. Feſcennina ita inchoat,

*Princeps coruſco ſidere pulchrior.*

Ita Ælianus V. Hiſt. L. XIII. c. 1. Atalantæ formam egregiam deſcripturus, ἐπέφηνε, inquit, ὥσπερ ἀϛήρ. Inde rem pulchram deſcripturi eam conferebant cum ſideribus. Vide Val. Flaccum L. IV. verſ. 190. & 331. L. V. verſ. 366. & 466. L. VIII. verſ. 26. Inprimis ea pulchritudo tribuebatur ſtellæ Veneris, qualem indicare Eſtheram, vidimus. Sic Hom. Il. X. verſ. 318.

Ἕσπερος ὡς κάλλιϛος ἐν οὐρανῷ ἵϛαται ἀϛήρ,

*Exſtat in æthereo pulcherrimus Heſperus orbe.*
Vide Apoll. Rhod. Argon. verſ. 40. 41. 42. & Virg. Aen. verſ. 589. Immo inter voces amantium ſive ὑποϰοριστικῶς eſt *ſtella* vel *ſidus*. Sic Amaſiam ſuam Sidus aureum vocat Hor. Ep. XVII. 31. Sic de Caligula narrat Svetonius c. 13. eum *lætiſſimo obviorum agmine inceſſiſſe ſuper fauſta nomina, Sidus & pullum & puppum & Alumnum appellantium*. Atque ex his manifeſtum eſt, quam ſapte & eleganter Estheræ tam eximia forma virgini, פת-תאר וטובת מראה, qualis deſcribitur Eſth. II. 7. 9. quam in deliciis habebat rex Perſarum, illud nomen dari potuerit. Neque deſunt exempla, ex quibus apud Orientis populos inter nomina propria illud fuiſſe conſtat. Vel illud docere poteſt ille בר כוזיבא, qui ſæculo ſecundo ſe Meſſiam jactabat, dictus בר כלכב, *filius Cocabi*, i. e. *ſtellæ*.

XIV. Sed videndum porro annon apud Perſas eadem vox delitеſcat in aliis vocibus. Fit illud, ſi ſummorum virorum auctoritatibus ſtandum eſt in voce *Aſtramphychus* (V. Scal. de Em. T. p. 588.) & Zoroaſtris. Hoc jam pridem animadvertit J. Scaliger in anim. ad Euſ. Chronicon. p. 15. En ejus verba; *Vult Diogenes Laertius Zoroaſtrem lingua Perſica ſignificare* aſtrorum ſacrificulum. *Nos ſcimus de poſteriore verbo veriſſimum eſſe* Eſther *Perſice eſſe* ἄστρον *aut* ἄστερα, *unde* Eſther *dicta fuerit. De priore membro quærant peritiores linguæ Perſicæ, non enim ſumus ii, quos pudet non omnia ſcire*. Idem agnoſcit G. J. Voſſius L. II. de Idol. c. 21. Quod fatetur vir ille maximus ſe neſcire, id indagare conati ſunt alii. Bochartus in Phaleg. L. IV. c. 1. eandem τῆ *eſter* Perſicam ſignificationem retinet, priorem vocem ab Hebraico שור, quod eſt *contemplari* arceſſit. Aſtri ſignificationem in illa voce quoque contineri ſtatuit Dinon hiſtor. L. XV. apud Diogenem Laertium L. I. c. 8. qui μεθερμηνευόμενον, φησὶ τὸν ζοροάστρην ἀστροθύτην εἶναι, quam vocem Bochartus corrigit ſubſtituendo ἀστροθεάτην. Gregorius Turonenſis L. I. hiſt. Franc. Pſeudo Clemens in recognitionibus L. IV. c. 27. Abunephius apud Kircherum explicant vocem per *vivum* Aſtrum, primam ſyllabam a ζῶν imperite deducentes. Jo. H. *Urſinus* in exerc. de Zoroaſtre conjicit ex voce *Zaruam*, quæ ſit materia & mater omnium ſeminum, nomen illud conflatum, quaſi ille ſe dixerit *Zaruami aſtrum*. Quid ſi conflatum hoc nomen dixerimus, a שר, quod ut apud Hebræos, Arabes, & longe plures populos alios, ita & apud *Perſas*, *principem* & *Dominum* ſignificat, unde & *Surenæ* nomen, quod teſte Zoſimo ἀρχῆς παρὰ πέρσαις ὄνομα. Atque ita Zoroaſter, vel ut rectius ſcribitur Zoroaſtres, ſignificaret, *dominum aſtrorum* vel *princeps aſtrum*. Ita ſane vitaretur illud incommodum, quod in Bochartiana ſententia eſt, ubi vox ſtatuitur hybrida, quales vix pati poſſum, & nomen conveniret viro illi apprime. Ne enim dicam ſapientis, qualis ille habebatur, eſſe *dominari aſtris*, meminerimus vetuſtæ traditionis, qua dicitur, eum aſtris multum ac *frequenter intentum & volentem videri Deum, velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producere, & hominibus oſtentare cœpiſſe, quo rudes atque ignari in ſtuporem miraculi traherentur. Deinde autem a Dæmone ſuo concrematum vehiculo in cœlum raptum, ſideribus immixtum, tanquam Vivum Sidus fuiſſe cultum*, quæ verba ita ex verſione Ruffini apud Pſeudo-Clementem leguntur. Sed nolo me huic argumento de Zoroaſtris vel nomine vel perſona, a tot eruditiſſimis diſcuſſo, immergere amplius. Illos tamen, qui hic aliquid aſtri putant ſe inveniſſe, illi videant, quomodo hoc ad vocem *Zarduſt* vel *Zerduſt* transferri poſſit, cum Perſæ ita nominaverint illum, quem deinceps Græci Ζωροάστρην appellaverunt.

XV. Et quid miramur in Perſia hujus rei documenta exſtare, cum in linguis fere omnibus, quibus Europæi noſtri utuntur, talia manifeſtiſſime superſint? Quid aliud eſt Græcorum ἀΣΤηΡ & ἀΣΤΡον; (10) Quid aliud eorundem ΣΤεΡεαι, quæ notant aſtra, teſte Heſychio; Στέρεαι τινὲς τῶν δικαστικῶν ψήφων, ἄλλοι δὲ ΑΣΤΕΡΑΣ? Quid Latinorum aſtrum? Quid Germanorum STeRn & geSTiRn? Quid Belgarum Steerne, & Starren? Quid Anglorum Starne, Danorum Stierne, & Suecorum Stiernna? Islandorum Stirana, qui inde Aſtronomum dicunt ſtiornu meiſtare. In verſione antiquiſſima, quæ Ulfilæ vulgo attribuitur, legitur *Steorra*. Num vero idem in Latinorum *ſidus* quoque contineri dicamus? Ego ſane non dubitem. Neque tu dubitabis, ſi flexionem vocis adtenderis Sideris, & in numero plurali Sidera, *ſiderum* &c. ecquis enim non in his τοῖς סררים & in ſtatu conſtructo סררי, *ſidre* clariſſime deprehendit?

XVI. Hinc eliſo d, qualis eliſio exemplis non caret, qualemque paulo antea in סהר jam obſervavimus, facta vox Σεῖρ, unde Σείριος, *Sirius*; Quæ quidem luminum principem, *ſolem* notant, ut

& non

& non infimæ magnitudinis aſtrum, quod a cane nomen habet, ſed & generaliter omnia, teſte Ibyco, antiquiſſimo Poeta apud Heſychium; cujus verba notanda ſunt. Σέιρος ὁ ἥλιος καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀςὴρ & paulo poſt. Σοφοκλῆς τοῦ ἀςρῷον κύνα. ὁ δὲ Ἀρχίλογος τὸν ἥλιον, Ιβυκος δὲ ΠΑΝΤΑ τὰ ἌΣΤΡΑ. Quibus prorſus gemina habet Suidas. Σειρ, σέιρος, ὁ ἥλιος, καὶ σέιρος. Et deinde. Σέιρον. τὸν κύνα. ὅτε δὲ καὶ τὸν ἥλιον. Ιβυκος δὲ ΠΑΝΤΑ ΤΑ ἌΣΤΡΑ ΣΕΙΡΙΑ λέγει. Et Schol. Apoll. Rhod. ad L. II. verſ. 519. de voce agit prolixe, & inter alia commemorabilia hæc habet; Ομοίως πάντα τὰ ἄςρα CΕΙΡΙΑ λεγοίντο, διόνει τηρεα τινα ὄντα. Quibus addo Etymologum, qui in σειραίω ita ſcribit. Ἔνιοι πάντα τὰ ἄςρα σέιρια καλοῦσι, τέιρια ὄντα καὶ σημεῖα τῶν πλεόντων. Ὁδε Ἀντίμαχος σειρίνα τὸν Δία ἔφη διὰ τὸ ἄςρον. Ex quibus patet Jovis aſtrum quoque ita dictum. Σειριᾶ, explicat Heſychius, φλεγμαίνει, καρουται, (lege καίεται) *lucet*, *micat*, *fulget*. Quod Latinis eſt *ſideratio*, id Græcis σειρίασις. Tanaquillus Faber in notis ad Longinum C. xv. §. 8. non parum ſe jactabat, quando hinc vocis *ſideris* originem putat ſe primum omnium inveniſſe. Σειρ inquit, *ſol eſt*, σέιρος, *aſtrum*, *unde & Latinorum Sidus*, *quod*, *ni fallor*, *primus omnium moneo*, *Nam quæ de illius vocis etymo dixerunt & Varro & Iſidorus*, *& ii quos appellare nolo*, *meræ nugæ ſunt*. Hæc ille. Quid dixiſſet, ſi illi in mentem veniſſet noſtri סרר vel τῶν סררים. Porro huc pertinere ἀςραβην, i. e. *fulmen*, *fulgorem*, & quidem, teſte Polluce, talem, qualis convenit aſtris, & *Fulgur* diceres. Quod etiam ſine ἀ præfixo ſcribitur στεροπη. Heſychius, στεροπη, ἀςραπη, αὐγή. Præterea idem Αςερόεν explicat ΛΑΜΠΡΟΝ. Porro huc refero ſublata prima litera Τέρεα, quaſi στέρεα. Et ea notant aſtra. Heſychius. Τέρεα, ἄςρα. Idem Euſtath. ad Hom. Od. E. docet.

XVII. Certe tantam convenientiam tot vocum, & tantum non omnium, cœleſtes orbes denotantium in tam diverſis linguis forte fortuna contigiſſe ecquis crediderit? Quin, quis dubitaverit in lingua primæva radicem aliquam fuiſſe, quæ *lucendi*, *fulgendi* ſignificationem habuit; & ad quam referendæ ſint reliquæ omnes. Neque heic excluſam eſſe velim ipſam Latinorum *Stellam*, quod rurſus eſt noſtrum *Star*, vel *Stern*, litera r in vicinam maxime l commutata, quo nihil frequentius eſt. Unde deinde Gallorum *eſtoile*, & Hiſpanorum *Eſtelle* efficta ſunt. Potuit id fieri eo facilius, quo certius eſt idem accidiſſe eadem ratione ſimili in voce; V. gr. Stellam vocant Latini quoque piſcis marini genus, quod ob quinque radios ſtellæ ſpeciem quandam habet. Ille Græcis dicitur Σταύρος, ubi eaſdem deprehendis literas conſonantes litera R ſolum mutata in L. Simili itaque modo aſtra, quod lucida ſint & ignea, ut dicta ſunt, uti Anglo Saxonibus eandem ob cauſam *Eoſtr*, unde deinde factum *Aſtrum*, & Gallorum *aſtre*, *eſtre* ſunt *focus*, *foculare*, *fornacula* a luce ſcilicet & igne, quæ tamen appellatio deinceps ad omnes domus translata eſt.

XVIII. Quod itaque tot vocibus aliis, quæ *ſidera* notant, contigit, ut a סרר vel סתר originem ſuam petant, id quoque τῇ Αςάρτῃ ſive τοῖς עשתרות eveniſſe cenſendum eſt. Invenimus enim utrobique eaſdem prorſus literas. Quæ enim additæ ſunt & in initio & in fine literulæ morari nos non debent. Non initialis. Nemo enim facile in linguarum ſtudio tam parum verſatus eſſe poteſt, ut neſciat, Orientales vocibus ſuis quam frequentiſſime א vel aliam ex gutturalibus præfigere, præſertim ante literam ſibilantem vel unam ex dentalibus, præcipue S & R. Jam alibi aliquem ejuſmodi vocum catalogum dedi. (11) Is nunc infinitis acceſſionibus augeri poſſet. Si quis Hadr. Relandi diſſertationem de vocabulis Perſicis in Talmude, quæ in diſſert. Miſcellaneis *nona* eſt, legerit, deprehendet ea, quæ ibi ſub litera א occurrunt, quaſi indicem eſſe talium vocabulorum. Nunc unicum tantum prorſus finitimum exemplum earundem literarum addo; Στατὴρ græcis eſt monetæ genus; hinc Perſæ fecerunt استار *Aſthar*, atque illud fit majoris commoditatis gratia in pronuntiando, ubi vox a duplici conſonante, uti heic, inchoatur. Neque impedit, quod in עשתרת occurrat ע non א. Cum talium gutturalium permutatio ſit maxime vulgatis, præcipue א & ע; Notum eſt, quod de diſcipulis R. Elieſeris in Gem. Berachoth fol. 31. 2. legitur, eos legiſſe א pro ע, & ע pro א &c. לעיינין אלפין &c. קרין לאלפין עיינין. Saltim in hac voce τὸ ע non aliter lectum eſſe, quam א, patet ex lectione Græcorum, qui Aſtarten pronuntiarunt. Uti & Syri ſcribunt ܐܣܬܪܬܐ, non ܥܣܬܪܬܐ. Illud autem A eſſe præfixum tantum inde conſtat, quod nunc præfigitur, nunc omittitur. Præfigitur in *Eſther*, *aſtrum*, ἀςηρ, *Eoſtre*,

ſtre, eaſtre, Oſtera, & noſtra *Aſtarte*, ſicut & Galli rurſus in *Eſtoile* (12) & Hiſpani in *Eſtelle*, quæ utraque vox a *Stella* Latinorum, adeoque ejuſdem radicis eſt, eam præfixerunt. Contra demta illa litera eſt in Στερια, *Stella*, quod & Itali in hunc uſque diem retinent.

Stern/ *ſtarre*, ستارة, *Stierne*, *Stiorna*, *ſidus*, *Saturnus*. Et ſic literæ præfixæ conſuluimus, quod finalem adtinet T, ea vel ad femininum ת vel pluralis numeri ות referenda eſt, & omitti poteſt, ut patet ex Philaſtrio, qui habet *Aſtar*, ex quo perlepide hominem finxit; vide diſſ. de *Oſtera* ſupra pag. 483.

XIX. Habemus nunc τὸ *formale* τῆς Aſtartes, & ex convenientia ſoni literarumque oſtendimus eam a radice סתר vel סרר originem ſuam trahere, & aſtri ſignificationem habere poſſe. Nunc ad τὸ (B) *materiale*, ut vocare libet, tranſimus, evicturi, reapſe Aſtarten fuiſſe *ſtellam*, neque fere quidquam aliud per illam indicatum fuiſſe. Eum in finem meminerimus a temporibus longe antiquiſſimis Aſtrorum cultum fuiſſe in uſu, eumque omnium eſſe vetuſtiſſimum, immo unicum, quod præter illa pæne nihil divinis digna honoribus cenſebant; iis & vitam & rationis uſum adſcribebant, ab iis res humanas regi credebant; Immo inde fons & fundamentum omnis reliquæ idololatriæ una cum πυρολατρείᾳ orta. Illa vero Ἀϛρολατρεία longe lateque, qua patet, terrarum orbem implevit; Illa infecti fuere & Græci & Barbari, non minus, qui Europam, quam qui Aſiam, Africamque incolebant; Nuſquam autem gentium id magis obtinuit, quam apud illos, qui plagas habitabant Orientales, & in iis, qui Phœnicen, & Arabiam, ubi Aſtartes cultus vigebat in primis. Liber mihi ſcribendus eſſet, non diſſertatio, id ſi perſequi ita vellem, ut poſſem. Illi etiam, qui de veterum idolorum cultu commentati ſunt, id oſtenderunt tam luculenter & copioſe, ut ulteriori demonſtratione poſſim ſuperſedere. Liceat itaque & hinc *generatim* inferre ſub nomine Aſtartes Aſtrum aliquod cultum fuiſſe.

XX. Sed & illud nunc *ſpeciatim* quoque declarandum eſt. Plauto, aut quiſquis eorum verſuum auctor eſt, de eo enim J. Camerarius, aliique dubitant, in Mercatore A. IV. ſc. 5. v. 18. ita Aſtarte deſcribitur.

> *Diva Aſtarte hominum, Deorumve vis, vita, ſalus, rurſus eadem quæ eſt*
> *Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, Sidera.*

Mor. Iſaac Syrus, quem Kircherus in Oedipo Ægypt. & ex eo alii allegarunt, in coſmographia Syriaca hæc habet. ܐܣܛܪܘܬ ܗܝ ܚܕܐ ܡܢ ܟܘܟܒܐ ܙܥܘܪܐ ܐܘ ܛܠܠܐ ܕܡܬܩܪܝܐ ܒܫܡܗ ܡܠܝܬܐ ܐܘ ܐܝܠܝܬܐ *Aſtharoth eſt una ex ſtellis minoribus ſeu umbræ* (ita ad verbum hæc vertenda ſunt, an vero planetæ iis indicentur videant alii) *quæ vocatur nomine ſuo Mylitta*, ſive *Ilithyia*, (13) i. e. genetrix & obſtetrix; Et hinc varia Aſtartes nomina, quæ omnia ſtellam ea indicari monent. Herodianus L. V. c. 6. Phœnicibus ſcribit dictam Ἀϛροάρχην. Neque enim opus eſt, ut hanc vocem cum P. Fabro Semeſtr. L. III. c. 1. G. J. Voſſio de Idol. L. II. c. & Nic. Fullero Miſc. L. I. c. 13. corrigamus, & loco Aſtartes ſuppoſitum credamus. Quin indicare videtur id, quod Aſtarte reipſa deſignat, ſcilicet; ἀρχὴν τῶν ἄϛρων, i. e. Principem Aſtrorum; quod idem eſt cum Ἀϛράρχη, ut lunam vocat Orpheus, aut cum ἐφόρη τῶν ἄϛρων titulo, qui apud Etymologici M. auctorem legitur cum מלכת השמים Regina Cœli, quæ commemoratur Jer. VII. 18. XLIV. 17. cum Beliſama, quod nomen in veteri inſcriptione apud Conſeranos in Novempopulonio legitur, nihilque aliud quam *Cœli Dominam* quaſi בעלת השמים notat. Porro, ad ſtellas nos quaſi manu ducunt reliquæ, quæ Aſtartæ, dantur vel appellationes vel epitheta. V. gr. quando, quod perſæpe fit, dicitur Cœleſtis, vel Sanchuniathoni apud Euſebium Cœli Filia, vel quam plurimis aliis ΟΥΡΑΝΙΑ, ab Chaldæorum אור vel אורא, lux, ignis, unde & ὠρανὸς & Ur Chaldæorum, & Horus Ægyptiorum, & Orion, Græcorum πῦρ, noſtrum Fuer, & innumera alia originem ſuam hauſere; (14) Uti igitur אור notat ſolem apud Jobum Cap. XXXI. 26. ita Ουρανια indicare poteſt vel lunam, vel aliam inſignioris notæ ſtellam addito ex Syrorum more τῷ ן, unde factum אורן &, אורניא, quæ vox Θεὸν ἐπιφανοῦντα ſignificare poteſt, uti Aſtarten noſtram vocat Diodorus Siculus L. II. p. 92.

XXI. Patet ex his Aſtrum aliquod per Aſtarten eſſe ſignificatum. Quale autem illud fuerit, de eo *certant, & adhuc ſub judice lis eſt*. Utrumne enim per illam Luna, illa *ſiderum regina bicornis*, uti Horatius vocat, illud ἄϛρον πρέσβιϛον, ut Æſchylo dicitur, *illa Phœbe, aſtra quam cingunt vaga, lateque fulgens ætheris magni decus*, ut Senecæ verbis utar, id quod Luciano, Herodiano, Pha-

Phavorino, Abarbeneli, & nuper Petro visum est Juriæo, (15) an Venus, (16) quod a multis creditum fuisse ostendi supra num vero Juno, quod Augustinus asseverabat, aut Cybele, ut Grotius & Huetius putabant, an vero alia ex siderum grege intelligenda sit, exacte nolim definire. Video enim magis, ac magis historiam idololatriæ veteris, nil nisi molem rudem, indigestamque esse, tot implexam dumis, ut nihil fere accurati, certique de ea tradi possit. Ut tamen, sub nomine Baalis & Molochi sol potissimum ab Orientis populis cultus fuit, ita sub nomine Astartes, & deinde Astaroht, quæ τοῖς בעלים frequenter admodum & fere semper in codice sacro adjunguntur, Lunam adoratam fuisse existimo. Et illi percommode hoc nomen, quod proprie *stellam* denotat, datum est, cum & apud alios scriptores κατ' ἐξοχὴν Sidus dici soleat. Vide quæ in hanc rem notavit Cel. Burmannus ad Petronii ccxix. & S. Tennulius ad Front. strat. L. 1. c. 12. ex. 9. Et sic lunæ astrorum principi nomen pluralis numeri עשתרות datum est excellentiæ causa ex illarum nationum more. Deinde videtur id quoque nominis translatum ad reliquas errantes stellas, imo omnem astrorum exercitum, quem sub titulo τῶν עשתרות venerabatur oriens; Hoc unicum liceat addere observationis, cum Sanchuniathon apud Euseb. L. 1. Pr. Ev. Astarten scribit sibi imposuisse caout bubalum τῆς βασιλείας ἐπίσημον, adeoque cornibus ornatam fuisse, in eo respicitur vel ad lunæ, quam Astarten esse volunt, cornua, vel ad radios micantis hujus stellæ, qui eadem voce a Phœniciis, qua & cornua solent, τῶν קרנים insigniuntur.

XXII. Habemus *formale* pariter & *materiale* hujus nominis, dispiciendum porro, anne (C) & *analogia* congruat, i. e. anne in finitimis rei vocabulis similis efformatio inveniatur? Verum enim vero tales certe non desunt. Huc retulerim illam,

— quæ *cæde madentes*
*Ultima cœlestum terras Astræa reliquit*,

quam in astrorum choro non ultimo loco collocat Antiquitas. Porro inter cognomenta Jovis, in stellarum agminibus non postremi, est quoque Asterii, apud Eusebium, Diodorum Siculum, Apollodorum, Tzetzen. Αςέρον appellat Lycophron vers. 301. ubi vide Scholiasten. Αςεριῶνα vocat Etymologus magnus in Μινώς. Quid dicam de Astræo, vel Αςρίω, quem ex aurora Patrem stellarum factum Apollodorus narrat L. 1. c. 2. §. 4. Quid de Asterie, quem vel poli & Phœbes i. e. cœli & lunæ, vel Titanis, i. e. solis filiam faciunt. Quid de *Astrateæ* cognomento dato Dianæ, teste Pausania in Laconicis c. 25. Fuere hi omnes astra, uti Astarte, eodemque modo, ut hæc, inde nomen suum nacti.

XXIII. Addam tamen unicum, quod præ aliis notandum & vel solum rem conficere potest, Saturnum. Dici nequit, quam se in indaganda illius originatione macerarint Grammatici, & quam insulsæ hinc, inficetæque prodierint conjecturæ. Quis enim, cum audit, quidquid hoc nominis est, quod tamen extra omnem dubitationem ex Eois plagis arcessendum est, derivari vel e Græcia vel Latio, idque vel a Chaldæorum סטר *destruxit*, *devoravit*, cum tamen teste Dionysio Halicarnasseo ὁ δαίμων πάσης εὐδαιμονείας δοτὴρ, καὶ πληρώτης ἀνθρώποις vel a voce *Satur*, quod senex sit dierum *satur*, aut, ut Cicero ait, *quod saturetur annis*, vel a *satu*, quasi *Saturnus*, quod rerum omnium semen & origo, & quasi *sator* sit, vel παρὰ τὴν σάθην, i. e. pudenda, quæ patri suo fertur præscidisse, veluti Sathimnum, sibi temperet a risu? Ne quid nugarum deesset, Banierium Gallorum Abbatem, (17) a voce *Sadora*, quæ Martialem notat, Saturnum deduxisse, cum tamen ipse, cujus linguæ hæc vox sit, non indicet, lego. Vulgata maxime, & apud omnes inveterata opinio est, quando a סתר *latuit*, *abscondidit*, originem repetunt, quam tamen neque tum, cum prætextatus puer essem, ferre potui. Nequidam enim concoquere stellarum fere maximæ, cujus est lucem spargere, & a cultissimis populis summa veneratione cultæ, quam *Patrem veritatis* omnia manifestantis faciebant, ab *occultando* impositum fuisse nomen. Neque tamen occurrebat aliud, quod substituerem, antequam hujus τοῦ סטר notionis in mentem venit.

XXIV. Tunc enim didici *Saturnum* notare corpus splendens, luminans, quod vocamus *stellam*, seu astrum. Huc manu nos ducit (α) *formalis* ratio, sunt enim prorsus eædem literæ, quæ occurrunt in סתר, Satur &c. quibus adde ך paragogicum ex Syrorum more, hinc, uti a בעל, *Baal* & *Bel* factum est Belenus, ita fit Saturnus & apud Germanos Stern. Quamquam & illud ך omittitur sæpius, quod patet ex nomine Belgarum *Saterdag*, & Anglorum *Saterday*, (18) quo illi diem ultimum hebdomadæ, i. e. Saturni exprimunt. Anglo Saxones in

in verſione veteri Marc. xv. 42. Sabbathum vertunt *Sæterdæge*. Ibi tamen Marc. XVI. 1. & in rubrica Luc. III. 1. ſcribitur Sæteres Dæg. Idolum *Sæter* cum Crodone a veteribus Germanis cultum ſcribit Ricardus Verſteganus, Anglus, Ant. veſt. c. 3. cujus tamen rei probationem allatam fuiſſe optarem. Quod (β) *materialem* attinet cauſam, quid ei appellationis conveniret magis, quam *ſtellæ*, quæ ſtellarum vagantium, ex quibus omnem Deorum cultum mutuari debere R. Salomon Iſacides ad Gen. IV. 27. judicat, eſt prima & omnium altiſſima & maxima, & *ſumma* ut Macrobius vocat. Hinc Tac. Hiſt. L. V. c. 4. ſcribit Judæos Saturno honorem habere, *quod e ſeptem ſideribus, quibus mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipua potentia ſtella Saturni feratur*. Unde κατ' ἐξοχὴν dicitur כוכב & 'ΑCΤΡΟΝ in ipſis etiam ſacris Amos. V. 25. Act. VII. 43. & pertinere ad τὴν ϛρατίαν τοῦ ὀρανȣ̃ i. e. ſtellas Act. VII. 42. dicitur. Quæ etiam cauſa eſt, ut excellentiæ cauſa appellari videatur *cęli numen* vel potius *lumen* in noto illo Juven. XIV. 96. De quo loco alias dixi nunc tantum addo. Saturni ſtellam ibi intelligi, vel ex eo proclive eſt creditu, quod præcedente verſu fit mentio Sabbathi quo Judæos Saturnum colere credebant gentiles. Hinc ſub aſtri imagine colebatur Saturnus, ut rurſus docent citati ex Amoſo & Actorum libris loci. Hinc *cęli filium* vocabant Saturnum. Et hæc procul dubio cauſa eſt, quod olim Molochi, quem Saturnum eſſe volunt, capiti in ſummitate frontis inter cornua lapidem pellucidum & coruſcantem, tanquam ſtellæ ſymbolum, imponebant, teſtibus Cyrillo in Amoſum, & Theophylacto in Act caput ſeptimum.

XXV. Denique idem (γ) ἀναλογία comprobat, quod & eodem modo a *lucendo* ei adhæſerint appellationes aliæ. Sic κατ' ἐξοχὴν dictus eſt ΦΑΙΝΩΝ. Uti enim Jupiter φαέθων, Mars Πυρόεις, Mercurius ϛίλβων, Venus ἑωσφόρος adeoque planetæ omnes, quos hos quinque tantum agnoſcebat antiquitas, a luce & ſplendore dicti, ita & Saturnus inprimis. Docet id Achilles Tatius in Iſagoge, citante Voſſio. Αἰγυπτίοις καὶ ἕλλησι, τοῦ κρόνȣ ὁ ἀϛήρ, δὲ τοι ἀμαυρότατος ὤν ΦΑΙΝΩΝ λέγεται, *Ægyptiis & Græcis ſtella Saturni, utcunque obſcuriſſima, Phænon, i. e. ſplendens, lucens, vocatur*. Et Martianus Capella L. VIII. *Saturnum Phænona vocant*, quæ hauſta videntur ex Ariſtotelis aut quiſquis illius auctor eſt, in libello de mundo, ubi ait κύκλον κρόνȣ καλούμενον etiam vocari τὸν τȣ̃ ΦΑΙΝΟΝΤΟC, quod & repetit Apulejus in L. de mundo p. m. *Hic Phænonis globus, quem appellamus Saturnum*. Imo jam Manethon in faſtis ſiculis ſive Chronico Alexandrino refertur ſcripſiſſe τὸν λεγόμενον κρόνον ἀϛέρα vocatum τὸν ΛΑΜΠΟΝΤΑ, *ſplendentem, fulgentem*. Confer Voſſ. de Idol. L. II. c. 33. Hæc Saturni cognomina verum ac genuinum ſenſum vocis Saturni nobis exhibent docentque a סדר, non qua obſcurandi, & latendi, ſed qua *fulgendi lucendique* notionem habet, deſcendiſſe. Imo quando φαίνων vocatus, idem eſt, ac ſi dictus fuiſſet *ſtella*: Stellis enim proprium φαίνεσθαι. Act. XXVII. 20. legimus μήτε ἡλίȣ, μήτε ἀϛρῶν ἐπιφαινόντων. Unde Ariſtoteli, aliiſque ſtellæ dicebantur φαινόμενα. Unde Aratus librum, quem de ſtellis ſcripſit, inſcripſit τὰ φαινόμενα, ſecutus in eo multos alios, quos in limine notatum in Aratum adducit Grotius. Eodem modo dictæ Λαμπάδες Polluce teſte L. IV. c. 20. Et ϛίλβοντες teſte Schol. Apollonii II. 519. Significatus ejuſdem eſt 'Ηλ quod quoque inter nomina Saturno adtributa recenſendum eſt! Docet id Damaſcius in Iſidori vita apud Photium cod. 242. φοίνικος καὶ Cύροι τὸν κρόνον ΗΛ καὶ Βηλ ἐπονομάζȣσι. *Phœnices & Syri Saturnum El & Bel nominant*. Deſcendit illud a radice, quæ pariter *luminis* & *ſplendoris* ſignificationem habet, & ex qua eadem ratione, tot nomina ſiderum orta ſunt, qua ex סִיר, planeque & ſono & ſignificatione idem eſt, cum noſtro Germanico Hell, i. e. lucidum, fulgens. Id olim erit ſingularis obſervationis argumentum. Nunc tantum obſervetur Saturnum & ita dictum a *luce* & fulgore.

XXVI. In hac autem ſententia confirmor haud parum, quod & deprehendo alterum commune Saturni nomen, quo Græci utuntur potiſſimum, τȣ̃ ΚΡΟΝΟΥ, ejuſdem prorſus & originis & ſignificationis eſſe. Ridiculum eſt, quando vel a κρᾶν, aut κίρναν, miſcere, vel a κεἰνειν derivant. Vulgo a τοῦ χρόνȣ a *tempore* arceſſunt, inducti ſolum aliquali literarum ſimilitudine, quæ ſi non aliis comitata eſt argumentis, parum ſane momenti ad rem ipſam affert. Neque cogitabant, ut veterum illorum idolorum cultum, ita & illorum nomina ex Oriente petenda eſſe omnia. Mihi non dubium eſt, quin κρόνος ad vocem קרן referenda ſit, non quidem qua *cornu* ſignificat, quod Moloch, qui non alius a Saturno, capite taurino ſuis munito cornubus pingebatur, quæ ariola-

tio

tio eſt P. Juriæi, (19) ſed, ex ea parte, quatenus, *lucendi*, *micandi*, *fulgendi*, *ſplendendi* notionem habet, quod habent ut plurimum. Ita ut ὁ ΚΡΟΝΟΣ nihil aliud rurſus ſit, quam ὁ ΦΑΙΝΩΝ, ὁ ΛΑΜΠΩΝ, ὁ ἩΛ, ex quo ſimul nomen Saturni, qui χρόνος eſt, idem id notare manifeſtum fit, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Unde pariter ratio elucet, ob quam faces & lumina in Saturni cultu fulgere ſolebant. *Unctis* enim *falciferi Senis diebus*, i. e. in feſto Saturnaliorum lumina accendebant, & doni loco cereos ſibi invicem miſſitabant, narrantibus Macr. l. x. Epigr. 87. Quem hæc decerent melius, quam Saturnum, τὸν φαινόντα, τὸν Λαμπόντα, τὸν ἩΛ?

XXVII. Eodem itaque modo, quo maxima hæc ſtellarum palantium nomen ſuum a חסר, *luminare*, *ſplendere* & accepit, & retinuit etiam inter Germanos, alioſque, idem factum eſt circa Aſtarten, non ultimam pariter palantium aſtrorum, & utraque vox Saturnus & Aſtarte; uti literis ipſis, ita & ſignificatione conveniunt prorſus, notantque Lumina, uti ſtellas apud Latinos ſcriptores paſſim notare pervulgatum eſt. Non itaque exagitandus fuiſſet Suidas, id quod factum a compluribus, quod his non abſimiles natales adſignavit Aſtartæ; Audiamur illum; ΑΣΤΑΡΤΗ, ἡ παρ᾽ ἕλλησιν ἀφροδίτη λεγομένη ἐκ τοῦ ΑΣΤΡΟΥ τὴν ἐπωνυμίαν πεποιήκοσιν. Similem in modum auctor Etymologici magni. Ἀςάρτη, ἡ Θέος, ὄνομα εἰδώλȣ ἐςι. λέγεται δὲ ἀπὸ, μεταφορας τοῦ ἈΣΤΡΟΥ. ἄςρον γὰρ ἐν τῷ ȣ̓ρανῷ ἀνάπλασμα, ἀφ᾽ οὗ τὸ εἶδος καλεῖται, ἔχον ὄνομα ἄςρȣ. λεῖπον παρὰ τοῦ ἄςρον, ἀςράτη, καὶ ἐν ὑπερβιβάσμῳ ἀςάρτη, ἡ παρὰ τὸ ἀςεράτη καὶ συγκόπη, ἀςράτη, Ἔφορος γὰρ τῶν ἄςρων ἡ Θέος. Secutus hunc eſt Phavorinus, cujus hæc verba ſunt. Ἡ Αςάρτη Θέος ἡ σελένη παρὰ τὸ ἄςρα Ἀςράτη, ἢ παρὰ τὸ τȣ̀ς ἀςέρας ᾗ κατὰ συγκοπὴν Ἀςάρτη, ἀςαρτῶος Ἀςάρτης. Falluntur, illi quidem quod voci illi originem adſignant Græcam. In eo tamen rem me quidem judice tetigerunt acu, quod ab *aſtro* repetant, ſi modo monuiſſent, quod illa vox a primis ſuis i. e. Phœniciis incunabulis arceſſenda eſſet.

# NOTÆ.

(1) Edita illa eſt Jenæ, 1663. 4. & recuſa in Theſ. Diſſ. Amſtel. T. II. p. 866. ſqq.

(2) Hic liber editus eſt Upſaliæ, 1664. 8.

(3) In libro de *religione Perſarum* p. 180.

(4) Hæc verba vix elegantius reddere poſſem, quam verbis poetæ.

*Ibo nunc per iter Tenebricoſum,*
*Illuc, unde negant redire quemquam.*

(5) Confer Jac. Rhenferdii Opuſc. p. 614. ſqq.

(6) Hanc vocem recte cum noſtra contendit Stpeh. Guichartus, Profeſſor L. S. apud Pariſienſes in libro bonæ frugis pleno, *Harmonia etymol. lingg.* Gallice edita Par. 1618. 8. Secutus illum eſt Vir eruditus, ſed, qui nomen ſuum non profeſſus eſt, in *hiſt. crit. Reip. litt.* T. IV. p. 15. 15. *J' aurois beaucoup de penchant a croire, que comme dans l'ancienne langue Phenicienne le ſoleil s' appelloit* אסתהר Iſthear, *ou bien* עסתהר *avec un* y *tout de meme la lune ſe nommoit* עשתהרת Aſtehareth *ou* Aſtoreth, *comme on lit aujourdui dans le texte ſacre*. Quam bene hæc dicta ſint, docebunt ſequentia.

(7) Citat illum Celeb. Vvolfius in Bibl. Rab. T. II. p. 88.

(8) Vide Angeli a S. Joſepho Gazophylacium Perſicum p. 34. & 416. Buxt. in lex. Chald. p. 33. in Talmudico p. 178. *Pfeifferum* in diſſ. de lingua Protopl. §. 2. & in progr. edito Lipſiæ, 1684. Præeuntem in eo habuit magnum Scaligerum in N. ad Euſ. Chron. p. 15. & de Emend. Temp. p. 588. Hill. in Onom. p. 658. Gravius in Elem. L. Perſ. p. 91. Obſervavit id quoque nuper Lucas Cupertus in paratitlis Chronol. ſed quando ob ſimilitudinem nominis ex Eſtera facit Aſtræam Ovidii, valde vereor, ut aliis id ſit perſuaſurus.

(9) In Onomaſtico ſacro p. 658.

(10) Quis non hoc prætulerit aliis ἐτύμοις, quando aſtrum vel ab ἄυω, *ſplendeo*, vel ab αἴθω. αἴσω, uro, vel παρὰ τὸ σῶ, σήσω, σῆρ, vel quia in cœlo ἐςήρικται, dictum putant? quando *ſidus*, quia *inſidet* ſc. cœlo vel ab εἶδος ſpecies, forma appellatum ſcribunt!

(11) V. Diſſ. de Ὀρολ. c. IV. §. 7. hujus Bibl. T. V. p. 294.

(12) Solemne id Gallis, Vide G. Eccardum ad LL. Salicas p. 28.

(13) Has voces es enim a Syro puto innui, quarum prior Herodoto Aſſyriorum Venerem ſignificat, altera notum eſt Græcorum numen.

(14) Vide Bibl. noſtræ T. I. Faſc. I. p. 57. & T. VIII. p. 472.

(15) Singulari illud capite oſtendere id conatus eſt in l. c. P. IV. c. 4.

(16) Illam cum luna ſæpius confundi oſtendit Voſſius de Idol. L. II. c. 27. Millius in diſſ. de Gad & Meni ſ. 9. 10.

(17) Is Hagæ Comitum edidit explicationem Fabularum hiſtoricam, 1713. 8.

(18) In Somn. Scip. L. I. p. 66.

(19) Dans l'hiſt. *des dogmes & les cultes de l'egliſe* L. IV. c. 3.

# JOHANNIS A LENT
# SCHEDIASMA
# HISTORICO PHILOLOGICUM
## DE JUDÆORUM
# PSEUDO-MESSIIS.

## CAPUT PRIMUM.

*I. Judæi quondam omnium populorum felicissimi : sed jam miserrimi. II. Urbs Hierosolyma a Tito Vespasiani filio capta. III. Judæi subjugati. IV. Urbs & templum solo æquata. V. Judæorum nova sub Trajano rebellio. VI. Quam & sub Hadriano tentarunt. VII. & VIII. Novus Messias* Bar Cochab *dictus detegitur. IX. Ejus conamina. X. Elogia ipsi tributa a R. Akiba. XI. Judæorum ad eum concursus & nova molimina XII. Romanorum bellum ad eum opprimendum lentum XIII. XIV. Hinc vires Judæorum confirmatæ*, Bar Cochabo *munia strenui militis obire non intermittente. XV. Tandem Hadrianus Imperator urbem* Bitther *obsedit, adeoque arctavit obsessos, ut plurimi Judæorum miserrime perirent. XVI. Occisus ipse* Bar Cochab. *XXVII. Interfectus etiam R. Akiba, Pseudo-Messiæ armiger. XVIII. Judæi deplorant miseriam suam. XIX. Scropha in ipsorum ignominiam, in marmore portæ Bethlemiticæ sculpta. XX. Verpi, mercede militibus persoluta, die, quo urbs eversa, in urbem redeunt, ad templi excidium deflendum. XXI. Observant etiam adhuc hodie in Kalendariis fatalem illum diem. XXII. Dederunt olim pauperibus decimas, ut Hierosolymam lugerent. XXIII. Illa verporum afflictio & extremum excidium profuit Christianæ fidei. XXIV. A Constantino Imperatore & aliis contra Judæos latæ durissimæ leges. XXV. Ex quibus temporibus Judæi extorres patria, per orbem terrarum dispersi, palabundi sine Numine, sine Rege, sine aris & focis vagantur. XXVI. XXVII. Deo adeo exosi, ut, cum templum sub Juliano in contumeliam Christi restituere tentarent, operatores ignibus e terra erumpentibus ab opere fuerint probibiti.*

I. Quantæ quæso non olim Judæorum prærogativæ præ gentibus, quod dicantur filius Dei primogenitus Exod. c. 4. v. 22. Populus Sanctus, populus peculiaris Deuteron. c. 7. v. 6. Regnum sacerdotale, Exod. c. 19. v. 6. Habitatio Dei Psal. 76. v. 3. Dei sponsa, Oseæ, c. 2. v. 19. Dei hæreditas & dilecta anima mea, Jer. 12. v. 7. Quæ poterat esse major nobilitas, quod tot Patriarchas, vatesque, & reges in avis proavisque numerarent, denique tot excelsos & divina virtute viros, quorum sunt nomina cœlo consecrata ; sed Judæos sacerdotium regium, genusque hominum electum dici & sacra sua religionesque ab illis solis suscipi tantisper voluit Deus, donec ille dies illuxisset, qui Messiam terrarum orbi repræsentaret. Ex eo enim tempore, Dei filius beneficia cœlestia communia omnium esse voluit. Atque hic vero demum admiranda quædam fuit rerum conversio. Summum quippe salutis auspicem, qui cœlestia regna reliquerat, uti rebus hominum lapsis succurreret, eum gaudio & veneratione receperunt profanæ nationes. At Judæi, quem costituto tempore & loco venturum significaverat olim non unus vates, eum venisse jam & adesse præsentem non intellexerunt. Tanta vecordiæ vis eos pervaserat. Cæci erant oculi, cum animus alias res ageret, & videre illa recusaret, quæ posita in medio erant. Imo rupem salutis Christum ut imparem, istoque fastigio minorem, quod vilis, abjectus, & ipsos non a Romanorum potestate liberaret, non solum repudiarunt, sed morte extrema affecerunt, clamantes sanguis ejus super nos sit, & super filios nostros. Hinc abdicati spretique a Numine, justo judicio obvium quemque qui sacrum illud nomen præferre ausus erat, acceperunt, & levissimi cujusque impostoris spolium & ludibrium fuerunt. Ut Christi

sti vaticinio Joh. 5. vers. 43. *Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me. Si alius veniat in nomine proprio, illum accipietis*: fides fieret. Quales fuere Anno Christi 132. *Bar Cochab.* Anno 434. *Moses Cretensis.* Anno 721. *Syrus quidam.* Anno 1199. *David al David.* Anno 1500. *Lemlem.* Anno 1666. *Sabbath Zzebbi*, aliique plutoni.

II. Capta a Tito Vespasiani filio, Hierosolyma, urbe Judææ facile prima, anno post Christum natum septuagesimo tertio, numerus eorum, qui cum gladio, tum fame perierunt, ad undecies centena millia relatus est. Alii qui proceritate corporis & forma cæteris præstarent, ad ornamentum triumphi reservati; ex reliqua multitudine, qui septimum decimum ætatis annum excesserant, vincti ad metalla exercenda in Ægyptum perducti; plurimi per provincias distributi, qui in publicis Spectaculis aut ferro aut bestiis consumerentur; quicunque autem minores essent annis septendecim, publice venundati sunt, quorum quidem numerus ad centum usque hominum millia pervenit. Restabat sedes sacra, illud religionum domicilium, inter orbis miracula. Nulla fuerat tam seposita aut barbara gens, ex qua Spectator in Syriam non veniret, quare Titus adhibito consilio ducum, an tanti operis templum everteret, deliberavit. Ipse cum Frontone, Alexandro, Cereale, aliisque ædem sacratam ultra omnia mortalia illustrem, non debere deleri, arbitrabatur, quæ servata, modestiæ Romanæ testimonium, diruta petennem crudelitatis notam præberet, neque se unquam tantum opus incensurum: Jam enim Romanorum hoc fore damnum, sicut ornamentum quoque imperii, si maneret. At contra alii evertendum templum, & jure belli utendum esse censebant, quo plenius Judæorum religio tolleretur, radice sublata, stirpem facile perituram, cum nunquam a novis rebus moliendis templo manente desinere possent, ad quod ut Palladium omnes ubicunque essent, colligerentur. Sed fati ea Lex est, nunquam datum ut sit rebus summis, stare diu. Decreverat tantarum rerum cumulum diruete Deus, hinc Tito invito, templum dirutum, quod miles quidam incenderat. Etenim Titum, Deliciæ amorque non Romanorum, sed humani generis dictus habitusque, cum eversa omnia, dirutaque cerneret, ingemuisse cum dolore, uti hæc Josephus de bello Judaico lib. VII. c. XVII. Eusebius in Hist. Eccles. lib. III. c. VII. Sulpitius Severus in Hist. sacr. lib. II. c. XLIV. Orosius lib. VII. alii sine numero.

III. Iis autem, qui in Judæa remanserant, Titus imperavit, ut didrachma, quod in templo inferre soliti essent, Jovi Capitolino penderent; ut nullus sabbatum deinceps servaret; nullus a menstruata muliere se contineret, quemadodum ex tractatu Talmudico מגלה megilla clarum est. Et ut ipsos subjectos & devictos ab unde satis declararet, nummos in quorum una parte effigies Patris Vespasiani, in altera parte palma cum his vocibus Judæa Devicta, Capta, expressa erat, fieri jussit. Scilicet nihil æquius erat, quam ut, cum de Judæa triumphandum, arbor exprimeretur, quæ illam regionem nobilitabat vel maxime, quoniam Judæa proferebat longe meliores iis, quæ alibi terrarum nascuntur: Neque id Plinium latuit, unde lib. 13. Hist. Nat. c. 4. *Judæa vero inclyta est, vel magis palmis.* Nec ignoraverunt Galenus, Josephus, Strabo. Causa nisi fallor, est illa, in hac regione, Justino lib. 36. Hist. c. 3. teste, *tepidi aeris naturalis quædam, ac perpetua apricitas.* Tum vero nihil aptius, nihil elegantius, in Victoriatis Nummis esse poterat, quam, ceu Ovidius l. 10. Metamorph. fab. 2. vocat.

*Lentæ victoris præmia palmæ.*

Tales qnosdam exhibuerunt Patinus in Numismat. Imperat. p. 141. Ezechiel Spanhemius in dissertationibus de præstantia Numism. p. 326. Edit. nov. Wagenseilius in Exceptis Gemaræ Sotæ, p. 1084. Hotnbekius in præfat. libri de convinc. jud. Quia vero ab illo quem possideo, distincti sunt, hinc eum describam. Ex una parte effigies Vespasiani cum hisce verbis: Impt Caes Vesp Vesp Aug Pm Tr Ppp Cos VIII. Ab altera parte mulier summo in mœrore ad Palmam arborem sedens, capite inclinato & manu sinistra suffulto, post cujus tergum vir inter arma stans cum his vocibus Judæa Capta S. C. conspicitur.

IV. Hierosolymis & templo solo æquatis aratrum imprimere ac terram findere jussus est, Tyrenus Rufus, Judæis in Talmude Turanus Rufus, Præfectus munitionum, relictis duntaxat tribus turribus Herodianis Hippico, Phasæle & Matiamne, cum muri parte illa quæ erat ad occasum, seu ut essent præsidium Romanis militibus, seu ut monumentum superesset excidii, apud Josephum Ἁλώσ. Lib. VII. C. XVII. Epiphanius Ædiculam sacram, casulam & septem Synagogas reservat, ne successio cathe-

dræ Hierosolymitanæ desiisse videretur, quasi successio illa non potuerit esse extra Hierosolymam, nam procul dubio Pellam urbem Decapoleos translata fuit, adeoque sedes Episcopalis ibi hæsit, donec deinceps suo tempore Eliam translata est. Ut male veteres dimidiam urbem relictam, deinceps ab Hadriano eversam velint; cum ita excisa sit juxta vaticinium Christi Matth. C. XXIV. vers. 11. ut ne vestigium urbis apparuerit: Quin & post impressum illi aratrum non solum urbs esse desiit, sed & imposterum nemini licuit illi solo aliquid immoliri ac superstruere. Juxta Jurisconsultos enim civitas esse desiit, cui aratrum inductum est, & capitale est in illo solo vel casam aut humile ædificium struere, quæ pluribus demonstravit Doctissimus Valesius in Annotat. ad lib. IV. Cap. VI. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Pamphili.

V. Et licet innumerabilis eorum multitudo a Tito sublata, tamen brevi illa renata & myriades passim per orbem terrarum dispersæ, cum primis in Asia, Africa, Ægypto, unde gentis animi, & feroces spiritus, & sævities passim ab iis exercita, ac tentata non semel instauratio Reipublicę, nam statim rebellarunt Judęi sub Trajano Imperatore anno Christi 114. in Ægypto, duce Andrea, (Messia, nisi repressi fuissent, futuro) tanta animorum acerbitate ac ferocia, ut ducenta hominum millia trucidaverint, Romanos pariter & Gręcos bestiis discerpendos objecerint alios serris a vertice ad imum usque dissecuerint, aliis sociorum occisorum carnem devorandam, vi ad id coactis, tradere non dubitaverint. Similiter iisdem temporibus Judęi facta seditione in Cypro 240. hominum millia obtruncarunt, unde postmodum lex ab incolis lata, ne ullus unquam Judęus sub pœna capitis pedem in insulam inferret. Quod si forte vi tempestatis in insulam appulerit interficitur. Adversus autem illos Trajanus Lucium Quietum mittens, infinita eorum millia interfecit. In Mesopotania cum tumultuarentur, multis cęsis domantur. Sic contra eosdem in Ægyptum M. Turbo mittitur, qui infinitas Judęorum copias delet. Taceo nunc brevitatis causa rebelliones eorum in Palęstina, Lybia, Cyrenaica & vicinis oris, de quibus Dio Cassius, Spartianus, Eusebius, Patricides.

VI. Vita functo Trajano Imperatore, cum Hadrianus in Syria esset, Judęi clandestina consilia de rebellione agitarunt, quapropter in Italiam profectus, ut curaret, ne quid publica res detrimenti caperet. Hinc statim annotante Spartiano, ipsis genitalia amplius mutilare prohibuit, pręterea ne quid desideraretur, Coloniam civium Romanorum in Judæam deduxit, quæ urbem novam prope Hierosolymam a Tito destructam conderet, de nomine suo Ælio, Æliam a Jove Capitolino ibi consecrato, Capitolinam vocaret. Itaque dupliciter hic fallitur Eusebius, tum quod urbem Hierosolymam sub Hadriano penitus eversam fuisse scribit, tum quod Æliam Capitolinam ab eodem Hadriano conditam esse post expugnationem Betthararæ, absoluto bello; nam quod ad primum attinet, constat ex Josepho supra allegato. Hierosolymam prorsus eversam fuisse a Tito, ita ut aratrum etiam ejus solo fuerit impressum; quomodo igitur iterum eversa est ab Hadriano, quæ jam dudum esse desierat. Quod vero ad conditum Æliæ spectat, tantum abest ut condita fuerit ab Hadriano post partam de Judæis victoriam. Imo bellum Judaicum maximam partem ex Æliæ conditu originem cœpit. Nam cum Judæi urbis suæ solum ab alienigenis occupatum viderent, & in eo ipso loco sacra fieri Jovi Capitolino animadverterent; eam injuriam minime ferendam rati, arma corripuerunt, & initium fecerunt hujus belli, quod an. 16. Hadriani cœptum, octavo decimo aut nono finem tandem accepit. Ælia vero Capitolina diu ante condita fuerit, anno scilicet, Hadriani secundo, ut legimus in Chronico Alexandrino, Philostorgio, Nicephoro, aliis bene multis.

VII. Testantur id Patres Doctissimi, Hilarius, Athanasius, qui sua ætate nullam amplius Hierosolymam fuisse dicunt, sed Æliam. Neque enim Hierosolymam instauravit Hadrianus, cum Judæi hostes tunc essent populi Romani, sed Æliam Coloniam civium Romanorum condidit, ut neque nomen, neque gentem, neque religionem, neque locum retineret. Unde etiam Firmilianus Palæstinæ Pręses apud Eusebium in libro de Martyribus Palęst. cum Martyres Ægyptii Hierosolymam (videl. Spiritualem) patriam suam dicerent, situm ejus ab ipsis cognoscere flagrabat. Quod arguit ipsum Hierosolymę nomen tunc ignotum fuisse. Ælia autem appellata est adhuc Constantini Magni temporibus, uti in tabula Peutingerorum & in Itinerario Antonini memoratur. Verum post celeberrimum illud Martyrium a Constantino ędificatum in Resurrectionis Dominicę loco, ambitio Episco-

piscoporum Hierosolymorum nomen quasi postliminio, cum ob splendorem illius nominis, tum ub primitivę sedis pęrogativam, repetiit, ut Jacobi Justi Successores essent; Atque ita paulatim abolitum Æliç nomen, & Hierosolyma cœptum vocari a Christianis; cum tamen revera non esset Hierosolyma, utpote in alio loco condita, observante id primum Beda, seu quo alio, in expositione locorum & urbium, quarum mentio fit in Actis Apostoiorum, & post ipsum Petito, Valesio, Burmanno.

VIII. Æliam ergo Hadrianus urbem jam factam vocavit, quo Judęorum gentem penitus ex ea urbe amoveret, ne veteris appellationis occasione, velut patrię suę repetendę pętextum haberent, atque sic per speciem cultus divini, Romanis negotium facesserent. Cum itaque Judęi urbem a Gentilibus inhabitari, in ea sacra fieri Jovi Capitolino indigne ferrent, ac desuper dura servitute premerentur, ad arma volarunt, horrendarum orci portarum in subsidium vocatis consiliis, artibus, dolis, viribus, furoribus, audaces omnia tentarunt quibus rebus suis ruinam proximam minantibus consulerent, Romanisque superiores tandem aliquando evaderent; hinc toti furentes in eos irruerunt, repetitis ictibus adorti, duplicatis odii caloribus, sęvierunt. Palęstinam depopulati, nihil intactum reliquerunt. Blandiuntur itaque nimis sibi Judęi dum belli causam longe alienam in Tractatu Talmudico Babyl· Gittin Fol. 57. pro more fingunt. *Oberus carpenti vastata est Bethara. In more fuit, ut, cum nasceretur infans, plantarent cedrum; cum infantula, pinum: eumque nati contraherent matrimonium, ex iis conficerent thalamum. Die quadam transiit filia Cæsaris, & confractum est ei crus carpenti. Cedrum istiusmodi exciderunt, atque ad eam attulerunt. Insurrexerunt in eos Judæi atque eos ceciderunt. Relatum est Cæsari rebellare Judæos. Profectus ille in eos iracundus, excidit totum coruu Israelis.*

IX. Pręcipuus belli dux ac concitator fuit insignis ille seductor Burgensi Heitoliba, בר כוכב *Bar Cochab* dictus, quod stellę filium sonat, vir ad cędes & latrocinia paratus. Justino ἀποστάσεως ἰȣδαικῆς ἀρχηγέτȣς, Eusebio Hist. Eccles. lib. 4. c. 6. vertente Valesio, *Erat tunc temporis Judæorum ductor Barchoebebas quidam quod nomen stellam significat: vir alioqui cruentus & latrocinandi avidus, sed qui nomine suo auditoribus utpote vilissimis mancipiis fucum faciebat, quasi sidus e cœlo delapsum esset, ut ipsis ærumnarum mole oppressis lucem afferret*. Nomen ejus verum בן כוזיבא *Ben Cosibba*, quomodo vocata est moneta ejus nomine cusa. Postquam autem Tyrannidem arripuit, se illum tam diu exspectatum Messiam esse jactavit, בר כוכב Bar Cochab appellari voluit memor vaticinii *Numer.* 24. *comm.* 17. 18. *de stella ex Jacobo oritura*: דרך כוכב מיעקב וקם שבט מישראל ומחץ פאתי מואב וקרקר כל-בני-שת והיה אדום ירשה והוה ירשה שעיר איביו וישראל עשה חיל *Incedet stella ex Jacob, & surget sceptrum ex Israele, & confringet proceres Moab, & diruet omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessa, & Seir cedet hostibus suis in possessionem, & Israel fortiter aget*. Et ut signa divina vel miranda ostenderet, stipulam in ore succensam ventilavit, anhelitu flammas evomuit, Hieronymus in Apol. 2. adversus Ruffin. *Tu videlicet flammeus, immo fulmineus, qui in loquendo fulminas. Atque, ut ille Barchochebat auctor seditionis Judaicæ, stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere videretur*. Imitatus simili quondam fraude Eunum Syrum, qui bellum servile in Sicilia concitavit, in ore abditam nucem gestans, quam sulfure & igne stipaverat, ac leniter inspirans, flammam inter verba fundebat, ut scribit Florus lib. 3. cap. 19. ad quem instar omnium Salmasius.

X. Præterea volens se probare Messiam, quod trucidaret & deleret obvios quosque, nihil non fecit, quo non solum Romanos, Græcos, sed Christianos invaderet, internecinique odii sui furoribus lacesseret & prosequeretur, ut ita magnis inimicitiis inclaresceret, conquerente illud Justino Philosopho, ut re suo tempore gesta, ipsique notissima, in Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium Imperatorem: *proximo namquo bello Judaico Barchochebas, defectionis Judæorum Dux & Princeps solos Christianos ad gravia supplicia, nisi Christum abnegarent, & maledictis incesserent, protrahi jussit*. Nam quomodo invidus illis non pepercerit, petulanter impetiverit, ferociter invaserit, crudeliter occiderit, testes Judæi, pessimi Historiarum postquam ex patria expulsi, magistri, imprimis David Gans in צמח דוד Germen Davidis, liber est Chronologicus & Historicus ab initio mundi usque ad A. C. 1592. ad an. 880. millenarii quarti, *Tunc Judæi Bitterenses unxerunt eum* בן כוזיבא *& elegerunt ipsum in regem super se, jugum Romanorum abjicientes. Occiderunt ex Romanis & Græcis, qui in Africa, innumerabiles instar arenæ maris.* Simi-

*Similiter fecerunt Ægyptiis Incolæ urbis Alexandrinæ etiam ex Romanis interfecerunt ultra bis centena millia. Qui in Cypria, occiderunt omnes plane gentes vicinas, ut ne superstes quidem remaneret. Tandem Trajanus* Imperator *misit Adrianum, sororis suæ filium, Ducem exercitus contra ipsos, qui tantam cladem intulit, qualis neque tempore Nebusaraddan, vel tempore Titi audita fuit. Nam in Talmud scriptum legitur, periisse in Bitter urbe quadringentas miriadas.*

XI. Judæi dum mille testibus convicti, tempus Messiæ exhibendi, vel præteriisse jam vel certe instare, hac re commoti ac jugum Romanorum tolerare non bene assueti, castra ejus fuerunt secuti. Excelluit maxime R. Aquibas, qui calvus erat, celebris Doctor Talmudicus, Discipulorum 24000. informator, *Serbumtaab* seu Authenticus appellatus, qui adventu בר כוכב Bar Cochab, ita fuit fascinatus, ut non tantum locum Num. 24. de *stella prodiruta* de eodem explicaverit, palam exclamaverit היירו סלכא משיחא, *videre hic est ipse Messias*, sed & Armiger ejus extiterit; de Akiba, si quis pro hominis merito dicere vellet, לא יכל ספר להגיד דבריו, *non sufficeret volumen integrum ad res omnes percensendas*, Judice Zacuto in Juchasin p. 66. Natus autem est circa primos annos Christi, matre judæa, patre alienigena, ex Siseræ ducis Jabini Regis Tyrorum, ut ferunt, prosapia. Duram initio vitæ habuit conditionem, nam ad quadragesimum usque ætatis annum, ruri degens, pascendis pecudibus Calbæ Schvuæ, civis Hierosolymitani opulentissimi, vacabat; transtulit tandem animum suasu herilis filiæ ad studia, quæ eum permoverat, se illi nupturam pollicens, si gnaviter studiis incumberet, quod tam strenue peregit, ut post viginti quatuor annos, quos in Academia exegerat, domum reversus, viginti quatuor millibus discipulorum stipatus fuerit. Ignoscite si tanti Doctoris moralia quædam exscripsero, quantum honestas patitur, ex Barajetha in Massech. Berachos fol. 62. latine ita versa: *Dixit R. Akiba, ingressus sum aliquando post Rabbi Josuam in sedis secretæ locum, & tria ab eo didici. Didici (1) quod non versus orientem & occidentem, sed versus septentrionem & austrum convertere nos debeamus. Didici (2) quod non in pedes erectum, sed jam considentem se retegere liceat. Didici (3) quod podex non dextra, sed sinistra manu abstergendus sit. Ad hæc objecit ibi Ben Hasas: usque adeo vere perfricuisti frontem erga magistrum tuum, ut cacantem observares? Respondit ille: legis hæc arcana sunt, ad quæ discenda id necessario mihi agendum fuit.* Plura de his tractatus Talmudicus Cetubot fol. 62. David Gans in Zemach David Part. 1. Abraham Zacut in Juchasin, Abraham Ben Dior in Sepher hakkabala, Raymundus Martinus in pugione fidei ex edit. Voysinii, Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis, Schickardus in jure Regio ex Edit. Carpzovii, Johannes Buxtorfius in Lexico Talmudico Rabbinico. Wagenseilius in Sota &c.

XII. Hoc itaque Armigere, illo Duce ac Messia, Judæi animosi facti, Syriam ac Palæstinam diripere conati sunt. Sectabantur Cosibam ducenta millia truncorum digito, quisque enim illorum, ut insigne aliquod roboris ac fortitudinis suæ specimen ederet, sibi ipsi digitum præciderat. Quam rem, cum fœdam inceptu sapientes judicarent, misere ad eum, qui suis verbis nuntiarent: usque quo tute Judæos mancos efficies? Respondit ipse: Quod igitur aliud ipsorum roboris experimentum faciendum esse judicaris? Regerunt: neminem in numerum militum referto, nisi qui suis manibus cedrum e Libano evellere valet. Huic consilio, cum morem gessisset, jam hoc suorum lacertorum firmitatis signum, omnes ostendere moliebantur, atque non minus quam illorum mancorum, sic & horum reperti sunt ducenties mille, quod egregie ita in Medrasch Rabbata Megillot fol. 67. היו לכוזיבא מאתים מקוטעי אצבע שלחו לו חכמים עד מתי אתה עושה לישראל בעלי מומין אמר להן והיאך יבדקו אמרו לו כל מי שאינו עוקל ארז בלבנון אל יכתב באסטלטיא שלך והיו לו מאתים אלף מכאן ומכאן :

XIII. Contra Eques Romanus, *sacramentum detrectans* militare, duobus filiis *pollices* amputavit, ut eos belli tempore militiæ subtraheret, *Svetonius in August. cap. 24. Decem milites tempore belli, pollices sibi amputarunt. Rei sunt læsæ Reip. Fortunatianus Rhetor. Ad militandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artubus, & labore assiduo, multa contemturus, & formidanda, ne eorum aliquando quispiam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi præcidit, quos joculariter Murcos appellabant, Ammianus Marcellinus l.* 15. de Gallorum moribus loquens. *Isidoro Hispalensi* in glossis vocantur *Mutili, Murcinarii a Murcis*, id est ignavis, quique pollicibus truncati inhabiles bellis gerendis habebantur. Nam hujusmodi homines *Murci*, *Murcidi*, *Murcili*,

*li*, *Murcicidi*, ut alii notarunt, appellabantur. Pollices ergo ſibi abſcindebant militiam detrectaturi, vel abſcindebantur in pœnam, ne utilis quiſpiam eſſet ferendis armis. Et hinc Gallorum vocem *Poltron*, qua hominem nauci, ignavum denotant, ortam eſſe, me olim Ultrajecti docuit Johannes Georgius Grevius Eruditorum commune delicium.

XIV. Tenebat interea provinciam Palæſtinam Rufus, non Tenius Rufus dictus, nam Tenius ſive Tinius Romanum non eſt nomen, ſed T. Anius Rufus, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus miſerat exercitum, Euſebio in Hiſt. Eccleſ. lib. IV. c. VI. Ἐπάρχων τῆς ἰȣδαίας dictus, quod non ſonat Præfectum Judææ, nam Romani Imperatores non mittebant Præfectos ad regendas provincias ſed tantum ad gentes barbaras, quæ Romanis fœderatæ erant: ſed potius Præſidem aut Legatum provinciæ Palæſtinæ, cum Judæa nunquam a Præfectis adminiſtrata ſit, nam tunc temporis per Legatos Cæſaris regebatur. Fuit ergo T. Anius Rufus Legatus Cæſaris provinciæ judææ ſeu Palæſtinæ, ſicut antea Lucius Quietus fuerat ſub Trajano. Cum vero Rufus bellum non conficeret, accerſitur ab Hadriano e Britannia Julius Severus, Vir maxime ſtrenuus, qui cum congredi cum judæis præ illorum multitudine, quod non paucæ gentes lucri cupiditate iis conjunctæ eſſent, non valeret, prætereaque deſperata eorum conſilia cognoſceret, carptim eos aggreſſus eſt; accedebat, quod, deficientibus nationibus, quas Trajanus ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant, Ægyptus ſeditionibus urgebatur, Lycia denique vel ſi mavis Cilicia ac Palæſtina rebelles animos efferebant, obſervante Ælio Spartiano in Hadriano, edito a Reipublicæ literariȩ Trium viris Caſaubono, Grutero, Salmaſio.

XV. Hoc lento bello viribus Judȩorum maxime confirmatis, Bar Cochab munia ſtrenui ducis obire non intermittebat, dum quinquaginta caſtella rebus neceſſariis munivit, Bitteram ſedem Regiam ad ſtuporem munitionibus, milite, annona, firmavit. De hac urbe ſonus clamoſiſſimus in *Talmudicis*, Scribitur vulgo ביתר *Betar*, redditurque a *Chriſtianis Bitter*, vel *Bither*: In *Talmude Hieroſolymitano tractatus Taanith* fol. 68. 69. reperitur ביתחר *Betthar*, legenda ut videtur בית-חר *Beth Tar*, & abjecto ת primo, quod in voce בית uſitatiſſimum ביתר *Be-Tar*, *domum Inquiſitoris*: aliis *Bethoron* placet: Urbs erat perampla, non procul ab Hieroſolyma in tribu Benjamin ſita, a Salomone Rege primum munita, quam Judȩi, urbe Sancta cremata, tum Reipublicȩ cum ſtudiorum Metropolin eſſe volebant, in hac ipſa Bar Cochab Impoſtor Rex Judȩorum electus, unctus, coronatus, & cum filio & Nepote ſubſtitit, & ex ea cum irruptionem faceret, ſȩpe Romanos profligavit. Incredibilia fere de Magnificentia Scholarum & Collegiorum ejus Hebrȩi ſcribunt in *tractatu Talmudico Gittin*. fol. 58. אתנע מאות כתי כנסיול היו בכרך ביתר וכל אחר ואחר היו תי מלמחי תינוקות וכל אתר ואדר היו לפניו תי תינוקות של בית רכן וכשהיה אויב נכנם לשם היו דוקרין אותו ברוקריהן וכשנבר אויב ולכרום לרכים בספכיהם והציתום באש: id eſt: *Quadringenta Gymnaſia fuere in urbe Bitter, quorum quodque inſtructum erat pædagogis quadringentis, nec pauciores quam quadringendos quiſque eorum habebat diſcipulos. Iſta pubes principio hoſtes impetum facientes, graphiis ſuis confodiebat: cum vero hi prævalerent, urbem cœpiſſent, involverunt puerulos illos cum libris ſuis, eoſque igne ſic cremarunt*; ſimilia in Hheca Rabbathi c. 2. Schalſch. Hakkab p. 29. Juchaſin p. 32. De Bethar urbe poſt Talmudiſtas, Rabbinos, Conſtantinus l' Empereur Annotat. ad Don Joſeph. Jachiad. in Daniel p. 241. 242. Johannes Lightfootus in centuria chorographica Evangeliſt. prȩmiſ. p. 96. 97. Johannes Benedictus Carpzovius ad Schickardi jus Hebrȩorum p. 480.

XV. Hadrianus Imp. dum bellum confici non intelligeret, & quantum ad pacem Orientis hujus ſeditionis conduceret oppreſſio, probe ſciret, in Syriam rediit, commeatu Judȩos primum excludens, in excurſionibus prȩliiſve hominum multa millia trucidavit, quinquaginta eorum caſtella & nongentos & octoginta quinque vicos funditus evertit, urbem Bethar firmiſſima corona obſedit, adeoque obſeſſos arctavit, ut plurimi in urbe fame & peſtilentia morerentur, plurimi a fratribus judȩis occiderentur: Sic Rabbi Tarphon, ſeu Tryphon periit gladio Bat Cochabi, diffamatus, quaſi urbem Hadriano tradere vellet, cum precibus potius Deum ſollicitaſſe dicatur, ne unquam ea Hadrianus potiretur. David Gans in Zemach David 39. Cum itaque judȩi viderent, ſe a Stella hac miſere ſeductos & turpiter deluſos, utpote, qui cauſam prȩbuerat, quod multa Judȩorum millia trucidarentur a Romanis, & promiſſam liberationem prȩſtare non poſſet, Meſſiam

iſtum

istum falsum a tempore isto usque ad hodiernum diem בר כוזב' *Bar Cosabb*, seu בר כוזיבא *Bar Cosibah*, hoc est, *filium mendacii*, *mendacem & adulterinum Messiam* vocitarunt. Akiba vero eo quod *Bar Cochabum* in Messiam unxisset, in carcerem conjectns fuit, uti ex *tractatu Talmudico Eruf.* fol. 21. clarum est. De clade Dio apud Xiphilinum in Hadriano, Zonaras tom. 2.

XVII. Judæis ad extremum coactis, fameque præsertim edomitis, tandem Bethar urbs Regia munitissima post trium annorum & sex mensium gravissimam obsidionem ab Hadriano cum clade multorum suorum expugnata est, adeo ut scribens ad senatum Romanum, formula illa seu principio literarum, *si vos & filii vestri valent, bene est: Ego & exercitus valemus*, non usus sit. Clades autem Judæorum tanta fuit, ut referant in suis libris, Hadrianum in Bethar occidisse duplo plus Judæos quam egressi sunt Ægypto, & non vexasse eos Nebucodonosorem, neque Titum, sicuti Hadrianus Cæsar. Numerus interfectorum scribitur fuisse quinquies centum millia hominum. Alii, qui pestilentia & fame perierunt, non potuerunt numerari. Ipse quoque Pseudo-Messias *Bar Cosibba* occisus est, uti in *Echa Rabbati* legitur, *Tribus annis cum dimidio obsedit Hadrianus Bitter. Capta civitate interfectus est Bar Cosibba. Et allato capite ejus coram Hadriano, dixit Hadrianus: Quis hunc occidit? ait miles quidam, ego eum occidi. Dixit ei Hadrianus, vade & adduc ad me ejus truncum. Ivit ille & serpentem collo ejus involutum invenit. Quo allato, ait Hadrianus: nisi Deus suus hunc occidisset, quis aliquid contra eum potuisset? legitur enim de eis Deuter.* 32. אם לא כי צורם מכרם ויהוה הסגירם: *nonne, quia rupes eorum vendidit eos, & Iehovah conclusit illos*. Vir quidam doctissimus non unum, sed geminum fuisse Bar Cochabum vult, a quorum priori cæpit, in posteriori vero, de quo nos hic, regnum judaicum desiit; illum majorem dictum regnare cæpisse anno Christi 114. Hunc Minorem anno 132. bellum Romanis intulisse, ac in urbe Bitter anno 134. periisse; sed deceptus fuit a Judæis pessimis post dispersionem Historicis, arte sæpe annos confundentibus, quibus nihil fere credendum, nisi testes probabiliores accedant; cum quippe omnia illorum discrepantia dicta componere, & ad perfectam chronologiam referre vellet, medium modo ante excogitatum ita adhibuit, quo se omnes difficultates tollere putabat, quod quam feliciter præstiterit, alio tempore ex professo si Deo placuerit, ostendam.

XVIII. Notum est quam male ea res autori & facinoris sociis cesserit, atque inprimis Akiba Pseudo-Messiæ armiger gravissimo supplicio enectus periit. Nam, ut est in *tractatu Talmudico Berachot* fol. 61. היו סורקין את בשרו במסרקאות של ברזל: id est, Caro ejus pectinibus ferreis fuit dilacerata, atque ita lenta morte animam exhalavit. Vixit annis centum & viginti sicuti Moses, juxta vulgatum istud Judæorum dictum: *Quatuor mortui sunt, cum essent centum & viginti annorum, Moses, Hillel Senior, R. Johanan, F. Zechai & R. Aquiba*: eoque die quo interemtus est, lucem R. Jehudas Sanctus aspexit. Autor libelli de Cippis ab Hottingero editi & latine translati, narrat Akibam cum uxore & 24000. discipulis eodem quasi monumento prope Tiberiadem ad radices montis cujusdam sepultum fuisse, cujus verba sunt: שם על שפת הים המי טבריה קיימין ורוחצין בהם ובהר למעלה קבור ר עקיבא ואשתו במערה ולמטה בהר ארבע ועשרים אלף תלמידיו שמתו כלם בין פסח לעצרת לפי שלא חלקו כבוד זה לזה: *ad littus maris sunt Thermæ Tiberiadis, in quibus se lavant, perpetuæ, supra in monte sepultus est R. Aquiba, & uxor ejus in spelunca; infra vero in monte 24000. discipuli ejus, qui omnes inter Pascha & Pentecosten, quia alii aliis honorem non detulerant, obierunt*, de Morte Akibæ alias R. Abraham David in *Kabbala Histor.*

XIX. Reliquorum Judæorum in Civitate Bitter strages gravissima & atrocissima fuit, imo dici nequit quam flebiles hoc suum infortunium deploraverint, imo exaggeraverint. Fatentur enim, ut jam supra, duplo plures hac clade periisse Judæos, quam Ægypto exierint, teste Abraham Zacut in libro Historico prosapiarum *Juchasin* dicto, fol. 141. In *Tractatu Talmudico Gittin* ita de hac strage. *Cumque eam caperent, interfecerunt mares, & fœminas, & parvulos; ita ut sanguis eorum flueret in mare magnum. Dices forsan, forte non procul distabat mare; at distabat milliari. Traditio est, quod dicit R. Eliezar Magnus, quod duo fluvii erant in valle jadaim; quorum hic hac fluxit, iste illac: & computarant Rabbini, quod tertia pars sanguis esset, & duæ partes aquæ.* Ibidem in *Gittin*, *traditur etiam Ethnicos per septennium vindemiasse absque stercoratione, quia fertiles satis erant vineæ e sanguine Israelitarum. In tractatu Talmudi*-

co

*co Taanith*, *Et Deus tradidit eos*, *& occidebat eos*, *& progrediebantur*, *donec equus usque ad nares in sanguine immergeretur*. *Quin imo sanguis rapiebat secum petras magnitudinis quadraginta modiorum*, *donec ad quadraginta milliaria usque in Oceanum flueret*. *Dixerunt quidam* : *Trecenta crania puerortm inventa fuisse super unico lapide*. Idem fere in libro *Echa Rabathi* cap. 2. *Tantopere mactabant*, *ut equus immergeretur sanguinis usque capistrum nasi*, *& fluxus cruoris protruderet lapides quadragenarios*, *adeoque deflueret per quatuor milliaria usque in mare*. Tunc scilicet impletum est, quod occinuisti Pilato : Sanguis ejus super nos. Alia testimonia habet ex Talmude, *Bereschit Rabba*, *Medrasch Schir haschirim*, *Echa Rabbati*, Clarissimus Buxtorfius in Lexico Rabbinico Talmudico, opere incomparabili.

XX. Bello anno Christi 135. patrato, Judæa pene omni in desertum redacta, sus in marmore portæ Betelemiticæ, teste Cassiodoro in Chronico, sculpta est, tum quod Scropha lactans porcellos suos Æneadum insigne sit ; nam Æneas Lavinium urbem condit, quo loco scropha jacebat, Virgilius lib. III. Æneid.

> *Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus*,
> *Triginta capitum fœtus enixa jacebit*,
> *Alba solo recubans*, *albi circum ubera nati*:
> *Is locus urbis erit*, *requies ea certa laborum*.

ac prostant nummi Hadrianei cum imagine porci lactantis; cum quod Judæos non aditu solum verum etiam aspectu Hierosolymis arceret; quibus animal illud immundum erat, Lev. XI. vers. VII. Deut. XIV. vers. VIII. II. Maccab. VI. vers. XVIII. Adeoque si res eorum adhuc integræ fuissent, non tulissent scropham in mæniorum propugnaculis, qui Cæsaris aquilas ab Herode Regeimpositas de templi culmine quondam proturbaverant, Josephus Antiquit. Judaic. lib. XVII. cap. 9. Quin & Judæorum reliquias, referente Genebrardo, in Hispaniam Hadrianus transtulit, atque illis aures præcidi jussit, Gregorius Abul-Pharajus in Historia Dynastiarum Arabica ab Eduardo Pocockio latine versa p. 77. Quatuor Judæos uno hordei modio in foro vendidit, Glycas in Histor. Byzant. Inde *universæ genti interdictum est*, inquit Aristo Pellæus scriptor apud Eusebium Histor. Eccles. l. 4. c. 6. Nichephorum lib. 3. c. 24. in *Regionem circa Hierosolyma sitam pedem inferre*, *lege & constitutione Imperatoris Hadriani* : *adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solus ipsis liceret*. Idem scribitur in Chronico Eusebii anno 18. Imperii Hadriani : *Bellum Judaicum quod in Palæstina gerebatur finem accepit*, *rebus Judæorum penitus oppressis* : *ex quo tempore etiam introeundi eis Hierosolyma licentia ablata*, *primum Dei nutu*, *deinde Romanis interdictionibus*. Ejusdem interdicti meminit Tertullianus in libro contra Judæos cap. 15. *Et exinde quod interdictum est*, *ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum*. Et paulo post : *quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem*, *probibitis ingredi in terram vestram*, *de longinquo eam tantum oculis vestris videre permissum est*. Sed & Hieronymus in cap. 6. Esaiæ : *post extremam vastitatem*, *probibiti sunt Judæi terram*, *de qua ejecti fuerant*, *ingredi*. Augustinus de Palæstina loquens, conc. II. in Ps. LXIIX. *Loca illa omnia & hominibus plena sunt*, *& Judæis inania*. Antea dixerat : *Nullus modo illuc permittitur accedere Judæorum*. *Ubi potuerunt adversus Dominum clamare*, *ibi a Domino non permittuntur habitare*. Chrysostomus Orat. 2. contra Judæos. *Mirum est & incredibile*. *Totus terrarum orbis conceditur Judæis*, *ubi fas non est immolare*. *Hierosolyma*, *ubi fas solum erat sacrificare eis interim inaccessa sunt*. Gemina leguntur apud Hilarium in Ps. LIIX. Sulpitium Severum in Hist. Eccles. lib. II. c. 45. Johannem Seldenum lib. II. de Synedriis veterum Hebræorum, cap. 7. pag. 188. Edit. noviss. Ex quibus manifestum, terram integram Israeliticam, non urbem Hierosolymam solam, quod Sulpitii Commentator quidam Clarissimus volebat, interdictam fuisse.

XXI. Gregorius Nazianzenus in Orat. XII. de postrema Judæorum dispersione loquens, testatur Judæis fas non fuisse patriam adire, & Hierosolymorum solo insistere, nisi unico anni die, quatenus patriam prospectantes, lugere solitudinem & exilium suum possent. Die scilicet quo captæ & eversæ quondam fuerant Hierosolymæ, Judæi ex variis gentibus in Palæstinam convenientibant, & mercede militibus persoluta, introibant in eam urbis partem, ubi quondam fuerat templum Salomonis; ibique excidium templi & civitatis suæ ad certam horam plangebant, ut ex Hieronymo & ex Itinerario Burdigalensi dudum observavit Illustris Scaliger in animadversionibus Eusebianis p. 198. Alii Judæis id per-

permiſſum fuiſſe per eos dies ajunt, quibus mercatus ſolemnis fiebat ad Terebinthum: Cum enim ad eum mercatum multi ex barbaris convenirent, hac occaſione etiam Judæi eo confluebant; non quidem ob mercatum quem vel maxime vitabant, eo quod olim majores ipſorum ibi venundati fuiſſent; ſed ut ruinas templi inviſerent ac ſalutarent. Idque conjiciunt ex militibus, quos Judæis plangentibus appoſitos fuiſſe teſtatur Hieronymus. Nam in mercatibus illis qui ad limitem fiebant apponebatur Centurio cum militibus, uti cum quibuſdam obſervavit Henricus Valeſius, Vir ſummus, cujus mors nuper rei literariæ ingentem impoſuit & irreparabilem plagam, omnibus eruditis diutiſſime lugendam, in annot. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. VI. ad Ammianum Marcellinum lib. XXXII.

XXII. Hinc quod notari ſolet in Calendario Judaico ad fatalem diem illum, Nonum menſis Ab [qui circa Julium eſt noſtrum] de *Decreto contra Patres noſtros ne ingrederentur Judæam*, tam de hac Terræ interdictione Adrianea ſumitur, quam de multo vetuſtioribus ejuſmodi interdictionibus aliquot; cunctis velut ad eundem diem attinentibus. Unde, in diei ejuſdem Ritualibus, hymnus eſt, in quo quidem Nebucadnezar & Adrianus veluti miſeriarum ſimilium autores multoties memorantur; ſemel tantum in eodem Veſpaſiani & Titi nominibus adhibitis, ſed Adriani ut Nebucadnezaris quaſi vicies, alternatim ad hunc modum;

זכור יי׳ מה היה לנו נבוכדנצר מעונן כמו כשפים
סנחש כמו אשפים
קלקל בחצים ושאל בתרפים
זכור יי׳ מה היה לנו אדרואנוס נתחכם עצות אכזריות
וישאל כמסות וטויות
ויעל׳ וישרוף ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות

*Recordare Domine qualis fuerit nobis Nebucadnezar; qui punivit nos ut veneficos, ipſe auguriis uſus, præſtigiatorum inſtar, diſciplina extranea infatuatus, & conſulens Teraphim. Recordare Domine qualis nobis fuerit Hadrianus, crudelitatis conſilia amplexus, conſuluit idola ſe pervertentia. Et ſuſtulit, combuſſitque quadringentas & octoginta ſynagogas.* Alia ejuſmodi ordine ſunt continuo, uti & memoria Principum illorum, a quorum utroque calamitates eodem die Judaicæ evenerant, in quibus, etiam e patria ſeu Palæſtina exilium. Et Joſephus Scaliger Can. Iſagogic. lib. 3. pag. 219. expreſſim, ad illud Calendarii de ingreſſu in terram ſanctam interdicto inquit; *Sub Hadriano Judæi harum rerum memoriam retinent, quarum cauſas hodie penitus ignorant.* Conf. Dionyſ. Petavius de Doctrina temporum lib. 7. cap. 18. Johannes Seldenus de anno Civili cap. 7.

XXIII. Nec hoc tantum, ſed & Judæi ſapientiæ ſtudioſis & Iſraelitis pauperibus Decimas dederunt, ut Tſionem & Hieroſolymas lugerent, ut enarrat Rabbi Benjamin, filius Jonæ Tudelenſis, qui multum peregrinatus, tres mundi plagas, Europam, Africam, & Aſiam peregrinavit, omnia perſcripſit, quæ vel viderat, vel ex hominibus audiverat, & anno Chriſti 1173. mortuus, in מסעית Itinerario a Conſtantino L'Empereur verſione & Notis illuſtrato. pag. 83. *Hi Judæi* (habitantes in regno Themæ) *omnium bonorum decimas largiuntur ſapientiæ ſtudioſis, qui jugiter in Scholis reſident, & Iſraelitis pauperibus & devotis: qui Tſionem lugent & Hieroſolyma, qui nec carnem edunt, nec vinum bibunt, quique qui atrati in ſpeluncis vivunt, aut caſulis; & per totam vitam mœrent ſabbathis & feſtis diebus exceptis, aſſidue divinam miſericordiam pro Iſraelitarum exulibus implorantes, ut eorum propter nomen ſuum maximum miſereatur. Quin imo omnes Judæi Themæ incolæ & Tilimaſis, ubi circiter centum millia Judæorum degunt, diſciſſis veſtibus humilitatem quotannis profitentur diebus quadraginta, præ omnibus Judæis, qui in exilio vivunt*, hactenus ille.

XXIV. Illa vero Judæorum afflictio & extremum excidium proficiebant Chriſtianæ fidei. Ita enim Hieroſolyma dudum everſa, & Judæis Ælia excluſis, cœperunt Chriſtiani abjicere jugium legis, cui ad hoc uſque tempus aliquo modo paruerant, ſub legis obſervatione Chriſtum honorantes, teſtatur id Sulpitius Severus Hiſtoriæ ſacræ lib. II. cap. XLV. de Hadriano loquens: *Namque tum Hieroſolymæ, non niſi ex circumciſione,* (Judæum) *habebat Eccleſia Sacerdotem,* (Epiſcopum. *Militum cohortem cuſtodias in perpetuum agitare juſſit, quæ Judæos omnes Hieroſolymæ aditu arceret* (quod plane de tota terra ſumendum, ut oſtenſum) *Quod quidem Chriſtianæ fidei proficiebat*: (ex hac occaſione cœperunt primum abjicere jugum legis) *quia tum pene omnes, Chriſtum Deum, ſub legis obſervatione, credebant. Nimirum id Domino ordinante diſpoſitum, ut legis ſervitus, a libertate fidei atque Eccleſiæ tolleretur. Ita tum primum Marcus ex gentibus, apud Hieroſolymam, Epiſcopus fuit.*

Idem

Idem habet Eusebius in Hist. Eccles. lib. IV. cap. VI. *Et cum Ecclesia ejusdem loci ex gentibus coaluisset, primus post Episcopos ex circumcisione Sacerdotium illius civitatis suscepit Marcus*. Post Marcum nulli Episcopi nominibus Hebraicis in ea Ecclesia leguntur dicti, quia nulli fuere amplius Judæi.

XXV. Hisce eorum cladibus hæc etiam accessit, quod anno seculi secundi a nato Christo ultimo a Pescennio Nigro, Severi hoste afflicti sint. Rogantibus enim ut terra eorum, quam inhabitabant, censitione, qua gravata erat, levaretur; Respondit ille, vos terras vestras levari censitione vultis, ego vero aerem vestrum etiam censere vellem, teste Spartiano. Post Pescennii autem cœdem ipse Severus eos afflixit. Cum enim rebellarent, victi sunt, & triumphus de iis Romæ actus. A Constantino imperatore & aliis durissimas contra Judæos latas leges. Codex Justinianus ostendit, *de concremandis Judæis, si irruerent cum furore in Judæum conversum, de immunitatibus abrogatis, de conjugio cum Judæis sub pœna capitis non contrahendo, de non faciendo proselito, de privatione publicorum munerum, de non excitanda Synagoga*. Meminit etiam Chrysostomus Orat. 3. contr. Jud. ipsis reditum in Patriam & abjectionem jugi Romani meditantibus, *auriculas amputasse, atque sic signum inobedientiæ corpori eorum imposuisse*. Sub Honorio Imperatore Alexandriæ tumultum excitarunt, ac Christianos obtruncarunt; hinc commotus ea re Cyrillus Episcopus, cum ingenti multitudine ad Synagogas Judæorum profectus, eas Judæis ademit, ipsos vero urbe expulit, facultates quoque eorum diripi a plebe permittens, Socrates in Hist. Eccles. Lib. 7. c. 13. Aliquanto post, inter Chalcidem & Antiochiam, puero Christiano in ludibrium fidei crucifixo; religionem false deridebant; sed mox impietatis suæ pœnas dederunt, Socrates d. l. c. 16. edit. valef.

XXVI. Ex iis ergo temporibus Judæi extorres patria, per orbem terrarum dispersi, palabundi sine numine, sine Rege, sine Duce, sine homine, sine aris, sine focis, vagantur, omnium mortalium ludibriis & injuriis expositi, quotidie mundo testimonio sunt, non ob aliud eos, quam ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos; imo ipse conspectus eorum aliquid habet abominationis in se, ut memorabile iræ divinæ in hunc usque diem exemplum sint, quod eleganter post Tertullianum de hac dispersione loquentem Prudentius, Poeta Christianus facundissimus in Apotheosi contra Judæos expressit.

*Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat,*
*Judæus, postquam patria de sede revulsus,*
*Supplicium pro cœde luit, Christique negati,*
*Sanguine respersus commissa piacula soluit,*
*En quo priscorum virtus deflexit avorum!*

Gemina Augustinus in Psalmo LVI. scribit: *Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judæi sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam*.

XXVII. Certe adeo invisi sunt Deo Judæi, ut quum templum Hierosolymitanum sub Juliano A. C. 361. in contumeliam Christi restituere tentarent, prodigio deterriti fuerint operatores & ignibus e terra erumpentibus ab opere prohibiti. *Hujus rei nos omnes testes sumus*, ait Chrysostomus orat. 2. cont. Jud. Describit historiam cum Ammiano Marcellino lib. 23. Sozomenus in Historia Ecclesiastica lib. V. c. 22. Edit. Valef. *Sedulo opus aggressi sunt. Collectisque peritissimis fabris, materias parare & locum purgare cœperunt. Tanta porro animorum alacritate operi instabant, ut uxores quoque eorum rudera gremiis exportarent, & monilia ac reliquum omnem muliebrem ornatum ad sumtus operis ultro conferrent. Sed & Imperator ipse & reliqui gentiles, omnesque adeo Judæi, cætera omnia huic operi postponebant*. Et paulo post: *cum vero prioris structuræ reliquias demoliti essent, solumque effodissent ac repurgassent, postero die, quo primum fundamenta posituri erant, terræ motus ingens contigisse dicitur: eoque motu lapides ex fundamentis exsiliisse: ex Judæis autem periisse, tum eos qui opus curabant, tum qui spectandi causa confluxerant. Nam & ædes templo proximæ & publicæ porticus in quibus diversabantur, repente corruerunt. Et complures ibi deprehensi, partim illico interierunt: partim semivivi, manibus & cruribus mutilatis reperti sunt, aut aliis corporis partibus debilitati. Postquam terra movere desiit, ii qui incolumes supererant, opus denuo aggredi cæperunt*. Et paucis interjectis lineis. *Simul autem ac denuo manum operi admovissent, ignis subito ex fundamentis templi erumpens, multos consumpsisse dicitur*.

## CAPUT II.

*I. Judæi miro patriæ, qua expulsi sunt, flagrant amore. II. Credunt, se, si extra eam inoriuntur, per profundas terræ cavernas in eam devolvi. III. Oritur novus Pseudo-Messias, Moses Cretensis dictus, qui se illos per siccum mare in patriam ducturum promisit. IV. Fuere autem verpi miserrime per eum decepti. V. Turbas movet Judæus quidam nomine* Dunaan, *sed nequitiæ suæ mox pœnas dedit. VI. Judæi oppugnantur a Romanis sub Imperatore Justiniano. VII. In Hispania edictum promulgatum, ut omnes Judæi annuo spatio Religionem Christianam discerent, aut ex Hispania, relictis omnibus facultatibus, ejicerentur. VIII. Natus Muhamed anno Christi 571. IX. Qui varie, sese primitus pro eorum Messia venditando, Judæis illusit. X. Secuti sunt eum initio complures Judæi. XI. Tandem novus Pseudo-Messias, Syrus quidam, prodiit, insignis Veterator, Christum se esse simulans. XII. Judæi gravissimas a Christianis patiuntur persecutiones, eo quod imaginem Christi crucifixi nacti, in parasceve ei illusissent, eam flagellassent & iterum cruciafixissent.* XIII. *Oritur an. 1137. in Gallia Pseudo-Messias, nebulo pessimus, qui & meritas pœnas suæ impietatis luit. XIV. Judæorum plurimi e Gallia eliminantur. XV. In regno Persico novus Pseudo-Messias sese conspiciendum præbet. XVI. XVII. XVIII.* XIE. *Qui tandem a Rege Persarum decollatus fuit.* XX. *Ortus etiam an. 1157. in Hispania Pseudo-Messias, cujus deceptione omnes fere Judæi per universam Hispaniam internecioni dati. XXI. In Hispania quidam ex Eruditis edidit librum de argumento termini, quo venturus esset Messias: sed derisus fuit. XXII. Ann. 1167. alius in regno Phessano Pseudo-Messias prodiit. XXIII. Eodem anno in Arabia Veterator insignis se prodromum Messiæ jactitavit. XXIV. Cujus historia exhibetur a Maimonide. XXV. XXVI. Non multo post Vir Judæus ultra Euphratem flumen sese Messiam esse dixit. XXVII. Post hæc novus Pseudo-Messias circa ann. Christi 1174. in Persia conspicitur. XXVIII. Moravia etiam Pseudo-Messiam, nomine Davinum Almussor, vidit. XXIX. Eodem sæculo & alius, dicente Salomone Ben Virgæ in Schaveth Jehuda, visus.*

I. Postquam Judæi patria pulsi & extorres facti sunt, amant tamen ejus cineres tam impotenter, ut miræ felicitatis loco habeant, si cui contigit, vel mortuo ibidem sepeliri, vel pugillo illius pulveris post fata conspergi, vel viventi ibidem degere; *quod aer terra Israelis sapientem reddat*, ut est in Bava Bathra, c. IX. *quod quicunque ambulat quatuor cubitos in terra Israelis, is certus sit, quod sit filius seculi venturi*, Kethubot c. ult. *Magni sapientes osculari solent limites terræ sanctæ, & basiare rudera ejus, & in illius pulvere se volutare. Ajunt sapientes: peccata remitti omnibus, qui in terra Israel habitent. Qui sepelitur ibi, placatur Deo, acsi sub ipso altari humatus esset. Quamvis vero non parum intersit, utrum quis vivus an post mortem inibi recipiatur, tamen sapientissimi quique etiam mortuos suos illuc convexerunt. Semper mavelit aliquis in Palæstina etiam inter medios gentiles habitare, quam extra eam in urbe, ubi plerique sunt Israelitæ*, Moses Ben Maimon in masse. Jad Liber Cosri a Buxtorfio latinitate donatus p. *96. 97. Mortui & sepulti in terra Canaan primi omnium in diebus Messiæ revivifcent. Rabbi vero Hananjah dixit: Quisquis extra terram Canaan moritur, illius cervici gemina mors imminet*, id est illi bis moriendum est, in libro Tanchuma, Commentario in libros V. Annalium Mosis. *Dixit ad eum Rabbi Simeon: Si ita se res habeat, omnes justos, qui extra terram Canaan sepulti sunt, perire necesse est? Absit. Sed Deus facit ipsis profundas cavernas in terra, per quas tamdiu se volvunt, donec in terram Israel perveniant, quo postquam pervenerint, naribus illorum Deus spiraculum vitæ inspirabit, ita ut resurgant*, ibidem apud Buxtorf. in Synag. Judaic. c. III. pag. 36. 37.

II. Hinc facile est colligere, quanti Judæorum intersit, ut in patriam suam revertantur, ibique instar piorum Judæorum moriantur, ut istius volutationis, sub tot profundissimis aquis, & durissimis montibus, dolore summo, & labore gravissimo liberentur. Imo opulentiores & pietati addictiores, vel hoc solo nomine in terram Israelis proficiscuntur, ut post mortem corporibus suis quietem concilient, & de sua resurrectione tanto sint certiores; sicuti Johannes Benedictus Carpzovius in notis ad Schickardi jus Regium Hebræorum p. 202. 203. de Rabbi Juda Selket, Archi-Synagogo Vindebonensi refert, qui ad evitandam angustiam volutationis subterraneæ, jam gran-

grandævus iter in Palæſtinam ſuſcepit, ſed ubi iter vix ingreſſus Budam, Pannoniæ Mohammedicæ metropolin devenerat, ad plures ſe penetravit, adeoque nunc longo adhuc anfractu ſubterraneas cavernas permeare tenetur, ad vitam æternam, ſcilicet, reſurrecturus. En quam dulcis patria ſit exulibus? quanto luculentior illius fumus igni alieno? Ite nunc Poetæ & Ulyſſis veſtri deſiderium narrate, quod etiam in vili caſula ſuavius ſit habitare domi, quam foris vel in ſplendidiſſimo palatio: plura Gilbertus Gaulmin. lib. III. Notar. ad lib. de vita & morte Moſis cap. VI.

III. Dum ita amore patriæ flagrant, ecce anno poſt natum Chriſtum 434. tempore Imperatoris Theodoſii junioris alius Pſeudo-Meſſias, natione Judæus, Moſes Cretenſis dictus in Creta inſula, quæ hodie Candia vocatur, Bar Coſibæ non multum inferior, oritur. Hic, ut reciperetur, Moſen ſe eſſe finxit, ſeque miſſum a cœlo, ut Judæos Cretam incolentes ſuſciperet, eoſque per mare deduceret. Se enim eſſe ajebat qui olim Iſraelitas per mare rubrum ducens ſervaſſet. Totam igitur inſulam & ſingulas ejus urbes unius anni ſpatio peragravit, & Judæos qui in illis degebant, impulit ut ſermonibus ſuis fidem haberent. Hortabatur autem illos, ut omnem pecuniam ac ſuppellectilem cum prædiis relinquerent. Pollicebatur enim ſe illos per ſiccum mare in terram promiſſionis ducturum eſſet; Illi vero ea ſpe in fraudem inducti, opus omne negligere cœperunt: & ea quæ poſſidebant ſpernentes, capiendi illa licentiam cuivis obvio concedebant. Poſtquam dies ab impoſtore Judæo deſignatus illuxit, ipſe quidem præire cœpit: ſequebantur autem univerſi cum uxoribus & parvulis. Eos ergo in promontorium quodam mari imminens cum duxiſſet, ex eo ſeſe in mare præcipitare juſſit. Atque id fecere primi illi qui ad præruptam rupem acceſſerant. Qui quidem protinus perierunt, partim ſcopulis illiſi, partim aquis ſubmerſi.

IV. Et multo plures periiſſent, niſi divina quadam providentia piſcatores ac negotiatores Chriſtiani adfuiſſent. Hi nonnullos eorum aquis jam prope præfocatos, e mari extrahentes ſervarunt: qui tum demum amentiam ſuam agnoverunt, cum in tanto diſcrimine verſarentur. Reliquos vero ne ſe in mare dejicerent prohibuerunt, interitum eorum qui ſe prius projeciſſent, eis referentes. Judæi ergo cognita tandem fraude, ſuam quidem in credendo imprudentiam damnarunt. Pſeudo Moyſen autem illum interficere cum vellent, comprehendere minime potuerunt. Repente enim ex oculis evanuit: multoſque in eam ſuſpicionem adduxit, fuiſſe illum dæmonem quendam exitioſum, qui ad perniciem gentis ipſorum humanam ſpeciem induiſſet. Atque ob hanc calamitatem multi tunc ex Cretenſibus Judæis, relicto patrio cultu, ad Chriſti fidem ſe contulerunt; quemadmodum hæc enarrant Socrates editus a Valeſio in Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. 38. p. 383. 384. Nicephorus in Hiſt. Eccleſ. lib. XIV. cap. XL. Paulus Diaconus ex Theophane Miſcell. lib. XIV. Ado Viennenſis in Chronico ætate ſexta p. 164.

V. A. C. 520. Sub imperatore Romanorum, *Juſtino* Seniore, Judæus quidam nomine *Dunaan* Homerita, Moyſis filium ſe profeſſus. Negram Arabiæ Felicis urbem ingreſſus, Chriſtianos, interque eos Aretham Epiſcopum vi adortus oppreſſit; ſed flagitioſæ crudelitatis mox pœnas dedit, & ab Elesbano Æthiopum duce piiſſimo vivus captus & ferro cæſus eſt, uti obſervat Nicephorus in Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cap. VI. A. C. 529. Judæi cum Samaritanis in Palæſtina rebellarunt, jugum obedientiæ Romanis debitæ excutientes, *Julianum* quendam ſibi præfecernnt, regia corona exornarunt, & armis ſumtis Chriſtianos magna cæde proſecuti fuerunt, Ducem ſuum, quod felici ſucceſſu pugnaſſet, cum illud iis nota Meſſiæ ſit, pro Meſſia habuerunt, ſicuti id teſtatur Maimonides tractatu de Regibus cap. II. אם יעמוד מלך מבית דוד הוגה בתורה ועוסק במצות כדוד אביו כפי תורה שכתב ושבעל פה ויכוף כל ישראל לילך בה ולחזק בדקה וילחם מלחמות ה' הרי זה בחזקת שהוא משיח אם עשה והצליח ונצח כל אומות שסביביו ובנה מקדש במקומו וקבץ נדחי ישראל הרי זה משיח בודאי ואם לא הצליח כה או נהרג בידוע שאינו זה שהבטיחה עליו תורה והרי הוא ככל מלכי בית דוד השלמים והכשרים שמתו ולא העמידו הקבה אלא לנסות בו רבים שנאמר ומן המשכילים יכשלו לצרוף בהם ולברר וללבן עד עת קץ כי עוד למועד *Si exſtiterit rex de domo Davidis meditans in lege, & operam dans præceptis, ſicut David pater juxta legem ſcriptam & ore traditam, quique cogat totum Iſraelem ut ambulent in ea, & reſtaurent fiſſuram ejus, & belligeret bella Domini, hic præſumitur eſſe Meſſias; quod ſi fecerit & proſpere egerit, & vicerit omnes nationes quæ circumquaque ſunt, & ædificaverit ſanctuarium loco ſuo, & collegerit expulſos Iſraelis, hic Meſſias eſt certiſſime. Quod ſi vero hactenus non*

*non prosperatus fuerit, aut occidatur, manifestum est non esse hunc Messiam quem promisit Lex; sed est ut omnes reges domus Davidis perfecti & recti, qui obierunt: neque constituit eum Deus, nisi ut per eum tentaret multos sicut dictum est* (Dan. XI. v. 35.) *& ex erudientibus corruent, ad conflandum eos, & ad purificandum, & ad dealbandum usque ad tempus finis, quia tempus constituto tempori.*

VI. Sed brevi post oppugnarunt eos Romani sub Imperatore Justiniano, & occisi sunt ex iis innumeri. Interfecerunt etiam Ducem eorum, testantibus Cedreno, Zonara Tom. III. *Eodem anno Samaritani & Judæi in Palæstina, quendam Julianum regia corona exornatum sibi præfecerunt: armisque contra Christianos sumtis rapinas, cœdes, & incendia ediderunt. Hos Justinianus a Deo sibi in manus traditos occidione delevit, Julianoque caput amputavit.* A. C. 556. Cæsareæ Palæstinæ, Judæi & Samaritani, alias Vatiniano odio flagrantes, facta seditione impetum in Christianos faciunt & multis interemtis templa Christianorum cremant, ideo Adamantius mittitur, qui quæstione habita alios interficit, alios vero, bonis publicatis, in exilium ejicit. Hinc ab Imperatoribus latæ leges Cod. l. 1. De Hæret. & Manich. & Samar. Tit. 5. Celebris etiam est constitutio Justiniani Nov. CXLVI. de lingua qua Judæis legendæ scripturæ, ut illas non Hebraice tantum, sed in usitata lingua, ubi vivunt, legerent, in Græcia Græce, in Italia latine. *Sancimus licentiam esse volentibus Hebræis per Synagogas suas, in quocunque omnino loco sunt, per Græcam vocem sacros libros legere convenientibus, vel etiam patria forte (Italica hac dicimus,) lingua vel etiam aliorum simpliciter, una scilicet cum locis etiam lingua commutata, & secundum hæc vivere ac conversari: neque fiduciam esse his, qui apud eos sunt expositoribus, solam Hebraicam tradentibus, malignari hanc, quemadmodum voluerint. Neque licentiam habebunt, qui ab eis majores omnibus Archipherecitæ, aut præsbyteri forsitan, aut magistri appellantur, perinœis quibusdam aut anathematismis hoc prohibere, nisi velint propter has castigari corporis pœnis, & insuper privationem facultatum nolentes sustinere.*

VII. Ab hoc autem tempore variis afflicti fuere Judæi calamitatibus & exiliis. Sic anno Christi 614. Sisebutus Rex in Hispania edictum promulgavit, ut omnes Judæi annuo spatio religionem Christianam discerent, aut ex Hispania amissis omnibus facultatibus suis pellerentur. Cum autem ad Christum accedere recusarent, in Galliam fugiunt, eandemque sortis aleam ibidem etiam subeunt. Injunctum enim illis est, ut vel Christiani fiant, vel facultates amittant. Annotante post valæi Chronica Hispanorum, Platina in Pelag. I. Antiochiæ etiam quod plurimos Christianos occidissent, clade non parva affecti, de qua Zonaras Historicus Græcus p. 64. ita latine translatus: *Judæi quoque mota Antiochiæ contra Christianos seditione multos occiderunt, atque ipsum Patriarcham Anastasium, ejusque cadaver in foro combusserunt. Contra quos Phocas* (Imperator) *exercitum mittens alios sustulit, alios truncatos urbe exegit.* In Arabia non melior fuit eorum conditio, ubi contemti, omnibus exosi & ad incitas plane redacti fuerunt. Sur. II. *inflicta iis est paupertas*, Et Sur: *Inflicta iis est vilitas vel contemtus.* Hinc Muhammed ut magis ad partes suas pertraheret Judæos, quorum plena semper fuit Arabia, de se interpretatus, & in se completa esse dixit pleraque Veteris Testamenti loca ad Christum spectantia, seq. verum Prædictum Judæis Messiam asseruit.

VIII. Natus Muhammed anno Christi 571. juxta Elmacinum in Historia Saracenica, patre Abdalla, avo Abdalmutalebo, matre Emina, in Arabia deserta, urbe Mecca, flagitiosissimus nequam, conditione primo servus, inter Camelorum greges in Palæstina & Ægypto versatus, anno ætatis 40. cum observasset Christianæ Religionis miserandam faciem, quoad hæreses in doctrina, dissidia in Ecclesiis, superstitionem in cultu, corruptionem in moribus; Arabum feram & barbaram plane religionem; Judæorum vero contemtum, & attritas ubique vires, de novis quibusdam in Arabiam invehendis sacris serio cogitavit, conflando scilicet ea partim ex Christianismo vero & falso, partim ex Arabismo veteri & Gentilismo, partim ex Judaismo, ut ita Christianorum, Arabum, Gentilium, Hæreticorum, Judęorumque gratiam aucuparetur, & ut hos ad se alliceret, usus pręceptore Abdia, Arabibus Abdalla, Judęo doctissimo, plurima cum Judęis communia docuit, cum in doctrina, tum in ceremoniis & ritibus, ablutionibus, Circumcisione, abstinentia a carne porcina, suffocato, sanguine, sacrificiis, majestate templi, Jejuniis, conjugiorum divortiis, cum inprimis quod verus esset Messias, tantis votis tamdiu desideratus, qui pleraque veteris Instrumenti loca ad Messiam perti-

tinentia impleverit, uti olim jam observatum Petro Cluniacensi apud Isaacum Vossium in scripto novissimo de Sibyllinis aliisque quę Christi natalem pręcessere Oraculis, p. 25. Quapropter non male ab autore argumenti Cantacuzeni Lex Muhammedis appellata fuit confusus corruptusque Judaismus.

IX. Et quidem primis temporibus Muhammed se ipsum apud Chadigam uxorem, Arabes, Judęosque venditabat pro Messia, quem Judæi expectarent, ut est apud Enustinum in Geneal. Mahom. p. 10. Abbas Unspergensis in Chronico p. m. 150. *Hic erat Pseudopropheta, sed apud illos magnus æstimabatur, ita ut etiam in principio adventus ejus æstimarent hunc esse illum, qui ab eis expectatur Christus.* Postea autem immatura videns hæc consilia, nec sibi tantam habens polliceri, ut quondam Bar Cochab, Judæorum multitudinem, veritusque ne sibi ob mendacium, non statua erigeretur, sed crux, mentem veterator callide palliavit, dum Jesum Christum revera a Judæis sub Pontio Pilato crucifixum fuisse, negavit, Surat. XI. *Non interfecerunt* (scilicet Judæi) *eum* (Christum) *neque crucifixerunt, sed ita tantum videbatur illis. Et certe qui in eo disputant, certi nihil fovent: non scientiam sed communem duntaxat opinionem sequuntur. Non equidem interfecerunt eum, sed sublatum ad se eum Deus assumpsit; Deus enim potens est & sapiens.* Revocans ita veterum Hæreticorum, Cerinthianorum, Marcionitarum, Manichæorumque dogmata, qui Christum non verum corpus, sed φάντασμα aliquod assumsisse, adeoque κατὰ δόκησιν saltem esse mortuum fabulabantur. Se autem verum Dei Prophetam, Magnum illum Deuter. XVIII. Christo majorem, Apostolum Dei, Sigillum Prophetarum, variis in locis Alcorani affirmavit. Unde & in circumcisione, quam in octavum, vel quod excurrit, annum rejiciunt, hanc confessionem Turcæ edunt. *Non est Deus, nisi Deus unus: Muhammed autem Propheta, nuncius, vel Apostolus ejus.* In extremo quoque Judicio plus suam quam Christi intercessionem valituram nugatur. Vide fabulosissimum colloquium ejus cum Abdia Judæo.

X. Secuti hunc sunt complures Judæi, qui Muhammedem illico pro vero agnovere Messia. Theophanes aliique istius temporis scriptores scribunt, Judæos adhæsisse Muhammedo *usque ad cædem illius*; μέχρι τῆς σφαγῆς αὐτοῦ. Pro σφαγῆς rectius legi φυγῆς, usque *ad fugam illius*, monet vir literarum Græcarum peritissimus Isaacus Vossius in allegatis sybillinis oraculis p. 24. asserens Theophanem aliosque pravam secutos fuisse lectionem. Iidem tradunt recessisse Judæos a Muhammedo, cum eum cameli carnibus vescentem conspexissent. Alias alii afferunt separationis causas. Hinc Judæi etsi miseri, abjecti, huic Pseudo-Messiæ amplius parere, aut maleferiati Abdiæ, aliorumque exemplo, impiæ religioni propagandæ operam suam locare, noluerunt; sed ipsum rejecerunt. Unde verba Surat. XXXIX. *qui impugnant signa Dei absque potestate*, de Judæis quidam intelligunt, juxta commentatorem Beidavi p. 786. apud Celeberrimum Hottingerum in Historia Orientali lib. II. cap. II. *Cum dicerent: Tu non es Dominus noster, sed Messias, Filius Davidis, cujus potestas erit terra marique, & trahet.* Ibidem etiam Muhammed superbiæ eos accusat & fastus. Surat. II. crudelitatem in Prophetas iis exprobrat, additque eos datos in exemplum in hac & futura vita; Et vix unquam eorum meminit nisi cum manifesta execratione. Surat. I. iræ divinæ reos pronuntiat. Atque hinc aperto Marte Muhammed cum Judæis pugnavit. Georgius Elmacinus in Historia Saracenica Arabice conscripta, a Thoma Erpenio latine reddita, p. m. 6. *Anno autem tertio Judæos in arcibus eorum obsedit 15. dierum obsidione, ita ut in arbitrium ejus se darent, eosque abdisceret, & opes eorum deriperent Muslimi. Eodem anno cohortem misit ad occidendum Caabum filium Alas rasi, Judæum, cui erat infensissimus.* Mortuus tandem Muhammed anno Christi 632. ætatis 63. in urbe Medina, ibique sepultus. Quod de pendulo ejus Meccæ sepulchro, vi magnetica in aerem attracto, plurimi narrant, fabulam esse pridem demonstravit, Vir Doctissimus, totius antiquitatis & Philologiæ Callentissimus, Samuel Andreæ, in dissertatione de Sepulchro Muhammedis.

XI. Hoc tamen nihilo cautiores facti Judæi, cum indies Messiam vehementer expectarent, ejusdem se nomine impudentissime venditavit Syrus quidam, insignis Veterator, Christum se esse simulans, A. C. 721. sub Leone Isauro Imperatore, cui valde ob vaticinium accepti erant. Cum enim Leo adhuc pauper esset, accidit ut Judæi quidam, vaticinandi periti, futurum prædicerent, ut ipse imperio potiretur. Nam in eos forte quondam ad fontem inciderat, ubi se illi ex itinere recreabant. Quumque sacramento adhibito pollicitus fuisset, se prædictionis hujus nomine vicissim eis

bene-

benefacturum, novas res moliti fuerunt, observante illud post Zonaram Tom. III. Annal. pag. 138. Glycam Part. IV. Annal. pag. 392. Constantino Manasse Annal. pag. 111. his verbis de Leone: *forte accidit aliquando, ut cum aliis negotiatoribus iter faciens, & asinum præ se mercibus onustum agens*, (dabat enim ante Imperium mercaturæ operam) *in Mercatores judæos incideret: quibuscum iter suum persequutus, & ex fatigatione tandem consopitus, sese quieti dedit. Hebræi re inter se communicata, & diligenter considerata imperium Leoni vaticinabantur: vel quadam ex disciplina, vel arte improba, vel certis indiciis id, quod futurum esset, conjectantes*; Impostorem illum Syrum pro Messia agnoverunt, eumque ducem secuti, mox decepti fuerunt. De hoc Martinus Polonus Archiepiscopus Consentinus in Chronico p. 133. edit. Basil. in fol. *Circa hoc tempus quidam Syrus Pseudo Christus apparuit, qui multos Judæos seduxit*. Cardinalis Baronius Annalium pater ad ann. 721. num. 6. *Quod vero pertinet ad res Orientales, Theophanes nihil praterea habet hoc anno nisi quod Syrus quidam impostor apparuit, se simulans esse Christum atque eo modo seduxit Hebræos, putantes eum vere esse Christum. Porro hæc ipsa, ut deciperentur a pseudoprophetis Judæi, sæpe sæpius passos esse, quæ superius dicta sunt, docent.*

XII. Seculo post natum Christum decimo, inprimis tamen undecimo, varias a Christianis passi sunt Judæi persecutiones gravissimas, quod Saracenos de expeditione sacra præmonuissent, quod perfide demolitionem templi Hierosolymitani procurassent, quod nacti imaginem crucifixi Christi, in parasceve ei, ut Christo olim Judæi, illusissent, eam flagellassent, & iterum cruci affixissent, similiaque perpetrassent, testimoniis & exemplis passim obviis apud Matth. Parisiensem Hist. Anglic. p. 25. Nauclerum Generat. 37. p. 165. Baronium ex Glabro anno Christi 1009. aliosque. Ex Muhammedanis etiam non pauci Judæos gravissime afflixerunt, sedibus expulerunt, ad necem raptarunt. Unde & religionis mutatione, sed simulata, vitam nonnulli redimere sunt coacti. Rabbi Gedalja in Schalscheleth Hakkabala, p. 110. *Quod Apostatarum* (sic eos vocat, qui in Christianorum castra transierunt) *numerus non potuerit iniri*. Autor fasc. temp. p. 72. *Judæi multis in locis metuentes baptizantur*. Sed simulato & rursus deserto Christo, ad priora relapsos fuisse, testatur Aventinus annal. lib. 5. pag. 589. Reliqui qui sua mordice tuebantur, nil nisi Messiam futurum, qui ipsos a jugo, quo premebantur, liberaturus esset, sperabant, & hinc obvium quemque, in quo prærogativa quædam præ aliis conspiciebatur, seculo duodecimo amplectebantur, adeo ut nullum fuerit seculum, quo pluribus illusi fuerint Judæi Pseudo-Messiis, quam memorato seculo duodecimo, sicuti bono cum Deo ex ipsis Judæorum scriptis ostendemus.

XIII. Anno post natum Christum circiter 1137. Gallia primum vidit Pseudo-Messiam, pessimum nebulonem, qui sub Messiæ nomine gentem miseram Judaicam turpiter elusit, pœnasque meritas summæ impietatis luit. Rabbi Maimonides in Epistola de Australi regione a Wilhelmo Henrico Vorstio latine translata: *Ante triginta quasi annos alius quidam surrexit in Gallia, qui dixit se Messiam esse; sed trucidarunt ipsum Galli, cumque eo universum cœtum sanctum*. Salomon Ben Virgæ in scheveth Jehuda p. m. 23. וכן בצרפת עמד איש ונהרגו עליו כמה קהלות *Alius etiam in Gallia, cujus culpa plurima conciliabule deleta sunt*. Et Rabbi Gedalia in Catena Cabalæ pag. m. 43. iisdem fere verbis: וכן בצרפת עמד יהודי על זות השמועה ונהרגו כמה קהלות *Et etiam in Gallia exstitit Judæus propter quam famam multa conciliabula sunt deleta*. Errat itaque hic graviter vir quidam doctissimus in Dissertationibus suis de Messia, dum verba Maimonidis de alio Pseudo-Messia in Gallia agere, & ita duos fuisse ibidem putat, cum tamen verba Maimonidis non discrepent a verbis Salomonis Ben Virgæ & Rabbi Gedaljæ, dein illi ipsi duo fateantur se hæc ex Maimonide desumsisse.

XIV. Hinc Judæorum plurimi occisi, plurimi Gallia ejecti. Accedebat etiam hoc, quod singulis annis in festo Paschatis puerum Christianum mactare dicerentur, cujus exemplum exstat in Annal. Arragon. ad an. Christi 1250. Quod puerum septem annorum a Judæo subreptum & Judæis venditum, in Paschate cruci affixum, lancea in pectus contorta occiderint. Simile facinus ab ipsis commissum, detectum fuisse diversis aliis in locis, ab autoribus scribitur. Nuper tamen Isaacus Viva, in libro, vindex sanguinis, ex tabulis publicis Archivi Cancellariæ Prætoriæ Paduanę, Judęos ab infanticidio Tridentino vindicare voluit. Bernę in Helvetia, Tridenti &c. Quod Galliam totam pręcipue circa annum 1182.

omni

omni fere pecunia usuris suis emunxerint.

XV. Anno Christi 1138. Extitit in regno Persico Judęus quispiam, qui se Messiam simulavit, & prosperis rerum successibus usus, magnam & validam Judęorum manum coegit; cum qua eum adventare Rex intelligens, pręlio secum decernere paratum, Judęis omnibus, qui in regno suo essent, subito convocatis comminatus inquit. Nisi hominem istum ab inferendo mihi bello revocetis; vos una cum liberis & conjugibus vestris universos uno delebo die. Conveniens populus Judęus virum illum adit, supplex pedibus ejus advolvitur, multo cum gemitu & lachrymis obtestans, ut a proposito suo periculoso magis, quam necessario dimoveri se pateretur, nec obstinatis animis se miseramque gentem perditum iret; Regem enim jam in totius gentis excidium jurasse, quo tandem animo popularium cœtuum, qui in tota Perside essent, internecionem ferre posset. Respondet ille: adsum ego vos ut servem, ipsi servari non vultis? Quem metuitis miseri? Quis vel aspectum meum sustinebit? Persarum vobis Rex formidolosus est, quem vel sola nominis mei fama, ad primum armorum meorum strepitum exanimatum fugabo? Interrogantibus: Quo tandem signo aut monstro se Messiam esse probaret? Prosperis rerum successibus ait; neque aliis argumentis ad faciendam fidem Messię opus esse. Respondent Judæi: Multi idem, quod tu, tentarunt; sed infelici omnes eventu. Quibus ille verbis vehementer iratus, ferociter eos repellit.

XVI. Postero die, quem inediæ & supplicationi dicaverant, revertuntur, tendentes illi parvos suos liberos, ut horum miserabili aspectu durum hominis animum facilius flecterent. Tum conspectis parvulis, horum, inquit, misertus, ea lege Regi bellum remitto: si sumtus, quos in apparando bello feci, mihi reddat, copias meas sine ullo ejus regni damno reducam. Tum Judæi: quid autem, potentissimus Regum eo se abjiciat, ut tibi homini Judæo belli impensas restituat? Hic execrabilis & falsus ille Messias, cavete istud verbum posthac ex vobis audiam; alioqui licet redditis sumtibus, etiam dimidium Regni mihi Rex dederit, placari me non sinam.

XVII. Illi obstinatissimum ejus animum nullis rationibus mitigari posse videntes, mœsti & flentes ad Regem redeunt, dicentes: Qui ambitionis vento inflatus, o Rex, cupidine regni præceps fertur, nec lege ulla, nec ratione a furore retineri potest; quo minus more suo præceps eat. Nos hominem istum fatali quadam vecordia regnum affectare cognovimus, nec utilia orantes, nec monentes salutaria audit, periculorum omnium atque suæ pariter ac nostræ vitæ securus. Prorsus dum sibi regnum paret, nihil pensi habet: nos certe extra sceleris culpam sumus, quamobrem miramur merito omnes, Regem tanti fecisse insani hominis verba, ut ea ad animum revocarit. Si sinas hominem suum furere furorem, ultro ille per se peribit; quia ficta falsaque omnia, quibus verum non subest, ut arbores succisis radicibus, ruunt. Adhibuimus homini orationem, vel durissimis saxis movendis, aptam; nec tamen rigidum animum flectere potuimus; Perstat ille immotus in vecordia sua dictitans: Tum demum se copias suas reducturum esse, cum apparati belli sumtus ipsi restitueris. Quæ vel sola vox hominis insaniam abunde arguit. Tum Rex: Quid! insanumne vos eum appellatis, qui cum certa victoriæ spe, omnes suas facultates apparando bello insumpserit; nunc ubi inopi atque exhausto reducendus exercitus est, ista arte nummorum aliquantulum corradere studet? Proinde maturate, ad virum revertimini nunciaturi, conditiones placere, laturum, quæ petiverit. Mittat tuto & fidenter virum aliquem cum expensarum tabulis, me eas bona fide extemplo remuneraturum.

XVIII. Mittit ille tabulas, Rex pecuniam anumerat. Judæo illo digresso, belloque composito, Rex continuo convocatis omnibus in regno suo Judæis ait: Unus vestrum mihi bellum intulit, vestro omnium, ut audio, consensu, nec sperastis miseri, fore, ut in vos cuderetur faba. Respondent Judæi ea, quæ purgandis sibi sufficere videbantur; sed frustra, infenso jam dudum Rege; qui ferociter ad Judæos: Quin vos illico jam mihi expensas meas reddite; postea de vobis statuam, quæ visum erit. Illi cum verbis Regem placare instarent; Rex Judæorum primates durissimis vinculis constrictos in teterrimum carcerem abripi jubet. Vinculorum tædio, & carceris squalore fatigantur, donec summam illam exsolvant; complures, quo imperatam pecuniæ summam conficerent, lineros suos in servitutem vendunt. Postquam, quæ Rex petiverat, dedissent, inquit ille: Pro ista insigni contumelia, quam mihi dedistis, hanc a me accipite: Ambulabitis Judæi toto corpore nudi,

di, sola verenda femotum tenus tecti. Memorat Josephus filius Virgæ se ex summo quodam Magistro Mose Hamone audivisse, damnatos a Rege esse, ut grave & crassum lignum a collo revinctum traherent; publici opprobrii causa, quamobrem nunquam, nisi cum magno omnium ludibrio prodibant, aliis lignum illud pone sublatum, per ludum & jocum, ante pedes ipsorum projicientibus; aliis eos crudeliter percutientibus. Postremo risus & ludibrii materies obviis omnibus erant, quibus ubique promiscue in viis, in foris impune certatim illuderetur. Hæc Salomon Ben Virgæ, Hispanus, Medicæ artis peritus, in Schebet Juda, (tribus Judæ, liber historicus, de variis calamitatibus, martyriis, dispersionibus, accusationibus, ejectionibus Judæorum) editionis Adrianopolitanæ sub Imperatore Solymanno, in quarto, pag. m. 23. 24. Ejusque Interpres latinus Georgius Gencius in edit. Amstelod. anno 1651. in quarto pag. 169. seqq. Eadem brevissime Rabbi Gedalia in Schalscheleth Hakkabala, Catena Cabalæ pag. m. 43. col. 2. שהיה במדינת פרס איש שעשה עצמו משיח ונלגל צרות רבות לישראל: *Quod fuerit in Provincia Persiæ vir: qui se ipsum fecerit Messiam, & multas angustias super Israelem devolverit.*

XIX. Tandem hunc impostorem captum & a Rege Persarum decollatum fuisse, apertum est cum ex libro Zemach David, tum vel ex iis quæ narrat Christianus Gerson, ex Judaico docto magistro factus Christianus, libri quem de Talmudica doctrina Germanice utilissimum conscripsit secundi cap. 9. p. m. 347. Edit. Erfurt. 1659.

XX. Anno post natum Christum 1157. In Hispania, Corduba Urbe Hispaniæ Bæticæ, ad Bętim fluvium, Natalibus Senecę & Lucani, clarissima, alius Impostor Judęos in novam spem erexit, sed pariter decepit, adeo, ut omnes fere Judęos per universam Hispaniam internecioni dederit, de quo Rabbi Moses Ben Maimon Judęorum Doctissimus in Epistola de Australi regione Wilhelmo Henrico Vorstio in notis ad Tzemach David Rabbi Ganz latine versa, pag. m. 294. *Ante decem circiter annos surrexit in terris Hispaniæ alius vir in regione Cordubensi, qui asseruit se Messiam esse, & denuo exiguæ molestiæ pernicies excitata est ab inimicis Israelis.* Salomon Ben virgę in Schevet Jehuda p. m. 23. וקודם זה עשר שנים עמד משיח במדינת קורדוא וכמעט היתה כליה בשארית ישראל: *Decem annis ante istum alius etiam Messias in regno Cordubensi prodiit, furore suo miseras Judæorum reliquias propemodum perdidit.* Similia Rabbi Gedalia Ben Jechaija in Schal Scheleth Hakkabala, Catena Cabalę libro Historico & Chronologico fol. m. 43 Edit. Cracov. anno 1596. in quato: וקודם זה כמו ישנים במדינת קורדובה היה איש כזה וכמעט נלגל כליה: *sic & decem annis ante hunc, Vir fuit in Regno Cordubensi, qui fere perditionem super Israel volvisset.* Ex quibus, non duos eodem anno in Regno Cordubensi fuisse Pseudo-Messias, quod ex Maimonides & Gedalja vir idem Doctissimus putabat, certissime constat.

XXI. Post hæc surrexit quidam ex eruditis in Hispania, atque composuit librum de argumento termini (scilicet quo venturus esset Messias) juxta motum astrorum, & dixit Messiam aliquo anno revelatum iri: sed nullus fuit ibi ex sapientibus nostris justis, qui dicta atque consilium ejus non contemneret, & collocaret eum in gradu dementium, eo quod faceret ac testaretur finem (scilicet termini) esse. Existentia autem hujus (libri) majus malum ipsi creavit, hoc est, derisus & fatuus habitus est, eo quod deprehendimus isto tempore quo prædixerat revelatum iri Messiam, surrexisse in terris Occidentalibus Rebellem hunc arrogantem. Atque hæc perfecta stoliditas habita fuit præditis hac scientia, uti est apud Maimonidem in Epistola de Australi regione.

XXII. Anno 1167. alius in regno Phessano Pseudo Messias prodiit, de quo Maimonides in Epistola de Australi regione latine versa: *Sic quoque exortus est alius quidam in occidente in regione Phas hodie anno 45., qui asseruit se esse Evangelistam & legatum Messiæ & dixit, illum isto anno revelatum iri, sed prædictio ejus non exiit in lucem, & denuo suscitatæ sunt angustiæ adversus Israelem: significavit mihi quidam hanc rem, qui ipsemet omnibus interfuit.* Et paulo aliter Salomon Ben Virgæ in Scheveth Jehuda p. m. 23. ובמו כן עמר איש במערב במדינת פאס ואמר שהוא משיח ויתחרשו מצוקות רבות לישראל: *Alius itidem per occidentem in Phessano Regno Messiam se dixit, unde plurimæ oppressiones renovatæ fuerunt Israeli.*

XXIII. Eodem Anno 1167. in Arabia, Regione Asiæ amplissima, Veterator insignis, se Prodromum Messiæ jactitabat, qui se decollatum, revicturum, sed inani successu, gloriabatur, de quo cum Rex Arabię signum peteret, dixit Regem debere mandare, ut decollare-

tur,

tur, atque ita ſeſe reviſturum & reſurrecturum: quod cum factum eſſet, mortuus permanſit. Judęi vero reliqui magna pecunię ſumma ſe ſuamque vitam redimere ſunt coacti: pro ut illud pluribus Rabbi Gedalia in Catena Cabalę p. 44. narrat.

XXIV. Totam hujus Pſeudo Meſſię hiſtoriam exhibet Maimonides in Epiſtola quadam ſcripta ad Judęos in Marſilia agentes, verſa latine a Johanne Iſaaco Levita Colon. Anno 1555. quam, quoniam rariſſima in paucorum reperiatur manibus, apponere debui. Quod vero ad opera ( pertinet ) Meſſię, cujus memini; quoniam ad vos verba quędam meo nomine pervenerunt, ſcire debetis, hiſtoriam non eo modo ſe habere, quo audiſtis. Neque is in Oriente fuit, ſed in Auſtrali regione exſtitit vir quidam annis abhinc 22. qui ſe ipſius Meſſię nuncium eſſe dixit, dirigentem viam ante adventum ejus, prędixitque iis, regem Meſſiam in Auſtrali regione appariturum. Ad hunc plurimi Judęi & Arabes confluxerunt, quos decepit, dicens: *Venite mecum, & obviam procedamus Meſſiæ. Nam ipſe me ad vos miſit, ut dirigam viam coram eo*. Fratres noſtri qui ſunt in Auſtrali regione longam ad me epiſtolam miſerunt, qua mihi omne ejus conſilium & inſtitutum aperuerunt, & innovationes quas in ipſorum precibus fecit, & quicquid apud eos locutus eſt. Pręterea ſignificarunt mihi ſe hęc & illa quędam ex ejus miraculis vidiſſe, de quibus quid mihi videretur interrogarunt.

XXV. Hęc quidem omnia cognovi, atque ex illorum ſcriptis animadverti, miſerum illum hominem deſtitui judicio, ſed Deum timere, nullaque ſapientia præditum eſſe; & quicquid ab eo factum & oſtenſum eſſe ajunt, id omne falſum & ementitum eſſe. Ego vero in hoc ſollicitus fui propter Judæos, quibus concinnavi ſcriptum ferme trium quaternionum de rebus Meſſiæ regis, & de criteriis ejus atque ſignis temporis quo appariturus eſt. Illos quoque hortatus ſum, ut admonerent iſtum hominem, ne forte & ipſe periret, & ſynagogas in vitæ diſcrimen induceret. Sed ut breviter dicam, poſt annum captus eſt, & omnes qui ei prius adhæſerant, aufugerunt. Quidam autem ex Arabum regibus, poſtquam eum cepiſſet, interrogavit eum: *Cur hoc feciſti?* Reſpondit: *Mi Domine rex, verum ego dico, me juxta Dei mandatum hoc feciſſe*. Ait illi rex, *quodnam miraculum & prodigium tuum eſt?* Cui reſpondit, *Mi Domine Rex, caput meum amputes, & deinde ego reſurgam, vivamque ut prius*, Rex dixit illi: *non potes prodigium majus hoc habere; & ſi ita erit, ego & univerſus mundus certo credemus omnia tua eſſe vera & bona atque probabilia, ac majores noſtros mendacium poſſediſſe ac vanitatem, quæ illis non profuit*. Confeſtim rex gladium adferri juſſit, quo allato caput ei reſecati mandavit. Atque interfectus eſt miſer ille, cujus mors ſit expiatio pro ipſo & toto Iſraele. Judæi vero pleriſque in locis magna pecunia mulctati ſunt, atque etiam num ibi ſunt quidam deſtituti judicio, qui aſſerunt eum modo reviſturum, & e monumento ſuo reſurrecturum. Hoc modo ſe res habet. Hactenus Maimonides.

XXVI. Non multum poſt, eodem ſeculo duodecimo poſt natum Servatorem Chriſtum, Vir Judæus ultra Euphratem flumen, hoc ſolo ſigno Meſſiam ſe eſſe dixit, quod in ſomno nocte leproſus, mane vero & per diem formoſus atque integer eſſet, de quo Maimonides in Epiſtola de Auſtrali regione: *Sciendum autem nobis eſt, in exordio regni Iſmaelitici ſurrexiſſe virum quendam trans fluvium, qui dixit ſe eſſe Meſſiam, atque exiit e cœtu decem millium Iſraelitarum; ſignum ejus erat, quod pernox leproſus, atque cum mane ſurgeret, formoſus eſſet futurus. Sed non perfectum eſt opus ejus, neque diu permanſit conſilium ejus; retractus enim eſt ( ad ſaniorem mentem ) relictique ſunt poſt ipſum Iſraelitæ in urbibus copiarum ſuarum in dura captivitate, atque redintegratæ ſunt contra illos glomeratim afflictiones*. Salomon Ben Virgæ in Schevet Jehuda pag. m. 23. 24. אמר שלמה בן וירגה מצאתי להרם שאמר כי בתחלת מלכות ישמעאל עמד איש בעבר הנהר ואמר שהוא משיח והיו ישראל בסכנה עצומה ויצאו מכלל הדת עשרת אלפים מישראל והיתה האות שלו שלן מצורע והשכים בריא ובסוף נפל ונשארו ישראל בעצם הגלות והשנאה: , hoc eſt. *Dixit Salomo filius Virgæ, comperi ſcripſiſſe Maimoniden, ſub ipſa Saracenici Regni initia*, ( ſcilicet in Hiſpania, ex conjunctione immediata ) *extitiſſe virum quendam ultra Euphratem flumen, qui ſe Meſſiam eſſe diceret. Hujus inſanis conſiliis Judæi denuo infandis malis jactati, decies mille numero Legem Moſaicam deſerunt. Hoc autem, quo ſe verum Meſſiam probaret, argumentum dedit; Elephantiacus veſperi obdormivit, mane ſanus atque integer evigilavit. Tandem ille quoque dignum moribus ſuis, vitæ exitum inveniens, Judæis nil præter vetus exilium, omniumque gentium odium reliquit*.

*quit*. Et Rabbi Gedalia in Schalſchelet Hakkabala, ſeu Catena Cabalæ pag. 43. מאותותיו היה שלן מצורע והשכים בריא hoc eſt, *Signum ejus*, ( quo ſe Meſſiam probaret ) *quod nocte leproſus; mane vero ſurgens ſanus atque integer eſſet*.

XXVII. Et jam Perſia recens experta erat graviſſimam ſeditionem excitatam a Pſeudo-Meſſia, nondumque e mente illorum deletam, ecce Magus, Diabolus, novus falſus Meſſias ibidem circa annum Chriſti circiter 1174. conſpicitur, qui pertinaciter prætendebat ſe eſſe illum tamdiu votis quæſitum Meſſiam, unde Judæi in maximas redacti fuerunt anguſtias, prout illud refert Rabbi Gedalia in Catena Cabalæ pag. m. 43. col. 2. ראיתי בספר שבט יהודה האומר שהיה במדינת פרס איש שעשה עצמו משיח ונלגל צרות רבות לישראל: *Legi in libro Scheveth Jehuda, quod fuerit in terra Perſiæ vir, qui ſe ipſum fecerit Meſſiam, & plurima mala ſuper Iſraelem devolverit*.

XXVIII. Moravia etiam, regio Germaniæ, inter Bohemiam & Hungariam, Quadorum & Marcomannorum ſedes, Pſeudo-Meſſiam, nomine Davidem Almuſſer, circa annum Chriſti 176. videre debuit. Hic Cabaliſticæ artis peritiſſimus, ſe Meſſiam eſſe mentitus fuit, quodque ſæpiſſime inviſibilem ſeſe redderet, a Rege capi non potuit. Hinc ſub graviſſima pœna Rex Judæis mandavit, ut Meſſiam caperent, ſibique traderent. Tandem Pſeudo-Meſſias hic captus, trucidatus, & Judæi magna pecuniæ ſumma mulctati ſunt, de quo Rabbi Gedalia in Catena Cabalæ pag. m. 43. col. 2. בחור נקרא דוד אלמוזר ונתחכם בקבלה מעשית ומיני כשופים עד שנכנס בו רוח שטות ועשה עצמו משיח והסית והריחיהו דים רבים ומרד במלכות וישלח לו המלך בטחון שיבא אליו וכבואו חשימר בסוהר והוא ברח משם וילך המלך אחריו והוא היה רואה ואינו נראה ויגלי עיני המלך והראה לו שהיה ויצו המלך ליהודים שיביאוהו אליו בקנסים גדולים ולבסוף נהרג וכו': *Juvenis* ( extitit ) *vocatus David Almuſar, ſapiens in Cabbala Practica, omnique præſtigiarum genere, adeo ut in eo eſſet ſpiritus inſanus; fecit autem ſe ipſum Meſſiam, ſeduxit & impulit plurimos Judæos, rebellavitque in regno. Rex ad ipſum Miſit, ut ſecure ad ſe veniret; venientem in carcerem conjecit. Cum vero ex eo aufugeret, Rex illum inſecutus fuit. Et ipſe videbat* ( alios ) *non autem videbatur: aperuit Regi oculos, oſtenditque ei, quod fugeret. Rex Judæis præcepit ſub pœna graviſſima ut adducerent eum ad ſe. Et ita tandem occiſus fuit*.

XXIX. Eodem tempore, ſeculo, ut videtur, duodecimo, alius Pſeudo-Meſſias exortus fuit, qui, quo præciſe anno vixerit & in qua provincia moratus fuerit, nondum mihi conſtat. Salomon Ben Virgæ in Scheveth Jehuda, pag. m. 23. Col. 1. ipſum temporibus Magiſtri Salomonis Adreti filii vixiſſe, ſcribit ex Maimonide hoc modo: וכן בזמן הרבי שלמה בן אדרתי קם משיח אחר שכתוב בשאלותיו: *Alius præterea temporibus Magiſtri Salomonis Adreti filii fuit, quemadmodum ille in quæſtionibus ſuis ſcriptum reliquit*.

## CAPUT III.

I. *Deſcribitur famoſiſſimus Judæorum Pſeudo-Meſſias David Eldavid*. II. *Inquiritur in ætatem ejus*. III. *Hiſtoria ejus recenſetur a Benjamine Tudelenſi*. IV. V. VI. VII. *Paulo plenius autem & accuratius illam deſcribit Salomo Ben Virgæ* in Scheveth Jehuda VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. *Similia etiam tradit David Ganz in Tſemach David ad annum mundi conditi* 4895. XVII. *Adſtruitur denique hujus hiſtoriæ veritas a Maimonide in lib. Epiſtolarum*.

I. SEquitur nunc famoſiſſimus Judæorum Pſeudo-Meſſias in Perſia, David Eldavid, aliis David Alroi, patria Amarienſis, circa anno Servatoris 1199. 1200. annotantibus illud Chronologis, Hiſtoricisque fere omnibus, tempore R. Maimonidis & Benjaminis Tudelenſis, Judæus doctiſſimus, in Talmude exercitatiſſimus, variarum diſciplinarum, artium, & linguarum peritiſſimus, Magiæ doctiſſimus, qui prodigiis & incantationibus multos ſuorum in admirationem, ſimulque ſtuporem traxit, ſeque Meſſiam eſſe a Deo miſſum, non ſuis ſolum, ſed & Perſarum Regi aperte dicere auſus fuit, cumque exercitu congregato Regem debellare tentaret, captus & in vincula conjectus. Ea autem cum magia ſua depoſuiſſet, fugam poſtea quæſiviſſet, a Rege inſecutus, flumen Goſan pallio transfretavit, & unico die iter dierum decem emenſus fuit. Tandem opera Regis Turcici. Zaidi Aladini, Perſæ ſubjecti, per ſocerum inebriatus capite plexus fuit, Regique Perſarum illud miſſum.

II. Pace vero virorum Doctiſſimorum puto, Pſeudo-Meſſiam hunc David Alroi non Anno Chriſti 1199. tempore Maimonidis & Benjaminis Tudelenſis, quia ultimus, qui ejus hiſtoriam deſcribit, mor-

mortuus est anno Christi 1173. uti narrant Abrahamus Zacouthus in Jouchasin fol. 131. editionis Cracoviensis, latine translatus: *Rabbi Benjamin, qui multum peregrinatus est, obiit anno 932. sive a nato Christo 1173. magnum illud luminare, cujus sol toti Israeli exortus fuit*. David Gans in Tsemach David, partis prioris fol. 55. latino sermone: *Caeterum vir iste peritorum erat sapientissimus & rerum intelligens. Postquam autem ex itinere reversus esset, anno 933. sive Christi 1173. mortem obiit*. Quomodo itaque ea scribere potuit quæ facta post mortem ann. 1199.? Sed vixisse circa ann. 1160. Quod pluribus aliquando demonstrandum.

III. Historiam Davidis Alroi dedit Benjamin Tudelensis in Itinerario edito a Constantino L'Empereur cum Versione & Notis pag. 91. 92. seqq. Jam decimus agitur annus, ex quo illis fuit vir quidam, cui nomen David Alroi, Amariensis, qui discipulus fuerat Principis exulum Hasdai, & Principis Synedrii Eli qui Jacobi erat decus in civitate Bagdad, legis Mosaicæ, constitutionum & Talmudis peritissimus, imo omnium exoticarum scientiarum & linguæ Arabum eorumque Scripturæ; minime etiam librorum magicorum & veneficorum ignarus. Huic in mentem venit, ut in Persarum Regem rebellaret, Judæosque in montibus Haphton habitantes colligeret, & quasvis gentes oppugnans expugnatum iret Hierosolyma. Judæis ergo signa dabat in miraculis falsis: quibus se a Deo ad occupandum Hierosolyma missum asserebat; *atque ut vos*, inquiebat, a *gentium jugo subducam*. Adeoque Judæorum pars ipsi fidem habuit: hoc etiam imposito nomine, *Messias noster*.

IV. Cum autem id Persarum Rex intellexisset, eum ad colloquium accersivit: & intrepide accedenti & congredienti quæstionem proposuit, *An tu es Judæorum Rex?* Quod cum respondens affirmasset, eum rex propius accedens extemplo comprehendi & in carcerem abduci jussit, nempe locum ubi regis captivi ad mortem usque vincti detinentur in urbe Dabastan, in ripa maximi fluminis Goza. Elapso triduo, quum rex consedisset ut una cum Principibus & ministris suis de facto Judæorum deliberaret, qui adversus regem rebellaverant, ecce David ille per se e carcere solutus, a nemine accepta venia accedit: atque regi ipsum intuenti & percunctanti, *quis te huc adduxit, aut quis vincula tua solvit?* respondet, *sapientia mea* & *solertia mea, quia nec te, nec ullos servos tuos metuo*. E vestigio inclamans rex eum capi jussit: verum respondentes servi se eam non videre dixerunt; sed eundem vocis tantum auditu percipere. Quum confestim rex sapientiæ ipsius admiratione obstupesceret, ita regem affatus est, *Ecce ego viam meam insisto*.

V. Abeuntem eum rex sequutus est, regemque suum omnes principes & ministri pariter sequuti: donec ipsis ad fluminis ripam accedentibus, David ille accepto sudario & super aquas extenso transiret. Tum omnes regis ministri eam super sudario suo per aquas transeuntem spectarunt: & lintribus insequentes eum assequuti non sunt, fassi in toto orbe incantatorem non esse parem. Eodem die decem dierum emenso itinere Amariam venit, idque virtute nominis expositi, id est, Jehovæ: ibique eum quæcunque sibi accidissent narrantem Judæi omnes propter sapientiam demirati sunt.

VI. Paulo post hic Persarum Rex principem credentium, Calipham Bagdadi residentem, Mahummedanorum Imperatorem per literas compellat, ut cum capite exulum sive captivitatis principe & synedriorum capitibus agat, quo David Alroi ab hujusmodi factis prohibeatur; sin minus, inquit, omnes Judæos in toto regno meo repertos interficiam. Itaque quum omnes cœtus Persidis in magna angustia versarentur, ad exulum principem & synedriorum capita qui Bagdadi habitabant, hujusmodi literas dedere. *Quare in conspectu vestro moriemur, cum nos, tum omnes hujus regni cœtus? probibete virum istum, ne sanguinem innoxium fundat*. Quocirca in hanc sententiam scripsit ipsi Æchmalotarcha, & synedriorum Præsides, scito, redemptionis tempus nondum advenisse, nec dum signa nostra a nobis conspecta: nam inflato suo animo nemo prævalebit. *Itaque jubemus, ut te cohibeas, quo minus talia imposterum moliaris; quod si non pareas, esto excommunicatus a toto Israele*.

VII. Has literas e vestigio transmisere: & similiter dedere literas ad Zachæum principem, cujus in Assyria sedes, & D. Josephum Videntem (cognomine Burhan Alphelec, id est, examen astrologiæ) ibidem commorantem, ut Davidi Afroi literas mitterent. Quapropter addiderunt & ipsi literas, scilicet commemorati isti, Princeps & Videns ut exhortarentur, & illum justi ac æqui commonefacerent: sed ista omnia non admisit. Nec a via pessima destitit, donec exoreretur rex quidam, cui nomen

Zim Aldin, Turcarum rex & Persarum regis vasallus: qui legatos misit, soceri Davidis Alroi causa, cui sic munus decies mille aureorum tradidit, quo clanculum Davidem Alroi occideret. Quod ille præstitit, quum domum illius ingressus, dormientem in lecto interficeret: ut hac ratione illius consilium & solertiam irritam reddiderit. Attamen ira Persarum regis in Judæos cum montanos istos, tum in sua ditione habitantes concepta nondum deferbuerat: quod cum ipsi animadverterent, Æchmalotarcham accersiverunt, quo sibi ad Persidis regem auxilio veniret. Quocirca is ipsum benigna oratione & placidis verbis aggressus, placare studuit: unde & placatus fuit, centum circiter aureis talentis prius numeratis. Postea tranquilla fuit regio, sedata jam Regis ira. Huc usque Benjamin.

VIII. Paulo plenius vero & accuratius illam describit Salomon Ben Virgæ in Scheveth Jehuda, pag. m. 22. Edit. Adrianopol. ita latine translato, (Hebraica quippe ob typorum defectum addere non potuimus.) Septennio ante memorata jam edicta, gravissima mala Israel passus, impii cujusdam hominis scelere, qui se falso Messiam tulit. Rex enim & regni proceres gravissime Judæis irati, dictabant; Judæos, dum Messiam suum expetunt, regni exitium expetere. Diro isti impostori nomen David El David, patria urbs Amadia erat, ubi magnum conciliabulum mille circiter familiarum, dives, potens, celebre, florebat. Primum illud conciliabulum est eorum, quæ amplius centum, flumen Sabbathionem accolunt, in finibus Mediæ, lingua utuntur Chaldæa, indeque ad provinciam Gulanam est iter quinquaginta dierum, parent Persæ Regis imperio, cui quotannis tributum pendunt, singulos aureos singuli, qui quintum decimum ætatis annum excessere.

IX. David iste El David operam dederat exulum principi Chaldæo, & viro cuipiam summo Academiæ Bagdadensis rectori, qui Thalmudicæ doctrinæ, liberaliumque artium peritissimus, & in Magorum, præstigiatorum & Chaldæorum libris versatissimus erat; Iste igitur El David audacissimi & superbissimi animi Vir, in regem insurgere ausus, Judæos, qui montem Haphtan incolebant oratione impellit, ut arma sumant in omnes gentes. Et quo apud credulos inveniat fidem, nova quædam monstra & prodigia edit. Ad quæ stupentes, pars Magum & præstigiatorem; alii virum vere divinum appellant, qui cœlesti plane virtute miranda illa patret. Qui illum sequuntur, Messiam vocant, laudibus ad cœlum ferunt.

X. Rex Persarum, audito, quantis successibus, quantas copias collegerit, iisque sibi jam imminere videns, non leviter perculsus legatum mittit; *rogat, ut quam fidentissime ad se veniat, se velle videre, quæ ederet prodigia, quæ si vera sint, ut feruntur, non dubitare, quin ipse verus Messias esset; compertoque illum a Deo regem creatum, se ultro illi fasces submissurum, atque imperata omnia facturum esse: velle hoc Deum qui regnum illi detulerit*. Ille intrepidus Regem adit, rogat Rex, *tune verus Messias es?* Respondet ille; *Ego vero sum, ad liberandum Israelem, a Deo missus*. Tum Rex; Ego te in vincula duci jubebo, quibus si te liberaveris, *tu mihi verus Messias eris*: sin minus, stultitiæ tuæ supplicium perpetua vincula erunt, neque enim stultum te interficiam. Capto jam & in vincula conjecto Davide, Rex regni proceres & consiliarios convocat, sententiam rogans; quid de Judæis, qui peccassent & regno rebellassent, fieri placeret? Dum illi deliberant, ecce nuncius adfertur, ruptis vinculis e carcere profugisse Davidem; nec quenquam scire, quo evaserit. Quo audito, Rex expeditos aliquod equites & principes mittit, qui e fuga reprehensum reducant. Illi abeunt, redeunt, nunciant, prope flumen vocem ejus auditam, ipsum nusquam visum, comprehendi non potuisse.

XI. Rex fraudem suspicatus, aut corruptos auro dimisisse eum, aut turpi ignavia cessantes, non assecutos fuisse, celeriter conscensis equis, ipse cum ministris & purpuratis suis eum persequitur, ad flumen veniunt, nusquam Davidem vident, ille nomine ipsum vocantibus respondet: *o stulti? ego iter meum pergo, vos, si quid animi aut virium est, consequimini*. Tum ipse expanso per flumen Gosan pallio, siccus transit. Ita transeuntem videns Rex cum famulis suis, inquit; Istud quidem nemo potest; præter unum illum, quem Regem creavit Rex ille universi Deus hunc & nos certe Regem agnoscere debemus. Tum Regi ministri omnes & purpurati: Non illa Regem a Deo creatum; sed meras incantationes atque præstigias arguere videntur. Rex continuo actuariam navim adduci, flumenque trajici jubet, trajiciunt equites expediti complures, persequuntur, nec assequuntur; quia uno illo die decem dierum iter confecisset.

XII.

XII. Post hæc Rex, quod parum illud processisset, alia rem aggreditur via, ad Judaicæ gentis principes, quæ tota in misero exilio agit, legatos mittit, imperat captum Davidem sibi sistant; nisi pareant, Judæis omnibus, pueris pariter ac senibus certissimam necem, gentis principibus post crudelia tormenta, etiam singulis lenti ignis supplicium minatus. Per literas quoque monet EMIR EL Muhadin, qui Bagdadi habitabat, omnem in hac re navaret operam, & supplicii metu Judæorum principes territans, ad comprehendendum Davidem excitaret. Conveniunt exilii Judaici principes, missis legatis, Davidem furere aliquando desinat, serio admonent, id enim ex ipsius & Judæorum omnium re futurum, qui unius ob furias, in maximo vitæ periculo versarentur: nisi desinat, in hac & futura vita æternum detestabilem fore. Per literas quoque monent summum Judæorum principem Zachæum & Astronomum Magistrum Josephum Bachranum, qui in Assyria erant; serio flagitantes, ut illi suo nomine ad Davidem scribant, eumque a' furore suo diligenter dehortentur, gravissimis enim gentem suam malis premi, & nisi laborantibus succurrat benignissimus Deus, rem desperatam esse. Scribunt omnes certatim ad Davidem, serio monent atque hortantur, scelerata & infelicia consilia omittat, ad frugem & obsequium redeat. Ille acceptas & lectas eorum literas ridens atque eludens, preces minasque omnes securus contemnit.

XIII. Sed ecce magnus ille humani generis miserator Deus, opportune excitat Turciæ quendam Regem, cui Zaido Alladino nomen erat, vectigalem Persarum Regi, Judæorum amicum summum. Hic socerum Davidis, jam multo ante sibi notum his vocibus compellat: Scis utique, quantum universæ genti tuæ ab irato Persarum Rege immineat periculum; tuum est, qui potes, te, gentemque tuam malo fortiter eripere: audenti decies mille aureos facinoris præmium dabunt Judæi, & ne forte de fide eorum dubites, ego pro illis spondeo, a quo libere illos petas, si obtruncaveris sceleratum istum hominem, qui tot innoxias animas, præsentissimo vitæ periculo, furore suo involverit. Denique ipse ille virtutum munerator Deus, præmia reddet debita, qui innocentissimam gentem fortitudine tua servaveris.

XIV. Socer liberandæ gentis suæ spe, tantique propositi præmii amore inductus, conditionem accipit, & patrandi facinoris occasionem captat. Proxima statim vespera Davidem generum ad cænam vocat, inebriat, intempesta nocte ex nimiis poculis altum stertentem adortus obtruncat, abscissumque humeris caput Regi Zaido Alladino tradit. Ille viso Davidis capite ait: *Redit ad autorem scelus, tute tibi istius mali autor es.* Tum Alladinus Davidis caput ad Regem Persarum mittit, adjunctis idoneis testibus, qui confirment, Messiæ illud caput esse, quem ad necem ipse depoposcerit. Ita Regis quidem ira, quam in Davidem conceperat, resedit; sed tamen Judæos omnes, ipsum secutos, ulcisci voluit. Postulat itaque tradi sibi a conciliabulis omnibus eos, qui scelerata perditissimi hominis consilia & arma essent secuti: illi vero, qui aut ubi illi sint, scire se negant. Rex responso illo efferatus, omnes promiscue Judæos ferociter comprehendi, & in carceres compingi jubet. Illi per lectos de numero suo arbitros, ingenti pecunia pacti, a Rege centum auri talentis incolumitatem redimunt.

XV. Moses Maimonides tradit: Interroganti Regi Davidem, num Messias ille esset? Se vero esse affirmantem, cum ejusce rei certum aliquod signum Rex posceret, respondisse: caput sibi præcidi Rex jubeat, se revicturum tamen. Tum Regem caput illi auferri jussisse illum serio mortuum esse. Fama est, arte ista usum, quo exquisitissimos tormentorum cruciatus, quos instare videbat, evitaret. Nonnulli quoque imperiti avidissime diu expectavere, quam mox revivisceret; sed vecors iste nondum etiam revixit. Et eo usque Salomon Ben Virgæ.

XVI. Similia tradit David Ganz in Tsemach David ad annum Mundi Conditi 4895. דוד אלרוד עשה ארח עצמו משיח והרים יד במלך פרס ועשה כמה אותות ומופתים ליהודים גם למלך פרס לסוף נכרת ראשו והיהודים נענשו מאה ככרי זהב: *David Aldavid fecit semet ipsum Messiam, & extulit manum contra regem Persiæ, fecitque plurima signa & prodigia Judæis, nec non regi Persiæ. Ad extremum amputatum fuit caput ejus, & mulctati Judæi centum talentis auri.*

XVII. Hujus historiæ veritatem, non quidem quoad singula accidentia, sed quoad personam & rei fundamentum adstruit Maimonides in libro Epistolarum, Epistola ad Rabbinos urbis Marsiliæ, qui de hoc falso Messia ipsum rogaverant. Respondet stolidum istum hominem jactasse שהוא שלוחו של משיח מישר

דרך לפני ביאתו: *quod esset Legatus Messiæ rectam faciens viam ante ejus adventum*. Salomon Ben Virgæ in Scheveth Jehuda plane cum Benjamine facit, nomine duntaxat aliquomodo variato. Adeo ut ex eo, quod exitum seu mortem ejus aliter scriptores Hebræi referant, male a Doctissimo viro in libro de convincendis & convertendis Judæis p. 211. concludatur, forte diversos hic intelligendos esse. Plura de Pseudo-Messia David Aldavid dabit Clarissimus Buxtorfius sub finem Thesauri Grammatici p. *662. 663.* seqq.

## CAPUT IV.

I. *Recutitorum miseria augetur: hinc & Messiæ sitientiores*. II. *Apparuit illud ann. Christi 1222. in Germania in Rege & Messia, quem filium David Judæi appellarunt*. III. *Non pauci tamen an. 1245. ad fidem Christianam conversi*. IV. *Sicuti ann. 1456. Romano-Catholici Antichristum exspectabant, ita Judæi suum Messiam*. V. *Adventus Messiæ prædicitur an. 1465. a Rabbi quodam*. VI. *Circa ann. Christi 1497. spe Messiæ novi delusi fuerunt*. VII. *Anno Christi 1500. se pro Messia venditavit Rabbi* Lemlem. VIII. *Quid Judæi de eo statuerint*. IX. X. *Periit tandem, nunquamque amplius apparuit*. XI. *Circa an. 1534. novus in Hispania exortus Pseudo-Messias*. XIII. *Molimina R. Davidis in Lusitania*. XIV. *& R. Salomonis Malchonis Mantuæ*. XV. *Novus Pseudo-Messias visus circa ann. Christi 1615. in India Orientali*. XVI. *Visus & in Belgio Pseudo-Messias circ. ann. Christi 1624.* & 1625.

I. SErulo insecuto decimo tertio de Politia Gentis perversæ plane actum, fatentibus ipsis Judæorum Doctoribus. Exiliis, tributis, direptionibus, libidini, cum Principum, tum plebis exposita, ob scelera & flagitia ad necem ubique data fuit. Gallia Anno Christi 1253. a Ludovico, Anno 1295. a Philippo Pulchro ejecta, spoliata, apud Matth. Parisiens. p. 134. Anglia Anno Christi 290. in universum pulsa, apud Polydor. l. 17. Hist. Anglic. Germania, aliisque terris, apud autores æquales; paucisque in locis spirandi, commorandive libertatem tuto obtinuit. Hinc adventum Messiæ Regis, Liberatoris, vehementer contendere, Deum propterea precibus fatigare, se ipsos Jejunio rigidissimo cruciare, anxia non intermisit, obvium quemque Sycophantam, qui sacrum illud nomen sibi vendicare ausus erat, aut Messiæ ante ambulonem sese fingebat, amplexa fuit.

II. Apparuit illud Anno Christi 1222. in Germania, in Rege & Messia, quem filium David Judæi appellarunt, de quo Fragmentum Historicum Incerti Autoris, insertum Tom. II. Rerum Germanicarum Christiani Urstisii, p. 89. *Anno Domini 1222. de terra Persarum exercitus magnus valde & fortis egressus de finibus suis, per adjacentes sibi provincias transitum fecit, qui dicebantur fuisse homines magnæ proceritatis & staturæ horribili: quod tamen non credimus. Sed qua de causa egressi fuerint, vel quid egerint, ignoramus, in brevi reversi sunt ad propria. Dicebant tamen quidam, quod versus Coloniam vellent ire, & tres Magos de gente eorum natos ibidem accipere. Unum tamen scimus, quod Judæorum gens super eodem rumore ingenti lætitia exultabant, & vehementer sibi applaudebant, nescio quid de futura libertate sua ex hoc pervenire sibi sperantes: unde & Regem multitudinis illius filium David appellabant*. An vero hic Pseudo-Messias filius David sit distinctus a Davide Aldavid Pseudo-Messias seculi superioris, an idem, nunc non inquiram, sed Virorum Doctissimorum judicio submittam. Eodem anno Christi 1222. Judæi Wormaciæ Messiam ex gravida puella expectabant, sed nascebatur contra omnium anxia vota, filiola, ridiculus mus. Historiam enarrat Georgius Stengelius lib. 2. Exemplorum, c. 3. pag. 51. apud virum Venerandum Bartholomæum Anhorn in Magiologia, p. 63. seqq. Es habe zur Zeit Honori III. R. P. Im Jahr Christi 1222. zu Worms en Jud gewohnet/ der hat eine sehr schöne Tochter gehabt/ welche sich in einen benachbarten Christlichen geistlichen Jüngling: under sich hinwieder in diese schöne Juden Tochter verliebt: durch diese unordentliche Lieb wurdensie beyde zu Vollbringung ihrer fleischlichen Lüsten getrieben/ darvon die Juden Tochter schwanger worden/ deswegen sorgfältig rathschlagte/ wie sie ihre That verbergen oder entschuldigen konte. Sie klagt es ihrem Liebhaber/ und fürchtete/ sie würde von ihren Eltern heimlich/ mit grausamer Marter/ getödet werden. Der Jüngling gab den Rath: wann ihr Vatter und Mutter sie fragten: warum ihr Bauch geschwelle? es scheine/ sie sey schwanger: Solle sie antworten: Ob ich schwanger sey/ weiß ich nicht/ das aber weiß ich/ daß ich noch ein Jungfrau bin/ und keinen Mann erkennet hab. Im übrigem/ solle sie die Sach ihme übergeben/ er wolle schon verschaffen/ daß ihro Glauben zugestellet/ und sie von ihrer verlohrnen Jungfrauschafft noch Ehr haben werde. Nun wuste der Jüngling/ daß der alte Jud/ seine Schlaffkammer unten im Hauß gegen der Gassen hinauß hätte: Nahm deswegen ein lang dünn Rohr/ kam zu Mitternacht für das Hauß/ und weil er zuvor eines kleinen Lochs in einen Laden wargenommen/ steckt er das

Rohr

Rohr durch das Lochin des Juden Kammer / und redte durch daſſelbig den Juden und ſein Ehe-Weib mit liſpender Stimm an: O ihr gerechte und GOtt liebe Ehe-Leut ( nennte ſie mit Namen ) Freuet euch / dann euer Tochter / die eine Jungfrau iſt / hat einen Sohn in ihrem Leib empfangen / der wirdder Erlöſer ſeyn euers Volcks Iſrael. Merckte hierauff / daß der Jud erwachet / ſein Weib auch geweckt / und zu ihro geſagt: O mein Liebſte / haſt du die himmliſche Stimm gehöret: Es iſt ein Engel allda geweſen / ſtehe auff / wir wolſen beten / daß du die himmliſche Stimm zuhören auch gewürdiget werdeſt. Der Jüngling horte dieſes alles / und als ſie miteinander beteten / redte er wider durch das Rohr / und ſprach: Ihr ſolt euer Tochter in hohen Ehren halten / und groſſen fleiß anwenden / daß ſie und ihr Sohn wohl verſorget werden / dann auß ihrem jungfräulichen Leib wird der Meſſias gebohren werden / auff welchen ihr wartet. Dieſes erweckte bey den thörichten Eltern eine groſſe Freud / ſonderlich weilen ſie als gerechte und GOtt liebe / von dem vermeinten Himmelsbotten angeredt worden. Ihre Freud ab der angehörten himmliſchen Stimm offenbahrten ſie ihren Nachbaren und Freunden: die ſchriebens aus an andere Jude / welche ſich freueten über der ſenahen Ankunfft des Meſſiae / ehreten die ſchöne Jungfrau / brachten ihro viel Geſchenck / warteten mit groſſem Verlangen auff ihre Geburts ſtund / rieffen und ſchrten täglich: Meſſia / O Meſſia / du unſer Verlangen / komme. Endlich gebahr dieſe Jungfrau ein Tochter / dardurch alle Hoffnung / Ehr und Freud der Juden in den Brunnen gefallen / und ſie von männiglich verlachhet und verſpottet wurden. Einer aus den Juden nahm dieſen neuen Meſſiam / und ſchmiſſe ihn auß Ungedult wieder die Wand / über welchem Kindermord / er auch ſeinen verdienten Lohn empfangan: und muſte die Tochter den Vatter des Kinds offenbahren.

III. Anno Chriſti Servatoris 1245. In Regno Caſtellæ, in congregatione Judæorum Vanis Pſeudomeſſiarum Solatiis Deceptorum viſæ Cruces in ſindonibus, quarum prodigioſo ſpectaculo plurimi ad fidem Chriſtianam converſi, ut habet *Alphonſus Spina* Medicus Judæus, qui miraculo huic interfuit, libro de bellis Domini contra Judæos, apud Gregorium Michaelem in Notis ad Gaffarelli Curioſitates inauditas p. 407.

IV. Sicuti an. Chriſti 1456. Romano-Catholici Antichriſtum, expectabant, ita etiam Judæi, ſuum Meſſiam, prout illud ex Ms: Felic. Mall. in Regiſtro querelæ p. 69. egregie oſtendit Hottingerus in Hiſtor. Eccleſ. Sec. xv. pag. 6. 5. &c. Videmus patenter multorum inſuper ſanctorum virorum vaticinia, ſcripturis & verbis concordantia, quod Antichriſti tempora breviter ſint ventura. Unde nuper in concilio Baſilienſi, in ſeſſione publica convenerunt ſimul cauſaliter conſedendo, duo venerabiles Epiſcopi, unus de Arragonia, alter de Hiſpania; Et loquebantur mutuo, de præſentis Eccleſiæ membrorum ſtatu, viſibiliter periculoſiſſimo. Et dixit ille de Arragonia, quod quidam Eremita, quem viſitaverat habitu diſſimulato, cum decenti comitiva, qui ipſum mox Epiſcopum Epiſcopali reverentia ſalutavit, & Epiſcopus obſtupuit: & poſt diverſarum collationum ſermones dixit idem Eremita: Et Capellanus urbis ibi primus videbit Antichriſti tempora. Hinc requiſitus de Concilii Baſilienſis perſeveratione ſtatus, inquit, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Et Epiſcopus, inquit, vult hoc? & ille: Recipiatis literas ad numerorum calculum diſpoſitas, de præſenti verſiculo, & videbitur, qualiter terminabitur, & quo anno. His & pluribus aliis taliter expeditis, Epiſcopus inde receſſit. Et mox Epiſcopus Hiſpanus intulit: Ecce nuper fueram in quodam monaſterio, in finibus Hiſpaniæ Occidentalibus, & mihi poſt multa retulit quidam Monachus devotus, Antichriſtum fore natum, & pronunc fore ſeptem annorum. Hæc & alia plura, mihi Felici retulit Epiſcopus de Arragonia dictus Arabœn, ex poſt factus Cardinalis. Sed nuper & de anno præſenti 1456. Dum ille Sarracenus Crudelis, tam potenter nvaſit Chriſtianos, gaudebant Judæi, ſperantes, ipſum fore Meſſiam ipſorum, quoque reſtaurare Synagogam, & deſtruere Meſſiæ Cœleſtis Eccleſiam.

V. Anno Chriſti 1465. Rabbi Abraham Avenaris Judæus, Aſtrologus, ob conjunctionem Jovis & Saturni in ſigno Piſcium denunciavit adventum Meſſiæ: ſed veritatem ejus redarguit tempus jam olim præteritum, uti poſt Moltherum in Malleo obſtinationis Judaicæ pag. 68. narrat Gerhardus Johannes Voſſius in Theologia Gentili, Lib. II. Cap. XLVIII. Edit. Amſtelod. *Ejuſdem farinæ eſt*, *quod ex illis ſcilicet fati conſciis ſideribus R. Abraham Avenaris Judæus collegit*, *venturum eſſe promiſſum Meſſiam Anno Chriſti* 1444. *quo Jupiter cum Saturno futurus eſſet in Cancro*: *vel ſaltem viginti annis poſt*, ( Anno Chriſti 1464. ) *quando eadem conjunctio foret in Piſcibus*. *Nam utrumque hoc intervallum jam ab annis* 190. *exſpiravit*: *fruſtraque miſelli alium exſpectent Meſſiæ adventum*, *quam glorioſum illum*, *quo in nubibus veniet ad judicandum orbem*. Interim tamen R. Abarbanel in commentario ad Danielem pag. 84. 86. crambem recoquere non dubitavit, ut de tempore adventus Meſſiæ, quod ſcriptura indice quaſi digito, Geneſ. 49. 10. Dan. 9. 25. deſignavit, ex conjunctione Saturni & Jovis in ſidere piſcium poſtliminio judicium ferre, & hoc modo ſuos contribules ſola-

ri, totque votis in singulos dies expetiti Liberatoris spem facere ausus sit. Verum quam periculosum sit, neglecta Scriptura Sacra, ex constellatione siderum & planetarum præcipuorum in iis conjunctione sortem meliorem sibi imaginari, demonstravit nuper Johannes Frischmuth, Linguæ sanctæ in Academia Salana Professor Doctissimus, in insigni dissertatione de Judæorum amentia, cœcitate & stupore, qui tempus adventus Messiæ ex conjunctione Saturni & Jovis in sidere piscium indicare præsumunt.

VI. Circa annum Christi 1497. Sub Ferdinando Catholico, Hispaniarum Rege, spe Pseudo-Messiæ novi, Ismaelis Sophi, turpiter rursus delusi fuerunt, observante illud Johanne Cluverio in Historiarum Totius Mundi Epitome pag. 687. Edit. Ludg. Batav. *Judæi tum arbitrati Ismælem Sophum, patre natum Alcorani interprete novo, qui collecta undique exulum & miserabilium hominum manu, Mediam, Parthiam, Persiam, Mesopotamiam, Armeniam, secundo victoriarum cursu peragraret, Messiam esse suum; brevi didicerunt illum judaicam gentem ut cœcam & insidelem detestari, legis Muhameticæ nova, atque a Turcis aliena instituta, urgere. Parturiebat enim hoc seculum plurima ubique terrarum nova. Mahumetismus findebatur in sectas.*

VII. Paulo post Anno Christi 1500. se pro Messia venditavit Rabbi Lemlem, Judæus Germanus, Vindibonæ, Urbe primaria Austriæ. Docet illud Gilbertus Genebrardus in Chronologia sua ad Annum Christi 1500. *Quidam Judæus nomine Lemlem, imposuit quibusdam (credo in Germania) se esse verum Christum, quem exspectabant.*

VIII. Judæi scribunt, quod Lemlem Messiæ Prodromum sejactaverit, Messiæ adventum eodem anno instare dixerit, hocque signum insaniæ facile proximum, quod fornacem domus suæ demoliretur, dederit, addens, proximo se anno in terra sancta cocturum, popularesque suos sic dementans, ut indicto solenni jejunio, ad reditum in terram sanctam se pararent omnes. Audi quæso narrantem Davidem Ganzium in Tzemach David Fol. 61. Part. 1. Edit. Pragensis רבי לעמלן היה מבשר על ביאת משיח בשנת וס ובכל תפוצת ישראל האמינו ודיבריכם בין הגוים היה הקול הולך וגדול ורבים מהם גם האמינו לדבריו ואם זקיני זעליקמן גאנז ז״ל הרס ונתץ תנור המיוחד למצות בהבטחתו הנמורה שלשנה הבאה יאפה מצות בארץ הקדושה ואני הכותב שמעתי מפי מורי הזקן מה הר אליעזר טריוש אב בד קק ודנרבוט שאמר כי לא דבר רק היה ושנתן אות ומופת ואמר אולי חטאהינו גרמו ועכבוהו: *Rabbi Lemlem prædicabat adventum Messiæ anno 260.* (h. e. Christiano 1500.) *Et in omni dispersione Israelis crediderunt verbis ejus. Et Dominus Doctor avus meus Zelikman Ganz beatæ memoriæ destruxit & diruit fornacem appropriatam placentis paschalibus, quod consideret perfectissime anno sequente se cocturum paschales placentas in terra sancta. Ego vero scriptor audivi ex ore Doctoris mei senis D. D. Eliezeris Tarjus Patris domus judicii sanctæ Synagogæ Francofurtensis, dicentis non fuisse rem vanam, & dedisse signum & prodigium: Dicebatque forte peccata nostra causam dederunt, & remorata sunt eum,* videlicet Messiam.

VI. Similia docet Rabbi Gedalja in Schalscheleth Hakkabala, Catena Cabalæ Edit. Cracov. p. m. 44. ובזמננו זה שנת חמשת אלפים ר ס לבריאה קם יהודי בגליל איסטריאה ושמו רבו אשר לומלה אשכנזי שעשה עצמו נביא והיה אומר שיצומו וישובו בתתובה כי קרובה הישועה וכן כל גלות איטליאה האמינו לדבריו וישובו איש מדרכו הרעה בכל׳ כהם דבר פלי כמעט בתשובת נונרה וימת האיש ולא בא משיח ונלגל המרות גדולות: *Et his nostris temporibus Anno post creationem 5260. exortus quidam Judæus in partibus Istriæ, cui nomen Rabbi Ascher Lemla, natione Germanus, is Prophetam agens, hortabatur, ut jejunarent homines, & per pœnitentiam ad bonam frugem se reciperent, prope enim adesse salutem. Et vero omnes Judæi, qui Italiam inhabitant, verbis ejus fidem adhibuerunt, atque quisque, quantum maxime poterat, improbitate deserta, pietate sese mancipabat. Erat res plane mira & vere talis pœnitentia, qualem olim Ninivitæ egerunt. At enim mortuus est vir ille, neque venit Messias magnæque ex ea re apostasiæ enatæ sunt.* Pleniorem Historiam Pseudo Messiæ Lemlem promiserat olim Johannes Isaacus Levita, Academiæ Coloniensis Professor Hebræus, ad Epistolam Rabbi Maimonidis ad Judæos Massilienses, quam videre sive etiam, sive nondum impressam, hactenus non licuit.

X. Tandem Lemlem Pseudo-Messias, aliis Propheta, periit, nusquamque magis apparuit, cum antea conquestus esset, impœnitentiam Judæorum adventum Messiæ retardare. Inde factum, ut omnes Judæi Anno Christi 1502. in universa dispersione sua diligentissime pœnitentiam agerent, per orationem, jejunium & Eleemosynas, ut adventum Messiæ tam propinqui promoverent, sed nihil effe-

effecerunt. Non enim viderunt cœci homines, Meſſiam ſic nunquam venturum, quia peccare nunquam ceſſabunt. Vah, quam magnifica ſpe vos fruſtra toties impleſtis? agnoſcite vel tandem o Miſelli, cum ne ullo ſeculo non ſeducti eſtis, quod hæc expectatio nimis ſera ſit. Adveniet Meſſias fatemur, & forte in propinquo eſt; ſed non ea ratione, qua vos perſuaſi eſtis. Sed de his plura in fine.

XI. Circa annum Chriſti 1534. novus in Hiſpania exortus impoſtor Judæus, qui ſe pro Meſſia conſtanter venditavit, ſed ſucceſſu infeliciſſimo, dum a Carolo V. Cæſare combuſtus fuit, ſicuti ſcribit Johannes Ludovicus Vives, Hiſpanorum doctiſſimus, libro 3. de Veritate fidei Chriſtianæ, p. 491. Idem pluribus, ſed alio modo, Rabbi Gedalia in Schalſcheleth Hakkabala p. 44. teſtatur, ejus integrum locum Latino ſermone expreſſit, Johannes Chriſtophorus Wagenſeilius, Vir omni literatura celeberrimus, Hebraicæ inprimis noſtri ſeculi facile princeps, in quem ſpes & expectationes noſtræ, de aliis operibus clariſſimis maturandis, totæ converſæ ſunt, in telis igneis Satanæ, p. 238. ſeqq. Pariter Anno orbis conditi 5294. qui eſt annus a deſtructione templi ſecundi 1466. a remotis regionibus prodiit vir quidam Judæus R. Moſes Rubenita nomine, qui Romam delatus, cum Papa Clemente (VII.) ſermonem contulit, valuitque gratia apud illum, gerebatque ſe pro duce exercitus Regis Judæorum. Erat autem ſtaturæ humilioris, & niger in modum Æthiopis, ac quaſi annos quadraginta quinque natus.

XII. Poſtea Regem Luſitaniæ adiens, cum eo egit, habebatque ſecum interpretes, non enim aliarum linguarum, præterquam Hebrææ & Arabicæ gnarus erat. Cæterum ſignificabat Regi, miſſum, ſe eſſe a Regibus Judæorum, qui trans Chalachum, Chabo rem & Nehargoſanem degunt, ut ununciaret ei, ſi opem ferre vellet iis adverſus hoſtes illorum, & concedere arietes conquaſſantes (ſive tormenta & machinas bellicas) tum facili negotio ſubacturos ipſos inimicos; idque Rex facturum ſeſe eſt pollicitus. Iſte vero R. David, per longum tempus ibi ſubſtitit, dumque ſic moram agit, excitavit Deus animum viri juvenis cujuſdam, qui unus erat ex iis quos Rex habebat a ſecretis, quique præcipua apud eum fruebantur dignitate. Hic, cum majoribus Judæis eſſet progenitus, in corde ſuo ſtatuit pœnitentiam agere, (& Chriſtianam, quam hactenus profeſſus erat religionem deſerere.) Itaque ea de re ſermonem contulit cum R. Davide, amboque e regno Luſitaniæ egreſſi ſunt. Tum deinde ſacris avitis initiatus juvenis nomen Salomonis Malcho accepit.

XIII. Quanquam autem præputiatus Chriſtianus, legiſque Moſaicæ exſors natus (educatuſque) fuerat, tamen ad Judæorum cœtum aggregatus, (eos brevi in ſapientia profectus fecit,) ut deinde per omnem Italiam & Tuſciam, pro concionibus, res abſtruſiſſimas, tam ad ſcriptam legem, quam ad *πατροπαραδότας* attinentes, proponeret, diceretque myſteria, ac explicationes pulcherrimas & adeo mirificas. Nemo unquam auditus eſt, qui cum hoc comparari queat, neque ſcitur, quomodo ad id eruditionis culmen pervenerit, niſi quod ipſe dicebat, ſe ſuggeſtore Angelo uti. Libros multos compoſuit, ſeque unum ex Meſſiæ emiſſariis ajebat eſſe. Forma illi egregia, pietas inſignis, & opes magnæ. Sed enim ante memoratus R. David, ſex dierum totidemque noctium continuo jejunio ſe maceravit: atque mihi retulit vir fide digniſſimus, R. Jehuda de Balneis, ſub ſacramenti religione, dum Romæ morabatur, fuiſſe ſe ex obſervatoribus qui ſtupendæ inediæ explorandæ cauſa R. Davidi aſſidebant, ne quid clanculum univerſo illo tempore comederet.

XIV. Verum enim vero, R. Salomo Malcho denique Mantuam ſe contulit, ut ibi cum imperatore Carolo V. ſermocinaretur, neque ſatis perſpectum nobis, quid in eo colloquio ſit actum, præterquam quod conſtat, ira adverſus eum excandeſcentem Imperatorem, juſſiſſe, ut vivus cremaretur, idque factum eſt, capiſtro ori ejus indito; metuebat enim, ne (conceſſo libero linguæ uſu) incantamenta proferret, evaderetque. Atque ſunt etiamnum Judæorum multi ſic ineptiſſime perſuaſi, vivere illum & quoquo Sabbato viſitare ſponſam ſuam Zephati, quaſque alias fingunt ineptias. Sunt, qui perhibent, prænunciaſſe ipſum mortem ſuam, recitatis (ex Gen. 42. commate 21.) verbis, אבל אשמים אנחנו על אחינו אשר ראינו צרת נפשו: in his quia quinque vocabula a litera Aleph incipiunt, quinquies millia deſignati ajebat, cumque ſi elementa vocum אנחנו על אחינו ad numeros redigantur, emergant 290. aſſeverabat, anno 5290. (cœleſte) conſultum de luendo atrociſſimo ſupplicio adverſus ſe pronunciatum fuiſſe. Verum tamen Numini veritatis hoſtiam ſacravit, nec enim (Judaicam reli-

ligionem ) abnegare volebat, etiamsi sub hac conditione vitam ei pollicerentur: R. Davidem autem Cæsar in Hispaniam ablegavit, ubi diem ipse obiit supremum.

XV. Anno Christi 1540. In Germania Judæus quidam, nomine Jodocus von Reschein / qui se Regierer der gemeinen Judischheit scripserat, fiscali in duas marcas puri auri a Camera Imperial damnatus est, quod titulus ille sit inusitatus, elatum & seditiosum animum arguens, & nomen Regierer requirat publicum officium, cujus Judæi sunt incapaces. Gylmannus in Symphor. Wilhelmus Antonii de Rescriptis Moratoriis. Christianus Barth in Jud. Cam. Visus etiam fuit circa Annum Christi 1615. alius Judæus Pseudo Messias in India Orientali, quem Judæi in Lusitania secuti, teste Vincentio de Costa Mattos cap. 9. discurs. de hæretica perfidia Judæorum edit. Lusitanica lingua anno 1622. apud Gisbertum Voetium, Academiæ Ultrajectinæ quondam Professorem Celeberrimum, Part. II. disput. Select. pag. 95.

XVI. Nec prætereundus Messias ille, quem Phillppus Zieglerus, Civitati Oppenheimensi a Secretis ante expugnatum ab Hispanis & Bavaris Palatinatum, Anno Christi 1624. & 1625. in Belgio inter alias plurimas imaginarias prophetias, jactabat oriturum sc. ex stirpe Davidica, ex Linea Nathanis, extirpaturum Regnum Antichristi & Turcæ, Romam evertendam Anno Christi 1627. Helvetiis Regem dominaturum, Jacobum Angliæ Regem Eccles. Dei graviter laboranti opem laturum. Fuit cætera Vir Pius & non indoctus, nimium tamen Prophetiis deditus, Judæisque favens, præterea inveteratis deliriis melancholicis absorptus, aut intervallis maniæ obnoxius, de quo Nicol. Wassenaer Medicus Amstelodamensis in Mercurii Semestris Parte 16. Gisbertus Voetius Parte II. Disputat. Select. p. 95. 96. *Eum enim* ( Messiam ) *fingebat statim e conversione* Judæorum, *quæ tum sc. instabat, ex stirpe Davidica, ex linea Nathanis proditurum ac fore Regem universalem mundi, redicitus exstirpaturum regnum Antichristi & Turcæ, celebraturum etiam Concilium Constantiæ per duodecim annos, in quo omnes religionis controversiæ decidendæ sint. Majores ejus per mille annos in regno Tunetano habitasse, ac deinde in regnum Granatense migrasse, inde a Ferdinando* I. *exactos venisse in Germaniam: Regem illum a se visum in visione, deinde etiam Argentorati corporeis oculis, esse jam quatuordecim annorum: sceptrum & gladium a se servari, quæ suo tempore ipsi traditurus sit.*

## CAPUT V.

I. *Natus Sabethai Zevi Judæorum Pseudo-Messias celeberrimus ann. Christi 1666.* II. *Quales progressus fecerit in studiis.* III. *Qualia matrimonia contraxerit.* IV. *Jactavit apud suos varias revelationes, sibi factas.* V. *Ut auditorum animos magisque confirmaret, nomen Tetragrammaton* IHUH *pronuntiavit.* VI. *Ex urbe Smirna pulsus, Thessalonicam petiit.* VII. *Judæorum de eo judicium.* VIII. *Signa quædam ab ipso edita.* IX. X. *Postquam totam Palæstinam perlustravit, ad* Nathanem Levi *Gazam venit, qui morum ejus suavitate inductus, ipsum palam tanquam Eliam ac Messiæ præcursorem venditavit.* XI. *Ad hunc novum Prophetam effusa fere omnis urbis Hierosolymæ multitudo.* XII. *Dum hæc Gazæ, Hierosolymæ aliisque in locis aguntur, Optimates populi* Judaici *Hierosolymis conveniunt, & in totum negotium novi Prophetæ inquirunt. Unde ipse impetum veritus in exilium proficiscitur.* XIII. *Tandem Smirnam revertitur. Legati ad ipsum quærendum mittuntur.* XIV. *Latuit ipse aliquamdiu. Interea, ut mentes occuparet, humiliter & dimisse vivebat, summus in preces & devotionem artifex. Unde tantum sibi favorem multorum conciliavit, ut, cum in publicum prodiret, ipsi asserenti, se* Messiam, Ben David *esse, fidem haberent.* XV. *Perrexit non minori alacritate Nathan Levi non tantum indigenis, sed etiam longe dissitis persuadere, Regem Israelis exortum, cujus nomen* Sabethai Zevi *esset.* XVI. *Quibus rebus erectus Messias quotidie nova moliebatur.* XVII. XVIII. *Interim capitis ipsius insidiæ parabantur.* XIX. *Quapropter illi, qui partibus Pseudo-Messiæ favebant, ne imposterum periclitarentur, rem totam ad Turcarum Imperatoris summum præsidem deferunt, qui opem suam promisit.* XX. *Variæ Judæorum de virtutibus & auctoritate ejus nugæ & figmenta.* XXI. XXII. *&c. Varia oracula de Sabethai Zevi Rege Messia exorta.* XXIV. XXV. *Collocatus Sabethai Zevi in summo dignitatis fastigio quid molitus fuerit.*

I. NUnc Sabethai Zevi, Judæorum Pseudo-Messias celeberrimus, qui Anno Christi 1666. floruit, describendus venit. Natus est anno 1625. Smir-

Smirnæ, urbe maritima Joniæ in Asia, quæ hodie regionis primaria, emporium celeberrimum, & Præfecti Turcarum sedes est. Pater ei fuit Mardochai Zevi Peloponnesaicus, Judæus infimæ sortis, ex Gallinarum & ovorum propola, Anglorum Mercatorum proxeneta. Elucebant in puero signa raræ indolis, & spem faciebant maximam. Non illi inania placebant, sed annis & ipsa ætate altiora versabat. Ante omnia ad libros ferebatur: hos illi expetere tunc cura, his perfrui delicium fuit. Parens ne tam egregios conatus retardaret, filium commisit Rabbino doctissimo, sub quo tantum profecit, ut altioribus disciplinis ab alio informari debuerit. Commilitones & æquales, quos exercitatiore ingenio animadverterat, non æmulari modo, sed & superare contendebat, torporem fugitans ceu venenum, & quo facile animus inficeretur.

II. Anno ætatis decimo quinto Scholis vale dixit, contentus exercitatione privata. Inprimis studioCabbalistico adeo delectatus est, ut totos dies, noctiumque maximam partem impenderet. Hinc omnem fere familiaritatem cum æqualibus fugitavit, seque ab omni consortio separavit. Paulo post ob dotes animi egregias, & summam in Hebraica literatura, Philosophia & Theologia eruditionem, titulo Doctoris ( Chacham, id est, sapienti; ( coronatus fuit. Et statim munus hoc non tantum docendo publice in scholis exercuit, sed & in agris, aspicientibus Turcis, atque illum propterea deridentibus. Ex hoc famam sibi conciliavit maximam, cum etiam quod omne consortium vitaret, tum quod vitam ageret integram. Inter plurimos familiares discipuli laudes ipsius summas ebuccinarunt, ad stuporem omnium & admirationem venerati sunt. Quod cum perciperet, non intermisit, quo magis illos redderet attonitos, famamque sui majorem, ut ita illud, quod sibi proposuisset, ad metam perduceret optatam.

III. Natus annos viginti quatuor, filiam Judæi Smirnensis uxorem duxit, cum qua, sive potentia generandi destitutus, sive sanctitate quadam imaginaria inflatus, rem nullam habuit. Hinc illa repudiata, ad secundas nuptias cum virgine Judæa non ignobili apud Smirnenses, sed simili fato transiit.

IV. Interea apud suos revelationes jactare cepit, se illum prædicans, de quo præclara multa expectanda. Imo semper in ore habuit verba Prophetæ Jes. cap. 14. com. 14. *Ascendam supra excelsa nubis densæ, me æquabo excelso*: non cogitans ea quæ statim sequuntur comm. 15. *16. 17. Veruntamen in sepulchrum dejicieris, ad latera foveæ. Videntes te, considerabunt te in te advertent, dicentes: hiccine vir ille est, qui commovebat terram, qui concutiebat regna? Qui disponebat orbem habitabilem sicut desertum, & civitates ejus destruebat; vinctos suos non solvebat reversurus domum*. Acciderat quodam die, cum verba allegata in concione pronunciasset, ut crederet, imo certo sibi persuaderet, se a terra sublatum fuisse. Interrogabat super hanc rem discipulos, numne id vidissent? Negabant omnes uno ore. Ipse respondebat, quod oculi eorum nondum essent illuminati, neque visione tam divina digni. Posthæc sæpe repetens verba Prophetæ, se esse Messiam, Ben Davist, id est, filium Davidis, rotunde dixit.

V. Sabethai Zevi ut animos auditorum magis confirmaret, nomen Tetragrammaton IHVH, Jehovah, quod erat Schem hamephoras, id est, nomen expositum, pronunciabat. Quicunque autem illius nominis literas adipiscebatur sciebat, poterat facere quicquid volebat. Non ausi vero sicut olim ita hodie Judæi Tetragrammaton efferre. Constat illud primo ex Lege Magistrorum, qua ejus nominis pronunciatio interdicta. Extat illa in Talmude Babylonico tractatu Sanhedrin. cap. 11. Fol. 90. *Etiam qui pronunciat Nomen* ( Tetragramaton) *suis literis, non est ei pars in futuro seculo*. Secundo ex ejusdem legis vindicatione contra transgressorem instituta; cujus exemplum legitur in tractatu Talmudico Avoda Zara cap. 1. Fol. 17. 18. *Adduxerunt R. Chanina filium Teradjon, dixerunt autem illi, quare sic egisti in Lege? Dixit ipsis: Quemadmodum præcepit mihi* IHVH *Deus meus. Statim decreverunt de ipso comburendum, & de Uxore ipsius gladio plectendam esse. Ad ignem damnarunt ipsum, quia pronunciavit nomen illud suis literis. Et cur sic fecit? annon tradiderunt, Hi sunt qui non habent partem in futuro seculo, &c. Abba Saul dixit, etiam qui pronunciat nomen illud suis literis? discendi gratia fecit. Quæ igitur ratio, quod punitus fuerit? Quia pronunciavit Nomen illud publice. Uxorem autem ejus ad occisionem gladii, quia non impedivit ipsum*. Hinc Proceres Synagogæ Smirnensis timentes suorum ultimam ruinam, hominem in jus vocant. Disceptatum diu an ad mortem, an ad exilium condemnandus esset. Placuit sententia mortis, quam Scappa, summus Synagogæ Judaicæ Modarator ferebat. Et jam omnes eam executioni manda-

re recusabant, quare in exilium missus fuit.

VI. Ex urbe Smirna pulsus, cum spe sua se frustratum animadverteret, Salonichi, veteribus Thessalonicam petiit. Urbs est Macedoniæ, sub Turcis, ampla, populosa & dives, in qua ingens Judæorum, qui opibus pollebant, numerus, hinc scenæ suæ inservire apta. Verum cum ibi se Messiam esse, profiteretur, urbem deserere coactus fuit. Nec meliorem Athenis, aliisque in locis Græciæ celeberrimis nactus fortunam. Ubique profugus, si excipias Alexandriam, in qua multa sanctitatis fucatæ specimina edidit. Interea tertiam ducit uxorem, meretricem famosissimam, quam Reginam imaginariam creat.

VII. Quid Judæorum universa natio de ea crediderit, quæ mendacia, fabulas propterea excogitaverit, exponit Vir singulari modestia, pietate & Linguis orientalibus conspicuus, Fridericus Ragstat de Weile, quondam in patria Rabbinus, jam gratia Jesu Christi vero Messiæ confessor, in Theatro Lucido pag. 49. 50. Pulsis e regno Poloniæ Judæis hæc Sabethai Zevi dilecta sponsa futura, a teneris in Polonia remansit cunabilis, ibidem a potente quodam Domino aut Religionis Romano-Catholicæ Principe filiæ loco suscepta; ad pubertatem usque enutrita est, sic ut nunquam ei aliter innotuerit, quam se Principis hujus summi persistere gnatam. Interim veri ac naturalis Parentis sui ex Polonia pulsi Judæi Spiritus ex Persia advolans ei apparuit; qui ante filiæ conspectum procedens, in hæc prorupit verba. Ecce ego tibi verus indubitatus Parens, ex Judæorum tribu ortus, qui cum cæteris ex hoc Poloniæ regno ante aliquot annos fugatus: inque Persiam mecum simul fugientes nostram commorationem cepimus: certum scias tibi nullum alium, me vero ex rerum natura concedi Parentem, firmeque teneas, Dominum hunc aut Principem, te solam enutriisse, exindeque adoptivum Parentem esse. Quibus verbis nullam fidem adhibentem spiritus illam in æde strata, varioque in loco, multis diversisque tribulationibus, angustiis, tormentorumque cruciatibus insecutus est, imo tanta fidei confirmatione erga eandem usus, ut signa quædam exhibuerit, quatenus eam hujus rei credulam redderet, & quod amplius ipsam ad Judaismum resumendum vi summa induceret. Itaque in multorum hominum & matronarum præsentia signa quædam edidit, dum terra pedibus subjecta, vel arbor proxima, demersa fuit atque evanuit.

VIII. Signis hisce confestim perspectis, verum & legitimum Parentis Judæi spiritum credidit, qui tandem ulterioris persuasionis consilio ei adfuit, ut si defuncti Parentis corpus verum cernere affectaret, eam secum perducturum in Persiam, quo in regno sepulcbrum visibile; at opus fore, vestes ornatas, auro, argentoque tinctas, gemmarum splendore fulgentes, omniaque corporis ornamenta deponere, imo vero nullis plane tegumentis, ne quidem tenui indusio tectam persistere, sed denudatam penitus eum comitari oportere, prout factum, unde spiritus hanc per invia & devia, salum solumque, perque altissima montium cacumina, immensum profundissimumque maris Oceanum ex regni Poloniæ limitibus in Persiam abduxit nudam, tumulatum hujus spiritus Judæi corpus ob oculorum aciem produxit. Verum ad ulteriorem depositi Parentis hujus corporis fidem reddendam, noctu eadem filia a spiritu ex Persia in Asiam ad senem quendam in regni istius urbe quadam, in Judæorum cœmiterio solito commorantem, diuturno temporis intervallo lectulo decumbentem, vitam cum morte commutantem, eque vivis discedere haud valentem, deducta est, quo in loco Angelus quidam apparens filiæ e superis pelliceum tegumentum, variis sanctorum nominibus depictum & ornatum communicavit, quod simplicitate plena Judæorum turba plurima Protoparentis nostri Adami indusium divinitus ei concessum vere asseveravit.

IX. Hac nihilo secius conditione, se indusium hocce seni daturum, senem deinde eidem aliud tegumentum redhibiturum, universas Europæ partes peragrare debere, ut inde toti Dominorum Judæorum senatorio Consensui ac Principatui, a Spiritu hoc sibi revelatum & manifestatum perhiberet, inque lucem ederet. Unde Angelus ipsam universæ Judææ Reginam, & Sabbathai Tzevi Judæorum Messiæ sponsam declaravit, quibus peractis ut Angelus dixit. Sic tandem filia in Asiam reversa, in qua Sabbathi Tzevi Judæorum imaginativo Messiæ matrimonio copulata fuit. Hinc usque, mutatis tantum tribus, quatuorque vocibus, quæ in versione Germanica rectius legebantur.

X. Merito obstupescendum, infidam Judæorum gentem, cujus cordi pinguedo, velamen, callum obductum, hodiedum usque tam crassis, falsisque mendaciis fidem tribuere, cum lippis & tonsoribus jam notum, Reginam imaginariam, natam parentibus sive Germanis, sive

ſive Polonis, ſcortum diobulare, ſordidumque fuiſſe, habitaſſe Francofurti ad Mœnum, Hannoviæ, Mantuæ in Italia, peragraſſe loca plurima, tandem ad nominatum Meſſiam veniſſe, eique Alcairo in Ægypto junctam, cujus frater necotiani fumativi præparator, cum hac de cauſa Conſtantinopolin profectus eſſet, ut ad ſummam principis cujuſdam dignitatem & gloriam eveheretur, cum ludibrio & irriſione omnium reverſus, ex principe imaginario, necotiani præparator rurſus factus fuit.

XI. Sabethai Zevi, poſtquam totam Palæſtinam cum dilecta ſua Regina perluſtraſſet, ad *Nathan Levi*, aliis *Nathan Benjamin* dictum, Judæum doctiſſimum, Gazam venit; cui ſe celeriter officii comitate, & morum ſuavitate inſinuavit. Igitur communicat, quæ arcana moliretur, quomodo ad dignitatem Regiam aſpiraret, & titulum Meſſiæ, tot calidis votis dudum fruſtra expectari, vehementer affectaret. Imo perſuadet, dum morum ſimilitudo eos conjungit. Quippe & ipſe *Nathan Levi* erat minime ſimplex, ſed malitioſus, & rerum improbarum amori deditus; Hinc, cum in communionem honorum veniret, ſcripturas ſacras huc traxit, ſe Meſſiæ, Sabethai Zevi, Præcurſorem, Magnum illum Prophetam, illum Eliam, palam venditavit. De quo legitur in Judæorum libris: *Triduo ante adventum Meſſiæ Propheta Elias veniet, ac ſe ſiſtet ſuper montem Sinai, convocabitque omnes Iſraelitas ex omnibus finibus terræ*. Itaque Hieroſolymis novus Propheta, Jejunium Judæorum, quod ſeptimo decimo menſis Tamuz (Junii) celebrabatur, abrogavit, cæteraque prohibuit, quod Meſſiæ dies, non mœrorem, non Jejunia, non corporis afflictiones, ſed gaudia, tripudia, ſolennemque cum carmine ſaltatum per urbem poſcerent.

XII. Ad hunc novum Prophelam effuſa fere omnis urbis multitudo. Hunc quaſi de cœlo miſſum, & ut ipſam divinam veritatem contuentur: in hunc plebs oculos, in hunc ſuſpenſa ora convertit; quare de amore & fide eorum jam certus, canit Regis Sebethai Zevi facta egregia, laudes innumeras; prædicit, ſed eventu infelici, quomodo Meſſias Turcarum Imperatorem ſeptimo viceſimo menſis Cislev (Novembris) de ſolio eſſet deturbaturus, coronam detracturus, captivumque abducturus. Reverſus Gazam, verbis ſuis eandem reperiit fabulam addens, vitam illotum improbam, magnam facere moram. Hinc totus in concionibus, ut illam deſererent, & ad meliorem ſe componerent. Nec fruſtranea adhortatio fuit; quippe omnes recutiti, ſepoſitis rerum mundanarum ſollicitudinibus, precibus, Eleemoſynis ſecum certabant, de Meſſia ſibi gratulabantur, ac fauſta quæque ſibi precabantur, Meſſiam vero non humanis tantum, verum & divinis honoribus honorabant.

XIII. Dum hæc aguntur Hieroſolymis, Gazæ, aliiſque in locis, Optimates populi Judaici Hieroſolymis conveniunt, & in totum negotium novi prophetæ diligenter inquirunt, arbitrantes illud maximi momenti, quod illos & elevare, & ſubvertere penitus poſſet. Itaque metu territi, non ſolum officia ſua detrectabant, ſed Meſſiam, hominem impium, ſeditioſum pronunciabant, quin imo per omnium ſacerdotum religiones diris devovebant. Veritus itaque impetum, in exilium proficiſcitur, ægre deſerens eam urbem, quam ſedem imperii ſui, ad imitationem Regum antiquorum Judæorum, ſibi deſignaverat, & vagabundus, non deſtitutus tamen omni ſpe, regiones percurrit, mox Conſtantinopolin, urbem Judæis refertam, mox Smirnam patriam, in qua amicos, aſſeclaſque habebat, cogitat. Interea Proceres Judæorum urbis Hieroſolymæ non intermittebant hominem nequam ubique obſervare, ſed Doctoribus ſcholæ Conſtantinopolitanæ ſcribunt de ejus malitia, ſeditioſis opinionibus, petuntque, ut vel reprimatur, vel occidatur. Hi, viſa fratrum epiſtola, jamque etiam ex rumore de eadem re edocti, quid faciendum, diſputant. Aucti votis, vident Sabethai Zevi periculoſæ plenum opus aleæ tractare, quam ne adirent, literas exarant ad Moderatores ſcholæ Smirnenſis, in quibus hominis ingenium & mores depingebant; & mala certo eventura ob oculos ponebant. Iontof Ben. Iaſer, prædictæ ſcholæ Præſes hæc ſcribebat: *Vir ille, cujus novitatibus nos opponimus, ſimilis eſt ei, qui in Deum non credit, & qui ipſum occidit, reputabitur apud Deum, quaſi multas animas lucratus fuiſſet. Imo manus, quæ ad internecionem ipſius accelerabit, a Deo & hominibus benedicetur*. Subſcripſerant quinque & viginti Doctores Apellarum.

XIV. Interjecto aliquo tempore, cum vagus & exul erraſſet, Smirnam reverſus fuit. In qua, poſt duos menſes, quatuor Legati ex urbe Aleppo venerunt, Chacham *Moſes Galante*, Chacham *Daniel Pinto*, cum duobus aliis tenuioris conditionis Judæis. Hi in mandatis a Proceribus ſuis habebant, ut Sabethai Zevi, Judæorum deſignatum Regem,

cum

cum titulo officii & ultimæ devotionis ſalutarent. Quapropter, ſparſo per urbem rumore, Moderatores ſcholæ Smirnenſis, Legatos interrogant, unde venirent! Quo ſigno edocti! Et quis tandem Meſſias eſſet? Dum falſæ rei criminis poſtulantur, hujus conſtantiæ fuerunt, ut omnes auctorem faterentur Nathan Levi, virum magni nominis, maximæque autoritatis, vatem certiſſimum, cui ſummum numen ſæpe ſe revelaverit, illo Deo, etiam conſiliorum auctore ſe uti. Hinc Regem novum ſe exoſculari. Ita Legati a Nathane immiſſi belle fabulam egerunt, nec ipſe Sabathai Zevi ignarus hujus rei exiſtebat. Nam tantum hac legatione effectum, ut animi fautorum in novam ſpem erigerentur, aliiſque nova incuteretur ſuperſtitio. Cernebatur etiam publica quaſi lætitia inter plurimos.

XV. Ipſe interea, ut mentes occuparet, humiliter & demiſſe vivebat. Summus in preces & devotionem artifex. Fraudibus, quas excogitabat, quam ſomno ſtudioſior. Solemnis illi conſuetudo, ſummo mane ad mare properare, ibidem ſe lavare nec modo ardente ſole, ſed & nivoſa hyeme, non cogitans illud Hieronymi lib. I. Ep. XLV. ad aſellam: *Tibi placet lavare quotidie: alius has mundicias ſordes putat*. Ex lotione, citato gradu ad Synagogam contendebat. Ubi, cum primus ſemper eſſet, rem divinam precationemque faciebat. Etiam rumor pervadebat, ipſum repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugare. Qua re tantum ſibi favorem multorum conciliavit, ut cum in publicum prodiret, ſibi, *Meſſiam, Ben David* eſſe, aſſerenti, fidem haberent. Imo, eo uſque progreſſa eſt multitudo credula, ut omnes ſine diſcrimine ſexus, nunc mares, nunc fœminæ, nunc ſenes, nunc pueri, novum Regem ſalutarent. Opinantes, ſe omnia aſſecutos, ſi inſignia Majeſtatis ejus conſpexiſſent. Quare poſt ſingulure pietatis documentum & ſpecimen inuſitatum, donaria ſua offerunt. Dies erat ſeptimus menſis Tevet, cum viri pecunias facerent. Octavo die ſequebantur mulieres. Ne itaque Rex jam pecunioſus plebem oblectamento orbaret, pro concione vulgus omne conſolatus, ſpeque omnes implevit, & benedictionibus obtuit. Ajens unicuique actori: Benedicat tibi ille, qui patribus noſtris Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo benedixit, propterea, quod lubens tantum pecuniæ collocaveris. His peractis domum, maxima cum lætitia revertebantur.

XVI. Non minori halacritate Nathan Levi in opere, quod feliciter inceperat, pergebat. Quippe non tantum indigenas ſed longe diſſitos animavit, illiſque perſuadere cœpit, Regem Iſraelis exortum, cujus nomen Sabethai Zevi eſſet. Qui, ut ſupra dictum, Turcarum Imperatorem in vincula conjectum, & catenis conſtrictum poſt ſe tracturus eſſet. Quo duce jugum excutiendum, Judæique Domini terræ conſtituendi. Scribebat præterea, quomodo Meſſias novem menſes in occulto eſſe deberet, quo tempore multæ calamitates ipſis ſuſtinendæ. Poſt has reverſurus eſſet, inſidens leoni cœleſti, ſtipatus ingenti caterva Judæorum, qui ſedes ſuas habuerant ad decantatiſſimum fluvium Sabbationem. Tuncque etiam e cœlo dimittendum templum ſanctum, in quo ſua ſacrificia peracturi ſint. Reliqua exhibet Reverendus & doctiſſimus Thomas Cocnon, pridem verbi divini Præco apud Smirnenſes, in curioſa ſua deſcriptione vitæ Sabethai Zevi.

XVII. Quibus rebus erectus Meſſias, quotidie nova moliebatur. Imo eo uſque, a metu ſecurus, procedebat, ut nihil intentatum relinqueret. Hinc diverſi motus animorum in urbe Smirna fuerunt. Alii quippe, quos ad ſpem libertatis erexerat, tœdio longiſſimæ ſervitutis, inſtantem expeditionem gaudebant. Alii vero, quos tam ſubita mutatione rerum haud mediocris metus ceperat, perpendentes nunc laceſſitum Turcarum Imperatorem, nunc notas Meſſiæ nondum productas, nunc fidem dubiam, mentemque infidam, dolebant. Quare, habito in Synagoga conventu, majori ſcrutinio ſigna examinant, quæ cum non demonſtrantia, ſed fallacia, fictaque cognoſcerent, novum Regem ſceleris accuſant, capitiſque damnant. Quippe e diametro Placitis ſapientium oppoſita erant. Eadem infamia notabatur *Nathan Levi*. Verum cum *Aaron de la Pape*, ſapientium celeberrimus, *Ben Veniſte*, *Algaza*, aliique, qui a partibus ejus non eſſent, votis impares, multitudine aſſeclarum vincerentur, coacti fuerunt cedere, ne iſthæc faba in ſe cuderetur.

XVIII. Paucis poſt diebus Pſeudo-Meſſias, ſententiæ eorum iratus, animo commoto, extrema tentando conſilium cepit, ne, jam labefactata majeſtas penitus collabaſceret, ſpeque ſua concepta excideret. Hinc diem feſtum, ſolis precibus ſacrum, indixit, quem per totum diem in Synagoga celebrare juſſit. Cum multi præcepto modeſte parerent, jam rur-

rurſus clarior factus, preces ordinarias ad libitum corrigebat pro imperio modo addens, modo demens Mox, arrepto baculo, arcam, bibliorum ſacrorum receptaculum, ſepties percutiebat. Et nomen *Jehovah*, cujus lectio Judæis vetita, recitari in publico mandabat. Ad hæc, ante ſe collocata cibaria conditi-tia in patinis, uti & vaſcula vitrea floribus repleta, habebat. Poſtquam hiſtrioniam artifex nunc exercuiſſet, & multa demiranda id genus patraſſet, plebs mutabilis, imaginata ſibi eſt fercula triumphi, reputans imaginem & ſpeciem divinam ſubeſſe, denotarique ritus ſacrificos, jam brevi in templo Hieroſolymitano faciendos.

XIX. Non dici poteſt, quantum animi inimicorum ex hac re exarcebati fuerint. Videbant quippe hominem impium magna quadam ſolertia gratiam plebis aucupari, & umbras falſæ gloriæ conſectari. Quare, ne malum per longas mores ſerperet, extemplo in ædibus *Judæ Murtiæ* conveniunt. Diligenter examinatis rei periculoſæ ponderibus, ſententiam mortis de novo pronunciant, multis & gravibus documentis docent, quod ſacroſanctam legem contumeliis, probris, flagitiiſque violaſſet. Intererat forte Rabbinus, qui non ita crudeliter conſulendum eſſe in Regem optimum, verum pietatis exemplar, cenſebat. Reſpondebat vero *Ben Veniſte*, Doctores Conſtantinopolitanos in eandem ſententiam loqui. Oſtendebat eorum literas, de quibus articulo decimo tertio actum. Argumento cognito, cum reliquis idem ſentit. Deerat interim carnifex, qui pœnam de ſonte, quam lex juſſerat, ſumeret, metu Turcarum. Accedebat, quod plurimi vacillarent.

XX. Quapropter illi, qui partibus Pſeudo-Meſſiæ favebant, ne impoſterum periclitaretur, rem totam ad Turcarum Imperatoris ſummum in urbe Præſidem, quem *Cadi* vocant, deferunt, qui large & effuſe commendatum defendere, & propulſare injuriam promittit. Non dubium eſt, quin ad aures imaginarii Regis hoc pervenerit. Interjectis quippe paucis diebus, inter ſuos gloriabatur, quod nunc in eo eſſet, ut *Cadi* a dignitate ſummoveretur. Et ut fidem videretur ſervare, maximo hominum numero ad ædes illius properat. In plateis autem cantabat Pſalmi 118. commatis 16. *Dextra Jehovæ elata, dextra Jehovæ agit ſtrenue*. Cantilenam eandem canebant comites recutiti. Domum ingreſſus, excluſa multitudine, quæ ad fores exſpectabat, ad colloquium *Cadi* cum fratre admittitur, qui linguam regionis vernaculam, cujus ignarus erat, exponeret. Quo viſo, ita coſternatus fuit, ut ſibi non conſtaret. Tandem recollectis ſpiritibus conqueſtus, quod duo, treſve Judæi Regem audacter calumniati fuiſſent. *Cadi* jam per munera edoctus, ridet hominis ſtultitiam, ipſumque, non ſine gravi mulcta pecuniaria, quam fautores ob hoc pendere debebant, domum dimiſit. Judæi interea Regem comitantes, verba Pſalmi canendo repetebant.

XXI. Ex hoc tempore varii rumores per urbem ſpargebantur, ut ita reliqua natio in caſtra perduceretur, omniaque aſſentiretur. In primis divulgabatur conſtanter & cum auctore, quod *Sebathai Zevi* domum *Cadi* ingreſſus, conclave interioris tecti vacuum invenerit, &, quod occupata ſella, non ſolum nullum honorem venienti *Cadi* exhibuerit, verum togam *Cadi* exhibuerit, verum togam *Cadi* per contumeliam detractam, pedibus conculcaverit. Addebatur, quod inter loquendum non tantum barba *Cadi*, ſed totum conclave fere flammis, quæ ex ore Meſſiæ erumpebant, combuſtum fuerit. Erat etiam in ſermone omnium, apparuiſſe columnam igneam, quæ diſterminaſſet Regem a *Cadi* qua conſpecta, pavidum cum clamore ſervos vocaſſe, ut hominem ab ædibus abigerent. Pudet alia figmenta, deliramentaque gentis delitæ enarratæ, quæ per totam urbem, alibique circumferebantur, quæque non coram *Cadi* tantum ſed publice in meridie facta eſſe, jactabant, de cœlo aperto, porta ignea, figura viri, *Sabethai Zevi* ad amuſſim repreſentante, cum corona in capite. Ut maxime demirandum ſit, non defuiſſe celeberrimos Rabbinos, qui tantam rem tam dementer creditam divulgaverint, imo, ex ſcripturis ſacris confirmare conati fuerint, allegantes Joelem Prophetam, cap. 2. comm. 30. 31. *Eadem oſtenta in cœlis & in terra; Sanguinem, & ignem, & elevationes fumi. Sol ipſe vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Jehovæ magnus & reverendus*.

XXII. Omnia itaque illi in votum veniebant, nec præter thronum, ex quo leges ferre poſſet, aliquid amplius reſtabat. Quare ſolio ab alto Rex admiſſos excepit. Ad latus ſedebat Regina in ſella magnifica, in majeſtatis amplitudinem, decus, & dignitatem. Et jam confluebant proci ex ultimis terris, qui Meſſiam Regem ſalutarent. Imo certabant inter ſe muneribus ipſum flectere.

Tan-

Tanto impetu solem orientem adorabant, illustrandi, ut certo sibi persuadebant, refocillantibus ejus radiis. Rex vicissim, ut imperitiam multitudinem sibi arctius in perpetuum devinciret, nuptiarum, conviviorum, ac aliorum publicorum conventuum officia celebrabat. Inventus etiam aliquoties inter uxores, quas non ita pridem repudiaverat, cum tamen leges Judæorum colloquium cum renunciatis, commorationemque iisdem ædibus vetent. Sed exlex erat. Nec hoc tantum, verum etiam inter fœminarum greges, quibus blandiebatur, sæpe visus fuit, recitans voces Psalmi 45. comm. 10. *Filiæ regum inter charas tuas: collocata est conjux ad dexteram tuam cum insigni auro Ophirio.*

XXIII. Dehinc fidei formulam promulvagit, ne quis imposterum in persona Messiæ aberraret, quamque sequi omnes tenerentur. Extat ea apud anonymum Anglum in Historia de tribus hujus seculi famosis impostoribus, pag. 50. 51. quam, dum vela contraho, ad portumque propero, majori operi, quod meditor de Pseudo-Messiis, reservare constitui, contentus hac vice præcipua argumenta delibasse. Et licet numerus credentium cum ætate in dies cresceret, supererant tamen qui se imperio ejus nondum subjecerant. Nam *Khain Pegna*, vir non vulgaris auctoritatis, amicorum potentia, & plebis reliquæ constantia suffultus fidei formulam deceptionis fraude accusabat, Regem imposturas exercere, ingenue cum suis affirmabat. Quare furiosa multitudo post longas contentiones, ut Regem ab injuria vindicaret, armata palam per plateas ad domos *Khain Pegna* volabat, injectisque lapidibus, eam cum Domino subvertere, magno opere conabatur. Et sortita effectum fuisset, si reverentia Sabbathi, quod instabat, ab ulteriori molitione non avocasset. Tunc *Sebethai Zevi*, audita Khain Pegnæ incolumitate consiliique pertinacia, ut exemplum statueret, quod cæteris documentum esset, misit legatos ad Synagogam Lusitanicam, cum gravissimis mandatis, ut immorigerum e cœtu ejicerent, ejectumque diris omnibus devoverent. Mira res Proceribus visa. Itaque communicato inter se consilio, non solum eum defenderunt, sed & portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem adeo graviter tulit *Sabethvi Zevi*, ut congregatis quingentis nobilibus ex perditissima & infama populi fece, Synagogam adierit, effractis securi foribus, totam perreptaverit. Cum vero oleum & operam in quærendo *Khain Pegna* perdidisset, qui, metuens furorem plebis, se ex ea proripuerat, studia eorum in fugitivum magno fervore increpabat: Cacham *Ben veniste* etiam, quod obloqueretur, minis terrebat.

XXIV. Die subsequenti *Sabethai Zevi* iracundia exardescens, cohortem prætoriam ad ædes *La Papa*, sommi in urbe Cacham, convertit, eumque ab officio, quod pœnitentiam non invenisset, removit. Sed *Ben Veniste*, qui sicut primus se opposuerat, ita primus pœnitere cœpit: contemtum Messiæ in admirationem vertens, regnumque *Sabethai Zevi*, spretum antea, supra regna maximorum ducum extollens, hinc a rege in locum depositi, qui interim in ædibus cacham *Judæ Murtiæ* delituit, suffectus. Exoriebantur eodem tempore varia oracula de *Sabethai Zevi* Rege Messia, quæ avide arripiebantur. Innumeri sine sexus, ætatis discrimine fata exponebant. Jactabant, nunc Joelis Prophetæ verba cap. 2. com. 28. 29. implementum accepisse: *Eritque postea, ut effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri visiones videbunt. Quin etiam super servos & super ancillas, diebus illis effundens spiritum meum.* Excellebant inter fœminas fatidicas filiæ *Khain Pegnæ*, quæ corpore toto stupentes, insano furore ad vaticinium rapiebantur, quæquæ jam dubium parentem in Messiæ opinione confirmabant.

XXV. Collocatus nunc *Sabethai Zevi* in summo dignitatis fastigio, victoriarum candidatus, preces, quas soliti fuerant fundere pro salute Turcarum Imperatoris, imposterum recitandas prohibet, in quarum locum alias pro se ipso instituit; namque injustum opinabatur esse, pro illo orare, qui jam precibus & armis debellandus esset. Aggreditur itaque illam tamdiu frustra expectatam orbis terrarum divisionem, præficitque illos imperiis, quos in excelsiorem dignitatis locum provexerat. Ecce nomina cum officiis.

R E X

| | | |
|---|---|---|
| Isaac | Silvera | *David* |
| Abraham | Ajakhimi | *Salamo* |
| Salomon | Lagnado | *Zovah* |
| Joseph | Chohen | *Uzia* |
| Mose | Galante | *Josaphat* |
| Daniel | Pinto | *Hiskiah* |
| Abraham | Khandali | *Jotham* |

Cas-

| | | |
|---|---|---|
| Caspar | Mokiah | *Zedeckia* |
| Abraham | Leon | *Achaz* |
| Ephraim | Arditi | *Joram* |
| Salom | Carmona | *Achab* |
| Matathia | Aschenesi | *Asa* |
| Meir | Alcaire | *Rababeam* |
| Jacob | Loxas | *Ammon* |
| Mordechai | Jesurum | *Jebojakim* |
| Khain | Regna | *Jerobea* |
| Joseph | Karillo | *Abia* |
| Conorte | Nehemias | *Zerubabel* |
| Joseph | Del Caire | *Joas* |
| Eliaklm | Khaver | *Amasia* |
| Abraham | Rubio | *Josia*. |

| | | |
|---|---|---|
| Elia | Rex Regum | Israelis |
| Elia | Rex vicarius. | |
| Joseph | Rex Regum | Judæ |
| Joseph | Rex vicarius. | |

## C A P U T VI.

I. *Sabethai Zevi concilium convocari jubet*. II. *Judæi miraculo sibi esse imaginabantur, quod a Turcarum Imperatore in vita conservaretur*. III. *Interim putantes, Imperatorem non habete summam in eum potestatem, undique ad ipsum confluunt*. IV. V. *Undesabethai Zevi animositas, non parum crevit*. VI. *Litigium inter Judæos de duplici Messia*. VII. *Nehemias Cohensimulat se Turcarum religionem amplexurum*. VIII. *Tandem ipse Sabethai Zevi, verens pœnam sibi insligendam, ad Religionem Turcicam transivit*. IX. *Unde verpicum a Turcis tum Christianis maxime illusit*.

I. COmpositis in Urbe rebus, *Sabethai Zevi* omnes designatos reges ad formandum rerum præsentium statum convocari jubet, conciliumque omnium, velut unum senatum ex omnibus legit. In consilio cum de Turcis deliberaretur, his longa jam satis & matura imperia contigisse referebant, tempusque esse vices excipere melius acturos. Ita obliti omnes periculorum, Turcicum aurum, & totius Orientis opes, jam quasi suam prædam ducebant. Quare sine mora Rex 22. mensis *Tevet*, (Decembris) naviculam vectoriam cum paucis ascendit, plurimis terrestri itinere Constantinopolin proficiscentibus. Verum non nisi post 39. dies, per quos hibernis tempestatibus in mari vexatus fuerat, illuc advenit. Erat profecto res spectaculo digna, & rerum varietate miranda, regem, totius orbis istantem domitorem, in exiguo latentem videre navigio, cui cum navigiolis ornatissimis ex urbe obviam properabant verpi, carentem in momento omni servitio, fustibus a Turcis bene exceptum, inque carceremus qualidum tractum, jubente Turcarum Imperatoris summo consiliorum ministro, *visir Azem*, qui de adventu regis occupatus ante fuerat.

II. Non tamen animi Judæorum exinde dejecti, sed immane quantum erecti, quippe recordantes Oraculi Nathanis, quod capite quinto, paragrapho sexto decimo, Messiæ regis dolores, initia regni turbulenta & tristia cecinerat, devinctiores ei incredibili ardore adhærebant. Illud apparuit, cum in plurimis, tum magis in Cacham *Anaquagia*, viro maximæ authoritatis apud Aulam Constantinopolitanam, qui totos sæpe in dies, in carcerem conjectum, oculis manibusque veneratus fuit. Non referam bonas preces, quas precati fuerunt, ut dies illi decurtarentur, in primis cum ludibrio propter ridiculam hanc catastrophen omnibus jam essent. Interea *Visir Axem* cum *Divani* judicibus, Imperatore Adrianopoli agente, umbratilem regem examinat, utque tituli usurpati caussas reddat, severe jubet. Ægritudinis futuræ solicita opinio noxam hoc modo depellabat: quicquid hujus factum est, culpa non factum est mea. Quid facerem? neque servitio me exire licebat. Judæi, non adjutores, sed ut ita dicam, Coactores fuerunt. Quare cum culpam non contraxerim, ideoque & castigationem non commeritus fui. Lubens legi ac Imperatori cedo.

III. Post paucos deinde dies, tertio scilicet mensis *Nisan*, (martii) anni *1666*. cum *Visir Azem* ad bellum *Cretense* conficiendum proficisceretur. *Zabethai*, *Zevi*, *Abydum*, arcem ad *Hellespontum* munitissimam, in scenam tamen mox reproducendus, missus fuit. Et sicuti ex dolore accusatoris metus, sic ex gaudio stupor nunc Judæis injiciebatur. Quippe statum Reipublicæ considerantes, miraculo esse sibi imaginabantur, illum ab Imperatore Turcarum in vita conservari, qui ei regnum se velle adimere palam prædicaverat. Imo jactabant, Imperatorem non habuisse summam in *Sabethai Zevi* potestatem.

IV. Quare de novo animis resumtis, per mare, per terras ad *Dardanellas* currebant. Confluebant undique ad *Sabethai Zevi*, quasi ad commune Oraculum consulendum. Aderant cum impensis pretiis Judæi Germani, Poloni, Lusitani, Batavi, Itali, Transsylvani, aliarumque gentium sine numero, quæ salutato regi supplices offerebant. Hinc magnam au-

auri & argenti vim conflavit. Non minorem quoque *Abydi* Castelli Præfectus utilitatem in ea re fecit, qui visentem sine donis ad eum intromittere nolebat. Ex hac caussa major licentia eis concedebatur, impunesque ineptire pergebant.

V. Interea *Sabethai Zevi* aucta insolentia, mirusque animo increvit tumor; quippe tam pulchra conditio, non ultima regni felicitas videbatur. Post aliquot dies, edicto publicavit, ut more, institutoque Regum, diem illum, quo primum in lucem editus, veluti festum ac solennem per totum terrarum orbem Judaica natio coleret, ingeminatis votis ac precibus, quas eum in finem efformaverat, pro perenni Messiæ salute, prospero longa serie, insequentium annorum decursu, & frequentiori festivi hujus diei exortu. Dein Legatos mittit ad dispersos, qui majestatem regis divulgarent. Cupiens præterea originem suam extollere, honores ad tumulum matris, cum plena peccatorum remissione, decrevit. Mitto innumera, quæ non sunt hujus compendii, scilicet diversas literas ad gentem Judaicam exaratas, preces præscriptas, miracula plurima, quæ in carcere & extra eum patrata, spargebantur, Judæorum facta sine numero Constantinopoli, Smirnæ, Thessalonicæ, in Italia, Germania, Belgio, ad Dardanellas, Apparitionem uti dicebant, *Eliæ* Prophetæ, vitam & variam *Nathanis Levi* fortunam, aliaque infinita.

VI. Hæc cum nuntiata Judæis ubique essent, ex Polonia advenit *Nehemias Cohen*, Judæus doctissimus, cum *Sabethai Zevi* collocuturus: Inter hos, post trium dierum altercationes, non parva audiebatur indignatio. Quippe *Nehemias Coben* Messiam duplicem faciebat; unum Josepho illo prisco, Jacobi & Rachelis filio oriturum, qui *Nehemias Uzielis* filius, sive *Ben Ephraim* dicendus esset; infelicem hunc & ærumnis devotum ac cruentæ morti in prœlio obeundæ adversus *Gogum* & *Magogum*; alterum ex Davidis prosapia proditurum, *Ben David*, Israelitici regni vindicem, summam gesturum gloriam, dispersos Israelitarum congregaturum, per quem Messias Josephi filius ad vitam sit revocandus, postquam *Armillum* Deus, & universum *Armilli* exercitum igne & sulphure de cœlo emissis deleverit; asserebat se humilem illum & inglorium *Nehemiam Ben Ephraim*, *Sabethai Zevi* vero *Ben David*, Messiam illum splendidum & magnificum esse. *Sabethai Zevi* verens ne hæc opinio in publicum divulgaretur, & ne regni gloria deceptionis macula infuscaretur, respondit, *Ben Ephraim*, discipulum suum quem fuisse ajebat, modo mortuum, nec alium amplius restare. Hortatur suos, ut *Nehemiam Cohen* pro Messiæ hoste haberent.

VII. Propter quod, *Nehemias Cohen*, habito prius cum *Sabethai Zevi* inimicis consilio, simulat se Turcarum religionem amplexurum. Hinc quinto mensis *Elul* (Augusti) superstitionem Judaicam abjurat, quo nefas illud vindicaret. Deinde *Adrianopolin* profectus, totum *Sabethai Zevi* negotium exponit *Caimacano*, qui dignitate *Visiri* proximus, ut quam primum illud ad Imperatorem deferret, ne per immaturas Judæorum innoxiorum machinationes respublica quid detrimenti caperet, impostorque pœnas temere occupati regis tituli lucret.

VIII. Inter hæc indignatio omnium per totam Turciam erat, asservari in carcere planum improbissimum, Judæorum Messiam, in ludibrium legis Muhammedanæ, quæ hanc gloriam filio Mariæ cum Christianis tribuit. Accesserant etiam argumenta *Mufti*, summi Turcarum Sacerdotis, de probro e medio tollendo. Quare Imperator stipatus *Mufti*, *Caimacano*, *Vanli*, aliisque principibus viris, de repente *Adrianopolin* advectum interrogat, num Rex Judæorum, Messiasque novus esset? Respondebat timore perculsus, quod regni crimine insons, Legis Judaicæ doctor esset. Verum cum excusatio hæc non sufficeret, Imperator effectus miraculorum Messiæ exploraturus, jubet evaginato gladio, sagittave corpus Sabethai Zevi percutere, an exin invulneratus, inviolatusque viveret. Verens id de se ipso experiri, maluit sacris Turcarum initiari, imprimis cum per *Guidom*, Imperatoris medicum, ex Judæo *Musulmannum*, qui ob linguæ Turcicæ ignorantiam ei additus interpres, ad id vehementer incitaretur. Erat dies sextus decimus mensis *Elul*, anni Servatoris *1666.* cum per fidei confessionem publicam, sacramentum daret communioni Turcicæ, & propter quod cidari elegantissima ornaretur. In gratiæ monumenta quoque ab Imperatore *Azis Mehemet Aga* nominatus, simulque ad dignitatem *Capegi Bassa* promotus fuit. Sed nec *Sara* uxor melioris fidei adversus contribules fuit: quippe a viro sollicitata ad *Muammedismum*, accepto nomine *Fauma Cadin*, lubens paruit.

IX. Incredibile dictu est, quam statim fama hæc ad aures omnium penetraverit, quantum apud Christianos & Turcas fabularum atque ludibriorum fecerint Judæi, quam amaram & tristem vitæ

suæ

suæ conditionem rediderint, quam inanes ac stultas spes suas defleverint. Nondum tamen omnes de regno *Sabethai Sevi* uti tunc, ita ante paucos annos desperabant, qui adhuc credebant *Sabethai Zevi* esse verum Messiam, etiamsi certi essent, quod more, doctrinaque Turcarum viveret, addentes hoc inter maxima Messiæ documenta, ac Cabbalæ mysteria, Messiam, licet non religione Turcam, apud Turcas commorari debere, eadem ratione, qua Regina Esthera apud Regem Ahasverum absque sacrorum pollutione incontaminata mansit.

## CAPUT VII.

I. *Ann. Christi* 1682. *novus exortus Pseudo-Messus, nomine* Mardochai. II. *De quo Auctor certior redditus per Cl. Wagenseilium*. III. IV. *Ad quem Judæorum de eo scripta exhibentur*.

I. SUperest proximæ memoriæ nostræ, anni 1682. propudium, ac dedecus, Rabbi *Mardochai*, Judæus natione Germanus, ex urbe *Eysenstadt*, ab eruditione, & vita austera inter suos inclytus, imprimis vero a vaticinationibus sacris, quas ante annos quinque Pragæ, Nicolaiburgi, aliisque in locis, non sine populi Judaici acclamationibus, palam jactavit, cæterum acerrimus vitiorum fuit reprehensor, unde ei & cognomen *Mokiah*. Itaque elatior factus, se Messiam esse dixit, nec jam salutari, sed quasi adorati se jussit. Crediderunt ei Judæi, quotquot fere sunt in Italia. Plurimi quoque in Germania, licet ignorantiam simulent. Inventi tamen etiam sunt, qui graviter & libere recusaverunt. Ex Italia in Germaniam novus Messias reversus, iter Polonicum suscepit. Interim ex Rabbino intelligo, illum Pragæ hærere.

II. Religio mihi foret, nimis diu illa tacere, quæ ὁ πάνυ Wagenseilius, quo me studiosissimo Fautore uti maximæ mihi gloriæ duco, lubensque prædico, ad me de hoc nebulone nuper præscripsit: *Illud fortasse nondum tibi innotuit agere nunc rursus in media Germania impostorem aliquem, qui pro Messia se gerit, & qui non ita pridem in hac vicinia per dies aliquot commoratus est. Doleo hujus rei famam tardiuscule ad me pervenisse, nec nisi postquam alio versum jam discesserat, quippe ad videndum hominem ex longiore intervallo accurrissem. Qui eum intuiti sunt, referunt, esse virum forma egregia, ingentem severitatem vultu præ se ferentem, simulantemque cum Deo familiaritatem & colloquia*.

III. *Juvat autem tecum communicare, quæ de eo ad me perscripsis amicus mihi Judæus, qui ex Italia non ita pridem in Germaniam reversus est, cujusque suasu Pseudo-Messias profectionem in Italiam susceperat, summo honore ab omnibus ibi exceptus. Credo inquisitionis Ecclesiasticæ metus illud solum vertere planum hunc coegit, atque bene rebus suis consulunt Judæi Germani, quod negotium omne religiose celant. aut erga conscios saltem ita se gerunt, quasi nihili Messiam hunc faciant*. כי הידה יהודי אחד באשכנז ושמו רבי מרדכי מעיר אייזן שטאט עשה את עצמו לנביא ואחב אמר שהוא משיח והאמינו בו תאשבנזים וזה שנה אחת כתבתי לזה ר׳ מרדכי שיבא לאיטליא כי כך צוו עלי היהודים שם שגם הם היו רוצים לראותו וכאשר בא זה רבי מרדכי לאיטליא האמינו בו כלם שהוא משיח ועשו לו כבד גדול וכאשר בא לעיר מאריני שאני עמדתי קבלוהו כל היהודים שם בכבוד גדול והיו קורין אותו משיח.

IV. הלכתי גם אני אם לראותו וראיתי שהוא איש משוגע ובדקתיו וכברתי בו מעשה טומאה ומעשה כישוף מיד הלכתי ממנו לחוץ וחזהרתי לכל היהודים שלא יאמינו בו כי הוא שוטה ומבשף וכאשר שמעו היהודים כך חטילו שנאה עלי וחרקו עלי שניהם והיו לאכלנו וכיון שראיתי כך אמרתי לילך משם ושלא ארבר עוד על משיח בכן שלחוני בשלום ונתנו לי כתב יפה חנקרא אבשייר כמו שראה ארוני אצלי אמנם עשו תנאי עמי ואמרו שאם ישמעו עוד שאני מרבר רע על משיחם יסכימו כל היהודים ויתנו עדות עלי שאני עשיתי את כל הרעות מה שדברתי על משיחם וכיון שהלכתי משם חזרתי ודברתי רע על משיחם היו קצרת היהודים שומעים לרברי ולא האמינו עוד במשיח זה וכן עשיתי עד כי באתי לעיר שוואבך ביני וביני נשתצע משיח זה רברח מאיטליא עד פירד ומפירד לפולנייא בכן אמרו היהודים שבאיטליא שבשביל צער מה ששמע שדברתי רע עליו נשתצע וברח על כן הסכימו כלם כאחד לכתב על היהודים שבעיר אנשבאך כמה דברים רעים לגרשני ואמרו שאינו עון ביה יהודים למי שעושה לי רעה או מי שמעיד עלי עדות שקר או מי שגוזל אותי אשביל ששחתתי את משחם.

# DAVIDIS MILLII
## DISSERTATIO
## DE
# MOHAMMEDISMO
## ANTE
# MOHAMMEDEM.

I. **M**Ohammedanorum Religionem multis ante seculis apud Judæos, Christianos & Arabes Idlololatras dispersam viguisse, neque a Mohammede demum fictam, sed ex illarum gentium placitis & institutis conflatam esse, pauci in hac Literarum luce sunt, qui ignorent. Attamen non memini, aliquem ex professo quænam capita sui cultus & unde suffuratus fuerit, accurate docuisse. Pocockius, Hottingerus, aliique nonnulla duntaxat & leviter attigerunt. Quare operæ mihi facturus pretium videbar, si quæ præter ea, quæ Judæis surrepta ostendi *Oratione Inaugurali*, tum alibi tum e MS. Bibliothecæ Lugdunensis observassem, colligerem; atque ea ratione *Moammedismum* suo sensu *ante Moammedem* extitisse, idoneis testimoniis adhibitis demonstrarem.

II. Mohammed ipse, licet callide satis fuerit in hoc negotio versatus, tamen tantum ingenio & doctrina non valebat, ut ipse Religionem quæ tot Sectatores haberet, & tot regna perambularet, ex se fingeret & excogitaret: utpote qui inter rudes Arabes natus & educatus, & mercaturæ, quam etiam aliquamdiu exercuit, destinatus esset. Unde semet ipsum النبي الامي *Prophetam illiteratum*, sive *idiotam* vocare solet, Alcorani *Surata* VII. 158. 159. inter eos quippe versabatur, qui expertes Litterarum erant امة امية *gens illiterata*: quam phrasin Ebno'l Athir exponit: الكتابة كانت فيهم عزيزة اوعذيمة (Arabes tum temporis idiotæ vocantur) *quia* (literarum &) *scribendi artis rudes erant*. Ex quibus ipse originem traxit, unde *Surata* LXII. 2. هو الذي بعث في الامين رسولا منهم يتلو عليهم اياته ويزكيهم ويعلمهم الكتاب والحكمه وان كانوا من قبل لفي ضلال مبين *Ipse est* (Deus) *qui suscitavit inter Idiotas Legatum ex ipsis; narrabit ipsis signa ejus, & purificabit & docebit eos Librum* (Alcoranum) *& Sapientiam: cum antea manifeste erraverint*. Quæ proinde ætas الجاهلية *tempus ignorantiæ* vocari solet, de quo Ebno'l Athir: الحال التي كانت عليها العرب قبل الاسلام من الجهل بالله ورسوله وشرايع الدين *Status proprie est in quo erant veteres Arabes, sine cognitione Dei, ejusque Apostoli, atque constitutione fidei*. Confer quod ad phrasin *Actor.* XVII. 30.

III. Non ignoro insignem hunc impostorem, quæ natura negasset, divinitus sibi abunde donata jactavisse. A Deo se missum Legatum, qui verum Legis Mosaicæ & Evangelii sensum a Judæis Christianisque obscuratum & corruptum doceret, illustraret, atque quæ a superioribus Prophetis dicta essent, confirmaret, *Surat.* XXXII. 38. ita ut homines ejus beneficio e tenebris emergerent in lucem *Surat.* XIV. 1. & controversiæ in religione exortæ dirimerentur, *Surat.* XVI. 92. 93. & XXXV. 31. ob quam causam de cœlo demissus esset Alcoranus *Surat.* LXIX. 43. qui propterea الكتاب مبارك ما انزل الله *Liber benedictus quem Deus*

*misit* audit. *Surat.* III. 7. IV. 59. VI. 59. VI. 155. & تنزيل من رب العالمين *demissio a Domino Seculorum*. *Surat.* LXIX. 43. الكتاب المبين *Liber veritatem manifestans*. *Surat.* XLIII. 2. unde tanta esset Alcorani Sapientia, ut ne a Sapientissimis quidem similia excogitari & doceri possent, *Surat.* II. 23. 24. XI. 2. LII. 34. etiamsi ipsi Dæmones aut Genii Symbolas suas contulissent *Surat.* XVII. 89. قل لين اجتمعت الانس والجن علي لن ياتوا مثل هذا القران لا ياتون مثله *Dic etiamsi mortales omnes immo Dæmones convocarentur, ut Alcorano similem* (librum) *conscriberent; illud præstare non possent*. Quinimmo Mohammed ipse perhibet se Hierosolymam in Templum raptum esse, Alcorani *Sura* XVII. vs. I. سبحان الذي اسري بعبده ليلا من المسجد الحرام الي المسجد الاقصا الذي باركنا حوله لنريه من اياتنا انه هو السميع البصير *Laus illi qui transtulit servum suum noctu, a templo Al-Haram* (sive Meccano) *ad templum remotum* (Hierosolymitanum) *cui benediximus in circuitu ejus; ut illi signa nostra ostenderemus: ille enim est Auditor Inspector*: mox eum in Paradisum & septimum cœlum sublatum, & perpetuo Gabrielis Angeli commercio usum fuisse, Interpretes e libro السنة *Sonnæ* referunt in *Surat.* XVII. vers. I. vide etiam *Surat.* XVI. 102.

IV. Sed utut splendida sint, quæ jactet de Revelationibus Divinis Mohammed; falsissima esse, & callidorum hominum more conficta, ut Numæ Pompilii Egeriæ Nymphæ commercia jactantis, Lycurgi, Zamolxis & similium; qui ut institutis suis eo majorem auctoritatem conciliarent, Deorum ope & instinctu se usos gloriabantur. Ipsumque Alcoranum humani ingenii, nec satis acuti fœtum esse, manifesto apparet; tam inutilia enim vana & centies repetita, tam male consuta sunt, ut vix sanæ mentis homine digna videantur. Denique ita Paganorum, Judæorum, & Christianorum scrinia compilavit, ut si omnia suis Dominis restituantur, tanquam graculus Æsopicus, nudus fere relinquendus sit, quod e sequentibus patebit.

V. Primi quorum plumis se ornavit Arabes fuerunt, inter quos Mohammed natus & educatus est. Et quidem Tribus Koreischitarum; quæ tunc temporis & generis nobilitate, & rebus gestis nobilissima erat: quare اعياص appellabatur, quod est ab عيص *stirpis nobilitas*. Unde Beidavius ad Alcorani *Surat.* III. v. 165. كان من اشرف قبايل العرب *Fuit* (Mohammed) *e nobilissima Tribu Arabum*. Singularem quoque eadem tribus Religionis zelum sanctitatemque jactabat, quod sanctissimum templum Meccanum hic esset, quare etiam اهل الله *populi Dei* nomen merebatur. Vocabantur Koreischitæ etiam الحمس a حمس *constans fuit in religione*, quod religionis observantissimi essent. Ita enim Faik de Corischitis in MS. جاهلية العرب vocato: نحن اهل الله لسنا كساير اناس ولا خرجنا من حرم الله *Nos sumus populus Dei, non sumus sicut ceteri homines, non egredimur e circulo Dei* (templi Meccani.)

VI. Ab his multa accepit, quibus novam suam Religionem exornaret, ut popularium gratiam aucuparetur, eosque eo magis ad eam amplectendam invitaret. Suffragantur ipsi Arabes Scriptores. Ita enim Abul Feda وكانت الجاهلية تفعل اشيا جلت شريعة الاسلام *Veteres Arabes quædam faciebant, quæ deinde etiam Lege Mohammedis imperabantur*. In genere jus idem olim jam exercitum fuisse, inter Arabes ante Mohammedem, quod ab eodem nova Religione stabilita sancitum est, testatur Edhem filius Abi Elzara: وكان درب حكم في الجاهلية حكومة وافقت السنة في الاسلام *Jus quod Dereb* (est nomen Judicis) *pronuntiabat in Paganismo, cum Sonna* (Lege Mohammedis) *conveniebat*. Hinc Poeta in Carmine MS. Faik laudato, gloriatur:

منا الذي حكم الحكم فوافقت
في الجاهلية بسنة الاسلام

*E nobis fuit qui jus exercebat quod conveniret*

In

*In Paganismo, cum institutis Legis Muslimannæ.*

VII. In doctrina de Deo, plurimi quidem Arabum ante Mohammedem Idololatræ, qui plures Deos colerent fuerunt. Idololatriæ inter Arabes Auctor, in Libro *traditionum Mohammedanarum Traditione* quæ ita incipit : ويـقـال لن العرب كانت فيما غبر &c. perhibetur Ahmer quidam filius Lehje, qui doctrinam de uno Deo, quæ inde ab Ismaele viguerat, apud Arabes invectis ex peregrinis regionibus Idolis corrupisset, eaque extra Cabam collocavisset; quæ plane in Cabam induxisset Amrus Lahii filius e Kathani posteris unus: a quo tempore, ita auctus fuit Idolorum numerus ut Mohammed initio 360. Idola prope Cabam offenderit. Ita enim se habet Traditio in Al-Bocharii *Sonna* : دخـل النبي صلعم مكة يوم فتح وحول الـبـيت ستون وثلثماية نصب *Cum Propheta Meccam esset ingressus die expugnationis, vidit circa domum* (Cabam) *trecenta sexaginta Idola*. De Idolis Arabum vide Pocockium *Specim. Histor. Arabum p.* 95. *seqq.* & Hottingerum *Histor. Orient. Lib.* 1. *c.* 7. & *Archæol. Orient.* p. 5. quibus adde Idolum *Medan*, cujus ut & *Neser* frequens apud Poetas mentio, & Deum *Davvar* ita dictum, quod circumiri solemni religione soleret. Denique *Rebbi* & Saxum *Lath*, quod colebant incolæ urbis Taif: ita ut ex itinere redeuntes, id ante venerarentur, quam ad suos accederent, referente Faik. Perinde ut reduces ex itinere Romani Lares suos & Penates salutare solebant.

VIII. Attamen fuerunt quoque, qui ante Mohammedem unum Deum colerent. Talis erat Zeid filius Amer, de quo *Abu Bikr Muh. Ben Dureid*. in MS. كتاب الاشتقاق testatur, eum adorassa Deum relictis Idolis, atque de Idolothytis non pastum fuisse, quem etiam dixisse refert: ولا عـوزي أدين ولا بناتها ولا نميان بني عمرو أزور أربا واحدا الف اذا تقسمت الامور *Nec divino cultu Uzza prosequor, nec duas ejus filias* (Idola) *nec bina alia Idola filiorum Amer adeo honoris ergo; unumne colam an mille Deos re feliciter expensa?* Quin etiam decantatissimum Mohammedis Symbolum : لا اله الا الله *Non est Deus nisi unus verus Deus*, jam apud veteres Arabes in usu fuisse ibidem dicitur: eosque Mohammedem alloqui *Sura* XXXIX. 18. والذين اجتنبوا الطاغوت لن يـعـبدوها وانابوا الـى الله لهم البسري فبشر عباي *Qui Idola cultu Divino prosequi declinarunt, seque ad verum Deum converterunt, hi Evangelium* (audient:) *Annuncia ergo servis meis læta*, Commentatores Alcorani præstantissimi perhibent. Quid quod etiam Polytheismum veterum Arabum excusare nonnulli volunt, quasi unum quidem summum Deum credidissent, ceteros vero Deos, duntaxat minorum gentium, Administros atque Satellites summi Dei, qui ejus familiari consortione fruerentur. Perinde atque Græcorum Philosophi recentiores, ob illam incredibilem Deorum multitudinem exagitati a Christianis, quo se suamque religionem quantum possent defenderent, unum modo *Deum Deorum* statuebant, reliquam Deorum turbam amicos ejus & Ministros subesse unius imperio. Ita sentit de Arabibus Pocockius *Specim. Histor. Arab. pag.* 108. ubi e Scharestanio hanc eorum formulam Deum prædicantium affert : لبيك اللهم لبيك لبيك لا شريك لك الا شريك هو لك تملكه وما ملك *Cultui tuo me trado, o Deus cultui tuo me trado. Non est Tibi socius nisi socius quem tu possides; & simul quicquid ille possidet*. Ob quam rationem eosdem Arabes المشركون *associantes* vocare videtur Mohammed, quod uni Deo socios, e minorum Deorum grege addant, quemadmodum id ita exponunt Alcorani Interpretes ad *Surat.* II. 105. & *Sur.* III. 96.

IX. Præter Deos etiam Genios sive Dæmones crediderunt Arabes, ante Mohammedis tempora malos inprimis: *Genios Nisibienses* جن نصيبين e Nibi urbe, memorat Gelal ad Alcorani *Sur.* LXXII. vs. 1. In aliqua traditione mentio fit *Saali* السعالي, quod genus esse dicitur *Dæmonum Sylvestrium*. Faik in MS. جاهليت العرب addit : لن في الجن

الجن شحرة كسحرة الانسان *Esse præstigiatores inter Dæmones, sicut præstigiatores sunt inter homines:* quos & loca deserta & solitudines inhabitare inprimis credebant. Unde iter per deserta facientes, hac formula se Genio solitudinis Domino commendare solebant: اعوذ بسيد هذا الوادي *Confugio ad Dominum hujus vallis Averruncum*: quo respexisse autumant Mohammedem Alcorani *Sura* LXXII. 6. وانه كان رجال من الانس يعوذون برجال من الجن *Et quidam ex hominibus fuerunt, qui ad Genios confugerent.* Eadem sententia Græcorum quoque erat, vagari in desertis locis *νύμφας νομάδας καὶ δαίμονας*: vide Plutarchum de *Orac. defectu* pag. 421. Attamen etiam Rabbini gemina docere solent. Ita enim in ליקוטי זוהר *Part.* III. תהו אתר דמדברא דלית תמן מדורה דבני נשא שריין רוחין שידין ולילין בגין דתמן מדורי' דלהון: תהו *locum desertum* ( denotat ) *quem homines non incolunt, sed ubi mali Spiritus Dæmones, & striges vagantur: ibi enim illorum sedes est:* & R. Menachem Rekanatensis in פירוש על התורה pag. מקומם הוא בחרבה *Sedes eorum* ( dæmonum ) *in solitudine est.* Veteres Arabes ejusmodi Dæmonibus in primis sacrificia obtulisse dicuntur, ut iis propitiis fruerentur: quæ sustulit Mohammed referente Faik in MS. laudato: ونهي النبي عن ذبيح الجن *Interdixit Propheta sacrificia Dæmonum.* Plane eadem ratione, qua Dæmonibus præsertim apud gentiles immolatum docet Porphyrius, de *Abstinent. Animal. Lib.* II. §. 58. Ὅτι δὲ οὐδὲ θεοῖς ἀλλὰ δαίμοσι τὰς θυσίας τὰς διὰ τῶν αἱμάτων προσήγαγον οἱ τὰς ἐν τῷ παντὶ δυνάμεις καταμαθόντες, καὶ τοῦτο πεπίστευται παρ' αὐτῶν τῶν Θεολόγων. *Quod vero non Diis sed Dæmonibus cruentas victimas obtulerint, qui in hoc universo potestates cognovissent, ab ipsis Theologis confirmatur.* Hinc accepisse inprimis Mohammedem putem, quæ toties de Geniis in Alcorano commemorat; licet etiam plurima e Rabbinorum dogmatibus hauserit, quod ex iisdem de Geniis fabulis infra commemorandis ad oculum patebit.

X. Resurrectionem plurimi quidem Arabum, aut in dubium vocabant aut aperte negabant: unde ea de re dubitantes introducuntur Alcorani *Surat.* XVII. 50. وقالوا اذا كنا عظاما ورفاتا انا لمبعوثون خلقا جديدا *An cum fuerimus ossa & tenuis pulvis, an suscitandi sumus creatione nova?* quam objectionem etiam adfert *Surat.* XIX. 63. XXXVI. 78. & XXXVII. 16. eamque solvere conatur. Maxime autem resurrectionem adversus eosdem probat *Surat.* LXXV. cujus inscriptio est القيمة *resurrectio*, ubi varia pro resurrectione argumenta cumulat. Principalis illorum difficultas fuisse videtur, quod fieri non posse censerent, ut ossa defunctorum tandem corpori redderentur vita prædito, cum eadem in noctuas converti crederent: ita enim Poeta:

فليس الناس بعد في نير
وما هم غير اصدع وتهام

*Homines post mortem nihili sunt,*
*Neque enim aliud sunt, quam bubones & noctuæ.*

Nihilominus tamen fuisse videntur, qui etiam hac de re melius, sive per traditionem, sive per Judæos Christianosque edocti, jam ante Mohammedem postremum judicium & defunctorum resurrectionem crederent: ex qua opinione fiebat, ut ad sepulcra بليات *camelos alligarent absque cibo & potu;* quo ea ratione mortuo, & vitæ reddito, homo in resurrectione more Arabico equitaturus esset, referente Ebnol Athir ubi vocem بلية exponit: sed teste Abul Farajio de *Origine & moribus Arabum*, camelus super sepulchrum defuncti jugulabatur: وكان فيهم من يقول بالمعاد ويعتقد انه من نحرت ناقته علي قبره حشر راكبا ومن لم يفعل ذلك حشر ماشيا *Inter veteres Arabes etiam erant qui resurrectionem mortuorum agnoscerent, asserentes si Camelus defuncti super sepulchrum mactatus fuerit, ipsum, cum ad Judicium excitatus esset Camelo inequitaturum esse: secus autem qui fecerit, peditem futurum.*

XI. Templum Mohammedanorum sanctissimum Meccæ est in Mohammedis patria, quo solemnes pereginationes instituuntur, ut inter omnes constat. Illud tamen templum multis ante Mohamme-

medem Seculis, ut بيت العتيق *domus antiqua*, præcipua religione ab Arabibus colebatur, qui ideo عبيد الكعب servi *Cabæ* vocari amabant: de Abu Becro Mohammedis succeslore hoc memoriæ prodidit Al-Kodaius: كان اسمه في الجاهلية عبد الكعب *Nomen ejus tempore ignorantiæ* (ante Mohammedismum) *erat Servus Cabæ*. Quin etiam ab Adamo Cabam (ædem in medio templi Meccani, كعبة *Cabam* a forma quadrata appellatam) ad domicilii exemplum exstructam, quod in cœlo viderat, ad quam se inter orandum converteret referunt. Eandem domum per diluvium destructam (alii in cœlum Diluvii tempore receptam narrant) restaurasse Abra-hamum cum Ismaele filio: inde cura singulari religiosorum hominum usque ad Mohammedis tempora conservatam, teste Scharestanio: sed Zamchascerio referente Adamus quadragies se ex India Meccam contulit, ubi tum temporis templum illud fuisset. Ita enim Zamchascerius: وحج ادم اربعين حجة من ارض الهند الي مكة على رجليه فكان علي ذلك الي ان رفعه الله ايام الطوفان الي السما الرابعة فهو البيت المعمور ثم ان الله امر ابراهيم ببناه وعرفه جبرييل مكانه وقيل بعث الله سبحانه اظللته ونودي ان ابن علي ظلها لا ترد ولا تنقص -- وجاء جبرابيل بالحجر الا سود من السماء *Adamus quadragies pedibus ex India Meccam petiit* (templum visitaturus) *quod ita permansit donec tempore diluvii in Cœlum reciperetur: & hæc est domus visitata* (quam Angeli & homines invisere solent (*Deinde autem Deus Abrahamo præcepit, ut aliam* (ejus loco) *exstrueret. Atque Gabriel locum indicavit ubi prior fuerit. Alii referunt Deum exemplar* (templi exstruendi) *demisisse, simul etiam Abrahamo præcepisse, ut juxta illud ædem ædificaret, neque aliquid adderet, aut demeret. - - Gabrielem vero in ejus ædificium nigrum lapidem e Cœlo attulisse*. Tanta etiam hujus Templi ante Mohammedismum erat sanctitas, ut Asyli loco eo confugientibus esset: referente enim Al-Bochario in *Sonna*, facinus impium & atrox erat, alicui necem aut injuriam hoc in templo inferre.

XII. Hanc ædem Mohammed remoris veteris Idololatriæ reliquiis, nova religione consecravit, quod tanta vetustate eam sanctitatem accepisse videtur, ut merito etiam Mohammedanis venerationi esset. Revera autem eo consilio locum eundem veteri Religione sacrum, suos frequentare jussit, ne Arabum a sua religione animos alienaret, sed potius sibi redderet obsequentiore, utpote Sacratissimo loco exerceretur. Hinc pristinam hujus ædis sanctitatem nova Lege stabilivit *Sura v. v. 106.* & omnes in hoc Fano versantes tanquam in Asylo sartos tectos esse voluit, in Alcorani *Surat.* III. 97. ومن دخله كان امنا *Qui ingressus fuerit illam* (ædem) *erit securus*. Quæ Gelal ita exponit: لا يتعرض عليه بقتل وظلم او غير ذلك *Sartus tectus erit a cæde & injuria, aliisque hisce similibus damnis*. Ex eadem ratione ritum etiam ante sua tempora observatum, Cabam septies circumeundi retinuit, id modo immutasse contentus, ut tres priores circuitus *citato fierent gradu* بالسير السريع atque humeris agitatis: quatuor autem posteriores *gradu usitato*, علي هيئته. Ita Ebno 'l Athir رمل الطواف هو الذي امر به النبي اصحابه *Properatio quam observant* (templum Meccanum) *circumeuntes illa est, quam Propheta sociis suis præcepit*. vide V. Cl. Pocokium *Specim. Histor. Arab. p.* 313. 314. Deinde ut id vestibus amicti facerent, quod olim depositis vestibus nudi fecissent, ita peccata deposita velle significaturi. Referente enim Faik in MS. جاهلية العرب his utebantur verbis: هذه ثياب قارفنا فيها الاثام فلم نعود فيها وسيمونها القاء *Hæc sunt vestimenta in quibus peccata commisimus, non revertemur in illis: vocabantque ea rem abjectam*. (ἀπόβλητα conf. Jes. LXIV. 5. ככגד עדים כל־צדקתינו.) Indutos autem idem peragere jussit Mohammed *Alcorani Sur.* VII. 27. يا بني ادم قد انزلنا عليكم لباسا يواري سواتكم

سوآتكم *O filii Adam demisimus super vos vestes, quæ nuditatem vestram tegerent*, & *ib. com.* 32. يا بني ادم خذوا زينتكم عند كل مسجد *O filii Adam, accipite ornatum vestrum, prope omne delubrum*, ubi Alhasanus: كان اهل الجاهلية يطوفون بالبيت *Veteres Arabes circuibant templum nudi.*

XIII. Retinuit quoque faciem ad Cabam convertendi inter preces consuetudinem, quæ itidem inde a vetustissimis temporibus observata fuerat in Paganismo: nam referente Scharestanio ipse Adamus preces fusurus faciem Cabæ obvertit. Sed notari meretur, primis hujus novæ Religionis temporibus, ut faciem oraturi versus Hierosolymam Judæorum more converterent, imperatum fuisse: mox vero cum id difficulter observari, & obstacula cultui suo poni animadverteret, ad pristinam consuetudinem redire permisisse, ut ita ea conversio قبلة versus Cabam fieret. Ita enim Abul Farajius وفي هذه السنة صرفت القبلة عن جهة المقدس الي جهة الكعبة *Eodem anno* (secundo cum Mohammed fuisset (*Keblah* (sive cœli plaga, cui inter orandum facies est obvertenda) *mutata est ab ea cœli parte, quæ Templum Hierosolymitanum respicit, ad aliam Cabæ proximam*. Et referente Gelal: لما هاجر امر باستقبال بيت المقدس تالفا لليهود ستة او سبعة شهرا ثم حول *Cum* (Propheta) *se Medinam recepisset, suis præcepit, ut Judæorum more se ad templum Hierosolymitanum converterent* (preces fusuri,) *atque ita sex vel septem menses oravit. Deinde vero ritum hunc mutavit.*

XIV. Ipsa sacra illa *Peregrinatio* حجة & حج appellata, quam quotannis Meccam instituendam suis Mohammed præcepit, multis ante Seculis in usu fuerat: eamque ob eam causam retinuit Mzhammed, quod a Deo Abrahamo & Ismaeli (alii addunt ipsi Adamo) esset imperata: re autem vera callido consilio, ut eo gratiora redderet veteribus Arabibus sua placita, præcipua antiqui cultus parte conservata. Ita Auctor كان الحج من [: نشق الازهار] عهد ابراهيم واسمعيل ابدا في عاشر ذي الحجة *Ab Abrahami & Ismaelis tempore, confluxus peregrinantium erat die decimo Dul Hajiah*. Abrahamo nempe Gabriel Angelus ostenderat omnes illos ritus. Ita Alhasanus: جبراييل عم اري ابراهيم المناسك كلها حتي اذا بلغ الي عرفات *Gabriel* p. m. *Abrahamo omnes ritus ostendit Religionis, donec in Araphat pervenisset*; ubi Abrahamus dixisse fertur, se hosce ritus a Gabriele didicisse. Et Alscharestanius وكانوا يحجون البيت ويعتمرون ويحرمون ويطوفون بالبيت اسبوعا ويسعون بين الصفا والمروة و كانوا يلبون الا ان بعضهم كان يشرك في تلبيته في قوله الاشريك هو لك تملكة وما ملك ويقفون المواقف كلها وكانوا يهدون الهدايا ويرمون الجمار ويحرمون الاشهر الحرم فلا يغيرون ولا يقاتلون فيها الا طي وخثعم وبعض بني الحرث بن كعب فانهم لم يكونوا يحجون ولا يعتمرون ولا يحرمون الاشهر الحرم ولا البلد الحرام *Peregrinantes petebant ædem* (Meccanam,) *eamque religionis ergo invisebant, se cum in finem consecrantes: ædem præterea septies circuibant, inter Safam & Mervam currentes, Deo se morem gerere* (significabant,) *exceptis nonnullis eorum Deo Socios* (administros (*jungentibus: qui* (non est Tibi Socius) *inquiebant, nisi Socius, quem Tu possides, & simul quicquid ille possidet; omnesque stationes obibant, donaria etiam offerebant, & lapides conjiciebant, menses sacros faciebant, quibus nefas erat alios hostili animo, aut bello aggredi. Excipiendæ tamen hic sunt Tribus* Tai & Cathaam, *quidam etiam ex* Al-Harethi Ebn Caabi *posteris, qui nec peregrinationes susceperunt, neque visitarunt* (Cabam) *aut menses sacrarunt, neque Meccam pro loco sacro habuerunt*. Vid. Pocokius *Specim. Histor. Arabum p.* 312. ubi erudite ut solet observat, Mohammedem eosdem veterum Arabum ritus Alcorani auctoritate sanxisse, & اركان الاسلام ومبانيه *e columnis & fundamentis Mo-*



bam-

*hammedismi esse voluisse*. Quin & ipsum Mohammedem memoratas ceremonias in solemni Peregrinatione Meccana observasse, liquet e Narratione *Gjaberi*, quæ affertur a Cl. Gagnier in notis doctissimis ab Abul-Fedam *de vita Mohammedis p.* 130.

XV. Denique lapillos conjiciendi ritum in valle Mina, quem peregrinantes observare solent, etiam ante Mohammedem obtinuisse Alsharestanius aliique fatentur, inde ab Abrahamo derivatum, qui diabolum sibi occurrentem lapidum jactu in fugam conjecisset. Lapides vocantur العقبة *quia retrojaciuntur inter crura sub genitalibus*. Illum ritum recte observavit vetus aliquis Scriptor multum diuque olim cum Saracenis versatus, jam olim celebratum in Veneris honorem; quemadmodum etiam servatus esset a Mohammede, qui duntaxat pudenda tegi jussisset: ex quo hæc refert Vincentius Bellovacensis *Lib.* XXIV. *Speculi Historialis*: *Hæc igitur consuetudo* ( lapides projiciendi ) *cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamque suo tempore apud Meccam in honore Veneris Machomet celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen ceteras Idololatriæ præstigias removisset. Illud vero soli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retro, id est, sub genitalibus membris projicerentur, eo quod Venus illis maxime partibus dominetur*.

XVI. Circumcisionem jam ante Mohammedem apud Arabes obtinuisse, nemo est hodie qui ignoret. Ab Ismaele eam repetunt ipsi Mohammedani, quare etiam, licet non semper anno ætatis tertio decimo, quo Ismael circumcisus est, sed annis proxime antecedentibus, & sequentibus circumcidere suos solent, Ebn'ol Athir: كانوا يختنون لسن معلومة فيما بين عشر سنين وخمس عشر *Solebant, circumcidere certa ætate, decimum inter, & decimum quintum ætatis annum*: quo ætatis tempore, ad interrogata respondere & fidei suæ professionem edere queant, celebri illa formula: لا اله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus nisi Deus ille, & Mohammed Ejus legatus*. Opiparo etiam convivio dies iste celebrari solet, quemadmodum Abrahamus diem, quo Ismael circumcisus est, celebrasse legitur: histrionibus & mimis adhibitis. vide Bobovium a Thoma Hyde editum, de *Turcarum circumcisione p.* 23. Est autem inter Judaicam & Mohammedanam id discriminis, non modo quod illa hac multo sit difficilior, utpote in qua פריעה *ut unguibus omne præputium discerpatur*, requiritur: cum hæc simplici partis alicujus præputii abscissione sit contenta; ut ipsi Magistri docent, in Gem. Hierosolym. יבמות fol. IX. c. I. & in חולין fol. CXXXVII. c. 2. sed etiam in eo discrepantia est, quod Mohammedani fæminas quoque circumcidant, quod خفض vocare solent, veterum Arabum more, quorum *fæminas ut apud Judæos mares circumcisas*, Ἰουδαϊκῶς ἐκτετμημένας memorat Strabo *lib.* XVI. qui idem quoque Ægyptiis in usu fuisse docet *Lib.* XVII. eos nempe καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν & feminas circumcidere. Eandem consuetudinem Mohammedanorum esse, jam observavit Cedrenus, qui de Mohammede: ἐδίδαξεν αὐτοὺς περιτέμνεσθαι καὶ ἄνδρας καὶ γυναῖκας, *docuit eos ut mares & feminæ circumciderentur*.

XVII. Rituum cæterorum etiam Mohammedanis solemnium observatio erat religiosa apud veteres Arabes: frequentissime lavabantur, quod inter mores Arabum veterum refert Abul-Feda وكانت الجاهلية تفعل اشيا جلت شريعة الاسلام لها — وكانوا يداومون علي المضمضة والاستنشاق وفرق الراس والسواك *Arabes olim quædam faciebant, quæ deinde etiam Lege Mohammedis imperabantur ---- Accurate etiam observare solebant Gargarizationem* ( oris ablutionem ) *Narium aqua attracta purgationem, capillorum discrimina, & dentium fricationem*. Jejunandi consuetudinem jam ante quoque gentibus imperatam, apparet ex Alcorani *Sura* II. *c.* 184. يا ايها الذين امنوا كتب عليكم الصيام كما كتب علي الذين من قبلكم لعلكم. *O qui crediderunt, scriptum est super vos jejunium quemadmodum scriptum fuit illis, qui fuerunt ante vos*. ubi Zomchascerius. علي الانبياء والامم من لدن ادم الي عهدكم *Prophetis & gentibus, quæ fuerunt ab Adamo usque ad tempora vestra*. Plura tamen sanxit Mohammed in his ritibus, quæ Judæos observare intellexerat,

rat, quod ex infra memorandis apparebit manifestime.

XVIII. Jurisjurandi ingens olim Arabibus erat religio, quo intercedente & fœdera sanciebant, & jus pronuntiabant. Id quod memoriæ prodidit Faik in MS.

اذا : جاهليت العرب وجد قتيل فيها لا يعلم قاتل يقسم من الحكوم خمسون مهم ليس فيهم مجنون ولا صبي ولا امراة ولا عبد والوفي اقسمهم ان يقولون بالله ما قتلنا ولا علمنا قاتل فاذا قسموا قضي علي اهل المحلة بالدية *Si* (quis) *inveniretur occisus in illo* (urbis vico) *nec notum esset quis occiderit eum, decreto exigebatur jusjurandum a quinquaginta hominibus, inter quos non esset fatuus, puer mulier aut servus. Tunc propinquus rem totam absoluturus eos juramento obstringebat, ut dicerent: per Deum, nos non morte affecimus, nec scimus quis cædam fecerit: quo peracto propinquus decernebat, ut illum vicum inhabitantes piaculum cædis solverent.* Ignem etiam accendere solebant, conjecto in eum sale & sulphure, tali ratione perjurium puniendum esse indicantes. Hinc ignis ille vocabatur هولة ab هال *terruit, quod injecto sale & sulphure jurantem terrefaceret*, referente Abul Casim Said Ben Ahmed in MS. de *Veterum Arabum Religione*, & Giggejo *Thesauri Linguæ Arabicæ*, *vol.* IV. voce هال. Quemadmodum Romani in fœderibus aut alias jurantes lapidem projiciebant, hac addita formula: *Si sciens fallo, tum Diespiter salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem*, quod erat Jovem lapidem jurare; vide Festum. Eam jusjurandi consuetudinem ab Arabibus ad Mohammedanos permanasse, auctor est Hasau laudatus in MS. : جاهليت العرب القسمة جاهليت وتقرر الاسلام لها *Modus ille jurandi derivatur a Paganismo, atque religione Islamitica confirmatus fuit.*

XIX. Ab Arabibus veteribus manavit itidem insignis illa diei Veneris religio, quam alii a fuga Mohammedis quæ eo die accedit, frustra repetunt. Vetustissimis Arabibus magna olim Dea erat Venus, quam Alittam Arabice اللات vel الهة *Deam* appellabant, atque sacrificiis colebant Herodoto teste *Lib.* I. *cap.* 131. vide de ea egregie disserentem V. Cl. Procockium, *Specimin. Histor. Arabum p.* 89. & quæ Dissert. de *Gad & Meni* §. XI. observavimus. Eadem كبر iisdem h. e. *magna, excellens* appellabatur, ut docet Damascenus de *Arabibus*: *Hi quidem Luciferi Astri atque Veneris, quam Chabar sua lingua appellant, simulacra palam coluerunt, usque ad Heraclii tempora*; immo Bachum cum Venere Urania, quam etiam *Alilat* vocabant, solum Deum credebant, teste Herodoto *Lib.* III. *cap.* 8. Inde factum est, ut magnæ illius Deæ diem præcipua religione colerent, eamque hac ratione plurimum demereri conarentur. Eandem consuetudinem retinuit Mohammed, hinc die Veneris quem يوم جمعة vocat, negotiis quotidianis relictis Sacris vacant; ita præcipiente Alcorano, *Surata* LXII. 9.

يها الذين امنوا اذا نودي للصلوة من يوم الجمعة فاسعوا الي ذكر الله وذروا البيع *O qui crediderunt, quando ad preces vocant die Veneris, festinate ad celebrandum Deum, & mercaturam relinquite.* Inde est quod dies Veneris Mohammedanis vocetur خير يوم طلعت عليه الشمس *dies præstantissimus quem Sol illustravit.* Eleemosynas dandi consuetudinem ab Arabibus etiam derivarem, qui referente Gelal, ex segetibus & pecoribus نصيبا الضيفان والمساكين *partem unam hospitibus & pauperibus dabant*; nisi plerisque in rebus plane cum Rabbinorum institutis convenirent Mohammedanorum dogmata, ut infra videbimus.

XX. Suillæ comestione, quod tam religiose abstinent, originem ex Judaismo trahere videretur, quibus Suillæ esus tam graviter a Mose interdictus: nisi e Veterum monumentis constaret Arabes ante Mohammedem itidem religiose a Suilla sibi cavisse. Solinus de Arabibus Cap. XXXIII. *Suillis carnibus prorsus abstinent. Sane hoc animalis genus, si invectum illo fuerit, moritur illico.* Immo etiam Saracenos suo adhuc tempore eadem religione carnem Suillam repudiasse, memorat *Libr.* II. in Jovinianum *Cap.* VI. Hieronymus his verbis: *Hinc fas*

*fas arbitrantur* porcorum vesci carnibus. *Sues enim qui glande, castaneis, radicibus filicum, & hordeo ali solent, aut raro apud eos, aut penitus non inveniuntur, etsi inventi fuerint, alimenta non habent, supra diximus.* Quid igitur cogitatu proclivius, quam & hac in re veterum popularium consuetudinem sequi voluisse Mohammedem?

XXI. Invaserat Arabiam quoque Zabæorum seu *Sabiorum* idololatria, qui illud nominis accepisse videntur a צבא השמים *sideribus cœlestibus*, quæ venerabantur, ut docuerunt Pocockius *Specim. Histor. Arabum p.* 129. & Hyde *de Religione vet. Pers.* c. III. *p.* 57. Licet alii eosdem Zabæos cum Sabiis perantiqua Arabum gente credant, a סבא Chusi filio denominata. vide Bochartum *Geogr. Sacr. Lib.* II. *cap.* 26. & Jobum Ludolphum *Comment. ad Historiam Æthiop.* Zabæorum idololatria referente Maimonide in מורה נבוכים *Part.* III. *c.* 23. a vetustissimis temporibus, totum fere Orientem peragraverat, immo terrarum Orbem. Inde a Setho religionem suam derivabant, & multa jactabant de *Libro Sethi* & *Enochi*, quo religio eorum contineretur. Kessæus Arabs:

وادريس عليه السلام اول من خط بالقلم بعد انوش ابن شيث ابن ادم عليه السلام ثم علمها ادريس لولاده وقال لهم يا بني اعلموا انكم صبيون — ولم يزالوا يتوارثونها من صحف شيث وادريس الي زمان نوح والي زمان ابرهيم *Edris* (ita Enochum appellant) *super quo pax, primus fuit qui post Enos filium Sethi filii Adami, super quo pax, calamo scripsit. Hoc ipsum postea Edris filios suos docuit, iisque dixit: O filii scitote, vos esse Zabæos. --- Nec cessarunt hereditario jure libros Sethi & Edris possidere inter se invicem, ad Noachi usque & Abrahami tempora.*

XXII. Sæpius Zabæorum in Alcorano mentionem facit Mohammed, ut *Surata* II. 61. ان الذين امنوا والذين هادوا والنصاري والصابين من امن بالله واليوم الاخر وعمل صالحا فلهم اجرهم عند ربهم *Certe qui crediderunt, & qui Judæi sunt, & Christiani & Sabæi, quisquis horum in Deum crediderit, & diem novissimum rectumve fecerit, illis merces erit apud Dominum suum*: vide & *Surat.* v. 78. XXII. 17. Mea sententia, omnia quæ a Maimonide atque Scriptoribus Mohammedanis, de Zabæis eorumque antiquitate feruntur, incerta sunt atque e Libris fabulis refertis petita. Maimonides vix ac ne vix quidem fidem hic meretur, ob rationes Dissert. de *Commutatione vestium utriusque sexus prohibita*, Deuteron. XXII. 5. §. XXV. allatas, quem tamen pleque sequuntur. Illa saltem gens quæ Zabæorum nomine in Alcorano occurrit, non diu ante Mohammedem orta, & multa dogmata cum Arabibus Judæis & Christianis communia habuisse videtur: cum jam diu ipso Maimonide teste in מורה נבוכים *Part.* III. *c.* 49. veterum Zabæorum opiniones & sectæ intercedissent. Zabæi præterea qui Mohammedis tempestate in Arabia viguerunt Historias nugaces, & fabulis in Alcorano similes, de Adamo, Setho, & Abrahamo profitebantur, ritus quoque nonnullos in Alcorano imperatos observasse feruntur. *Ter quotidie orarunt, frequentes lotiones, jejunium* 30. *dierum: Suillæ & animalium impurorum aversionem, divortium nonnisi jubente Magistratu faciendum* esse, sibi præscripserunt: quod memoriæ prodidit Scheherestanensis in كتاب الملل والنحل *de variis mundi religionibus Christianismo, Judaismo, Zabæismo* &c. Videri igitur posset ab illis itidem nonnulla in suam Religionem Mohammed transtulisse: nisi ipsi Zabæi hæc e Judæorum Sacris mutuati essent: proinde ea potius Judaismo vindicanda erunt.

XXIII. Præter Idololatras, Christianismus quoque in Arabia vigebat. Ebn Calican tres Arabum tribus Christianismum amplexas refert: Bahra, Tanuch & Taglab: Auctore vero Libri المستطرف florebat Christianismus in Tribubus Rabiæ & Gassan. Taitæ quoque in Provincia Nagjd Hegjazi, inter montes Agja & Salma habitantes Christianismum profitebantur, Auctore Abu'l Feda de *Arabum Tribubus*: quin immo Arabiæ Rex Almondar Christianam Religionem susceperat, atque templa Christianis exstruenda curabat, Abul Feda auctore in *Geographia* وبها تنصر المنذر بن امرء القيس وبني بها الكنايس العظيمه *Et in ea* (urbe Hiræ) *fidem Christianam amplexus est Al Mondar Ebn Amriil Kaisi, atque magna templa in ea exstruxit.* Episco-

copi etiam conſtituebantur, referente Safioddino. Eorum inprimis qui Neſtorii aut etiam Eutychis ſententiam ſequebantur ingens multitudo ab Orthodoxis exagitata ſe in Arabiam, tanquam Aſylum receperat: adeundus eſt Celeberrimi nominis Vir La Croze, ſingulare Antiquitatis & Linguarum præſidium & ornamentum, *Diſſert. Hiſtoriqu. pag.* 12. & alibi ibidem. Medinæ plurimos incolas Chriſtianos fuiſſe docet Schareſtanius: quinimmo Albochario teſte, erat uxori Mohammedis Chadigæ cognatus aliquis *Warakah*, qui Chriſtianus erat.

XXIV. A Chriſtianis multa Mohammedem accepiſſe, vix negari poſſe crediderim. Ipſi Mohammedani Alcoranum Evangelio ſimilem prædicant, quod Abdo'l-Bakides in *Hiſtoria Habeſſinorum Part.* II. *cap.* 2. de Gjafar Mohammedano refert, eum coram Nagjaſchio ſive Æthiopum Rege (apud veteres Arabes enim Rex Æthiopiæ vocabatur Nagjaſchi, ut Reges Ægypti Pharaones) dixiſſe: وامنا به ومعه كتاب كريم مثل كتاب عيسي بن مريم موافقا به *Nos in Illum* (Mohammedem) *credimus: habet enim ſecum Librum glorioſum, ſimilem Libro Iſæ* (Jeſu) *filii Mariæ, qui cum illo conſentit.* Chriſtiano Magiſtro ad confuendam ſuam Religionem uſum fuiſſe Mohammedem, non modo vetus Chriſtianorum confirmat traditio; verum etiam apud Meccanos vivo Mohammede eadem erat ſuſpicio. Ita enim objicientes Mohammedi introducuntur *Sur.* XVI. 103. انما يعلمه بشر *Profecto docet eum homo*: ubi Gelal: وهو قين نصرانى كان النبي يدخل عليه *Erat hic Chain Chriſtianus, cujus ædes Mohammedes frequentabat.* Magiſter ejus *Bahira*, *Neſtorius* vocatur Monachus Boſrenſis in Syria Damaſcena, e cœnobio Abdo'l Kaiſi. Georgius Monachus in *Dialogo cum Abu-Salama Principe Arabe* وذرون بسفرة الي بيت المقدس واضاف برجل نصراني تابع مذهب نسطور اسمه بحيرا فلما استخبره ذاك عن مذهبه ودينه ولما علم بحيرا انه من تلك القبيلة رق علي سبيل الالفة والمودة فافاده المعرفة بالله وتلي عليه فصول من الانجيل والتوراة والزبور (Mohammed) *cum proficiſceretur Hieroſolymam, offendit hominem Chriſtianum Sectæ Neſtorianæ, cui nomen erat Bahira. Cum vero* (Mohammed) *ex eo expiſcatus eſſet cujus eſſet Sectæ, & quam religionem profiteretur; & Bahira percepiſſet eum* (Moammedem) *eſſe ex illa Tribu* (Koreiſchitarum) *miſeratione & amore ductus, eum juvit, atque cognitione Dei imbuit, illique aliquot capita Pentateuchi, Evangelii & Pſalmorum prælegit.* Quem Bahiram teſtimonio ſuo ornaſſe aliquando, memorat Abul Farajius Pocokii *pag.* 8. quaſi ita eſſet de Mohammede adhuc puero ominatus: سيكون من هذا الصبي امر عظيم ينتشر ذكره في مشارق الارض ومغاربها فانه حيث اشرف اقبل وعليه غمامة تظلله *Futurum eſt ab hoc puero magnum aliquid, cujus fama per Orientem & Occidentem ſe diffundet: nam cum appropinquaret, nube obumbratus apparuit.*

XXV. Idem luculenter ipſa Mohammedis de Chriſto opinio oſtendit. Chriſtum magni quidem facit, & honorifice de eo loquitur, tanquam inſigni Propheta, qua in re a Judæis diſcedit: immo his ob cædem Chriſti ſuccenſet, attamen merum tantum hominem fuiſſe exiſtimat, *Dei Apoſtolum* ſive *Legatum* *Surata* v. 84. ما المسيح ابن مريم الا رسول قد خلت من قبله الرسل *Chriſtus Mariæ filius non eſt niſi Apoſtolus, jam venerunt ante eum Apoſtoli.* Dei autem Filium ex Patre genitum negat, *Surata* XXIII. 93. ما اتخذ الله من ولد وما كان معه من اله *Non generavit Deus ullum filium, nec cum eo eſt Deus ullus.* Hinc ne plures Deos ſtatuant ita monet Chriſtianos Alcorani *Surata* IV. 169. يا اهل الكتاب لا تغلوا في دينكم ولا تقولوا علي الله الا الحق انما المسيح عيسي ابن مريم رسول الله وكلمته القيها الي مريم وروح منه فامنوا بالله ورسله ولا تقولوا ثلاثة انتهوا خيرا لكم انما الله اله واحد سبحانه ان يكون له ولد *O popule libri* (quo nomine tum Chriſtiani tum Judæi veniunt) *ne excedatis in religione veſtra,*

*ſtra , nec loquamini de Deo aliquid præter veritatem . Sane Meſſias Jeſu filius Mariæ , legatus Dei eſt , & verbum ejus , quod immiſit in Mariam , & Spiritus ab eo , credite in Deum & Apoſtolus ejus : neque dicatis tres ſunt* ( Dii ) *abſtinete melius vobis erit : nam Deus eſt Deus unus : abſit ab illo ut habeat filium .*

XXVI. Exiſtimavit ſcilicet falſa & Neſtorii inprimis opinione inductus , Chriſtianos tres Deos credere , quos ejus Commentatores vocant *Deum* , *Jeſum* & *Mariam* : ita enim Galaleddinus ad *Suratæ* v. 82. لا تقولوا الاله ثلثة الله وعيسي وامه وهم فرقة من النصاري : *Ne dicatis tres eſſe Deos , ſcilicet Deum , Jeſum , & Matrem ejus : & hi qui hæc dicebant , erant e Sectu quadam Chriſtianorum* . Cujus erroris occaſionem inde ſumſiſſe videtur , quod contra Neſtorianam hæreſin Orthodoxi defenderent , B. Mariam Virginem vocari poſſe Θεοτόκον *Deiparam* & *Dei Matrem* : unde & Mariam Deam credere exiſtimavit , utpote quæ Deum peperiſſet . Aut erit id etiam inconſideratis nonnullorum Zelotarum locutionibus adſcribendum , qui ut eo magis Neſtorianorum errori ſe opponerent , in aliud extremum excurrebant , maxime cum jam tum Maria impenſius coli inciperet , gravi Eccleſiæ periculo . vide La Croze *l. c. p.* 27.

XXVII. Denique id quoque a Neſtoriana hæreſi manavit , quod Chriſtum paſſum negat Mohammed , ſed phantaſma aut imaginem duntayat Chriſti , male pro eo a Judæis habitam . Mendacii enim Judæos arguit *Alcorani Surata* IV. 156. وقولهم انا قتلنا المسيح عيسي ابن مريم رسول الله وما قتلوه وما صلبوه ولكن شبه لهم *Et dixerunt* ( Judæi ) *nos certe occidimus Chriſtum Jeſum filium Mariæ Legatum Dei : nec tamen occiderunt eum , neque crucifixerunt eum , ſed objecta eis eſt ſimilitudo* . Et mox وما قتلوه يقينا بل رفعه الله اليه *Et non occiderunt vere : ſed ſuſcepit eum Deus ad ſe* . Quanquam non adeo Neſtorii ille error fuerit , qui Chriſtum merum hominem utique crucifixum afirmabat , verbis illis : *Quid gloriaris Judæe hominem crucifixiſti non Deum* ! Sed potius Eutychianorum fuerunt hæc ſomnia , & Aphtardocetarum Hæreticorum , ut ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat .

XXVIII. Præter Neſtorii , Jacobitarum hæreſis magnam quoque Arabiæ partem , & regiones vicinas Ægyptum , Lybiam , Nubiam , Æthiopiam omnem occupaverat . Ejus Sectæ Auctorem *Zanzalum* vocant Nicephorus , aliique . Arabes Baradæum ſive Baradatam : vide Renaudot *Hiſtoriam Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum pag.* 425. & *Collectionem Liturgiarum Orientalium Tom.* II. *p.* 102. qui *p.* 296. cum Eutychianis Jacobitas conſenſiſſe , quæ multorum ſententia uſt , negat . Inde Mohammed accepiſſe videtur , quod Alcorani *Surat.* III. *c.* 58. docet , Chriſtum quidem ex Maria natum eſſe , ita tamen ut nihil ex Maria aſſumſerit , atque hoc ſenſu Adami ad inſtar ſine patre atque matre fuerit : ان مثل عيسي عند الله كمثل ادم *Similitudo Jeſu apud Deum , eſt omnino quemadmodum ſimilitudo Adami* : quæ Zamchaſcerius ita exponit : ان شان عيسي وحالة كشن ادم خلق ادم من تراب ولم يكن ثم اب ولا ام فكذلك عيسي *Conditio atque ſtatus Jeſu eſt inſtar conditionis Adami* : ( Deus ) *Adamum creavit ex pulvere , nullo tum Patre & Matre exiſtente . eodem modo Jeſum* . Idem etiam de Chriſto aſſerebant Jacobitæ , teſte Elmac. *p.* 248. ان جسد المسيح لطيف وليس مثل اجسادنا وان الابن لم ياخذ من مريم شيا *Certe corpus Meſſiæ ſubtile eſſe noſtris corporibus diſſimile , neque Filium quicquam e Maria aſſumſiſſe* . E Tatianorum hæreſi manaſſe videtur , quod vini uſum tam ſevere interdixerit ſuis Mohammed , *Surat.* II. 219. يسلونك عن الخمر والميسر قل فيهما اثم كبير *Interrogabunt te de vino , & alea . Dicito illis : in utroque eſt crimen grave* . vide & *Surat.* V. 99. Ita vetuſtiſſimi hæretici vinum illicitum pronuntiarunt nempe *Tatiani* , a Tatiano Juſtini Martyris diſcipulo , homine ceteroquin doctiſſimo . *Ancratitæ* & *Aquarii* appellati : qui Naziræos fortaſſis in abſtinentia vini imitaturi , longius tamen aberraverunt ; dum a vino quaſi re mala atque pernicioſa ſibi caverent . Errorem de animæ poſt hanc vitam purgatione , de damnatis , e gehenna aliquando liberandis , hauſit ab Origenianis . vid. Alcorani *Sur.* XIX. 68. 69. &

V. Cl.

V. Cl. Pocockium *Specim. Histor. Arabum p.* 257. & seqq.

XXIX. Non tamen a solis Hæreticis mutuatus est, quod Alcorano suo toties inseruit, verum etiam plurima accepit ab Orthodoxis, qui apud Arabes Melkitæ *Regii* vocabantur; quod religionem Regum sive Imperatorum Græcorum amplecterentur. De quibus ut & variis eorum temporum Sectis, adeundus est Eutychius *Annal. Tom.* II. *p.* 16. 23. 79. 95. Ad hos sæpius tanquam æquos rerum Arbitros provocat, uti *Surat.* X. 93. فان كنت في شك مما انزلنا اليك فسل الذين يقرون الكتاب من قبلك *Si fueris in dubitatione de eo quod misimus ad te, consule eos, qui Scripturam ante te legerunt*. Ubi Interpretes Christianos Orthodoxos innui observant: vide & *Sur.* III. c. 113. 114. eosque potissimum المومنون *Fideles* appellat & اهل الكتاب *Scripturarios*.

XXX. Denique multa ex ipsis N. Fœderis libris ( ne de V. T. dicam ) in Alcoranum transtulit, eoque alludit: ut ex plurimis non nulla duntaxat afferam. كلمة الله *verbum Dei*, ut *Surat.* III. 39. & *Surat.* IV. 169. Christus nempe ita vocatur a Johanne in Evangelii principio. E Maria adhuc virgine Christum natum docet idem *Surat.* III. 47. ubi Angelo partum prædicenti Maria respondet: رب اني يكون لي ولد ولم يمسسني بشر *Domine mi, quomodo erit mihi proles & non tetigit me homo!* fere ut Beata Virgo loquitur Luc. I. 34. *Surata* XXIII. 52. ex Luc. II. vs. 34. hæc habentur وجعلنا ابن مريم وامه اية *Et posuimus filium Mariæ, & Matrem ejus in signum*. Proverbium Christi e Matth. XIX. 24. occurrit *Surat.* VII. 41. ان الذين كذبوا -- لا يدخلون الجنة حتي يلج الجمل في سم الخياط *Qui mendacia confinxerunt --- non ingredientur in Paradisum, donec ingressus fuerit camelus per foramen acus*. Quæ Surata IX. 82. habet ان تستغفر لهم سبعين مرة فلن يغفر الله لهم *Si veniam pro eis petieris septuagies, non parcet eis Deus*: hausta sunt e Matth. XVIII. 22. Parabolam Christi de seminante Marc. IV. vs. & seqq. adducit *Sur.* XLVIII. 29. مثلهم في الانجيل كزرع اخرج شطاه فازره فاستغلظ فاستوي علي سوقه يعجب الزراع. *Parabola eorum in Evangelio est, quemadmodum semen germen suum profert, & indurescit, & crescit, & adæquatur in culmo, & delectat agricolam*. ان افيضوا علينا من الماء *Effundite super nos aquæ nonnihil*: item de iisdem: *Surat.* XLVI. 20. اذهبتم طيباتكم في حياتكم الدنيا واستمتعتم بها فاليوم تجزون عذاب الهون *Consumsistis bona vestra mundi, & fruiti estis in ea, sed hodie recipieris mercedis loco pœnam ignominiæ*: gemina sunt quæ in parabola de divite homine leguntur Luc. XVI. Quod die extremo tubæ clangore congregandi sint homines *Surat.* XX. 100. & cœlum convolvendum *Surat.* XXI. 104. accepit ex I. Cor. XV. 52. & Hebr. I. 12.

XXXI. Præter Arabes Paganos, Zabæos, & Christianos cum Orthodoxos, tum Hæreticos, magna Judæorum multitudo Arabiam repleverat. Unde & inter eos qui ex variis orbis terrarum partibus, Hierosolymam ad Festum Pentecostes celebrandum confluxerant, Arabes quoque memorantur Act. II. 11. & Apostolus Paulus ut exacerbatos per suam ad Christianam Religionem conversionem, veteres Amicos & comites vitaret, in Arabiam se contulisse dicitur Gal. I. 17. Maxime expugnata a Romanis Hierosolyma & Judæa devastata, ingens Judæorum multitudo se in Arabiam contulerat, ubi Mohammedis tempestate munitissima oppida possidebant, ditissimique erant. Inprimis Judæi Chaibarenses ( de quibus vide Abu'l-Fedam de *vitæ Mohammedis*, cap. XLVI. ubique Cl. Gagnier notas ) opulentissimi erant, quod liquet e spoliis quæ Mohammed expugnato castello Al-Asabi Chaibarensis reportavit. Nam teste Al-Wakedio: ان النبي اوتي بمسك جمل يعني جلد جمل فاذا جلد اسورة الذهب ودمالج الذهب وخلاخل الذهب وقرطة الذهب ونظم من الجوهر وزمرد وخواتم ذهب *Allatum fuit ad Prophetam ingens corium ca-*

*cameli, sive pellis camelina, plena Monilibus aureis, Armillis aureis Periscelidibus aureis, Inauribus aureis Gemmarum & Smaragdorum funiculis, ac denique sigillis aureis.* In Talmude etiam, passim mentio occurrit Judæorum in Arabia habitantium; e. gr. in Gem. גיטין *f.* LXIV. 1. & כתובות *f.* LVIII. 2. quibus etiam, quomodo se gerere debeant præscribitur ib. *f.* LXVII. 2. Immo maximum ‏ּ‏ תלמידים discipulorum in Arabia fuisse numerum, memorat R. Zacuth. in ספר יוחסין *pag.* 95. 1. היו לו לר׳משה תלמידים הרבה ומהם ר׳יוסף בר יצחק - - - - והוא פירש כל התלמוד בלשון ערבי למלך ישמעל *Fuerunt R. Mosi multi discipuli, atque ex illis R. Joseph Isaacides - - - - qui universum Talmud Sultano, Arabice exponebat.* Alia vide ibidem p. 88. 1. & 93. 1. ubi inter Judæos inter Arabes habitantes, etiam ראשי ישיבות *Rectores Academiarum* fuisse, qui varias constitutiones decreverunt, memoriæ prodidit.

XXXII. Mohammedi notissima quoque Judæorum gens erat, utpote qui & Meccæ & Medinæ habitabant: unde Rabbinos nonnullos, ut Mohammedem de quibusdam interrogarent, Principibus Meccanorum persuasisse refert Zamchascerius ad *Sur.* XII. 1. quin etiam Judæum aliquem accessisse ad Mohammedem, atque ut nomina stellarum, quas in somno viderat Josephus, sibi exponeret postulasse, idem docet ad *Suratam cit. v.* 5. Judæorum autem doctiores, ut & Christiani Medinam incolebant: Scharestanius Sect. أهل الكتاب hæc habet: الفرقتان المتقا بلتان قبل المبعث هم اهل الكتاب والاميون والامي من لا يعرف الكتبة فكانت اليهود والنصاري بالمدينة والاميون بمكة *Ante missionem Mohammedis duæ Sectæ oppositæ erant, populus Libri & Idiotæ. Idiota est qui Literas nescit: Judæi autem & Christiani Medinam incolebant: Idiotæ Meccam.* Tribus etiam Judæorum Kainoka appellata Medinæ vicum incolebat, qui ab illis سوق قينقاع *Platea Kainoka* appellabatur.

XXXIII. Sæpius ad eos Mohammed sermonem convertit in Alcorano, & اهل الكتاب *populum* sive *familiam Libri* appellat: (quo nomine tamen ut ex Scharestanio allato & plurimis aliis locis liquet etiam Christiani veniunt. vide *Surat.* II. 105. 109. XXIX. 46. & Gelal ad *Surat.* III. 63.) ita Judæi audiunt *Surat.* II. 105. & III. 63. ubi per الكتاب Legem Mosis quam tanti faciunt Judæi, intelligendam esse monet Beidavi: vide etiam *Surat.* LIX. 2. Interdum etiam graviter eosdem reprehendit, الكافرون *infideles* vocat, *Surat.* II. 89. utpote qui neglecta Mosaica Lege, fidem quam Lex imperaverat, Mohammedi negarent: immo Sacrilego ausu loca quæ mentionem ejus fecerant, depravassent *Surat.* IV. 14. 16. inprimis loca Deuter. XXXIII. 2. Psalm. L. 2. Jes. XXI. 7. Malach. IV. 5. 6. corrupta stomachatur, in quibus olim expressa Mohammedis mentio apparuisset. Quare etiam infensissimus hostis Judæis fuit, illisve paulo ante obitum maledixisse legitur apud Al-Bocharium: قال النبي في مرضه لم يقم منه لعن الله اليهود واتخذوا قبورا انبيايهم مساجد *Dixit Propheta in morbo supremo, a quo non surrexit: maledicat Deus Judæis: illi enim sepulchra Prophetarum suorum in Templa converterunt.*

XXXIV. Hinc satis apparet, Judæos omnino Mohammedi innotuisse: quorum Religio etiam ex ea ratione instituto Mohammedis accommodatissima videbatur, quod miris dogmatibus, singularibus ritibus, & fabulis, quibus earum regionum ingenia mire delectabantur, refertissima esset. Inde igitur plurima ad novam suam Religionem exornandam accedere posse facile videbat callidus iste homo, dummodo homine Judæo, quod ipse adire eorum Scripta non posset, uteretur. Itaque adscitus est in sceleris societatem, haud incelebris Judæorum Doctor عبدالله ابن سلام Abdalla Ebn Salam, (ejusdem fere nominis Magister memoratur in Gem. בבא מציעא *f.* x. 2. quem R. Zacuth Doctoribus Gemaricis adscribit in יוחסין p. 72. 1.) qui ejurata patria Religione plane tandem in Mohammedis castra transiisse dicitur. Ita Gelal: نزل في جماعة اسلموا من اليهود كعبد الله بن سلام *Hoc (Surat.* XXXVIII. *c.* 53.) *revelatum est multorum gratia, qui Mohammedanam religionem amplexi sunt e Judæis,* ut

*ut Abdallah filius Salam*. Doctoris illius Judæi mentionem injici *Surat.* XLVI. 10. & v. 75. sententia est Commentatoris Gelal: qui eum etiam ad *Surat.* IV. 161. الراسخ في العلم *stabilem in scientia* vocat: vide illum quoque ad *Surat.* XXVIII. 76. Hujus sive alius cujuscunque Judæi opera Mohammed usus, plurima Traditionis Rabbinicæ placita, opiniones, ritus & fabulas in Alcoranum & Religionem suam transtulit: quod neque Meccanis latuisse videtur, qui ita loquentes a Mohammede introducuntur *Surat.* XXV. c. 4. ان هذا الا افك افتريه واعانه عليه قوم اخرون *hic* (Alcoranus) *nonnisi mendacium est quod* (Mohammed) *finxit: eique opam tulerunt ad eum componendum alii homines:* & *com.* 5. ejusdem Suratæ: اساطير الاولين اكتتبها (Alcorano continentur) *fabulæ priorum*, *descripsit eas* (e Judæorum libris.) Hoc etiam revera ita fuisse, ex comparatione quam nunc instituam, cuicunque liquebit.

XXXV. Ipsum القرآن *Alcorani* nomen confictum videtur a Mohammede Judæorum more, qui Sacras Literas המקרא vocare consueverunt: quemadmodum etiam Judaicum earum Litterarum nomen כתובה *Scriptura*, Corano suo tribuit, & الكتاب appellat, *Surat.* III. 1. Distinxerunt Judæi sacrum Codicem in varias partes פרשיות *Sectiones majores*, ut commode anni labentis spatio earum lectio in Synagogis absolvi posset: de quibus vide Gem. מגילה *fol.* XXIX. 1. & XXX. 2. in פסוקים *versus* autem jam ab Ezra distinctum memorant in Gen. נדרים *fol.* XXXVII. *cap.* 2. Neque hic substitit Judæorum diligentia, sed ingenti præterea labore & industria omnia verba, Literas atque apices S. Codicis numeravere. Quam laudem non Masorethis demum, sed אנשי כנסת גדולא *Viris Synagogæ magnæ*, Magistri adscribunt in Gem. קדושין *fol.* XXX. 1. נקראו ראשוני׳ סופרים שהיו סופרים כל אותיות שבתורה שהיו אומרים ואו דגחון חציין של אותיות של ס״ת דרש דרש חציין של תיבות והתגלח של פסוקים *Primi* (Synagogæ magnæ Viri) *vocantur* סופרים *quia omnes literas numeraverunt, quæ in Lege divina exstant. Observarunt* ו *vocis* גחון Levit. XI. 42. *mediam Pentateuchi esse literam: vocem posteriorem* דרש Levitici X. 16. *mediam Pentateuchi esse vocem:* & Levit. XIII. vs. 33. *medium versuum ejus*. Hanc Judæorum diligentiam ita imitati sunt Mohammedani, ut non modo Alcoranum suum, in certos ordines atque Capita سورا *Suras*, non modo in versus sive commata redegerint, quæ & ايات *Signa* vocantur, *Surat.* III. 69. & VII. 38. verum etiam incredibili labore omnium Alcorani verborum Litterarum atque Apicum numerum iniverint, in Commentario MS. ad Librum τῶ Abul Chair Mohammedis Gezaræi, cujus Titulus est: نفايس المحكمة في شرح المقدمة وعدة اياتها: e quo patet voces in toto Alcorano reperiri 99464. Literam Elif occurrere 48940. Be 11480. Te 10480. Tze 1404. vicibus: ita etiam alias Alcorani literas diligentissime numerarunt. Quod etiam liquet ex MS. opere Masorethico Corani, Abul Casim Omar ben Muh. Caphensis, quod continet numerum capitum versuumque, tum secundum Medinensium, tum Cufensium, aliorumque rationem, vocum itidem litterarumque: quod una cum priore in Bibliotheca Lugdunensi servatur.

XXXVI. Alcorani sui dignitatem ita extollunt, ut creatum eum esse ut cetera, quæ cœlo terraque continentur negent, atque adeo illis rebus omnibus multum præstare confirment. Iahia ad *Suratam* II. ان الله كتب قبل ان يخلق السموات والارض بالفي سنة القرآن فوضعه تحت العرش *Deus bis mille annis antequam cœlum & terram conderet, Alcoranum conscripsit, atque sub throno posuit*. Unde factum est, ut Mohammed Deum singulari ratione Alcorani auctorem prædicet *Surat.* II. 89. 90. III. 2. seqq. & aliis in locis. Mohammedanorum tamen alii creatum quidem Alcoranum admittunt, sed eximia prorsus ratione اية اية *per commata & versus* cœlo demissum ad Mohammedem diversis temporibus, mense inprimis Rhomadan, vide *Surat.* II. 186. XVII. 107. & XXV. 3. exceptis *Surat.* IX. & CX. quas simul totas a Deo accepisse testatur. Modum demissionis Zamchascerius ita de-

describit: وروي انه انزل جمله واحدة في ليلة القدر من اللوح المحفوظ الي السماء الدنيا واملاه جبرابيل علي السفرة ثم كان ينزله علي رسول الله نحو ما في ثلث وعشرين سنة *Traditio est Alcoranum demissum fuisse totum una vice, in nocte Al-Kadar* ( mensis Ramadhan ) *e tabula custodita* ( in septimo cœlo ) *ad cœlum mundi* ( primum ) *& Gabrielem collegisse illum in unum Librum; tum deinde demisisse eum in Apostolum Dei per partes, spatio 23. annorum*. Gemina est Rabbinorum traditio, qui multis ante mundum conditum Seculis, Legem a Mose suo tempore traditam conditam fuisse referunt, in Gem. זבחים *f.* CXVI. *c.* I. המדה טובה יש לו בבית גנזיו שהיתה גנוזה אצלו תתקע״ד דורות קודם שנברא העולם *Est bonum aliquod ei* ( Deo nempe lex ) *in thesauro suo, quod conditum apud eum fuit nongenta & septuaginta quatuor secula, antequam mundus conditus est*: vide etiam Gem. שבת *fol.* LXXXVIII. *col.* 2. Per partes itidem datam Legem narrant Magistri in Gem. גיטין *fol.* LX. I. שמנה פרשיות נאמרו ביום שהוקם בו המשכן אלו הן פרשת כהנים ופרשת לויים ופרשת טמאים ופרשת שילוח טמאים ופרשת אחרי מות ופרשת שתויי יין ופרשת נרות ופרשת פרה ארומה. *Octo Bibliorum Sectienes datæ sunt die quo Tabernaculum erectum fuit, nempe Sectio Sacerdotum* Levitic. XVI. *Levitarum* Numer. VIII. *impurorum, & quorsum impuri secedere debeant: Sectio post mortem filiorum Aaronis*, Levit. XVI. *& quantum vini Sacerdotibus bibere liceat*. Levit. X. *de accensione Lucernarum*. Num. VIII. *& denique de vacca rufa*. Num. XIX. ubi etiam videatur Raschi.

XXXVII. Hinc tantam quoque sanctitatem Codici Legis tribuunt Judæi, ut illotis eum manibus contrectare, summum nefas ducant in ידים *fol.* LVII. & LVIII. I. Licet autem manus probe lotæ sint, tamen nonnisi involucro tectus tangi debet. Gem. מגלה *f.* XXXII. I. אמר רבי פרנך אמר רבי יוחנן כל אוחז ספר תורה ערום נקבר ערום. *Dicit Rabbi Parnach nomine R. Jochanan, qui librum Legis nudum* ( i. e. Raschi observante in scholiis בלא מטפחת sine involucro ) *contrectat, nudus sepelietur*: & in Gem. שבת *fol.* XIV. I. Sapientes decrevisse feruntur, ne unquam sine involucro esset liber Legis. Non minore Religione ducti Mohammedani, ne Alcoranus illotis manibus aut involucro nudatus contrectaretur sanciverunt, formula e *Surata* LVI. petita, & corio extrinsecus a bibliopega literis شلسي Schulsi impressa لا يمسه الا المطهرون: *Ne tangat eum* (Alcoranum) *nisi purus*. Iidem per sortes etiam consulere Alcoranum solent in rebus dubiis, quarum exitum præscire cupiunt, quod Bakadin Mohammed Persa, laudatus Cl. Relando *de Religione Mohammedica p.* 73. vocat استخاره كردن; quemadmodum Rabbini quoque verba Scripturæ forte lecta aut audita ominis בת קול loco arripere, atque rebus dubiis accommodare solent: in Gem. Hierosl. שבת *fol.* VIII. 3. Magistri nonnulli Doctorem quendam Babylonicum invisere, sed ante de ejus valetudine & salute sciscitari & divinare voluisse dicuntur: quare cum puerum verba illa I. Sam. XV. I. ושמואל מת *& Samuel mortuus est* legentem audivissent, vita functum illum hinc collegisse, quod & exitus probavit. vide etiam Maimonidem in הלכות עכו״ם *cap.* XI. *Sect.* 5.

XXXVIII. Præter Alcoranum summa auctoritate apud Mohammedanos liber est, quem السنة *Sonnam* appellant, quo Mohammedis instituta & dicta in Alcorano non memorata continentur, orali traditione propagata olim, & tandem in illum librum conjecta. Vocabulum سنه *Sonna* præcipue significare الطريقة والسيرة *viam, conversationem*, docet Ebno'l Athir: quoties autem in Lege occurrat, omne id denotare existimat quod Propheta Mohammed vel præceperit vel vetuerit in Alcorano omissum, ita quoque Ebno'l Kassajus aliique. Primus harum Traditionum Collector fuit Zoharius qui eas chartæ mandare incepit anno Hegjiræ 24. Cujus vestigia pressit Albocharius, qui anno Hegjiræ 224. omnes illas traditiones collegit in MS. الصحيح. De Compilatoribus Traditionum Mohammedanorum, qua serie collectæ fuerint & propagatæ disputat Mohammed Ben Abdalla Akonlæus in MS. الدراية في معرفة الرواية, quod in Bibliotheca Leidensi exstat. vide & Cl. Gagnier notas ad Abu'l-Fedam *de vita* Mo-

*Mohammedis p.* 33. & Libros nec non commata totius Sonnæ enumerata in *Bibl. Orient.* Hottingeri *p.* 163. 169. Turcæ in summo pretio habent illum librum, Tartari itidem, Arabes & Indiani in Mogulis imperio; unde اهـل السـنـة والجماعـة *populus Sannæ atque assensus* Sonnitæ vocantur: rejiciunt autem Persæ. Factum id denuo a Mohammedanis Judæorum imitatoribus, quos præter Legem Mosis scriptam, משנה *Mischna* oralium traditionum volumine uti videbant, a Deo Mosi quidem in monte Sinai dierum 40. spatio dictato, sed postremis demum temporibus litteris consignato: quo sive novæ Leges & instituta sancirentur, sive quæ in scripto Codice sancita sunt, exponerentur & illustrarentur.

XXXIX. Quodsi dogmatum Mohammedanorum cum Rabbinicis comparationem instituamus, facile apparebit, plurima ab his accepisse Mohammedem ejusque Sectatores, atque ita Rabbinorum rivulis hortos suos rigavisse. De Deo & attributis ejus si pauca excipias, satis recte docere solent: inprimis a quo tempore Aristotelis Philosophiam excoluerunt Arabes. Talia canit egregie Poeta quidam in Carmine MS.:

الله الخلق مولانـا قديم
وموصوف اوصاف الكمال

*Deus universi Dominus noster est æternus, & attributa per quæ* (nobis) *describitur sunt perfecta.*

هو الحي المدبر كل امر هو
الحق المقدور الجلال

*Est vivens gubernatque cuncta & vere præstinat omnia, majestate ornatus.*

صفات الله ليس عين ذات ولا
غيرا سواه ذات انفصل

*Attributa Dei nec sunt ipsa Essentia, nec aliud quid quam ipsa essentia, minime ab ea distincta.*

صـفـات الذات والافعال طرا
قدعـات مصونات الزوال

*Attributa Dei & actiones omnes sunt æternæ, expertes defectus & corruptionis.*

يسمي الله شياء لا كالا شياء
وفاناعو جمعات الست حال

*Deus vocatur res ens, non ut aliæ res, vocatur essentia, sed quæ sex partim* (ante post, dextrorsum, sinistrorsum, supra, infra,) *loci & situs expers sil.*

وليس الاسم غيرا المسمي
لذي اهل البصير اخير اهل

*Nec nomen Dei aliud est, quam qui nominatur ipse, apud populum gnarum, qui optimus est populus*, i. e. Mohammedani. Tale quoque est compendium Theologiæ Mohammedicæ a Celeb. Relando editum, Auctoris videlicet Philosophiæ periti, cujus terminos in suam Theologiam invexit: cujus generis tamen Theologiam, quod hic notandum est, rigidiores religiosioresque Mohammedani, quasi ea ratione profanaretur contaminareturque haud admittere solent.

XL. Id autem Judæis debetur, quod Personarum Trinitatem negat, quamvis etiam Arriani & Samosateniani in eadem hæresi jam tum fuerint. Negat Filium genitum a Deo Patre, quod uxorem non habet *Surat.* XII. 2. 3. 4. LXXII. 3. Per Spiritum S. dona ejus duntaxat intelligit *Surat.* II. 87. atque Orthodoxis Christianis idem occinit, quod Judæi oggerere solent. الهكم الله واحد *Deus vester Deus unus est*, *Surat.* XVI. 22. XXI. 108. ex Deut. VI. 4. שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד *Audi Israel Jehova Deus noster Deus unus est*: aut Symbolum suum opponere solet: لا اله الا الله vel الا هو *Non est Deus nisi unus ille Surat.* XIII. 33. XX. 8. 96. Inprimis accepta a Rabbinis sunt, quæ de عرش الله *Throno Dei* commemorat. Deum videlicet ante creatum mundum Thronum magnificentissimum condidisse e gemmis pretiosissimis, manu sua, cum cetera fierent verbo ejus *Surat.* XI. 8. وهو الذي خلق السموات ورض في ستة ايام وكان عرشه علي الماء *Et ipse est, qui creavit cœlos & terram 6. diebus, eratque ante Thronus ejus* quam hæc crearet *super aquam:* quare Deus toties in Alcorano رب العرش *Deus Throni* audit. vi-

de *Surat.* XXI. 22. Deinde hunc Thronum collocat ultra ſeptem cœlos *Surat.* X. 4. quem circumſtent Angeli *Surat.* XXXIX. 75. immo bajulent & ſuſtineant eundem *Surat.* XL. 8. Talem ſcilicet כסא כבוד *Thronum gloriæ* depinxerant Rabbini: ante mundum conditum creatum docent in Gem. פסחים *f.* LIV. 1. שבעה דברים נבראו קודם שנברא העולם אלו הן תורה ותשובה גן עדן וגי הנום כסא כבוד ובית המקדש ושמו של משיח *Septem res ante mundum creatæ ſunt, nempe Lex, pœnitentia, hortus Eden, Gehinnom, Thronus gloriæ, Sanctuarium & nomen Meſſiæ.* In Gem. נדרים *fol.* XXXIX. 2. loca præterea Scripturæ afferunt, quibus hæc probare conantur. Aquis itidem innatat, aut flumini igneo, e portentoſo Angelorum ſudore orto auctoque: ita enim in מדרש ילקוט ראובני *p.* 107. 1. 2. ראיתי רגיון נהר של אש שיוצא מלפני הקבה מתחת כסא הכבוד והוא עשוי מזיעת החיות שסובלים הכסא ומזיעים אש מאימתו של הקבה *Videbam Region fluvium ignis, qui coram Deo benedicto ſub throno gloriæ oritur, originemque habet e ſudore ſanctorum animalium* ( i. e. Angelorum ) *Dei thronum bajulantium, qui præ timore Dei ſudorem ſudant igni ſimilem.* Aquam etiam niveam ſub throno ponunt *ib. p.* 40. 3. Cingi Thronum Dei ab ingenti Angelorum multitudine iidem S. Scriptura etiam præeunte docent: R. Bechai in ביאור על תורה *f.* LXXXV. 2. 70. Angelos totidem mundi nationum præfectos circumdare eum narrat: רע והתבונן כי כסא הכבוד הוא משפיע ברכה וכח לשבעים מלאכים הסובבים את הכסא *Scias igitur atque intelligas Thronum gloriæ 70. Angelis Thronum cingentibus benedictionem atque vires largiri.* Iidem Angeli arbori ſimiles feruntur a R. Menachem Rekanatenſi in פירוש על התורה *p.* 41. *c.* 3. הם שבעים ענפים מן האילן העליון שבעים שרים הסובבים כסא הכבוד והם הנקראים בשיר השירים השומרים הסובבים בעיר LXX. *Principes* ( nationum Angeli ) *ſunt* 70. *rami arboris ſupremæ, Thronum gloriæ ambientes, qui etiam innuuntur* Cant. III. 3. *per vigiles urbem circumeuntes.* Quod convenit cum illis quæ Mohammedani de arbore نبق *Nebec* referunt, quæ perhibente Gelal عن يمين العرش *a dextris throni Dei eſt.*

XLI. A Deo quæcunque ſive in Cœlo, ſive in Terra conſpicerentur, creata docet itidem Mohammed, Sacris Litteris conſentientibus: ſed hæc aliunde habet, quod ſeptem Cœli & Terræ totidem fuerint a Deo condita *Surat.* XLI. 12. qui سبع طرايق *ſeptem viæ* vocantur *Surat.* XXIII. 17. ambientes ſe invicem inſigni tamen intervallo *Surat.* LXVII. 3. & quod hi cœli involuti creati ſint *Surat.* LXXI. 15. ألم تروا كيف خلق الله سبع سموات طباقا *An non videtis quomodo Deus creaverit ſeptem cœlos involutos* ( unum ſupra aliud ) totidem autem terras creatas eſſe, *Surat.* LXV. 13. teſtatur: ad quem locum Zamchaſcerius ſpatium itineris 500. annorum inter ſingulos cœlos, atque tantum idem inter terras collocat: unde Deum vocat رب العالمين *Deum mundorum*, *Surat.* I. 2. & alibi. Celeb. Relandus quidem *Lib.* II. *de Relig. Mohammed.* §. XL. injuriam putat Mohammedi factam eſſe a Maraccio, pluralitatem mundorum illi tribuente, quod *Deum mundorum* vocitet, cum etiam ea phraſi Rabbini utantur, quibus propterea eadem opinio tribui non ſolet. Verum ex locis Alcorani laudatis id manifeſtum eſſe crediderim, perinde atque eadem Rabbinorum ſententia apparet ex עמק המלך *fol.* CLXXIX. *col.* 4. העולמות הקדושים הם מקיפים זו למטה מזו עד שטבור הארץ הנקראת תבל היה באמצע ונמצא שיש שבע שמים מקיפים שנאמר שבעה ושבעה מוצקות וכמו שהרקיעים הם סובבים למעלה כך סובבים למטה ובשבע כדוריים עגולים הם הרקיעים ובתוכם שבע ארצות *Mundi ſancti ſe invicem ambiunt ut unus ſub alio ſit, ſic ut umbilicus* h. e. Terra, *quæ Tebbel vocatur, ſit in medio. Invenitur quoque, ſeptem eſſe cœlos ambientes,* Q. D. ( Zach. IV. 2. ) & ſeptena infundibula. *Quemadmodum autem firmamenta ſuperne ambiunt, ſic quoque inferne, atque in his ſeptem rotundis globis firmamenta ſunt, in his ſeptem terræ.* De ſeptem cœlis, vide Rabbi Nathan *fol.* IX. *c.* 4. quæ fuſius exponuntur in Gem. חגיגה *fol.* XII. & פרקי אליעזר *Cap.* 18. Atque ita evidentiſſimum eſt, plures terras cœloſque cum Rabbinis crediſſe Mohammedem, ita tamen ut revera unum duntaxat ſyſtema conſtituerent, non vero diverſa, quæ ſententia de pluralitate mundorum erat Philoſophorum veterum & Hæreticorum.

XLII. Ordinem creationis dum tradit Mohammed, terram ante cœlum creatam contendit *Surat.* II. 29. quanquam ſibi hac in re non conſtet, *Surata* enim

LXXIX.

LXXIX. 30. cœlum ante factum deinde terram formatam perhibet. Præterea Deum cum creare hominem vellet, colloquium instituisse cum Angelis narrat *Surat.* XV. 28. & II. 30. Eadem omnino ratione, qua Magistri acerrime disputant in Gem. חגיגה *fol.* XII. I. utrum terra an cœlum antiquius sit, aliis terræ, aliis cœlo eam prærogativam assignantibus. Iidem etiam Deum verbis Gen. I. 26. נעשה אדם Angelos allocutum esse, eosque licet se multo inferiores in consilium vocasse, omnibus viribus pugnant. vid. מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* 23. *c.* I. & Gem. סנהדרין *fol.* XXXVIII. *c.* 2.

XLIII. Creatos quoque cum hac rerum universitate Angelos, cum bonos tum malos Mohammed recte intellexit, ita præeunte Divina revelatione; sed ulterius progreditur, angelos ex igne creatos referens *Sur.* VII. 12. & XXXVIII. 77. Atque alis instructos binis alios, alios quaternis *Surat.* XXXV. I. Singulis suam provinciam esse assignatam e. gr. alium nubibus præesse: referente enim Gelal: الرعد هو ملك موكل بالسحاب يسوقه ملتبسا *Raado est angelus, qui præest nubibus, & qui eas confusas agit*. Septem Gehennæ præfectos damnatorum carnifices & tortores. *Surat.* LXVI. 6. aliis uti homines deprecatoribus apud Deum, ne dignas sceleribus pœnas luant *Surat.* XL. 8. ubi Angelos Thronum Dei bajulantes deprecari pro resipiscentibus dicit, & Gelal ad *Surat.* VI. observat, eum qui *Suratam* VI. legat, frui precibus 70000. Angelorum. Horum inprimis tutelæ homines esse commendatos, duos cuique homini præsentes esse, quos الحفظة *custodes* appellant, *Surat.* LXXXVI. 4. bonum a dextra, qui quæ bene fecerit conscribit; malum a sinistra, qui scelera notat *Sur.* VI. 60. ويرسل عليكم حفظة *Mittit ad vos custodiam* Angelorum notantium opera vestra. & *Sur.* XIII. 13. له معقبات من بين يديه ومن خلفه يحفظونه من أمر الله *Ipsi* (homini) *sunt Angeli sibi succedentes ante & post eum: custodiunt eum ex præcepto Dei*: quos vocare solent معقبات *Angelos diei & noctis*. *Surat.* L. 16. conscribere dicuntur, quæcunque male fecerint mortales: vide etiam *Surat.* X. 22. & XLIII. 78. Diabolos itidem ex igne factos contendit *Surat.* XV. 27. Eorum principem Iblis, qui ante lapsum ازازيل Azaziel dictus fuisset perhibente Zjeuhari, propterea de excellenti illo felicitatis gradu dejectum atque e cœlo exturbatum, quod esse Adamum Deo jubente adorare nollet, natura se multo præstantiorem homine ratus: bonis Angelis divino mandato obsequentibus *Surat.* II. 34. XXXVIII. 34. seqq. Salomoni etiam ministravissæ Dæmones legitur *Surat.* XXVII. 40. seqq.

XLIV. Omnia quæ hactenus de Angelis docuit Mohammed, manifestissimo furto surrepta sunt Judæis. His Magistris constat, creatos esse ex igne Angelos in Gem. חגיגה *fol.* XIV. I. in בראשית רבה *fol.* LXX. 3. e fluvio ignis Dinur creati leguntur: idem memoriæ prodidit R. Menachem Rekanatensis in פירוש על התורה *p.* 36. I. vide & Abarbanelem in פירוש על תורה *f.* 139. *c.* 3. Alas iisdem tribuunt in Gem. ברכות *fol.* IV. *c.* 2. תניא מיכאל באחת גבריאל בשתים אליהו בארבע ומלאך המות בשמונה: *Traditio est Angelum Michael* (cum munere suo fungitur) *uti uno volatu, Gabrielem duobus, Eliam quatuor, angelum autem mortis octo*. Raschi in scholiis observat פריחה sive *volatu hoc fieri*. Angelorum cuique certam provinciam esse, ita ut in Mundo omnia gaudeant Angelo præfecto: in ילקוט חדש *f.* CXLVII. *c.* 4. *n.* 27. אין לך דבר בעולם ואפילו עשב שלא יהיה לו מלאך ממונה עליו והכל מתנהג על פי אותו הממונה *Nulla est res in toto universo, ne minima herba quidem, cui non sit angelus præfectus, atque omnia secundum voluntatem præfecti fiunt*. Unde non modo singulis 70. nationibus Angeli præfecti sunt, ut e ילקוט ראובני *num.* 43. liquet שבעים שרים ממונים על ע' אומות: verum etiam Judæa gaudet Michaele Tutelari, qui Patronus & advocatus Judæorum est, in Gem. יומא *fol.* LXXVII. I. & R. Joseph ben David Juchah *Comment.* ad Danielis XII. I. הע' אומות יש להם בשמים ע' שרים וכן לישראל יש שר אחד והוא מיכאל LXX. *nationes* LXX. *Principes in cœlo habent, ita etiam Israelitæ suum Principem habent, nempe Michaelem*. vide & ילקוט חדש *fol.* XLVI. *col.* 4. Angelus Jurka præest grandini, igni Gabriel cum nonnullis aliis in Gem. פסחים *f.* CXVIII. I. & in ברית מנוחה *fol.* XXXVII. I.

XLV. Inprimis etiam magno consensu referunt, intercedere pro mortalibus

apud

apud Deum angelos, eumque ſceleribus ſuccenſentem conciliare. In Gem. שבת *f.* XXXII. I. רבי אליעזר בנו של רבי יוסי הגלילי אומר אפילו תשע מאות ותשעים ותשעה באותו מלאך לחובה ואחר לזכות ניצול *R. Eliezer filius R. Joſe Galilæi dicit, etiamſi angelus aliquis 999. rationes afferat, quare homo condemnandus ſit, & unam duntaxat ut abſolvatur, tum hominem Angelo deprecatore abſolvi*. In אור חדש *fol.* XX. *c.* 2. יש לכל אדם מלאך מליץ יושר מזלו שמתפלל עליו שישמע הקבה את תפלתו של אדם שנאמר שומע תפלה וגו׳: *Quilibet homo Angelum habet deprecantem & Mazzal ejus eſt, atque pro eo intercedit, ut Deus Benedictus hominis preces audiat*. Q. D. Pſ. LXV. 3. *Tu exaudis preces*. In Gem. בבא בתרא *fol.* XI. *cap.* I. pro Benjamine quodam gravius decumbente Angeli oraviſſe dicuntur: חלה ונטה למות אמרו מלאכי השרת לפני הקבה רבונו של עולם אתה אמרת כל המקיים נפש אחת מישראל כאילו קיים עולם מלא ובנימין הצדיק שהחיה אש׳ ושבעה בניה ימות בשנים מועטות הללו ( Benjamin juſtus ) *graviter ægrotavit, ita ut morti vicinus eſſet. Tunc Angeli miniſtrantes ita coram Deo ſupplicaſſe dicuntur: o Deus mundi, dixiſti qui aliquem Iſraelitarum ſervat, perinde eſſe ac ſi toti mundo opem tuliſſet. Hic Benjamin juſtus ſervavit fœminam ejuſque liberos* ( liberalitate ſua, fame ceteroquin perituros ) *an ille tam paucis annis exactis morietur?* Malos denique Angelos etiam Salomoni opem tuliſſe in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* XXIX. I. legimus: אמר ר׳ חונא בשם ר׳ אשי הכל מסייעין את המלך אפילו הרוחות *Rabbi Hona nomine Rabbi Aſchi perhibet, omnes fere creaturas Salomoni auxiliatas fuiſſe quin & malos Spiritus*. Gemina vide in Gem. גיטין *fol.* LXVIII. 2. Singulis hominibus cuſtodes Angelos datos, Magiſtri perhibent in Gem. שבת *fol.* CXIX. *c.* 2. תניא רבי יוסי בר יהודה אומר שני מלאכי השרת מלוין לו לאדם בעש מבית הכנסת לביתו אחד טוב ואחד רע וכשבא לביתו ומצא נר דלוק ושולחן ערוך ומטתו מוצעת מלאך טוב אומר יהי רצון וגו׳: *Traditio eſt R. Joſen filium Judæ dicere, duos Angelos ſingulos homines comitari e Synagoga domum, quorum alter bonus, alter malus eſt. Domum reverſi ſi lucernam ardentem, menſam diſpoſitam, lectum quoque ſtratum inveniant, tum bonus angelus gaudium ſuum teſtatur &c.* & ib. in antecedentibus: כל המתפלל בעש ואומ׳ ויכולו שני מלאכי השרה המלווין לו לאדם מניחין ידיהן על ראשו ואומר׳ לו וסר עונך וחטאתך תכופר: *Qui veſpera Sabbati preces fundit, & verba* Gen. II. I. *legit*: ita cœlum & terra cum exercitu ſuo abſoluta ſunt, *ejus capiti duos Angelos imponere manus dicentes*: ( e Jeſ. VI. ) amota eſt iniquitas tua, & peccatum expiatum. In itinere quoque probis piiſque hominibus Angeli comites dantur, quemadmodum improbos interfacientes comitari Diabolus ſoleret, referentibus Magiſtris in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* 119. I.

XLVI. De Diabolis paria ante Mohammedem crediderunt Judæi, ex igne creatos aut ex aere tradunt in נשמת חיים *f.* CXVII. *c.* 3. עיקר הויתם משתי יסודות קלים והם האש ורוח ועל כן ימוסו לרוב דקותם וקלותם *Principium ſubſtantiæ eorum conſtat e duobus levibus elementis, quæ ſunt ignis & aer, & propterea volant ob ſubtilitatem tenuitatemque*: in ſequentibus propterea etiam ſubtilia corpora Dæmonibus tribuunt, qualia etiam Mohammedani in Compendio Religionis a Relando edito *Lib.* I. *cap.* 13. *pag.* 15.

Diaboli nomen ازازيل *Azaziel* Hebræum eſſe עזאזל Levit. XVI. 8. conjecit Celeb. Relandus *l. c. Lib.* II. *pag.* 189. quod facili negotio probari poteſt, cum non modo hircus ille לעזאזל Azazeli deſtinatus, Diabolo ceſſerit e Judæorum ſententia; verum ipſe etiam Diabolorum Princeps Sammael Azazel vocetur, vide Gem. עבודה זרה *fol.* XII. *c.* 2. Veruntamen cum Mohammedani id nominis Diabolo fuiſſe dicant antequam de gratia divina excideret, ut Abulkaſim, apud Relandum l. c. perhibet: Azazel autem Hebræorum, Diabolum tanquam Deo inimicum deſcribat, innuere Mohammedanos exiſtimaverim Angelum, quem Judæi עזאל *Aſael* appellant, eumque una cum Angelo עזא *Aza*, quod ſe creationi hominis oppoſuiſſent peccaviſſe, cum adhuc ſancti Angeli fuiſſent. Ita Menachem Rekanatenſis in פירוש על התורה *p.* 36. I. עזא ועזאל תרין מלאכי הוו דקטרגו למאריהון ואפיל לון קודשא בריך הוא מאתר קדושתהון מעילא: *Aza & Azæl duo Angeli fuerunt, qui Dominum ſuum accuſaverunt, quare Deus Benedictus eos de loco ſancto ſuo præcipitavit*. Bonos Angelos Adamum adoraviſſe, excellenti ejus forma perculſos, tradunt in עבודת הקדש *fol.* XLIX. I. Sammaelem autem graviter ea re offenſum inſidias homini ſtruere cœpiſſe poſtquam ſerpentem aſciviſſet, in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* I. *fol.* 8. *c.* 3. סמאל לקח כת שלו וירד וראה כל הבריות ולא מצא בהם חכם להרע כנחש שנאמר והנחש וגו׳: *Samael Angelis ſuis ſtipatus e cœlo in terram*

*ram descendit*, *omnesque creaturas perlustrans neminem serpentem callidiorem invenit ad malefaciendum*; *quemadmodum legitur* Gen. III. I. Serpens callidior erat &c. Denique ibidem additur Samaelem serpentis ope hominem seduxisse.

XLVII. Præter Angelos cum bonos tum malos, inferioris ordinis Spiritus credit Mohammed, quos جنان *Genios* appellat. Originis quidem cum Angelis ejusdem *Surat.* LV. 15. خلق الجان من مارج من نار *Et creavit genium ex puro igne*. vide & *Surat.* XV. 9. 14. LXXII. I. alias a Diabolorum Principe Iblis procreatos dicunt: vide Gelal ad *Surat.* II. 34. edere & bibere eosdem atque liberis operam dare Gelaleddinus ad *Surat.* XVIII. refert: præscire futura, quæ audiverant cum sedes in sublimioribus cœli locis haberent, inde deturbatis erepta esset futuri notitia *Surat.* LXXII. 8. 9. 10. Audire eos etiam Alcoranum, & ad Moslemorum fidem adduci *Surat.* LXXII. I. extingui præterea hominum more, vide Gelaleddinum l. c. atque Alcorano credentibus Paradisum, incredulis gehennam esse destinatam *Surat.* LV. 39. 45. LXXIV. 30. Conveniunt hæc accurate cum illis, quæ Judæi Dæmonum generi שדים appellato, sive geniis adscribere solent in Gem. חגיגה *fol.* XVI. I. תנו רבנן ששה דברים נאמרים בשידים שלשה כמלאכי השרת ושלשה כבני אדם שלשה כמלאכי השרת יש להם כנפים כמלאכי השרת וטסין מסוף העולם ועד סופו כמלאכי השרת ויורעין מה שעתיד להיות כמלאכי השרת יורעין - ושלשה כבני אדם אוכלין ושותין כבני אדם פרין ורבין כבני אדם ומתים כבני אדם: *Docent Rabbini nostri*, *sex res dici de* שדים, *in tribus convenire cum Angelis ministerii*, *in tribus autem cum hominibus*. *Tria*, *in quibus cum Angelis ministerii conveniunt sunt*, *quod* & *alas habent*, *sicut Angeli Ministerii*, *atque ab extremitate mundi volitant ad extremitatem instar angelorum ministerii*, & *noverunt quæ in posterum futura sunt*, *sicut Angeli ministerii* - - *Tria in quibus cum hominibus conveniunt*, *hæc sunt*: *edunt bibuntque sicut homines*, *augentur* & *multiplicantur sicut homines*, & *moriuntur hominum ad instar*. R. Bechai autem in ביאור על התורה *fol.* CXXXIX. *c.* 4. inde eos futura præscire dicit, quod ea in sphæris elementorum habitantes, auscultent: כי לפי שהם שוכנים באויר בגלגלי היסודות מבינים העתידות משרי המזלות *quia habitant in aere in sphæris elementorum*, *futura intelligunt e principibus planetarum*. Eorum alios Legi Mosis credere, alios fidem negare traditur in אינרת בעלי חיים *cap.* XV. דע כי בשדים טובים ורעים כופרים ומאמינים צדיקים ופושעים כאשר ימצאו בבני אדם *Scito*, *inter Schedim bonos malosque*, *incredulos* & *credentes*, *justos* & *prævaricantes reperiri*, *quemadmodum inter filios hominum*.

XLVIII. De primo homine multa singularia confinxerunt Mohammed ejusque Sectatores; creatum eum postrema hora diei Veneris, ut Jahias ex Mogiahedo narrat in scholiis ad Alcorani *Surat.* II. خلق الله ادم اخر ساعة النهر من يوم الجمعة; e pulvere omnium colorum variis aquis mixto, ut Gelal *Comment. in cit. Surat.* testatur: statura corporis ingenti & gigantea, quod e Mohammedis traditione refert Jahia ad *Surat.* VII. 22. قال رسول الله كان ادم رجلا طوالا كانه نخلة سحوق كثير شعر الراس *Dixit Legatus Dei* (Mohammed) *Adam erat valde altus velut palma sublimis*, *coma plurima capitis vestitus*. Adamum præputio præciso creatum esse, quare idem de Mohammede refert Abul Feda de *vita Mohammedis p.* ubi vide Cl. Gagnierii notas. Creatum omnes Angelos venerari jussos a Deo, quod cum detrectasset Diabolus de felicitatis gradu dejecto fuisse *Surat.* VII. II. ut etiam supra ostendimus: qui Adamum tamen deinde invidia percitus, in eam malorum abyssum præcipitavit. Hunc casum Adamum amare deflevisse atque resipuisse Mohbmmed docet *Surat.* II. 37. denique libros cœlitus ad eum demissos, quibus salutis via ei posterisque panderetur. v. *Comp. Relig. Moham.* a Cl. Relando edit. c. 4. Quæ omnia cnngruunt cum Judæorum traditionibus. Inde constat Adamum בערב השבת *pridie Sabbathi* conditum esse. Ita enim in Gem. סנהדרין *fol.* XXXVIII. *c.* I. traditur: תנו רבנן אדם נברא בערב שבת ומפני מה שלא יהו מינין אומרים שותף היה לו להק׳בה במעשה בראשית *Tradunt Rabbini Adamum creatum esse vespera* (pridie) *Sabbathi*: *ne hæretici ansam arriperent cavillandi*, *hominem Deo* O. M. *in creando mundo opem tulisse*. Adamum porro e pulvere sive luto potius e quatuor mundi plagis petito, Raschi ad Gen. II. 7. observat: צבר עפרו מכל האדמה מארבע רוחות (Deus) *pulverem ejus*

(Ada-

( Adami ) *ex omni terra collegit*, *e quatuor ventis*. & in Gem. סנהדרין *fol.* XXXVIII. 2. אמר רב אושעיה משמיה דרב אדם הראשון גופו מבבל וראשו מארץ ישראל ואיבריו משאר ארצות. *Rabb Oſchaja nomine Rabb perhibet*, *corpus primi hominis deſumtum fuiſſe e Babel*, *caput e* ( pulvere ) *Terræ Iſraeliticæ*, & *alia membra e reliquis regionibus*. Statura monſtroſa Adamum fuiſſe referunt, quam nonnulli ad 100. cubitos extendunt, ut templi loco eſſet, quod totidem cubitorum erat; alii eam corporis magnitudinem tribuunt, quæ ab Occidente ad Orientem exporrecta eſſet: ſic ut Angeli tanta mole perculſi eum adorare noluerint, in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* 120. *cap.* 1. כיון שנברא אדם קם על רגליו והיה מתואר כדמות אלהים והיה קומתו מן המזרח למערב וראו אותו כל הבריות ונתיראו מלפניו סבורי׳ שהוא בורא ובאו להשתחות לו *Cum Adamus creatus eſſet*, *erectus ſtetit forma Angelis ſimili*, *magnitudo ejus ab Oriente ad Occidentem protendebatur*: *qua viſa omnes creaturæ eum timebant Creatorem ſuum credentes*, *atque incurvare ſe voluerunt*. vide & Gem. סנהדרין *fol. cit. c.* 2. Sammaelem Diabolorum Principem, invidia impulſum ab obſequio Dei Adamum abſtraxiſſe, Menachem Rekanatenſis refert in פירוש על התורה *p.* 29. 2. nempe ſplendidum illum apparatum, quo Deus hominis nuptias celebraturus erat, invidiſſe Sammaelem, atque adeo Serpentem ut illi noceret adſciviſſe. Multi ſunt in narranda Adami reſipiſcentia, eum diu vehementiſſimeque peccatum deploraviſſe, totis annis 130. addito jejunio: in עמק המלך *fol.* CXXV. 2. ואדם הראשון עשה תשובה חמורה וקשה מאור שעמד בנהר גיחון ועשה תענית ק״ל שנה. *Primus homo acerbam fecit admodum pœnitentiam*, *centum enim & triginta annos in fluvio Giohon ſtando jejunavit*: Librum etiam excellentiſſimæ Sapientiæ accepiſſe in Paradiſo ab Angelo Rafiele, legitur in זוהר, in בראשית *fol.* 171. & in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* 1. *fol.* XI. *c.* 3. Deum librum Adamo e cœlo demiſiſſe. Denique Adamum circumciſum natum eſſe, legitur in *Libro cit. Part.* 1. *fol.* V. *c.* 1. אדם הרשון נברא מהול *primus homo ſine præputio natus eſt*.

XLVIII. Adami poſteros eadem lege venire in orbem terrarum, poſtquam quæ cuique ſive bona ſive mala eventura ſunt, fixa & decreta, & chartæ de collo infantis nati pendenti inſcripta eſſent: *Surat.* XVII. 13. ubi videndus eſt Mogiahedus: perinde atque Rabbini quotieſcunque homo naſcatur Angelum quendam fata ejus ex Deo ſciſcitari dicunt in Gem. חגינה *fol.* XII. 1. & סנהדרין *fol.* LIX. 2. Porro doctrina Mohammedis eſt, homines cum ad præſcriptum vitæ terminum pervenerint, ad moriendum compelli ab ملك الموت *Angelo mortis*, & vel invitis animam eripi *Surat.* XXXII. 12. قل يتوفيكم ملك الموت الذي وكال بكم ثم الي ربكم ترجعون *dic*: *extrahet e vobis animam Angelus mortis*, *qui vobis eſt præfectus*, & *ſic ad Dominum veſtrum reducemini*. vide & *Surat.* LXXIX. 1. vita autem functos rigidiſſimum examen ſubire in ſepulchro, quales in cultu Dei fuerint: unde Poeta in Carmine MS.:

وفي اجدات عن توحيد سبيل
كل حسس بالسوال

*Et in ſepulchro unuſquiſque examine probabitur*, *quid ſenſerit de cultu unius Dei*.

Conſtituti ſcilicet eſſent duo Angeli منكر ونكير *Monker & Nakir*, terribilia modſtra, dentibus ingentibus, voce ad tonitru fragores accedente, lividis oculis & tamen flammantibus, qui interrogabunt: من ربك وما دينك ومن نبيك *quis eſt Dominus tuus*, *quæ tua Religio*, *quis tuus Propheta*? vide *Surat.* VI. 94. & 158. VIII. 53. XVI. 18. & Algazelium *in expoſitione profeſſionis fidei Moſlim*: improbos diriſſimis verberibus excipient, quod عذاب القبر *tormentum ſepulchri* Mohammedani vocant: ubi الملايكة يضربون وجوههم وادبارهم وذوقوا عذاب الحريق *Angeli facies & dorſa improborum* fuſtibus ferreis *percutient* dicturi: *guſtate pœnam combuſtionis Surat.* VIII. 53. & XLVII. 27. Contra pios conſolaturos eſſe his veerbis: لا تخافوا ولا تحزنوا وابشر وبالجنة التي كنتم توعدون *Ne timeatis*, *neque contriſtemini*, *ſed lætemini in Paradiſo*, *qui vobis promiſſus eſt*. *Surat.* XLI. 30. quos eciam Angeli introducturi eſſent hoc modo: سلام عليكم ادخلوا الجنة بما كنتم تعملون *Pax ſuper vobis*, *intrate*

*Pa-*

*Paradisum*, *cujus rei gratia laboravistis*. *Surat.* XVI. 32. & XXI. 103.

L. Paria ante Mohammedem docuerant Rabbini, innumera fere exstant de מלאך המות *Angelo mortis* Argo oculatiore, gladio ingenti armato, qui piorum animas placide, quemadmodum filum e lacte educat, improborum reluctantium magna vi adhibita, sicut lanam e carduis evellat: testimonium est in נשמת חיים *fol.* LXXVII. I. 2. Simillimo modo improbos post mortem a binis Angelis hinc inde raptari, ab una mundi plaga ad alteram: in נשמת חיים *fol.* XVI. 2. אמרו רבותינו ז׳ל שני מלאכים יש אחד בסוף העולם ואחד בסופו ומשליכים נפש רשע זה לזה שנאמר ואת נפש אויביך יקלענה בתוך כף הקלע *Rabbini nostri p. m. tradunt, binos esse Angelos, quorum alter in una, alter in opposita mundi parte stat, atque hinc inde jaculari improborum animas.* Q. D. I. Sam. XXV. 29. vitam inimicorum tuorum ejaculabitur e medio cavo fundæ. Talia etiam leguntur in Gem. שבת *fol.* CLII. 2. In sepulchro inprimis improbos horrendum in modum excipi *fustigatione*, quam vocant *sepulchrali* חבוט הקבר quam ita describit Rabbi Elia in תשבי voce חבוט. כתוב במדרש רבי יצחק בן פרנך שאלו לו תלמידיו את רבי אליעזר כיצד דין חבוט הקבר אמר להם כיון שנפטר האדם מן העולם בא מלאך המות ויושב על קברו מיד נכנסה נשמתו בגופו ומעמידו על רגליו וכולי אמר רבי יהושע בן לוי ובידו שלשלת חציה של ברזל וחציה של אש ומכה אותו פעם ראשונה אבריו מתפרקין שנייה עצמותיו מתפזרים ובאים מלאכים ומקבצים אותם ומכה אותו פעם שלישית ונעשה עפר ואפר ומחזירו לקברו. *Scribitur in Medrasch R. Isaaci filii Parnach: interrogarunt discipuli R. Eliezerem, qualis est modus fustigationis* חבוט הקבר? *Respondit, postquam exiit homo ex hoc mundo, venit Angelus mortis, atque considet super sepulchro: statim redit anima in corpus suum, erigitque id in pedes &c. Dixit R. Jehoschua filius Levi: & in manu ejus est catena, cujus media pars ferrea est, media ignea, eaque verberat. Primo ictu dissolvuntur membra ejus, secundo ossa dissipantur, tum Angeli accedunt colliguntque ea. Si tertia vice percusserit redigitur in cinerem & pulverem, reditque in sepulcrum.* Plura de hoc argumento videri possunt in ראשית חכמה *f.* XLV. *c.* I. 2. & in סוד הנשמה R. Abæ.

LI. De conditione vita functorum etiam hæc tradit Mohammed, animas tum circa ædes relictas aliquamdiu vagari, ut videant quomodo hæredes Testamento defuncti satisfaciant, tum integri anni spatio circa sepulcrum hærere, ut quinam pro se preces fundat & mortem lugeat intelligant, vide Abrahami Echellensis *Chronicon Oriental. pag.* 243. Eadem etiam Rabbini docent in Gem. שבת *fol.* CLII. animam corpore per mortem relicto, non illico sive ad Gehennam, sive ad Paradisum pergere, sed hic in terra aliquamdiu, & in sepulcretis hærere anni labentis spatio. vide *Dissert. nostram* de אוב & אובות §. XV. & adde Gem. תענית *fol.* XXIII. Erat eadem quoque Græcorum opinio. Plato Phædone *pag.* 386. improborum animas dicit corporis vehementi desiderio teneri, nec facile etsi mortuum relinquere posse. Ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ ᾅδου, ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη: *rursus trahitur ad visibilem locum invisibilium & orci metu, & quemadmodum fertur, circa monumenta & sepulcra vagatur.*

LII. Corporis in pulverem redacti restaurationem sive mortuorum resurrectionem, non minus atque Christiani, credit Mohammed vide *Surat.* II. 85. 176. III. 9. 54. VI. 12. XVII. 50. &c. quemadmodum etiam Poeta:

ميت الخلق قصاهم يحيي فيجزاهم
علي وفق الحصال

*Morte afficit homines vi, eosdemque revocat in vitam, & retribuit præmium vel pœnam secundum opera.*

Verum hoc aliunde didicit, quod non sola Dei virtute & potentia in vitam revocatum iri dicit, totos in pulverem redactos, sed ex officulo quodam superstite, atque corruptionis experte, العجب appellato. Dixit enim Mohammed Ebn Athir teste: كل ابن آدم يبلي الا العجب *totum hominem convert; in pulverem excepto alodzbo*: quod officulum in infima dorsi parte ad os sacrum collocat ibidem: idque postremo tempore rore quodam cœlesti humectatum ea, virtute futurum, ut corpus inde restaurari queat. Huc respexisse videtur *Surat.* XLIII. II. والذي نزل من السماء ماء بقدر فانشرنا به بلدة ميتا كذلك تخرجون: *Et qui demittit e cœlo aquam in mensura, & vegetamus ea regionem mortuam: ita educemini* e sepulcris. Vestibus quoque suis ornatos pro-

dituros e ſepulchris affirmat: Angelum Afrafhelem cum buccinæ clangore excitaturus eſſet mortuos, ſuper lapidem Sanctuarii Hieroſolymæ collocant. *Surat. L.* 40. ubi Gelal: قريب مــن السماء وهو صخرة بيت المقدس أقرب موضع من الارض الي السماء e loco propinquo, *e loco, qui eſt vicinior cœlo quam alius Terræ locus, & eſt ſaxum ſive rupes domus ſanctæ*: ita tamen ut non ſtatim ad primum clangorem exeant e ſepulcris animati, ſed ad ſecundum demum, qui primum longo intervallo ſequetur. *Surat.* XXXVI. 48. 50.

LIII. Didicit ea omnia a Magiſtris ſuis Rabbinis Mohammed, qui illud myſterium de officulo ejuſmodi, quod לוז appellant, primi prodiderant: ילקוט חדש *fol.* CXLII. 1. בתחיית המתים כל מתי חוצה לארץ יברא להם הקבה גוף שלם מעצם קטן שאינו נרקב. *Cum vivificabuntur mortui, Deus B. omnibus qui extra Terram* ſanctam *mortui ſunt integrum corpus creabit ex officulo quod non putreſcit*. Et in זוהר in Geneſ. f. 206. hoc de officulo legitur: גרמא חד דאשתאר בידה בבר נש תחות ארעא ההוא גרמא אתעביד כעסה בחמירא ועליה יבנה הקב״ה כל גופא *Os aliquod reperitur in homine quod etiam ſub terra incorruptum manet: hocce os factum eſt inſtar maſſæ fermenti, & illo Deus* O. M. *totum corpus reſtituet*. vid. etiam בראשית רבה *Sect.* XXIX. *fol.* 78. & R. Meier filium Gabbai in עבודת הקדש *fol.* LIII. 1. ubi idem officulum etiam חרווי רקב appellatur. Rore quodam cœleſti, quem טל התחיה vocant, illud officulum imbuendum, atque ita ut reſtaurari inde corpus poſſit præparandum eſſe, iidem tradunt l. c. in ילקוט חדש. vide quoque R. Abarbanelem in נחלות אבות *fol.* CXL. *c.* 2. & Celeb. Pocockium, qui hac in re jam ante comparavit Mohammedis cum Rabbinorum opinionem, *ad Portam Moſis p.* 120. Facere non poſſum, quin hac occaſione etiam illud de Rabbinico officulo addam: id quidem omnis corruptionis expers eſſe, quod tamen non obſtaret ex eorum ſententia, quo minus idem officulum in illis, qui ſe non inclinarent in oratione מודים *Modim* dicta, in ſerpentem convertatur: in ספר ציוני *fol.* XXIII. 2. וזהו העצם שנשאר עד התחיה ואז טל התחיה חל עליו ומאן דלא כרע במודים נעשה מאותו עצם נחש בריה מקולקלת *Hoc eſt illud officulum* (de Luz ibi ſermo eſt) *quod ſuperſtes eſt uſque ad reſurrectionem mortuorum, tunc ros vivificationis illud imbuit. Si quis autem in oratione Modim ſe non incurvat, os illud ſerpens fit creatura perverſa*. Ita enim oſtendere poſſum, eam de officulo illo opinionem, etiam ad Græcos emanaviſſe: teſtimonio luculento eſt locus Æliani *Hiſtor. Animal. lib.* 1. *cap.* 51. Ῥάχεως ἀνθρώπε νεκρȣ̃ φασὶν ὑποσηπόμενον τὸν μυελὸν ἤδη τρέπειν ἐς ὄφιν. *Hominis mortui Spinæ medullam putreſcentem in ſerpentem converti ajunt*: improbi nempe hominis, de quo Ælianus loc. cit. loquitur.

LIV. Non ſine veſtibus mortuos e monumentis prodituros, itidem Magiſtri docent tritici exemplo, in Gem. סנהדרין *fol.* XC. 2. שאלה קלפטרא מלכתא את רבי מאיר אמרה ודענא דחיי שכבי דכתיב ויציצו מעיר כעשב הארץ אלא כשהן עומרין עומדין ערומין או בלב ושיהן עומדין אמר לה קו׳ מחיטה ומה חיטה שנקברה ערומה יוצאה בכמה לבושין צדיקים שנקברים בלבושיהן על אחת כמה וכמה *Regina Cleopatra e R. Meiero quæſiviſſe dicitur: Novi quidem mortuos reſurrecturos eſſe*. Q. D. Pſ. LXXII. progerminabunt graminis terræ inſtar. *Sed cum reſurgent, utrum nudi an veſtibus induti reſurgent? qui ita reſpondit argumento uſus a minori ad majus a tritico ſumto, nempe: ſi granum tritici nudum terræ mandatum multis veſtibus indutum progerminet: quanto magis pii, qui cum veſtibus ſepeliuntur, cum iis reſurgent*. Talia leguntur in Gem. כתובות *fol.* CXI. 2. & in ספר עיר גבורים *fol.* XVIII. 2. Ab Angelo ingenti tuba inſtructo, mortuos excitatum iri Hieroſolymis, ita ut in Terra ſancta primi vitam Spiritumque recipiant, utpote ad quos tubæ illius clangor primum pervenerit, plurimis locis Rabbini docent, quæ in vulgus nota ſunt; vide R. Bechai in ביאור התורה *fol.* LVII. 3. & quidem ex olivarum monte dirupto prodeant Iſraelitæ. Ita R. Meier fil. Gabbai in עבודת הקדש *fol.* LIII. *c.* 2. ſententiam R. Simeonis ben Jochai recenſens: כל אינון דגופא דילהון בארעא מסבבא אינון גופא בלא רוחא עד די יתגלגלון תחות ארעא וימטון לארעא דישראל ויפקון מתחות הר הזתים *omnia corpora, quæ in terra impura* (gentium) *ſepulta ſunt, corpora ſunt anima carentia donec per ſubterraneos meatus* (difficili & moleſtiſſimo itinere) *in terram Iſraelis devolvenda ſint, ſub monte olivarum prodituræ*. Denique non ad primum Tubæ ſonum prodituros eſſe olim mortuos, ſed poſtquam diverſis temporibus tuba audita eſſet, narratur in אותיות של רבי עקיבה *fol.* XVII. *c.* 3.

LV. In vitam revocati univerſi coram

ram Judice Deo comparebunt e Mohammedis ſententia, *Surat.* II. 4. ut quivis pro vitæ exactæ ratione, ſive præmium ſive pœnam conſequatur. Quamobrem duo ingentia volumina, quorum alterum recte facta, alterum peccata & ſcelera contineret, proferenda atque in ingentem Libram cujus altera lanx (cui bona opera impoſita eſſent) Paradiſo; altera (ſceleribus onerata) Gehennæ impenderet, conjicienda eſſent, ut ponderentur. Poeta in Carmine MS.

ويعطي الكتاب لبعض نحو
يمني لبعض نحو ظهر
والشمال

*Et quibuſdam dabitur liber a dextra, aliis a tergo & a ſiniſtra.*

حق وزن الاعمال وجري
علي متن الصراط

*Vere ponderabuntur opera hominum, & ibitur per mediam viam.*

Ita ut quorum bona opera gravitate ſuperent, in perpetuum felices; quorum autem ſcelera fuerint graviora, miſerrimos & omnibus modis ſine fine excruciandos pronuntiaturus ſit Judex. *Surat.* XXIII. 104. 105. فمن ثقلت موازينه فاولايك هم المفلحون ومن خفت موازينه فاولايك الذين خسروا انفسهم

*Porro quorum graves fuerint lances* bonis operibus injectis *beati erunt: quorum vero leviores fuerint lances, hi ſunt qui perdent animas ſuas*: vide etiam *Surat.* VII. 8. 9. De hac Libra ſequentia referunt:

الميزان ذي الكفتين واللسان صفته في العظم مثل طباق السموات والارض توزن فيه الاعمال وتطرح صحايف الحسنات في صورة حسنة في كفة النور فيثقل بها الميزان علي قدر درجاتها عند الله بفضل الله وتطرح صحايف السيات في صورة قبيحة في كفة الظلمة فيخف فيها الميزان بعدل الله تعالي *Libram eam conſtare duabus lancibus & examine, quæ magnitudine cœlorum & terræ ſuperficiem exæquet, in qua hominum opera ponderabuntur: conjicientur libri bonorum operum nitide formati in lancem lucis, quare illis ſtatera gravior erit, ac deprimetur, juxta illorum gradus apud Deum, ex illius benignitate. Sed libris malorum operum in lancem tenebrarum conjectis, leviter aſcendet libra per juſtitiam Dei ſummi.* Hæc & alia de Libra hac memoriæ prodidit Kemal Paſcha in MS. quod in Bibliotheca Lugdunenſi ſervatur رسالة الميزان *de Bilance die judicii pendenda*. Simillima ſunt, quæ Judæi de libris hominum bene vel male facta exhibentibus tradunt in מדרש ילקוט שמעוני *fol.* CLIII. *cap.* 3. לעתיד לבא כשיבא הקדוש ברוך הוא לדין על בריותיו מביא כל הספרים של בני אדם ומראה להם מעשיהם *Seculo futuro quo Deus B. judicium exercebit in creaturas ſuas, producet libros filiorum hominum, eorumque opera illis oſtendet.* Libram illam ingentem, quæ operum ſive malorum ſive bonorum pondera examinabit, depingunt in Gem. סנהדרין *fol.* XCI. I. & in קידושין XL. I.

LVI. Re accurate examinata & expenſa, quorum peccata pondere ſuperaverint in Gehennam, atque æternos cruciatus conjiciendos aſſerunt: quorum autem bona opera æqualia fuerint malis, in tertium quendam locum relegandos autumant, donec expiatis per temporariam pœnam peccatis, in Paradiſum Mohammede pro eis deprecante reciperentur: vide *Surat.* XIX. 69. cum ceteri, quorum bona opera malis majora fuiſſent, ſtatim in Paradiſum pervenirent: hæc etiam ex MS. Hiſpano-Arabico obſervavit Celeb. Relandus *de Religion. Mohammed. lib.* I. *pag.* 59. Noverant triplex illud hominum genus, quorum tam diverſa futura eſſet conditio, ante Mohammedem Rabbini: conſummatæ ſive pietatis, ſive impietatis homines & בינונים *medios* ſtatuunt; i.e. quibus vitii plurimum adhuc adhæſiſſet, licet virtutis quoque fuiſſent ſtudioſi: illis Paradiſum, iſtis Gehennam, his peculiarem locum apud inferos aſſignant, ut peccata luant, quibus expiatis recipiantur in Paradiſum Gem. ראש השנה *f.* XVI. *c.* 2. & מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* 86. *c.* 4. תניא בשא׳ שלש כתות הם ליום הדין א׳ של צדיקים גמורים וא׳ של רשעים גמורים ואחד של בינוניים צדיקים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לחיי העה״ב׳ רשעים גמורים נכתבים ונחתמים לאלתר לגיהנם שנאמר ורבים מישני אדמת עפר יקיצו אלה לחיי עולם ואלה לחרפות ולדראון עולם בינונים יורדין לגיהנם ומצפצפים ועולים - - - ועליהם אמרה חנה יש ממית ומחיה מוריד שאול ויעל *Traditur domum ſive ſcholam Sebammai*

*mai tres ſectas fore credere ultimi judicii die: primam piorum alteram impiorum, tertiam mediorum. Pii toto corde tales notabuntur & obſignabuntur ad vitam: improbi toto corde tales ſtatim notabuntur & obſignabuntur ad Gebinnom* Q. D. (Daniel. XII. 2.) multi e dormientibus in pulverulenta terra expergiſcentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum ſempiternum: *Medii* (quoque) *deſcendent in Gebinnom, ibique pipient* (pœnas dabunt) *ſed tamen liberabuntur; & de illis Hanna dixit*: (I. Sam. II. 6.) Jehova morte afficit, & in vitam reſtituit, dimittit in ſepulchrum, & educit. Ablutione quadam moleſtiſſima expiationem illam, apud inferos peragi, legitur in נשמת חיים *fol.* LXXXII. 2. אכל העונש הזה אינו שוה לכל ארם כי יש צריקים אשר מגיע אליהם כמעשה הרשעים פעם אחת ושתים כי אין צריק בארץ אשר יעשה טוב ולא יחטא ואלו הם הצריכים שטיפא בלבר ואינם מתעכבים שם בניהנם אלא עוברים דרך העברה במהירות והמקובלים נזרו העונש הזה כמעט לכל הקרושים אשר בארץ הסה לצרף הנשמה בניהנום מכתמירה. *Verum hæc pœna non eſt æqualis omnium: ſunt enim juſti, qui una aut altera vice idem faciunt quod improbi: quia non eſt juſtus in terra, qui faciat bonum nec peccet: atque his opus modo eſt ablutione, nec diu in Gebenna morantur, ſed celeriter tranſeunt. Cabbaliſtæ etiam ſtatuunt, omnes fere orbis terrarum ſanctos eam pœnam ſubire, ut anima in Gehenna a maculis ſuis purgetur*. Per Abrahamum tandem liberari referunt in Gem. ערובין *fol.* XIX. *cap.* I. דמחייבי ההיא שעתא בניהנם ואתי אברהם אבינו ומסיק להן (Medios hos) *qui ad certum tempus ad Gehennam damnantur, Abrahamus Pater noſter educet*. Propterea quod Abrahamus olim ob nomen Dei in ignem a Chaldæis (Ur Caldæorum) conjectus eſſet, tantum ejus inde meritum ortum exiſtimant, ut alios ex Orci faucibus eripiat; vide ילקוט חרש *fol.* LV. 3.

LVII. Gehennam accurate Mohammed deſcribit: in ſeptem conclavia eſſe deſtinatis *Surat.* XV. 43. لها سبعة ابواب لكل باب مهم جزء مقسوم *illi ſunt ſeptem portæ, ſingulis portis aſſignabitur ex illis pars ſeparata*: a Mohammedanis, Judæis, Chriſtianis, Zabæis, Magis, Idololatris & hypocritis occupanda, vid. Pocock. *ad Portam Moſis p.* 289. quamvis nonnulli Mohammedani alio ordine conclavia illa conſtituant: a Keſſæo enim in *hiſtoria Prophetarum* ita enumerantur: in جهنم *Gehenna* erunt improbi Mohammedanorum toto corde tales: in لظي *Lada* Idololatræ: in الحطمة *Alhotma* Gog & Magog illiſque ſimiles: in السعير *Alſair* Dæmones: in سقر *Sacar* illi qui eleemoſynas & preces non obſervarunt: in الجحيم *Albazjim* Judæi, Chriſtiani & Magi: ultimam denique manſionem الهاويه *Albaviat* hypocritis deſtinatam eſſe ſcribit. In aliis frigoris in aliis ignis ſenſum vehementiſſimum eſſe, addit Mohammed *Surat.* XI. 108. torrente igneo potandos eos dicit *Surat.* LXXXVIII. 5. cibum ibi eſſe, qui non depellat famem *ib. c.* 6. 7. vide *Surat.* XXXVIII. 58. & LVI. 44. quare illorum facies nigræ ſint futuræ. *Surat.* XXXIX. 63. Gehennæ & ſingulis conclavibus Angelos eſſe præfectos *Surat.* XL. 50. in *Surata* autem LXXIV. 30. 31. novemdecim gehennæ cuſtodes Angeli numerantur: quos, impios judicium Dei laudaturos, ut pro ſe Deum orent, ut cruciatibus liberentur, compellare aſſerit *Sur.* XLIII. 75. tenui pariete الاعراف vocato, ſejunctam Gehennam a Paradiſo eſſe, ut colloqui impii cum piis poſſint *Surat.* VII. 47. Denique pontem quendam ſuper Gehennam memorat exſtructum: الصراط احد من السيف وادق من الشعر ترل عليه اندام الكافرين بحكم الله فيهوي بهم الي النار *Sorat, gladio acutiorem, pilo ſubtiliorem, quem damnati ingredi juſſi, in ignem* (Gehennæ) *ſubjectum præcipites ruerent Dei judicio*: hoc traditur in MS. Abu Moh. Abdulhak Ezdenſis كتاب العاقبة في احوال الاخرة *de extremis hominis, videlicet Morte ſepulcro, judicio* Ponte *&c.* quod in Bibliotheca Leidenſi ſervatur.

LVIII. Gemina de gehenna ante Mohammedem memoriæ prodiderant Rabbini, illi æque atque Mohammedani ſeptem conclavia & ſeptem portas tribuentes: in נשמת חיים *fol.* XXXII. *c.* 2. דע כי יש בניהנם ז׳ מרורות ליפרע מן הרשעים *Scias in gebenna 7. eſſe conclavia, ubi impii pœnas dabunt*. vide & Gem. ערובין *f.* XIX.

*f.* XIX. *c.* I. & septem hæc conclavia esse pro רע *malo*, בליעל *Beliale*, חוטא *peccatore*, רשע *impio*, משחית *nocente*, לץ *irrisore*, & יהיר *arrogante*, in זוהר ad Exod. XXVI. 2. docetur. Alia vide in Gem. סנהדרין *fol.* CX. *c.* I. & in עמק המלך *fol.* CXLIV. *cap.* 2. שבעה פתחין לגיהנם *septem portas gehennæ esse* legitur: cuilibet illarum Angelum esse præfectum R. Naphtali Hirtz in laudato libro loc. cit. refert: בכל מדורא ומדורא אית מלאך ממונה על ההוא אתר *in quovis conclavi Angelus est illi loco præfectus*: eumve pro impiis precari *ib.*: damnatos hisce in conclavibus judicium Dei laudaturos esse, in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *fol.* 116. *c.* 4. מצדיקין עליהם את הדין ואומרים רבש״ע יפה זכית יפה חייבת יפה תקנת גיהנם לרשעים גן עדן לצדיקים: *justum ibi pronuntiant Dei judicium dicentes: Domine mundi pulchre probos absolvisti: pulchre improbis gehennam pios vero Paradisum præparasti*. Frigoris quoque & ignis sensum in gehennæ Rabbini æque atque Græci Tartaro suo tribuunt in זוהר ad Exod. XIX. Torrentem igneum נהר של אש in gehennam effundi eoque improbos potandos esse in ילקוט ראובני *fol.* CVII. *c.* I. docetur: ideoque impiorum facies nigras fore: in מדרש ילקוט שמעוני *Part.* II. *f.* 86. 4. Parietis autem tenuis quo gehenna a Paradiso distinguitur mentio fit in ציוני *fol.* XI. *c.* 2. גן עדן וגיהנום סמוכים וכותל אחד מספיקתן *Paradisus & gehenna sibi vicina sunt, & pariete duntaxat separantur*. Quæ denique Mohammed de ponte pilo subtiliore retulit, etiam e Judæorum scriptis petita esse, liquet e ילקוט ראובני Sect. *Gebinnom* num. 9. לעתיד יעברו עכו״ם על גשר של גיהנם ויהיה לפניהם כחוט ונופלים לפניהם לגיהנם. *Idololatræ tunc pontem gehennæ transibunt, illisque fili instar erit, quare etiam in gehennam præcipites ruent*.

LIX. Paradisum depingit, tanquam hortum amœnissimum *Surat.* V. 74. *Paradisum æternitatis* جنة الخلد vocat *Surat.* XXV. 10. & *Surat.* LV. 61. 62. جنة عدن *hortos Eden. Surat.* XVIII. 32. ultra septem cœlos evectos: & octo portis instructos *Surat.* XXXVIII. 52. gratissimis arboribus superbientes: in Paradisi medio ingentis magnitudinis arbor conspiceretur, foliis partim aureis, partim argenteis, cujus rami undiquaque porrigerentur. *Surat.* XXXVI. 56. XLIV. 54. Lautissime incolas Paradisi victuros, lactis, mellis & vini rivos fluere, unde sitim restinguere liceret *Surat.* LXXVI. 5. & III. 15. 136. & alibi: prægrandem autem taurum بالام *Balam*, & النون *Nun* piscem in cibum præparatum iri, Athrir teste. Præterea alia quoque animantia bruta in Paradiso reperiri, puta asinam qua vectus fuerat Christus, camelum Mohammedis; unde etiam aries adductus ab Angelo fuisset, quem Isaaci loco Abrahamus immolavit: vide Gelal ad *Surat.* XXXVII. 108. quid? quod omnia simul cum hominibus bruta, in vitam revocanda sint, ut & illa meritis digna referant: vide Gelal ad *Surat.* LXXXI. 5. Denique gradus quoque felicitatis fore in Paradiso, quemadmodum pœnarum fuerant in gehenna. In inferioribus gradibus constitutis delicias illas cibi atque potus, & voluptates corporis assignant interdum Mohammedani: eorum autem qui ad summum gradum evehendi essent, summa felicitas consisteret in visione faciei Dei, quæ omnium voluptatum esset maxima: ita Algazelius: اكرمهم علي الله من ينظر الي وجهه غدوة وعشي *Maximo inter ipsos* (Paradisi incolas) *in honore apud Deum est, qui faciem ipsius mane & vesperi contemplabitur*: quod etiam ipse Mohammed statuisse ibidem dicitur.

LX. Accurate hæc conveniunt cum Judaica Paradisi descriptione, cujus nomina Hortus גן, עדן, פרדס in Rabbinorum scriptis ubique obvia sunt. Eundem extendunt usque ad septimum cœlum, ut supra ubi de cœlorum numero agebatur, vidimus: portas tribuunt tres in מגלה עמקות *p.* 78. 2. duas in מדרש ילקוט שמעוני *f.* VII. I. ubi eadem etiam flumina reperiuntur: ומושכין ממנה ד׳ נהרות אחד של חלב ואחד של יין ואחד של אפרסמון ואחד של דבש: *inde quatuor flumina labuntur*, *nempe lactis*, *vini*, *balsami atque mellis*: plurima l. c. habentur de Paradisi deliciis, vide etiam Gem. תענית *fol.* XXV. ברכות *fol.* XXXIV. & מדרש רבות *fol.* XXXVII. I. Magnifica inprimis & humanam fidem superantia sunt, quæ narrant de ingenti bove Behemoth & Leviathan pisce mactando, atque in cibum parando in Gem. בבא בתרא *fol.* LXXVIII. *c.* I. אמר ר׳ יוחנן עתיד הקב״ה לעשות סעודה לצדיקים מבשרו של לויתן *R. Jochanan dixit Deum Benedictum convivium justis paraturum esse de carne Leviathanis*. de Behemoth vide Raschi ad Jobi XL. Quæ tam similia sunt illis quæ Mohammed retulerat, ut ipsi

ipsi Mohammedani ea a Judæo quodam accepta fateantur, apud Pocockium *ad Portam Mosis p.* 298. Non gavisuros autem Paradisi incolas omnes eadem felicitate, sed alios aliis excellentiore pro graduum & conclavium, quæ septem statuunt diversitate, in נשמת חיים *f.* XXXII. *c.* 2. Summum autem felicitatis gradus esset eorum, qui *Dei faciem* assidue intuerentur, quod docetur in מדרש תהלים *fol.* XI. *c.* 3. שבע כתות הן שהן עתידין לעמור לעתיד לבא לפני חי וקיים קודשא בריך הוא ואי זו הכת המעולה שבהן שמקבלין פני שכינה זו כת ישרים שנאמר יחזו פנימו וכתוב אחר אומ' ישבו ישרים את פני: *Septem sunt agmina illorum, qui tempore futuro stabunt coram Deo vivente permanente, Sancto & benedicto: quodnam vero est felicissimum agmen? illorum qui stabunt coram facie divinæ Majestatis, hoc est agmen rectorum.* Q. D. Ps. XI. 7. videbunt faciem ejus: *& alio loco* (Ps. CXL. 14.) habitabunt recti coram facie tua.

LXI. Ritus Mohammedanorum & consuetudines ad Religionem pertinentes, si cum Judaicis institutis comparaverimus, insignem plane similitudinem deprehendemus, ut ad Judæorum imitationem, quin pleraque conficta a Mohammede & ejus Successoribus sint, dubitare amplius non possimus. Notum est, Judæos inde ab antiquissimis temporibus in lotione religiosa inprimis frequentissimos fuisse: quæ a Mose quidem in Lege sancita est, sed quam tempore procedente, maxime post Maccabæorum tempora, cum ingens illa Traditionum non scriptarum multitudo invecta esset, tot præceptis & placitis definiverunt, ut integri Codices Talmudici ידים טהרות & מקואות conscriberentur. In manuum lotione sunt religiosissimi, inde a temporibus Christi Marc. VII. 4. &c. ita ut ejus rei neglectionem maxima pœna dignam judicent. in לבוש *Part.* I. *num.* 158. כל המזלזל בנטילת ידים חייב נדוי ובא לידי עניות ונעקר מן העולם *quicunque negligit manuum lotionem, excommunicatione dignus est, pauper fit atque tollitur e mundo.* Unde Rabbi ille celeberrimus Akiva, cum in carcerem quod Barcochabum Pseudo-Messiam secutus esset conjecto, aqua ad sitim restinguendam allata esset, ad manus lavandas potius quam bibendum ea uti voluit, in Gem. עירובין *fol.* XXI. 2. Fiebat lotio usque ad פרק: vide Clariss. Pocockium ad *Portam Mosis p.* 356. 368. hoc vocabulum fuse exponentem. Adhibere autem aquam solent pluviam aut e fonte & vivo flumine, id est, assidue ebulliente מים חיים vid. Gen. XXVI. 19. aut mari denique haustam, in ידים *cap.* I. *m.* I. & מקואות *c.* IV. *m.* I. ibique עץ חיים Aristeas apud Josephum *lib.* XII. *Antiquit. cap.* 2. *p.* 396. de Auctoribus versionis Græcæ Alexandrinis refert, eos quovis mane antequam se ad interpretandi laborem conferrent, manus aqua marina abluisse. Ex qua ratione על שפת המים ad maria & flumina Synagogas exstruebant, ut ad Sacra accessuris aqua non deesset, qualis illa erat de qua Act. XVI. 13. sermo est. Ubi tamen aquæ inopia est, etiam arena & pulvere manus purgari posse בצרור או בעפר docent in *Gem.* ברכות *fol.* XV. I. & XXX. 2. Manus lavant ante preces, cibum & alvi exonerationem in *Cod.* חגיגה *c.* II. I. & זוהר *f.* XXIX. Licet autem populi Orientales & Arabes etiam lotionis fuerint a vetustissimis temporibus studiosissimi: tamen a Judæis accepisse Mohammed videtur, quod tam necessariam eam crediderit, ut sine ea suum cultui Divino, & omni Religioni honorem constare negaverit: unde Al Gazalius بني الدين علي النظافة الظهور نصف الايمان *Fundata est religio in munditie: & mundities est dimidium fidei.* Item quod aquam fontanam, pluvialem, marinam, præscripserit: vide *Compendium Religion. Mohammed.* Cl. Relandi *lib.* I. *cap.* 8. Lavantur manus usque ad cubitum, ex præcepto Mohammedis *Surat.* V. 7. & ubi aquæ esset inopia, التيمم *Al-Tayammom*, arena vel pulvis adhibetur ex ejusdem præscripto Surat. V. 7. وان كنتم مرضي او علي صفر -- فلم تجدوا ماء فتيمموا صعيدا طيبا فامسحوا دوجوهكم وايديكم منه ما يريد الله ليجعل عليكم من حرج ولكن يريد ليطهركم ولمته عيكم لعلكم تشكرون *Quod si fueritis ægroti, vel in itinere; -- neque inveniatis aquam, desumite superficiem pulveris boni, & defricate facies vestras, & manus vestras eo. Non vult Deus inducere vobis ullam difficultatem sed vult mundare vos, & in vobis gratiam suam perficere: an forte gratias agetis.* vide & *Surat.* IV. *v.* 42. Idem exprobrat Mohammedanis Bartholomæus Edessenus in *confutat. Hagareni* edita a Le Moine in *Variis Sacris p.* 349. jussisse Mohammedem: ὅτι ὅταν μὴ εὑρῆτες ὕδωρ,

ὕδωρ, ἵνα λαθῆς, χοῦν ἐστὶ τοῦ ὕδατος λαβὼν καθάρισον Καθέδραν, *ut, si invenire non possis aquam, ut laveris, pulvere aquæ loco accepto posteriora purges*. Adi etiam Pocokium, qui hic jam comparationem Judaicæ consuetudinis, cum Mohammedana instituit ad *Portam Mosis p.* 359. seqq.

LXII. Multa sunt quæ in precibus observari jusserunt Rabbini: qualia sunt, ut loti accedant preces fusuri, ut jam ostendimus: inprimis vero בעל קרי qui fluxu seminis laboraverat totum se aquæ immergere debet בטבילה, antequam orare possit: Joseph Karo in שלחן ערוך *Parte* אורח חיים *Sect.* 88. §. 1. ut כוונה *intentionem* habeant, hoc est animum hac in re defixum, & ab aliis curis revocatum: unde in אורח חיים *Sect.* 4. *num.* 1. edicunt: כל תפלה שאינה בכוונה אינה תפלה *Omnes preces sine intentione, sunt nullæ preces*. vid. *Gem. Hierosol.* ברכות *fol.* III. *c.* 2. Et in *Babyl.* ברכות *fol.* XXX. *c.* 2. sanctos viros olim integram horam meditationi impendisse referunt, antequam ad preces accederent: חסידים הראשונים היו שוהין שעה אחת ומתפללין כדי שיכוונו לבם לאביהם שבשמים: *Sancti veteres antequam preces funderent integram horam meditationi impendebant, ut ita cum intentione animum ad Patrem cœlestem dirigerent*: quare animo perturbato, & alia in re defixo orare haud licebat, referente Maimonide in הלכות תפלה *cap.* IV. *Sect.* 15. מצא דעתו משובשת ולבו טרוד אסור לו להתפלל עד שתתישב דעתו לפיכך הבא מן הדרך והוא עיף או מוצר אסור לו להתפלל עד שתתישב דעתו: *Si quis invenerit mentem suam incertam animumque perturbatum; illi haud licet preces fundere nisi mens ejus prius sedata fuerit: qua de causa ex itinere reverso, si fessus de via aut in angustias adactus fuerit, non licet prius precari quam mens ejus sederit*. Consistere jubent in loco puro, etiam in Synagoga a profano vulgo vacuo atque proprio, vestibus puris indutos: in מנורת המאור *fol.* XXVIII. 2. וצריך אדם לקבוע מקום ידוע לתפלתו בין שיתפלל עם הצבור בין יחידי שלא ישנהו כי אם בהכרח: *quivis tenetur locum fixum in Synagoga determinare ad orandum; sive solus sive cum cœtu preces fundat: eumve non mutare licet nisi urgente necessitate*. vide Maimonidem in הלכות תפלה *cap.* IV. *sect.* 8. 9. ubi preces recitandas esse perhibet, in loco de cujus munditie non dubitatur. Tunc preces exorsuri faciem convertant versus Hierosolymam, ex præscripto Salomonis 1. Reg. VIII. 34. & Danielis exemplo Dan. VI. 11. qui autem Hierosolymæ vivant, convertere se debent versus locum Templi, quemadmodum Sacerdotes olim sacris operantes, versus Sanctum Sanctorum se inter precandum convertissent, in Gem. בבא בתרא *fol.* XXII. 1. ברכות *f.* XXIV. XXV. & XXVI. Preces exordiantur laudando Deum εὐλογίᾳ, formulam præmittentes קדיש, in *Gem.* ברכות *fol.* XII. *c.* 2. & in מגלה *fol.* XVII. Præmittant quoque lectionem Sectionis de Sacrificio jugi, ut preces eorum victimarum loco habeantur, in מנורת המאור *fol.* XXVI. 2. ולפי שאין לנו מזבח וקרבנות לא נשאר לנו אלא שיח שפתותינו שאנו מהללים את בוראינו וזהו נקרא עבודה שבלב בזמן שאנו קורין בסדר הקרבנות מעלה עלינו הקב״ה כאלו הקרבנום ע״ג המזבח: *Quoniam non amplius altare & sacrificia habemus, nihil nobis præter orationem labiorum relictum est, qua Creatorem nostrum laudamus, & hic est cultus cordis* (confer Epist. ad Hebr. XIII. 15. 16.) *quo tempore igitur Sectionem Legis de sacrificiis agentem legimus, hoc nobis a Deo imputatur, ac si sacrificia in vertice altaris offerremus*. & ib. *col.* 2. קורין בכל יום פרשת התמידין קבעו רבותינו לשנות משנת איזהו מקומן השנוי במסכת זבחים. *Quoniam quotidie legere debemus sectionem de sacrificio jugi, ideo Magistri præceperunt ut legeremus caput in Codice Zevachim* v. איזהו מקומם Paria etiam leguntur in *Gem.* תענית *fol.* XXVII. *c.* 1. Denique addunt עדות testificationem, recitantes pericopam. Deut. VI. 4. שמע ישראל וגו׳. *Audi Israel* &c. vide סדר תפלות *p.* 25.

LXIII. Gestus Rabbini describunt, ut preces fundentes stent erecti: sicuti עמידה iisdem *precatio* est in *Gem.* ברכות *fol.* XXVIII. 2. & XXX. 2. quo modo etiam verbum עמד in S. Litteris, exponi existimant, in Gem. ברכות *fol.* XXVI. 2. תניא - - אברהם תקן תפלת שחרית שנ׳ וישכם אברהם בבקר אל המקום אשר עמד שם ואין עמידה אלא תפלה *Traditio Mischnica est, Abrahamum matutinas preces instituisse*. Q. D. Gen. XIX. 27. & mane summo Abrahamus erat in loco ubi stabat coram Jehova. *Radix enim* עמד *hic non stare simpliciter, sed orare significat*: ita ibidem explicant Ps. CVI. 30. hinc Pharisæus & Hypocritæ stantes precabantur, Luc. XVIII. 10. Matth. VI. 5. Stationem sequi debet justa corporis dispositio, atque vestimentis obtectio: vide Rabbenu Jacob in אורח חיים §. 74. pedes e. g. æqualiter sint juncti, quasi unus esset. Manus decussatim imponendæ: tum se incurvandum, ut manibus genua contingant: quæ Maimonides in הלכות תפלה *Cap.* v. *Sect.* 2. 4. 10. ita de-

defcribit: אין מתפלל אלא מעומד וכשהוא עומד בתפלה צריך לכוין את רגליו זו בעד זו ונותן עיניו למטה כאלו הוא מביט לארץ ויהיה לבו פנוי למעלה כאלו הוא עומד בשמים ומניח ידיו על לבו כפותין הימינית על השמאלית ועומד כעבד לפני רבו באימה ביראה ופחד ולא יניח ידיו על חלציו וכורע חמשה כריעות בכל תפלה ותפלה וכשנומר התפלה כורע ופוסע שלום פסיעות לאחריו ונותן שלום משמאל עצמו ואחר כך מימין עצמו ואחר כך מגביה ראשו מן הכריעה: *Non licet orare nisi ftando; & ita preces fundens pedes fuos componere tenetur unum ad alterum, oculos deinde deorfum flectere, ac fi terram refpiceret; animo furfum elevato, ac fi in cœlo verfaretur; manus porro pectori imponat necesse est complicatas dexteram fuper finiftra & ftet fervi inftar coram Domino fuo, reverentia timore ac tremore, neque manibus innitatur femoribus: præterea in quavis oratione quinquies fe inclinet, ut omnia membra explicentur, in primis in fpina dorfi, & ipfe fe compofuerit ad formam arcus. Et quando orationem finit, incurvet fe & tres regrediatur gradus, atque prius verfus finiftram fuam deinde verfus dextram falutantis inftar corpus inflectat, dein autem caput ab incurvatione fua elevet.* Vid. & Jofeph Karo in שלחן ערוך *Part.* אורח חיים *Sect.* 95. §. 1. & feqq. ubi additur ideo in precibus pedes æqualiter jungendos effe, ac fi unus modo effet: quia orantes Angelis fimiles effe deberent, de quibus dicitur: Ezech. I. 7. *eorum pedes rectus pes* q. d. pedes eorum ac fi unus effet confpiciebantur: & ibid. *Sect.* CXIII. §. 4. 5. additur: caput tanquam juncum incurvari debere: ægrotantem autem, qui fe ita inclinare non poffet ut omnia membra explicentur, caput duntaxat inclinare, atque ita intentionem ejus & voluntatem pro re ipfa fumi: alia de hoc ritu vide in Gem. ברכות *fol.* XXVIII. *c.* 2. Eam inclinationem הכריעה, excipit *in terram proftratio* השתחויה ut capite terram contingant manibufque: vide שלחן ערוך *Pbrt.* אורח חיים *Sect.* CXXXI. ubi etiam נפילת אפים vocatur: cujus toties mentio fit in S. Litteris e. g. Pf. XCV. 6. II. Chron. VII. 3. erigant autem fe paullatim non celeriter, ne inviti fefe inclinaffe videantur. Denique tribus diverfis temporibus preces fundendas præfcribunt, *matutino* שחרית Abrahami exemplo ante allato, hafve preces convenire volunt cum facrificio jugi matutino, quare ante horam diei quartam noftro computandi more decimam, fundi debent, quo tempore facrificium hoc immolari poterat: Gem. ברכות *fol.* XXVI. *c.* I. Recitandæ deinde funt preces tempore vefpertino five pomeridiano מנחה, defcendente Sole, Ifaaci exemplo Gen. XXIV. 64. ab hora diei nona vel tertia, quia tunc, facrificium juge vefpertinum immolabatur ib. *c.* 2. quæ tamen & תפלת צהרים *precatio meridiana* vocari folet. Denique tempore nocturno ערבית, exemplo Jacobi Gen. XXVIII. II. quæ exortis ftellis per integram noctem recitari poffunt. vide תוספות ad *Gem.* ברכות *fol.* XXVI. *c.* 2. quæ tempora Daniel obfervavit. Dan. VI. 10.

LXIV. Hanc precum fundendarum confuetudinem, fatis accurate imitati funt Mohammedani. Nonnifi loti ad preces accedunt, quare vulgo طهارت Luftrationem, clavem orationis vocare folent, quod Mohammed eam fuis adeo commendaverit Alcorani *Surat.* V. 7. يا ايها الذين امنوا اذا قمتم الي الصلوة فاغسلوا وجوهكم وايديكم الي المرافق. *O qui credidiftis cum orare in animum induxeritis, lavate facies & manus veftras ufque ad cubitum.* Semine polluti precibus intereffe haud poffunt nifi totum corpus laverint, quod vulgo غسل vocare folent, tefte Bovovio *de precibus Mohammedanorum.* Veftibus nonnifi puris induti ad preces fe conferunt, eafve in facro loco faltem puro ab omnibus fordibus fundunt, veftibus prius decenter compofitis. *Intentione cordis* حضور القلب fine qua nihil Deo placeret, inprimis neceffariam credunt. Hæc leguntur in كتاب شروط الصلوة *Libro de requifitis Orationis.* Faciem precaturi converterant olim Hierofolymam, ipfo Mohammede jubente, ut §. XIII. oftenfum eft: fed mox Meccam قبلة conftituit, quo in oratione refpicere debent. *Surat.* II. 151. ubi المسجد الحرام *Oratorium Haram*, five fanctiffimum vocatur. Mecca Perfis eft ad Auftrum, hinc preces fufuri verfus Auftrum facies dirigunt, tefte Oleario *in Itinerario p.* 681. De Perfis Mohammedanis intelligendum effe exiftimo Euthymium Zigabenum, qui juffiffe fcribit Mohammedem, ut ad auftrum converfi vota facerent: Mecca enim

enim ad quam ex præcepto Mohammedis respicere debebant Persæ, his sita erat in australi plaga: qua ratione vera dixisse apparebit, cum hoc merum commentum crediderit Vir quidam Celeb. qui de Religione Mohammedana scripsit. Precibus præmittunt *Dei celebrationem* التعظيم appellatam, qua Deum esse prædicant: الله اكبر الله اكبر *Deus est maximus, Deus est maximus &c.* & lectionem capitis primi, aut alterius Alcorani. Iidem precantium gestus conspiciuntur, stant pedibus arctissime junctis, quod اقامات vocatur: manibus decussatis: mox se inclinant, ut genua manibus contingant: qui gestus ركعات *Inclinationes* vocantur: quos excipiunt سجدات *Prostrationes*, quibus se prosternunt genibus innixi, ut fronte & manibus terram contingant: videri hæc possunt in Compendio Religionis Mohamm. a Cl. Relando edito, cap. IX. ubi gestus precantium æri sunt incisi. Addunt etiam تشهد *testificationem*: لا الله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus, nisi ipse Deus, & Mohammed est Propheta Dei:* quam tanti faciunt Mohammedani, ut preces testificatione hac ut vocant omissa, Deo ingratas esse referant apud Abu Horairam, de *ascensione Mohammedis in cœlum*, ubi Deum Mohammedi sequentia revelasse legitur: لا اقبل -- من مصل صلاة الا ان لا الله الا الله *Non suscipiam -- precantis preces, nisi Testificationem recitaverit, non est Deus nisi Deus* &c. Observantur etiam a Mohammedanis تسليمات *salutationes*. Denique Mohammed suis præcepit ut preces funderent *tempore matutino*, quæ in Alcorano صلوة الفجر a Turcis vero صباح نمازي *matutinæ preces* vocantur: vide de illis *Sur.* XXIV. 59. *tempore pomeridiana* post declinationem Solis ante ejus occasum, quæ idcirco ايكندي نمازي *precatio Pomeridiana* Turcis nominatur, in Alcorano *Surat.* CIII. v. 1. صلوة العصر *precatio pomeridiani temporis*. Denique tempus vespertinum Mohammedanis destinatum est precibus recitandis, quæ idcirco صلوة العشاء *preces vesperæ* audiunt *Surat.* XXIV. 59.

LXV. Jejunia Mohammedanorum sunt duplicia, Auctore Libri كتاب الصوم *obligatoria* & *spontanea*. Prioris generis est magnum illud mensis Ramadan, qui Arabum nonus mensis est, & alias etiam شهر الصبر *mensis patientiæ* appellatur, observante Ebno'l Athir: لما فيه من حبس النفس عن الطعام والشراب والنكاح *quod in eo a cibo potu & Venere abstinendum sit*. Totus enim fere hic mensis in jejuniis transigitur, vi Legis *Surat.* II. 186. فمن شهد منكم فليصمه *Et quisquis ex vobis aderit in eo jejunabit*. Eodem pertinet jejunium decimi mensis Moharram, quod عاشورا vocatur; quodcunque denique vel ex voto, vel propter peccatum susceptum est. Spontaneum autem quod sine ulla obligatione antecedente suscipitur. Ad jejunia utriusque generis requirunt *intentionem*: utque observentur integro die. *Surat.* II. 188. اتموا الصيام الي الليل *Perficite jejunium* ab aurora *usque in noctem*; ita tamen ut nocte ingruente lautius vivant *Surat.* II. 188. احل لكم ليلة الصيام الرفث الي نسايكم -- وكلوا واشربوا حتي يتبين لكم الخيط الابيض من الخيط الاسود من الفجر *Licet vobis nocte jejunii accedere ad uxores vestras --- edendo & bibendo* (totam transigatis noctem) *donec distinctum vobis appareat filum album a filo nigro in aurora*. Ab hac jejunandi necessitate immunes sunt infirmi, senes, mulieres gravidæ ægroti & iter facientes, quod tamen a postremis hisce, alio die quo commodius fieri possit observandum est: *Surat.* II. 185. ومن كان منكم مريضا او علي سفر فعدة من ايام اخر *Qui*

*autem e vobis fuerit ægrotus, aut in itinere, numerus e diebus aliis* ( accipiatur ad jejunium ſupplendum ). Hæc & alia etiam habentur in Libro كتاب الصوم. Eadem Rabbini præſcripſerunt: in illorum ſcriptis paſſim jejunia obligatoria & ſpontanea memorantur. vide Gem. תענית *fol.* X. I. 2. XI. 2. & XII. 2. Obligatoria vel publica, omnes obligant, inprimis magnum illud jejunium die expiationis, quod עשיר vocatur Levit. XVI. 29. vide Gem. תענית *fol.* XVII. I. unde Mohammedanorum عاشورا nomen mutuatum eſſe, eorum Scriptores teſtantur. A plurimis jejuniis publicis etiam Senes gravidæ & lactantes ut & pueri excipiuntur: vide עץ חיים in תענית *cap.* I. *m.* 6. Gem. תענית *fol.* XII. I. & יומא *fol.* LXXXIII. I. Obſervabantur publica vel obligatoria ab aurora uſque ad exortum ſtellarum: vid. תוספות ad *Gem.* יומא *fol.* XXXIV. I. quamvis ſpontanea pro lubitu determinari potuerint; תענית *fol.* X. I. Noctu autem bibere atque edere nec adeo parce licebat. vide *Gem.* יומא *fol.* XL. I. & Maimonidem in הלכות תעניות *cap.* V. *ſect.* 5. In ſpontaneis inprimis jejuniis licere totam noctem edendo & bibendo tranſigere, in Gem. תענית *fol.* XI. *c.* 2. docetur.

LXVI. Eleemoſynas الزكاة aut الصدقة maximo ſtudio Sectatoribus ſuis Mohammed commendat *Surat.* II. 43. 178. & ubique fere. Ipſe liberalitatis ſtudioſiſſimus fuit: in Traditione enim apud Albocharium, tam liberalis fuiſſe fertur: ولا يبيت في بيته درهم ولا دنار ولا ياخذ مما اتاه الله الا قوت اهله عاما فقط من ايسر ما يجد من التمر الشعير *ut aliquando nihil domi ejus remaneret, nec drachmæ nec denarii. Ex omnibus quæ Deus ei largiebatur nihil tenebat, niſi quantum familiæ in annum ſatis eſſet. Portionem dactylorum & hordei partem, quæ reperiebatur, ad erogandum ſeponebat.* Quare etiam eleemoſynas fundamentum ſuæ religionis conſtituit, referente Algazelo ad *Surat.* II. 43. Eleemoſynas Arabice الزكاة appellari autumant, a زكا *incrementum cepit, auxit*, quod facultates mortalium augeant: earumque liberalitate Dei gratiam, & Paradiſum Moslemos mereri poſſe, Mohammed dicit *Surat.* III. 133. 134. *Sur.* XXX. 39. & XXXIV. 39. &c. Conveniunt cum eleemoſynis privatis, quæ ab arbitrio cujuſcunque pendent publice, quæ *Decimæ* vocari poſſunt: quæ ſolvendæ ſunt de pecoribus, bobus, ovibus, de pecunia auro & argento, de frugibus: unde in MS. جاهلية العرب vetuiſſe dicitur Mohammed fruges noctu demetere, quod nonnulli faciebant, ne Decimas darent pauperibus: denique de plantis & vite, palmis &c. Perſonæ quibus id officii incumbit ſunt: adultæ ætatis homo, liber ſuique juris, mentis compos & legitimus eleemoſynæ Dominus. Hæc habentur in كتاب الزكوة, & in *Compend. Relig. Mohamm.* a Celeb. Relando edito *cap.* X.

LXVII. Eodem nomine eleemoſynas Judæi vocant צדקה in Gem. בבא בתרא *fol.* X. 2. XI. I. & ubique fere: ita δικαιοσύνη audiunt Matth. VI. I. Eandem virtutem illis tribuunt: גדולה צדקה יותר מכל הקרבנות *eleemoſynas omnibus ſacrificiis præferendas eſſe* referunt in Gem. סוטה *fol.* XVII. I. & in בבא בתרא *fol.* X. 2. Virtutem illis tribuunt, liberandi a Gehenna in Gem. גיטין *f.* VII. I. כל המגוה מנכסיו ועושה מהן צדקה ניצול מדין של גיהנם *Quicunque bona ſua proſcindit*, ( lanæ inſtar tondet ) *atque inde eleemoſynas erogat, is a Gehenna liberatur*; vitam æternam merendi vim eleemoſynis adſcribunt in Gem. ראש השנה *fol.* XVII. De ſimilibus rebus Decimæ, ſive certa portio cedebat pauperibus, quæ מעשר עני *decima pauperis* propterea vocatur: non enim duntaxat פאה *angulus* fructibus conſitus illis relinquendus erat Levit. XIX. 9. 10. verum etiam מזרע הארץ *de ſemine terræ*, & פרי העץ *fructu arboris* accipiebant: quæ vide deſcripta in *Gem. Hieroſol.* פאה *f.* X. 2. a Maimonide in הלכות מתנות עניים c. VI. Mentis præterea impos non obligabatur, aut cujus fundus obæratus erat, ſed בעל השדה qui agri ſui ſit ſolus Dominus. פאה v. 5.

LXVIII. In jurisjurandi formulis rurſus Mohammed Judæos imitatus fuiſſe videtur: jurat enim والسماء per *cælum*. *Surat.* XCI. 5. والشمس والقمر *per Solem & Lunam ib. c.* I. & 2. والنجم *per ſtellam Surat.* LIII. I. & LVI. 77. per

per alias res inanimatas *Surat.* LII. I. & ſeq. Jusjurandum temerarium & falſum, dummodo animus nocendi & conſilium abſuerit, eſſe veniale atque eleemoſyna data expiandum facili negotio, *Surat.* V. 98. Gelal, *jusjurandum temerarium* ita exponit: هوما يسبق اليه السان من غير قصد الحلف كقول الانسان لا والله وبالي والله *quando lingua mentem præcurrit, & conſilium jurandi: ex. gr. cum quis dicit: non per Deum: vel ita per Deum.* Judæi quoque jam Chriſti tempore jurabant per cœlum & creaturas Matt. V. 33. & in Gem. ברכות *fol.* LV. 2. per *terram:* apud Maimonid. in הלכות שבוע *cap.* XII. *ſect.* 3. Hoc tamen veniale eſſe immo nullius momenti Rabbini dicunt, Maimonide teſte cit. loc. מי שנשבע בשמים ובארץ ובשמש וכיוצא בהן אף על פי שאין כוונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה: *Si quis juret per cœlum, & per terram per Solem & ſimilia, etiamſi quis in animum induxiſſet non niſi per eum jurare qui ea creavit, minime tamen juramentum eſt.* De *jurejurando temerario,* שבועת ביטוי & *veniali* שבועת שוא agunt in שבועות *fol.* XXXIII. 2. & Bechai in ביאור על תורה *fol.* CLXXXVI. 2. Deum etiam haud Θεοπρεπῶς jurare interdum fingunt, quam impietatem Mohammed quoque ſæpius in Alcorano imitatur.

LXIX. In divortiis eandem libertatem ſuis conceſſit, quam Judæis tribuere ſolent Rabbini, dimittendi tum uxores tum ſponſas, *Surata* LXV. cujus titulus eſt الطلاق *Repudium* & *Surat.* 237. ita tamen ut dos redderetur *Surat.* IV. 18. Uxor repudiata non niſi tribus menſibus exactis alii Viro nubere poterat. *Surat.* II. 229. & ſi puerum ubera ejus ſugentem tunc temporis enixa eſſet, alere repudiatam per totum biennium & veſtire tenetur Maritus. *Surat.* II. 235. Perinde atque libello divortii tum ſponſas, tum uxores dimittere licet Judæis, teſte Maimonide in הלכות אישות *cap.* I. *ſect.* 3. etiam ob leviſſimam cauſam Gem. גיטין *fol.* LXXX. *c.* I. Repudiatam autem nemo matrimonio ſibi jungere poteſt, niſi tribus elapſis menſibus: ita enim in שלחן ערוך *Part.* III. הלכות אישות *Sect.* XIII. §. I. כל אשה שנתגרשה או שנתאלמנה הרי זו לא תנשא ולא תתארס לאחר עד שתמתין תשעים יום חוץ מיום שנתגרשה או שמת בעלה בו וחוץ מיום שנתארסה בו *Repudiata aut vidua, non nubere poteſt aut deſponſari niſi* 90. *diebus exactis, ubi præterea excipiendus eſt dies quo viduæ maritus diem ſuum obiit, aut prioris uxor repudiata eſt, nec non dies, quo nova celebrata ſunt ſponſalia.* Lactans vero vel gravida alitur integro biennio, referente Joſepho Karo in שלחן ערוך c. I. §. II. גזרו חכמים שלא ישא אדם ולא יקדש מעוברת חבירו ולא מניקת חבירו עד שיהי' לולד כ"ד חרשים: *Decreverunt Sapientes nemini licere gravidam vel lactantem in matrimonium ducere aut deſponſare, niſi poſt viginti quatuor menſes, a die nativitatis infantis.* Maimonides in הלכות גרושין *Cap.* XI. *ſect.* 25. addit, hoc cautum eſſe propter meliorem curam infantis, ne inde periculum naſceretur.

LXX. Abſtinent Mohammedani non modo a Suilla, verum etiam ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato, ex præcepto Mohammedis *Surat.* V. 4. حرمت عليكم الميتة والدم والحم الخنزير وما اهل لغير الله به والمنخنقة والموقوذة المتردية والنطيحة وما اكل السبع الا ما ذكيتم وما ذبح علي النصب *Prohibetur vobis morticinum, & ſanguis, & caro porci & quod alii immolatum eſt quam Deo & ſuffocatum: & quod occiſum eſt percuſſione: & quod a loco alto cadens mortuum eſt: & quod cornu ictum interiit: & quod fera comedit, & quod immolatum fuit ſimulacris:* vide *Surat.* VI. VI. 145. Averſari eadem Judæos Lege Moſis vetita, omnibus notum eſt; ſacrificia nomine idoli aut jugulata, aut quorum ſanguis nomine Dei alieni exceptus adſperſusqut eſſet, impura & profana habebantur & ſepelienda: Gem. שבת *fol.* LXXXII. & LXXXIII. obſervante enim Raſchi ad Gem. עבודה זרה *fol.* XXX. *c.* 2. איתקש תקרובת ע"ז למת *Oblatio idololatrica comparatur.* Neceſſitate tamen urgente, ne fame pereant, etiam ſuffocati, ſanguiniſque uſum concedunt. Ita Maimonides in הלכות מלכים *cap.* VIII. *ſect.* I. & *ſeqq.* חלוצי צבא כשיכנסו בגבול הגוים ויכבשום וישבו מהן מותר להן לאכול נבילות וטריפות ובשר חזיר וכיוצא בו אם ירעב ולא מצא מה יאכל אלא מאכלות אלו האיסורין וכן שותה יין נסך מפי השמועה למדו ובתים מלאים כל טוב ערפי חזירים וכיוצא בהן: *Profecti in militiam cum intraverint fines gentium, eoſque ſibi ſubjecerint atque captivos duxerint, facultatem habent edendi morticinia & diſcerpta, etiam carnem porci & ſimilia, ſi quis eſuriat, & non inveniat quam vetitos cibos.* Eodem modo vinum li-

libaminis ( Idolorum ) *Verum e traditione didicerunt* ( verba Deut. xi. 6. ) ædes refertas omni bono *complecti cervices porcorum & talia*. Idem eo in casu etiam Mohammed suis largitur *Surat.* v. 4. ubi cum morticinium , suillam &c. prohibuisset addit : فمن اضطر في مخمصة غير متجانف لاثم فان الله غفور رحيم , *porro qui urgente necessitate ob famem* illis vescitur , *neque intentionem peccandi habuerit , certe Deus illi erit propitius misericors*. vide *Surat.* vi. 115. 145. & xvi. 115.

LXXI. Vetuit aleæ usum Mohammed *Surat.* ii. 219. Quæritur quod per ludum الميسر in Alcorano intelligatur: Gelal per القمار exponit , quod Hyde de *Ludis Orient. p.* 102. tum in genere quemvis ludum , tum aleam denotare existimat . Apud Rabbinos pessime audiunt aleatores : In Gem. חולין *fol.* xci. 2. fures vocantur: atque in Judiciis neque ad judicandum neque testimonium dicendum admittebantur , Gem. סנהדרין *fol.* xxiv. 2. Denique Sacram Historiam V. Test. plurimis aliis fabulis contaminavit Alcoranus e Judæorum Talmude acceptis; quas si omnes afferre vellem, & Lectorum patientia & otio abuterer.

*F I N I S.*